
TOMVS SECVNDVS
CONTINENS
DECRETA,
CONSTITVTIONES ET ARTICVLOS
REGVM INCLYTI REGNI VNGARIÆ,

AB ANNO DOMINI, MILLESImo Trigesimo quinto, ad annum post Sesquimillesimum Octogesimum tertium, publicis Comitiis edita.

CVM RERVM INDICE COPIOSO.

Editio nouissima

Iuxta Tirnauiensem iam à pluribus erroribus Typographicis repurgata.







VIENNÆ AVSTRIÆ,

TYPIS & SVMPTIBVS CASPARIS AB RATH, SACRÆ CÆSAREÆ Maiestatis, nec non Antiquissimæ ac Celeberrimæ Vniuersitatis Viennensis Bibliopolæ ac Typographi iurati.

ANNO. M. DC. XXVIII.

D. PAVL. ad Rom. 13.

Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non enim eſt poteſtas niſi à Deo. Quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt. Itaq; qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Nam Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali.

SERIES REGVM VNGARIÆ CVM INTERREGIBVS.



I. Diuus Stephanus.

REx Stephane, indigetum pars una iubarq; coruscum
Pannoniæ, primus sceptra fidemq; tenes.

II. Petrus.

Condignam meritò soluit pro crimine pœnam
Imperio exitium dum struit iste suo.

III. Aba Interrex.

Austriacos vastat discors dum Marte Tyrannus,
Occubat infelix milites ense sui.

IV. Andreas.

Asper erat Christo Andreas: sed fraude peracta,
Vertitur, & stabilit religionis opus.

V. Bela. I.

Hic regimen nactus, sacram & Rex BELA coronam:
Confirmat cultum, Christicolamq; fidem.

VI. Salomon Interrex.

Exilium Salomon fert, quod patruelibus ante
Struxerat, & laqueis se capit ipse suis.

VII. Geysa.

Felix imperio, felix breuitate regendi,
Post fatum gaudet nomen habere pium.

VIII. Diuus Ladislaus.

Ladislaë paras Solymis dum bella mouere,
Inuidet, & fatr fert tibi Parca diem.

IX. Colomannus.

Marte premit Venetos victor Colomannus, & Almum
Lumine cum Bela sanguinis orbat amans.

X. Stephanus. II.

Venit ad imperium Stephanus, feritate, & acerbo
Sæuior ingenio, quàm fuit antè pater.

XI. Bela. II.

Pacis amans, concors, & charus Bela secundus
Omnibus in Regno mitia iura dedit.

XII. Geysa. II.

Aequat auos Geyses, Nitramq; Antistite sacro
Exornat, Christi qui gerat usq; vices.

XIII. Stephanus. III.

Cum scelus vlcisci posset virtute, superbos
Fert patruos: Venetis tristia bella parat.

XIV. Ladislaus. II. Interrex.

Furtiuas seno fert Ladislaus habenas
Mense: parùm felix lumine cassus obit.

XV. Stephanus. IV. Interrex.

Non furtiua probat vindex Rahmnusia regna:
Hic quoq; fert voti gaudia parua sui.

XVI. Bela. III.

Constanter placida populos in pace gubernans,
In vitia & prauos iustus & asper erat.

XVII. Emericus.

Bella lacessitus cum fratre domestica gessit,
Ad Solymam victor quem superauit humum.

XIIX. Ladislaus. III.

Accipit Imperij Rex Ladislaus habenas,
At citò quæ cœpit Regna regenda, cadit.

XIX. Andreas. II.

Ante iugo Andreas domitos, sublimat honore,
Et donat rursum nobilitate viros.

XX. Bela. IV.

Tartarus hoc regnante ruit, Dacosq; cæcidit,
Atq; Ducem Regni pellit in exilium.

XXI. Stephanus. V.

Occidit infelix annis vix Regna duobus
Tutans: Budæa lenè quiescit humo.

XXII. Ladislaus. VI.

Ottocarum vincis: sed non superare Cumanos
Concessum est, quorum fraude peremptus obis

XXIII. *Andreas.* III. *Venetus.*

Atterit Austriacum: ridet te Marte minantem
Tristia cædifero Carole fata sibi

XXIV. *Venceslaus Interrex.*

Vulnera dum fati fers Venceslaë cruenti
Vrbis ad Olmuciæ mœnia pulchra cadis.

XXV. *Otto Bauarus Interrex.*

Otto exul scelere acceptas fastigia Regni,
Et scelere iniustas reddis auarus opes.

XXVI. *Carolus.* I.

Sarmatiæ & Basarad pacem, pacemq; Boëmo
Sed tibi Trinchini bella seuera dedit.

XXVII. *Ludouicus.* I.

Non virtute minor fuerat Ludouicus & armis,
Quàm quis præfatos dicere posset auos.

XXIIX. *Maria Ludouici Filia.*

Hanc quoq; sors varijs agitauit dura procellis,
Dum Regni Imperio præfuit ipsa suo.

XXIX. *Carolus paruus.*

Carolus eripuit Mariæ sceptrumq; thronumq;,
Qui Blasij tacitâ fraude petitus obit.

XXX. *Sigismundus.*

Hic Baiazetem forti bis Marte petiuit,
Sed fortuna parum uisa fauere fuit.

XXXI. *Albertus.*

Occidit Albertus dum poma melonea gustat,
Poma sed heû nimium noxia damna Duci.

XXXII. *Ladislaus Posthumus.*

Felicem puerum cuius memoranda coronant
Imperij cunas fata decore graui.

XXXIII. *Vladislaus* Iagello *Interrex.*

Cum studet ire pius Turcis Rex obuius armis,
Ad Warnam dubia morte solutus obit.

XXXIV. *Matthias.*

Semideûm Soboles Matthias, gloria regum,
Threicij victor contudit arma Ducis.

XXXV. *Vladislaus.* II. *Casimiri Filius.*

Perdidit, ac Regno Turcas eiecit auito
Vltor & iniustę seditionis erat.

XXXVI. Ludouicus.

Hic Mahumetæis Ludouicus victus ab armis
Dura Mohachia fata palude tulit.

XXXVII. Ioannes de Zapolya VVaiuoda Transsyluaniæ, Interrex.

Arripit Imperium vi, vis durabile Regum
Sed temerè elato non dedit esse viro.

XXXVIII. Ferdinandus.

Dum tibi Pannonia intentus succurrere gestit,
Dat Germane tibi tristia fata necem.

XXXIX. Maximilianus.

Felix Imperij Maxæmilianus habenas
Rexit, & Vngarici lux fuit iste soli.

XL. Rudolphus.

Laudatus multa regnat virtute Rudolphus,
Et grauitate suos ornat & æquat auos.

XLI. Matthias. II.

Lux vt pacis eram Mattheias sorte Monarcha
Custos sic Legum: quis neget? inuidia est!

XLII. Ferdinandus. II.


Iustitiá ductus Ferdnandus lege Secundus.
Tot bella expedio: Mox Deus acta probat.

XLIII. Ferdinandus. III.

Sanguine Cæsareo Ferdnandus tertius adsum
Serta dedit populus seruet vtrumq; Deus.



GVBER.



GVBERNATORES REGNI VNGARIÆ, QVI DECRETA EDIDERVNT.

Ioannes Hunyadi.

SVblimis largo Hunniades clarusq; cruore
Transegit vitæ non sine laude dies.

Michael Szilagij.

Sæpè cruentatum fudit strauitq; Tyrannum,
Et Bizantina finijt vrbe diem.



SANCTI

SANCTI STEPHANI PRIMI REGIS VNGARIAE DECRETA.

SANCTVS STEPHANVS filius Geysæ, filij Toxis, primus Rex & Apostolus Vngarorum, natus Strigonij, anno salutiferi partus Nongentesimo, Sexagesimo nono, patre è viuis sublato regnat, & Vngaros relicta idolatria ad fidem Christi conuertit, Episcopatus & templa magnifica erexit, & ea spectatæ sanctimoniæ viris, vndiq; ex omni ordine cleri in Regnum accitis, illustrauit: quibus totius Regni decimas contulit, & variè distribuit. Huic Benedictus septimus Pontifex maximus, anno Nongentesimo, Octogesimo tertio, angelico monitus oraculo, Coronam misit, & per legatum suum inungi, & solenni pompa coronari fecit. Duxerat Guilhelmi Burgundi filiam, Geysle nomine, in vxorem, ex qua sanctum Emericum susceperat, ad quem primum Decreti sui liberum scripsit, sponte Regno cessurus, & in Monasterium reliquum vitæ transacturus. Verùm Emericus patre prius è vita excedit, sic Stephanus quoque consilium mutat, permanens in regimine ad obitum vsque suum: qui obijt anno Domini Millesimo, Trigesimo octauo, vterque sanctorum cathalogo annumeratus, anno ab obitu Sancti Stephani Quadragesimo quinto. Huius Regis Decreta, Andreas primus, Diuus Ladislaus, Andreas secundus Hierosolimitanus, Colomannus, & Ludouicus primus, in suis de libertatibus Regni constitutionibus, confirmant.

Alij Gregorium V. volunt.

Seruantur etiam Priuilegia eius, si quæ vsquam reperiantur.

SANCTI

SANCTI STEPHANI PRIMI REGIS VNGARIÆ DECRETORVM

LIBER PRIMVS.

AD SANCTVM EMERICVM DVCEM.

Præfatio, in qua Rex hortatur Ducem ad capeſſenda paterna monita & præcepta.

IN NOMINE Sanctæ Trinitatis & indiuiduæ vnitatis. Cum cuncta DEI nutu condita, ſuaque euidentiſſima prærordinatione diſpoſita, tam in amplitudine cœli, quàm in iſtis ampliſſimis terrarum climatibus, ratione intelligentiæ funditus ſentiam vigère, atque ſubſiſtere: cumque affatim vniuerſa huius vitæ vtilitati dignitatique gratia DEI conceſſà, ſcilicet Regna, Conſulatus, Lex.
Ducatus, Comitatus, Pontificatus, cæterasque dignitates, partim diuinis præce- Ius.
ptis atque inſtitutis, partim legalibus, partim iuridicis, partim ciuilibus, ac Nobi- Iurisdictio.
liorum ætateque prouectorum conſilijs, ſuaſionibus, regi, defendi, diuidi, coadu- Conſilium.
nari videam: & cum omnes ordines vbique terrarum, cuiuſcunque ſint dignitatis, non ſolùm ſatellitibus, amicis, ſeruis, præcipere, conſulere, ſuadere, ſed etiam filijs pro certo ſciam: Tunc me non piget, fili amabiliſſime, hac vita comite, tibi documenta, præcepta, conſilia & ſuaſiones, † parare, quibus tuæ vitæ mores, tibiq; † Al. propo-
ſubiectorum exornes, quando, ſumma concedente potentia, poſt me regnabis. Te nere.
autem ſtudioſè, adhibita audientia, patris præcepta, iuxta diuinæ ſapientiæ ſuaſum, condecet obſeruare, dicentes per os Salomonis: Audi fili mi patris tui diſci- Prouer. 34.
plinam, & ne dimittas legem matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo, & multiplicentur tibi anni vitæ tuæ. Ex hac ergo ſententia animaduertere poteris, ſi ea, quæ paterna pietate tibi præcipio, contemſeris (quod abſit) quòd amplius amicus DEI & hominum non eris. Audi verò inobedientiam præuaricatorum præcepti, caſum & præcipitium. Adam quidem, quem Dominus, conditor, totiusque crea- Gene. 2.
turæ plaſmator, ad ſuam formauit ſimilitudinem, eumque vniuerſalis fecit hæredem dignitatis, vinculum fregit præceptorum, ſtatimque dignitatum ſublimitatem, ac manſionem Paradiſi perdidit. Antiquus quoque populus à DEO electus & dilectus, quia legamina mandatorum, digitis DEI condita, diſiecit, idcirco di- Num. 21.
uerſis interijt modis, partem quidem terra deglutiuit, partem quoque extermi- Deut. 8.
nator mortificauit, & pars inuicem ſe interfecit. Filius quoque Salomonis, abij- Iudic. 8.
ciens pacifica verba patris, ac ſuperbia elatus, minatus eſt populo percuſſiones fra- 3.Reg. 12.
meæ, pro maſtigijs patris, idcircò multa mala paſſus eſt in Regno, & ad vltimũ de- Maſtigijs, id
iectus eſt. Hoc tibi ne accidat, obedi fili mihi, puer es, deliciarum vernula, pului- eſt, flagellis
naris accola, fotus educatusque in delicijs cunctis, expeditionum, laboris, atque Vernula, id
diuerſarum gentium incurſionis expers, in quibus ego iam ferè totam meam con- eſt, ſeruus.
triui ætatem, iam tempus adeſt, in quo tibi non ſemper puluinarium mollities, quæ te hebetem & delicatum reddant, adhibendæ ſunt, quod eſt diſſipatio virtutum & vitiorum fomentum, atque contemptio mandatorum, ſed interdum aſperitas tribuenda eſt, quæ tuam intelligentiam ad ea, quæ præcipio, reddant attentam. His itaque præfatis, redeamus ad propoſitum.

De obseruanda Catholica fide. CAPVT I.

Reges esse non possunt, qui Cathol. non sunt. Ecclesiastico rum testimonio, quis probatur esse verè Christianus.

QVONIAM ad Regalis dignitatis ordinem, non oportet nisi fideles, & Catholica fide imbutos accedere; idcirco Sanctæ fidei in nostris mandatis primum damus locum. Imprimis præcipio, consulo, suadeo, fili charissime, si Regalem cupis honestare coronam, vt fidem Catholicam & Apostolicam, tali diligentia & custodia conserues, vt omnibus tibi à DEO subiectis exemplum præbeas, cunctiq; Ecclesiastici viri, meritò te verum Christianæ professionis nominent virum, sine qua pro certo scias, Christianus non diceris, vel Ecclesiæ filius. Qui enim falsè credunt, vel fidem in bonis non implent & ornant operibus (quia fides sine opere moritur) nec hîc honestè regnant, nec in æterno regno vel Corona participant. Si verò scutum retines fidei, habes etiam galeam salutis. His quidem armamentis, contra inuisibiles & visibiles legitimè dimicare poteris inimicos. Nam ait Apostolus: Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Fides ergo de qua loquor hæc est: vt Patrem DEVM omnipotentem, factorem totius creaturæ, & vnigenitum eius filium, Dominum nostrum IESVM, de Maria virgine, Angelo annunciante, natum, & pro totius mundi salute in crucis patibulo passum: & Spiritum Sanctum, qui per Prophetas & Apostolos & Euangelistas locutus est, vnam Deitatem perfectam, indissolubilem, incontaminatam esse firmiter credas, & sine omni ambiguitate teneas. Hæc est fides Catholica, quam (sicut Athanasius dicit) nisi quis fideliter firmiterq; crediderit, saluus esse non poterit. Si aliquando infra tuam inueniantur potentiam (quod absit) qui hanc collationem Sanctæ Trinitatis diuidere, vel minuere, siue augere conabuntur, hos ipsos scias esse hæresiarchæ seruos, & non Sanctæ Ecclesiæ filios. Tales verò nec nutrias, nec defendas, ne tu etiam videaris amicus & fautor. Huiusmodi enim viri, Sanctæ fidei filios omnino reddunt morbosos, & istam nouellam Sanctæ Ecclesiæ plebem, miserabiliter destruunt, ac etiam dissipabunt. Hoc ne fiat, principaliter cura.

2. Tim. 2. Fides Catholica. Luc. 1. Symbolum Athanasij. Hæresiarcha quis.

De Ecclesia, & continendo Ecclesiastico statu. CAPVT II.

Ecclesia.

IN Regali quidem palatio, post fidem, Ecclesia secundum tenet locum, à capite nostro scilicet Christo prius seminata, deinde per eius membra vtiq; Apostolos, sanctosq; patres transplantata, & firmiter ædificata, atq; per totum orbem diffusa. Et quamuis semper nouam pareat prolem, in certis tamen locis, quasi antiqua habetur. Hæc autem, fili charissime, in nostra Monarchia adhuc quasi iuuenis, & nouella prædicatur; atq; idcircò cautioribus euidentioribusq; eget custodibus, ne bonum, quod diuina clementia per suam immensam † clementiam nobis concessit immeritis, per tuam desidiam & pigritiam atq; negligentiam destruatur, & annihiletur. Nam qui minuit, aut fœdat sanctæ Ecclesiæ dignitatem, ille Christi corpus mutilare nititur. Ipse enim Dominus dixit Petro, quem custodem magistrumque eidem posuit sanctæ Ecclesiæ: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Se ipsum quidem nominabat petram, verùm non ligneam, vel lapideam super se ædificatam Ecclesiam dixit, sed populum acquisitionis, gentē electam, diuinam, gregem fide doctum, Baptismate lotum, Chrismate vnctum, sanctam super se ædificatam Ecclesiam dixit, & appellat. Si quis infelix huius sanctæ Ecclesiæ membra, vel paruulos scandalizat, iuxta Euangelij præceptum, dignus est vt mola suspendatur asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris, id est, deijciatur de potestatis dignitate, & maneat extra Ecclesiam iustorum, in illa mundiali miseria, sicut Ethnicus & Publicanus. Ac per hoc, fili mi, feruenti studio debes inuigilare in sancta Ecclesia de die in diem, vt potius capiat augmentum, quàm detrimentum patiatur. Inde etiam imprimis Reges Augusti dicebantur, quia augebant Ecclesiam. Hoc & tu facias, vt tua Corona laudabilior, & vita beatior, & prolixior habeatur.

† Al. misericordiam. Petrus custos & Magister Ecclesię. Matth. 16. Matth. 18. Marci. 9. Augusti Reges, vnde dicti.

Episco-

Episcopi nomenclatura, & de impendendo honore Pontificibus. CAPVT III.

REGIVM solium ornat ordo Pontificum; ac per hoc in Regali dignitate tertium possident locum Pontifices. Charissime fili, seniores illos ita custodias, sicut oculorum pupillas. Si illorum beneuolentiam habebis, neminem aduersariorum timebis. Illis quidem te obseruantibus, eris securus in omnibus, illorum precatio comendabit te omnipotenti DEO. Illos enim DEVS humani generis constituit custodes, fecitq; speculatores animarum, ac totius Ecclesiasticæ dignitatis, ac diuini Sacramenti dispensatores & datores. Sine enim illis non constituuntur Reges, nec principatus. Per illorum interuentum, delicta delentur hominum. Si illos perfectè amas, te ipsum sine dubio sanas, tuumq; Regnum honorificè gubernas. In manus enim illorum posita est potestas ligandi nos in peccatis, & à peccatis soluendi. Testamentum enim sempiternum statuit illis DEVS, eosq; segregauit ab hominibus, & sui nominis atq; sanctitatis fecit participes, & ab hominibus interdixit reprehendendos esse, per Dauid deificum Regem: Nolite tangere christos meos, &c. Ille autem tangit christos DEI, qui contra diuinum atq; Canonum institutum, sacri ordinis viros, falsis criminibus fœdat, atq; in publicum protrahit. Quod te omnino, fili mi, agere prohibeo, si vis beatus viuere, & tuum Regnum honestare. Quia in his rebus imprimis offenditur DEVS. Si accidente casu, culpa reprehensione digna, super aliquem horum, de quibus sermo est, ceciderit (quod absit) corripe eum, ter, quater, inter te & ipsum solum, iuxta præceptum Euangelij. Si tunc secretè renuerit audire monita, adhibenda sibi sunt publica; secundum hæc. Si te nō audierit, dic Ecclesiæ. Nam si tu hunc ordinem seruabis, gloriosam tuam penitus exaltabis Coronam.

Pontifices, ornamentū solij Regij: Et quo loco habēdi à Rege. Hier. 6. Ezech. 3. Episcopi officium & potestas. Eccle. 45. Psal. 104. Matth. 17.

De merito honore Principum & Baronum. CAPVT IIII.

QVARTVS decor regiminis est fidelitas, fortitudo, agilitas, comitas, confidentia Principum, Baronum, Comitum, Militum, Nobilium. Illi enim sunt Regni propugnatores, defensores imbecillium, expugnatores aduersariorum, augmentatores monarchiarum. Illi tibi, fili mi, sint patres, & fratres. Ex his verò neminem in seruitutem redigas, vel seruum nomines, illi tibi militent, non seruiant, eorum omnibus sine ira, & superbia, atq; inuidia pacificè, humiliter, mansuetè dominare. Memoria retinens semper, quòd omnes homines vnius sunt conditionis: & quòd nil eleuat nisi humilitas, & nihil deijcit nisi superbia & inuidia. Si eris pacificus, tunc diceris Rex, & Regis filius, atq; amaberis à cunctis militibus. Si iracundus, superbus, inuidus, impacificus, ac super Comites & Principes ceruicem erexeris, sine dubio fortitudo militum, hebetudo erit Regalium dignitatum, & alienis tradent Regnum tuum. Hoc timens, cum regula virtutum dirige vitam Comitum, vt tua dilectione angulati, semper Regali dignitate adhæreant inoffensi, & vt tuum Regnum per omnia sit pacificum.

Principes, Comites, Barones, Milites, Nobiles, & eorum libertas, repetita in plurimum regum Decretis. Humilitas eleuat, deijcit superbia.

De seruanda virtute patientiæ, & tribuendo iudicio. CAPVT V.

PATIENTIÆ & iudicij obseruatio, quinta Regalis Coronæ est ornatio. Dauid Rex atq; Propheta dicit: DEVS iudicium tuum Regi da. Et idem alibi: Honor Regis iudicium diligit. De patientia Paulus Apostolus loquitur: Patientes estote ad omnes. Et Dominus in Euangelio: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Ad hoc tende, fili mi, si vis Regni habere honorem, dilige iudicium: si animam tuam possidere vis, esto patiens. Quotiescunque, fili charissime, causa digna iudicari ad te venerit, vel aliquis capitalis sententiæ reus, noli impatienter portare, vel cum iuramento firmare, illum punire, quod instabile & fragile debet esse, quia stulta vota frangenda sunt, vel per te ipsum dijudicare, ne tua Regalis dignitas vsurpatione inferiorum negotiorum fœdetur: sed potius huiusmodi negotium

Psal. 71. Psal. 98. 1. Thessa. 5. Lucæ 21. Quid sunt sine iustitia Regna, nisi latrocinia magna?

Reges patientes regn. tium ad Iudices mitte, quibus hoc commissum est, quod ipsi secundùm suam hoc discernant legem. Time esse iudex gaude verò Rex esse & nominari. Reges patientes regnant, impatientes verò tyrannizant. Quando autem aliquid, quod tuæ conuenit ad iudicandum dignitati, tibi venerit, cum patientia & misericordia, siue miserantia hoc iudica, vt tua Corona laudabilis sit & decora.

Iudicium Regis.

De acceptione exterorum, & nutrimento hospitum. CAPVT VI.

Externus hospes vtilis est. IN hospitibus & aduenticijs viris tanta inest vtilitas, vt dignè sexto in Regalis dignitatis loco possit haberi. Vnde imprimis Romanum creuit Imperium, Romaniq; Reges sublimati fuerunt, & gloriosi? nisi quòd multi Nobiles & sapientes, ex diuersis illuc confluebant partibus. Roma verò vsq; hodie esset ancilla, nisi Æneades ipsam fecisset liberam. Sicut enim ex diuersis partibus prouinciarum veniunt hospites, ita diuersas linguas & consuetudines, diuersaq; documenta & arma secum ducunt, quæ omnia Regiam ornant & magnificant aulam, & perterritant exterorum arrogantiam. Nam vnius linguæ, vniusq; moris Regnum, imbecille & fragile est. Propterea iubeo te, fili mi, vt bona voluntate illos nutrias, & honestè teneas, vt tecum libentius degant, quàm † alicubi habitent. Si enim tu destruere, quod ego ædificaui, aut dissipare, quod congregaui, studueris, sine dubio maximum detrimentum tuum patietur Regnum. Quod ne fiat, tuum quotidie auge Regnum, vt tua Corona ab omnibus augusta habeatur.

T. Liuius l. 1. ab vrbe condita.

Menander, Hospitibus fidis, fidus sis amicus.

† Al. alibi.

Externi in Regnum recipiantur.

De magnitudine consilij. CAPVT VII.

Consilium. IN tribunalibus Regum, consilium sibi septimum vendicat locum. Consilio enim constituuntur Reges, gubernantur Regna, defenditur patria, componuntur prælia, sumitur victoria, propelluntur inimici, appellantur amici, ciuitates construuntur, & castra aduersariorum destruuntur. Quando verò consilijs inest vtilitas. Nam à stultis, & arrogantibus, ac mediocribus (vt mihi videtur) non valent componi viris, sed à maioribus & melioribus, sapientioribusq; ac honestissimis senioribus, exprimi debent & poliri. Idcirco, fili mi, cum iuuenibus, & minus sapientibus noli consiliari, aut de illis consilium quærere, sed à senioribus, quibus illud negotium propter ætatem & sapientiam sit aptum. Nam consilia Regum, in præcordijs sapientum debent claudi, non ventositate stultorum propagari. Si enim gradieris cũ sapientibus, sapiens efficieris: Si versaris cũ stultis, sociaberis illis, fatente Spiritu Sancto per Salomonem: Qui cum sapientibus graditur, sapientum erit amicus, nec stultorum erit similis. Et Dauid psallit: Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris. Ad hoc quicquid negotij vnicuiq; conueniat ætati, in hoc se exerceat, scilicet, iuuenes in armis, Senatores in consilijs. Omnino tamen iuuenes non sunt expellendi à consilijs. Quoties verò cum illis consilium inibis, etiamsi sit habile, tamen semper ad maiores deferas, vt omnes actus tuos norma sapientiæ mensures.

Cũ iuuenibus, & insipientibus non consultandum.

Prouerb. 12. Psal. 17.

Iuuenes non omnino à cõsilijs reijciendi.

Quòd maiores imitari debeant, & filij obedire parentibus. CAPVT VIII.

IMITATIO maiorum in Regali dignitate, octauum possidet locum. Regale ornamentum scito esse maximum, sequi antecessores Reges, & honestos imitari parentes. Qui enim antecessorum decreta spernit patrum, nec diuinas procurat leges, peribit. Patres enim idcirco sunt patres, vt nutriant filios, ideoq; sunt filij, vt obediant patribus. Qui patri suo resistit, inimicus DEI existit. Omnes enim inobedientes, DEO sunt resistentes. Spiritus enim inobedientiæ dispergit flores Coronæ. Inobedientia enim, totius Regni est pestilentia. Propterea, fili charissime, edicta patris tui semper tibi sint promptuosa, vt prosperitas tua vbique Regalibus dirigatur habenis. Mores quidem meos, quos Regali vides conuenire dignitati, sine

Inobedientes resistunt Deo. Et inobidientia est Regni pestilentia.

sine vinculo totius ambiguitatis sequere. Graue enim tibi est huius climatis tenere Regnum, nisi imitator consuetudinis ante Regnantium exstiteris Regum. Quis Græcus regeret Latinos Græcis moribus? aut quis Latinus Græcos Latinis regeret moribus? Nullus. Idcircò consuetudines sequere meas, vt inter tuos habearis præcipuus, & inter alienos laudabilis.

Orandum esse, & quomodo. CAPVT IX.

OBSERVATIO orationis, maxima acquisitio est Regalis salutis, & ideò nonum, & nonaria Regiæ dignitatis canit regula. Continua oratio, est peccatorum † ablutio & remissio. Tu autem, fili mi, quotiescunque ad templum DEI curris, vt DEVM adores, cum Salomone filio Regis, & ipse Rex, semper dicas. Emitte Domine sapientiam de sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret, vt sciam quid acceptum sit coram te omni tempore. Et iterum: Domine pater & DEVS vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu maligno, extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, & desiderium malignum auerte à me Domine, aufer à me concupiscentiam, & animo irreuerenti & infrunito ne tradas me Domine. Hac itaq; oratione antiqui vtebantur Reges. Tu quoque hac eadem vtere, vt DEVS cuncta vitia à te auferre dignetur, vt inuictissimus Rex à cunctis nomineris. Ora etiam, vt desidiam & hebetudinem à te depellat, & supplementum omnium tibi tribuat virtutum, quibus visibiles & inuisibiles vincas inimicos, vt securus & expeditus ab omni incursione aduersariorum, cum omnibus tibi subiectis, cursum ætatis tuæ vitæ cum pace possis finire.

Oratio, & eius vtilitas.
† Al. abolitio.
3. Reg. 3.
Sapientiam Deus dat.
Oratio Salomonis.
Eccles. 23.

De pietate & misericordia, cæterisq́ virtutibus. CAPVT X.

MODVS virtutum ornat Coronam Regum, & in præceptis ponitur decimus. Nam Dominus virtutum ipse est Rex Regum. Sicut ergo sui exercitus cælestis plenitudo, in denis consistit choris, sic tuæ vitæ conuersatio, in decem persistat mandatis. Oportet Regem esse pium, misericordem, & cæteris virtutibus imbutum & ornatum. Rex enim impietate & crudelitate fœdatus, incassum sibi vendicat nomen Regis, quia Tyrannus est dicendus. Ob hoc ergo, fili mi amabilissime dulcedo cordis mei, spes futuræ sobolis, precor, iubeo, vt per omnia, & in omnibus pietate fultus, non solùm parentelæ & cognationi, vel Principibus, siue Ducibus, siue diuitibus, seu vicinis, & incolis sis propitius, verumetiam extraneis, & cunctis ad te venientibus. Nam opus pietatis ad summam te ducit beatitudinem. Sis misericors omnibus vim patientibus, semper illud Domini in tuis præcordijs habens exemplum: Misericordiam volo, & non sacrificium. Patiens esto ad omnes, non tantum potentes, sed etiam potestate carentes. Sis denique fortis, ne te prosperitas nimis eleuet, aut aduersitas deijciat. Sis quoq; humilis, vt DEVS te altum faciat, hîc & in futuro. Sis verò modestus, & vltra modum neminem punias, vel damnes. Sis mitis, vt nunquam iustitiæ repugnes. Sis honestus, vt nunquam alicui spontaneum inferas dedecus. Sis pudicus, vt cunctos libidinis fætores, sicut stimulum mortis, euites. Hæc omnia superius libata Regalem componunt Coronam, sine quibus valet nullus hîc regnare, nec ad æternum pertingere Regnum.

Regum coronã ornant virtutes.
Psal. 23.
Rex qualis esse debet.
Pietas ad omnia vtilis est. Paul. 1. Ti. 4. Os. 6. Math. 9.
Virtutes Principum septem.
Hieron. Humilé virum ostendit patientia.

SANCTI STEPHANI REGIS DECRETORVM LIBER SECVNDVS.

PRÆFATIO.

REGNANTE diuina clementia, opus Regalis dignitatis, alimonia Catholicæ fidei, effectum amplians solidius, alterius dignitatis solet operibus adesse: & quoniam vnaquæq; gens proprijs regitur legibus, idcircò nos quoque DEI nutu

 nostram

X. *Stephanus.* II.

Venit ad imperium Stephanus, feritate, & acerbo
Sæuior ingenio, quàm fuit antè pater.

XI. *Bela.* II.

Pacis amans, concors, & charus Bela secundus
Omnibus in Regno mitia iura dedit.

XII. *Geysa.* II.

Aequat auos Geyses, Nitramq; Antistite sacro
Exornat, Christi qui gerat usq; vices.

XIII. *Stephanus.* III.

Cum scelus vlcisci posset virtute, superbos
Fert patruos: Venetis tristia bella parat.

XIV. *Ladislaus.* II. *Interrex.*

Furtiuas seno fert Ladislaus habenas
Mense: parùm felix lumine cassus obit.

XV. *Stephanus.* IV. *Interrex.*

Non furtiua probat vindex Rahmnusia regna:
Hic quoq; fert voti gaudia parua sui.

XVI. *Bela.* III.

Constanter placida populos in pace gubernans,
In vitia & prauos iustus & asper erat.

XVII. *Emericus.*

Bella lacessitus cum fratre domestica gessit,
Ad Solymam victor quem superauit humum.

XIIX. *Ladislaus.* III.

Accipit Imperij Rex Ladislaus habenas,
At citò quæ cœpit Regna regenda, cadit.

XIX. *Andreas.* II.

Ante iugo Andreas domitos, sublimat honore,
Et donat rursum nobilitate viros.

XX. *Bela.* IV.

Tartarus hoc regnante ruit, Dacosq; cæcidit,
Atq; Ducem Regni pellit in exilium.

XXI. *Stephanus.* V.

Occidit infelix annis vix Regna duobus
Tutans: Budæa lenè quiescit humo.

XXII. *Ladislaus.* VI.

Ottocarum vincis: sed non superare Cumanos
Conceslum est, quorum fraude peremptus obis

XXIII. *Andreas.* III. *Venctus-*

Atterit Austriacum : ridet te Marte minantem

Tristia cædifero Carole fata sibi

XXIV. *Venceslaus Interrex.*

Vulnera dum fati fers Venceslaë cruenti

Vrbis ad Olmuciæ mœnia pulchra cadis.

XXV. *Otto Bauarus Interrex.*

Otto exul scelere acceptas fastigia Regni,

Et scelere iniustas reddis auarus opes.

XXVI. *Carolus.* I.

Sarmatiæ & Basarad pacem, pacemq; Boëmo

Sed tibi Trinchini bella seuera dedit.

XXVII. *Ludouicus.* I.

Non virtute minor fuerat Ludouicus & armis,

Quàm quis præfatos dicere posset auos.

XXIIX. *Maria Ludouici Filia.*

Hanc quoq; sors varijs agitauit dura procellis,

Dum Regni Imperio præfuit ipsa suo.

XXIX. *Carolus paruus.*

Carolus eripuit Mariæ sceptrumq; thronumq;,

Qui Blasij tacitá fraude petitus obit.

XXX. *Sigismundus.*

Hic Baiazetem forti bis Marte petiuit,

Sed fortuna parum uisa fauere fuit.

XXXI. *Albertus.*

Occidit Albertus dum poma melonea gustat,

Poma sed heû nimium noxia damna Duci.

XXXII. *Ladislaus Posthumus.*

Felicem puerum cuius memoranda coronant

Imperij cunas fata decore graui.

XXXIII. *Vladislaus* Iagello *Interrex.*

Cum studet ire pius Turcis Rex obuius armis,

Ad Warnam dubia morte solutus obit.

XXXIV. *Matthias.*

Semideûm Soboles Matthias, gloria regum,

Threicij victor contudit arma Ducis.

XXXV. *Vladislaus.* II. *Casimiri Filius.*

Perdidit, ac Regno Turcas eiecit auito

Vltor & iniustę seditionis erat.

XXXVI. Ludouicus.

Hic Mahumetæis Ludouicus victus ab armis
Dura Mohachia fata palude tulit.

XXXVII. Ioannes de Zapolya VVaiuoda Transsyluaniæ, Interrex.

Arripit Imperium vi, vis durabile Regum
Sed temerè elato non dedit esse viro.

XXXVIII. Ferdinandus.

Dum tibi Pannonia intentus succurrere gestit,
Dat Germane tibi tristia fata necem.

XXXIX. Maximilianus.

Felix Imperij Maxæmilianus habenas
Rexit, & Vngarici lux fuit iste soli.

XL. Rudolphus.

Laudatus multa regnat virtute Rudolphus,
Et grauitate suos ornat & æquat auos.

XLI. Matthias. II.

Lux vt pacis eram Mattheias sorte Monarcha
Custos sic Legum: quis neget? inuidia est!

XLII. Ferdinandus. II.


Iustitiá ductus Ferdnandus lege Secundus.
Tot bella expedio: Mox Deus acta probat.

XLIII. Ferdinandus. III.

Sanguine Cæsareo Ferdnandus tertius adsum
Serta dedit populus seruet vtrumq; Deus.



GVBER-



GVBERNATORES REGNI VNGARIÆ, QVI DECRETA EDIDERVNT.

Ioannes Hunyadi.


SVblimis largo Hunniades clarusq; cruore
Transegit vitæ non sine laude dies.

Michael Szilagij.

Sæpè cruentatum fudit strauitq; Tyrannum,
Et Bizantina finijt vrbe diem.



SANCTI



SANCTI STEPHANI PRIMI REGIS VNGARIAE DECRETA.

SANCTVS STEPHANVS filius Geysæ, filij Toxis, primus Rex & Apostolus Vngarorum, natus Strigonij, anno salutiferi partus Nongentesimo, Sexagesimo nono, patre è viuis sublato regnat, & Vngaros relicta idolatria ad fidem Christi conuertit, Episcopatus & templa magnifica erexit, & ea spectatæ sanctimoniæ viris, vndiq; ex omni ordine cleri in Regnum accitis, illustrauit : quibus totius Regni decimas contulit, & variè distribuit. Huic Benedictus septimus Pontifex maximus, anno Nongentesimo, Octogesimo tertio, angelico monitus oraculo, Coronam misit, & per legatum suum inungi, & solenni pompa coronari fecit. Duxerat Guilhelmi Burgundi filiam, Geysle nomine, in vxorem, ex qua sanctum Emericum susceperat, ad quem primum Decreti sui librum scripsit, sponte Regno cessurus, & in Monasterium reliquum vitæ transacturus. Verùm Emericus patre prius è vita excedit, sic Stephanus quoque consilium mutat, permanens in regimine ad obitum vsque suum : qui obijt anno Domini Millesimo, Trigesimo octauo, vterque sanctorum cathalogo annumeratus, anno ab obitu Sancti Stephani Quadragesimo quinto. Huius Regis Decreta, Andreas primus, Diuus Ladislaus, Andreas secundus Hierosolimitanus, Colomannus, & Ludouicus primus, in suis de libertatibus Regni constitutionibus, confirmant.

Alij Gregorium V. volunt.

Seruantur etiam Priuilegia eius, si quæ vsquam reperiantur.

SANCTI

SANCTI STEPHANI PRIMI REGIS VNGARIÆ DECRETORVM

LIBER PRIMVS.

AD SANCTVM EMERICVM DVCEM.

Præfatio, in qua Rex hortatur Ducem ad capessenda paterna monita & præcepta.

IN NOMINE Sanctæ Trinitatis & indiuiduæ vnitatis. Cum cuncta DEI nutu condita, suaque euidentissima præordinatione disposita, tam in amplitudine cœli, quàm in istis amplissimis terrarum climatibus, ratione intelligentiæ funditus sentiam vigère, atque subsistere: cumque affatim vniuersa huius vitæ vtilitati dignitatique gratia DEI concessa, scilicet Regna, Consulatus, Ducatus, Comitatus, Pontificatus, cæterasque dignitates, partim diuinis præceptis atque institutis, partim legalibus, partim iuridicis, partim ciuilibus, ac Nobiliorum ætateque prouectorum consilijs, suasionibus, regi, defendi, diuidi, coadunari videam: & cum omnes ordines vbique terrarum, cuiuscunque sint dignitatis, non solùm satellitibus, amicis, seruis, præcipere, consulere, suadere, sed etiam filijs pro certo sciam: Tunc me non piget, fili amabilissime, hac vita comite, tibi documenta, præcepta, consilia & suasiones, † parare, quibus tuæ vitæ mores, tibiq; subiectorum exornes, quando, summa concedente potentia, post me regnabis. Te autem studiosè, adhibita audientia, patris præcepta, iuxta diuinæ sapientiæ suasum, condecet obseruare, dicentes per os Salomonis: Audi fili mi patris tui disciplinam, & ne dimittas legem matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo, & multiplicentur tibi anni vitæ tuæ. Ex hac ergo sententia animaduertere poteris, si ea, quæ paternà pietate tibi præcipio, contemseris (quod absit) quòd amplius amicus DEI & hominum non eris. Audi verò inobedientiam præuaricatorum præcepti, casum & præcipitium. Adam quidem, quem Dominus, conditor, totiusque creaturæ plasmator, ad suam formauit similitudinem, eumque vniuersalis fecit hæredem dignitatis, vinculum fregit præceptorum, statimque dignitatum sublimitatem, ac mansionem Paradisi perdidit. Antiquus quoque populus à DEO electus & dilectus, quia legamina mandatorum, digitis DEI condita, disiecit, idcirco diuersis interijt modis, partem quidem terra degluciuit, partem quoque exterminator mortificauit, & pars inuicem se interfecit. Filius quoque Salomonis, abijciens pacifica verba patris, ac superbia elatus, minatus est populo percussiones frameæ, pro mastigijs patris, idcircò multa mala passus est in Regno, & ad vltimũ deiectus est. Hoc tibi ne accidat, obedi fili mihi, puer es, deliciarum vernula, puluinaris accola, fotus educatusque in delicijs cunctis, expeditionum, laboris, atque diuersarum gentium incursionis expers, in quibus ego iam ferè totam meam contriui ætatem, iam tempus adest, in quo tibi non semper puluinarium mollities, quæ te hebetem & delicatum reddant, adhibendæ sunt, quod est dissipatio virtutum & vitiorum fomentum, atque contemptio mandatorum, sed interdum asperitas tribuenda est, quæ tuam intelligentiam ad ea, quæ præcipio, reddant attentam. His itaque præfatis, redeamus ad propositum.

Marginalia: Lex. Ius. Iurisdictio. Consilium. — † Al. proponere. — Prouer. 34. — Gene. 2. — Num. 21. Deut. 8. Iudic. 8. 3. Reg. 12. — Mastigijs, id est, flagellis — Vernula, id est, seruus.

De obseruanda Catholica fide. CAPVT I.

Reges esse non possunt, qui Cathol. non sunt. Ecclesiasticorum testimonio, quis probatur esse verè Christianus.

QVONIAM ad Regalis dignitatis ordinem, non oportet nisi fideles, & Catholica fide imbutos accedere; idcirco Sanctæ fidei in nostris mandatis primum damus locum. Imprimis præcipio, consulo, suadeo, fili charissime, si Regalem cupis honestare coronam, vt fidem Catholicam & Apostolicam, tali diligentia & custodia conserues, vt omnibus tibi à DEO subiectis exemplum præbeas, cunctiq; Ecclesiastici viri, meritò te verum Christianæ professionis nominent virum, sine qua pro certo scias, Christianus non diceris, vel Ecclesiæ filius. Qui enim falsè credunt, vel fidem in bonis non implent & ornant operibus (quia fides sine opere moritur) nec hîc honestè regnant, nec in æterno regno vel Corona participant. Si verò scutum retines fidei, habes etiam galeam salutis. His quidem armamentis, contra inuisibiles & visibiles legitimè dimicare poteris inimicos. Nam ait Apostolus: Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Fides ergo de qua loquor hæc est: vt Patrem DEVM omnipotentem, factorem totius creaturæ, & vnigenitum eius filium, Dominum nostrum IESVM, de Maria virgine, Angelo annunciante, natum, & pro totius mundi salute in crucis patibulo passum: & Spiritum Sanctum, qui per Prophetas & Apostolos & Euangelistas locutus est, vnam Deitatem perfectam, indissolubilem, incontaminatam esse firmiter credas, & sine omni ambiguitate teneas. Hæc est fides Catholica, quam (sicut Athanasius dicit) nisi quis fideliter firmiterq; crediderit, saluus esse non poterit. Si aliquando infra tuam inueniantur potentiam (quod absit) qui hanc collationem Sanctæ Trinitatis diuidere, vel minuere, siue augere conabuntur, hos ipsos scias esse hæresiarchæ seruos, & non Sanctæ Ecclesiæ filios. Tales verò nec nutrias, nec defendas, ne tu etiam videaris amicus & fautor. Huiusmodi enim viri, Sanctæ fidei filios omnino reddunt morbosos, & istam nouellam Sanctæ Ecclesiæ plebem, miserabiliter destruunt, ac etiam dissipabunt. Hoc ne fiat, principaliter cura.

2. Tim. 2. Fides Catholica. Luc. 1.

Symbolum Athanasij.

Hæresiarcha quis.

De Ecclesia, & continendo Ecclesiastico statu. CAPVT II.

Ecclesia.

IN Regali quidem palatio, post fidem, Ecclesia secundum tenet locum, à capite nostro scilicet Christo prius seminata, deinde per eius membra vtiq; Apostolos, sanctosq; patres transplantata, & firmiter ædificata, atq; per totum orbem diffusa. Et quamuis semper nouam pareat prolem, in certis tamen locis, quasi antiqua habetur. Hæc autem, fili charissime, in nostra Monarchia adhuc quasi iuuenis, & nouella prædicatur; atq; idcirco cautioribus euidentioribusq; eget custodibus, ne bonum, quod diuina clementia per suam immensam † clementiam nobis concessit immeritis, per tuam desidiam & pigritiam atq; negligentiam destruatur, & annihiletur. Nam qui minuit, aut fœdat sanctæ Ecclesiæ dignitatem, ille Christi corpus mutilare nititur. Ipse enim Dominus dixit Petro, quem custodem magistrumque eidem posuit sanctæ Ecclesiæ: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Se ipsum quidem nominabat petram, verùm non ligneam, vel lapideam super se ædificatam Ecclesiam dixit, sed populum acquisitionis, gentē electam, diuinam, gregem fide doctum, Baptismate lotum, Chrismate vnctum, sanctam super se ædificatam Ecclesiam dixit, & appellat. Si quis infelix huius sanctæ Ecclesiæ membra, vel paruulos scandalizat, iuxta Euangelij præceptum, dignus est vt mola suspendatur asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris, id est, deijciatur de potestatis dignitate, & maneat extra Ecclesiam iustorum, in illa mundiali miseria, sicut Ethnicus & Publicanus. Ac per hoc, fili mi, feruenti studio debes inuigilare in sancta Ecclesia de die in diem, vt potius capiat augmentum, quàm detrimentum patiatur. Inde etiam imprimis Reges Augusti dicebantur, quia augebant Ecclesiam. Hoc & tu facias, vt tua Corona laudabilior, & vita beatior, & prolixior habeatur.

† Al. misericordiam.

Petrus custos & Magister Ecclesię. Matth. 16.

Matth. 18. Marci. 9.

Augusti Reges, vnde dicti.

Episco-

Episcopi nomenclatura, & de impendendo honore Pontificibus. CAPVT III.

REGIVM solium ornat ordo Pontificum; ac per hoc in Regali dignitate tertium possident locum Pontifices. Charissime fili, seniores illos ita custodias, sicut oculorum pupillas. Si illorum beneuolentiam habebis, neminem aduersariorum timebis. Illis quidem te obseruantibus, eris securus in omnibus, illorum precatio comendabit te omnipotenti DEO. Illos enim DEVS humani generis constituit custodes, fecitq; speculatores animarum, ac totius Ecclesiasticæ dignitatis, ac diuini Sacramenti dispensatores & datores. Sine enim illis non constituuntur Reges, nec principatus. Per illorum interuentum, delicta delentur hominum. Si illos perfecte amas, te ipsum sine dubio sanas, tuumq; Regnum honorificè gubernas. In manus enim illorum posita est potestas ligandi nos in peccatis, & à peccatis soluendi. Testamentum enim sempiternum statuit illis DEVS, eosq; segregauit ab hominibus, & sui nominis atq; sanctitatis fecit participes, & ab hominibus interdixit reprehendendos esse, per Dauid deificum Regem: Nolite tangere christos meos, &c. Ille autem tangit christos DEI, qui contra diuinum atq; Canonum institutum, sacri ordinis viros, falsis criminibus fœdat, atq; in publicum protrahit. Quod te omnino, fili mi, agere prohibeo, si vis beatus viuere, & tuum Regnum honestare. Quia in his rebus imprimis offenditur DEVS. Si accidente casu, culpa reprehensione digna, super aliquem horum, de quibus sermo est, ceciderit (quod absit) corripe eum, ter, quater, inter te & ipsum solum, iuxta præceptum Euangelij. Si tunc secretè renuerit audire monita, adhibenda sibi sunt publica, secundùm hæc. Si te nō audierit, dic Ecclesiæ. Nam si tu hunc ordinem seruabis, gloriosam tuam penitus exaltabis Coronam.

Pontifices, ornamentū solij Regij: Et quo loco habēdi à Rege. Hier. 6. Ezech. 3. Episcopi officium & potestas.

Eccle. 45.

Psal. 104.

Matth. 17.

De merito honore Principum & Baronum. CAPVT IIII.

QVARTVS decor regiminis est fidelitas, fortitudo, agilitas, comitas, confidentia Principum, Baronum, Comitum, Militum, Nobilium. Illi enim sunt Regni propugnatores, defensores imbecillium, expugnatores aduersariorum, augmentatores monarchiarum. Illi tibi, fili mi, sint patres, & fratres. Ex his verò neminem in seruitutem redigas, vel seruum nomines, illi tibi militent, non seruiant, eorum omnibus sine ira, & superbia, atq; inuidia pacificè, humiliter, mansuetè dominare. Memoria retinens semper, quòd omnes homines vnius sunt conditionis: & quòd nil eleuat nisi humilitas, & nihil deijcit nisi superbia & inuidia. Si eris pacificus, tunc diceris Rex, & Regis filius, atq; amaberis à cunctis militibus. Si iracundus, superbus, inuidus, impacificus, ac super Comites & Principes ceruicem erexeris, sine dubio fortitudo militum, hebetudo erit Regalium dignitatum, & alienis tradent Regnum tuum. Hoc timens, cum regula virtutum dirige vitam Comitum, vt tua dilectione angulati, semper Regali dignitate adhæreant inoffensi, & vt tuum Regnum per omnia sit pacificum.

Principes, Comites, Barones, Milites, Nobiles, & eorum libertas, repetita in plurimum regum Decretis. Humilitas eleuat, deijcit superbia.

De seruanda virtute patientiæ, & tribuendo iudicio. CAPVT V.

PATIENTIÆ & iudicij obseruatio, quinta Regalis Coronæ est ornatio. Dauid Rex atq; Propheta dicit: DEVS iudicium tuum Regi da. Et idem alibi: Honor Regis iudicium diligit. De patientia Paulus Apostolus loquitur: Patientes estote ad omnes. Et Dominus in Euangelio: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Ad hoc tende, fili mi, si vis Regni habere honorem, dilige iudicium: si animam tuam possidere vis, esto patiens. Quotiescunque, fili charissime, causa digna iudicari ad te venerit, vel aliquis capitalis sententiæ reus, noli impatienter portare, vel cum iuramento firmare, illum punire, quod instabile & fragile debet esse, quia stulta vota frangenda sunt, vel per te ipsum dijudicare, ne tua Regalis dignitas vsurpatione inferiorum negotiorum fœdetur: sed potius huiusmodi nego-

Psal. 71. Psal. 98. 1. Thessa. 5. Lucæ 21. Quid sunt sine iustitia Regna, nisi latrocinia magna?

Reges patientes regn. tium ad Iudices mitte, quibus hoc commissum est, quod ipsi secundum suam hoc discernant legem. Time esse iudex gaude verò Rex esse & nominari. Reges patientes regnant, impatientes verò tyrannizant. Quando autem aliquid, quod tuæ conuenit ad iudicandum dignitati, tibi venerit, cum patientia & misericordia, siue miserantia hoc iudica, vt tua Corona laudabilis sit & decora. Iudicium Regis.

De acceptione exterorum, & nutrimento hospitum. CAPVT VI.

Externus hospes vtilis est.

IN hospitibus & aduenticijs viris tanta inest vtilitas, vt dignè sexto in Regalis dignitatis loco possit haberi. Vnde imprimis Romanum creuit Imperium, Romaniq; Reges sublimati fuerunt, & gloriosi? nisi quòd multi Nobiles & sapientes, ex diuersis illuc confluebant partibus. Roma verò vsq; hodie esset ancilla, nisi Aeneades ipsam fecisset liberam. Sicut enim ex diuersis partibus prouinciarum veniunt hospites, ita diuersas linguas & consuetudines, diuersaq; documenta & arma secum ducunt, quæ omnia Regiam ornant & magnificant aulam, & perterritant exterorum arrogantiam. Nam vnius linguæ, vniusq; moris Regnum, imbecille & fragile est. Propterea iubeo te, fili mi, vt bona voluntate illos nutrias, & honestè teneas, vt tecum libentius degant, quàm † alicubi habitent. Si enim tu destruere, quod ego ædificaui, aut dissipare, quod congregaui, studueris, sine dubio maximum detrimentum tuum patietur Regnum. Quod ne fiat, tuum quotidie auge Regnum, vt tua Corona ab omnibus augusta habeatur.

T. Liuius l. 1. ab vrbe condita.

Menander, Hospitibus fidis, fidus sis amicus.

† Al. alibi.

Externi in Regnum recipiantur.

De magnitudine consilij. CAPVT VII.

IN tribunalibus Regum, consilium sibi septimum vendicat locum. Consilio enim constituuntur Reges, gubernantur Regna, defenditur patria, componuntur prælia, sumitur victoria, propelluntur inimici, appellantur amici, ciuitates construuntur, & castra aduersariorum destruuntur. Quando verò consilijs inest vtilitas. Nam à stultis, & arrogantibus, ac mediocribus (vt mihi videtur) non valent componi viris, sed à maioribus & melioribus, sapientioribusq; ac honestissimis senioribus, exprimi debent & poliri. Idcirco, fili mi, cum iuuenibus, & minus sapientibus noli consiliari, aut de illis consilium quærere, sed à senioribus, quibus illud negotium propter ætatem & sapientiam sit aptum. Nam consilia Regum, in præcordijs sapientum debent claudi, non ventositate stultorum propagari. Si enim gradieris cũ sapientibus, sapiens efficieris: Si versaris cũ stultis, sociaberis illis, fatente Spiritu Sancto per Salomonem: Qui cum sapientibus graditur, sapientum erit amicus, nec stultorum erit similis. Et Dauid psallit: Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris. Ad hoc quicquid negotij vnicuiq; conueniat ætati, in hoc se exerceat, scilicet, iuuenes in armis, Senatores in consilijs. Omnino tamen iuuenes non sunt expellendi à consilijs. Quoties verò cum illis consilium inibis, etiamsi sit habile, tamen semper ad maiores deferas, vt omnes actus tuos norma sapientiæ mensures.

Consilium.

Cũ iuuenibus, & insipientibus non consultandum.

Prouerb. 12. Psal. 17.

Iuuenes non omnino à cõsilijs reijciendi.

Quòd maiores imitari debeant, & filij obedire parentibus. CAPVT VIII.

IMITATIO maiorum in Regali dignitate, octauum possidet locum. Regale ornamentum scito esse maximum, sequi antecessores Reges, & honestos imitari parentes. Qui enim antecessorum decreta spernit patrum, nec diuinas procurat leges, peribit. Patres enim idcirco sunt patres, vt nutriant filios, ideoq; sunt filij, vt obediant patribus. Qui patri suo resistit, inimicus DEI existit. Omnes enim inobedientes, DEO sunt resistentes. Spiritus enim inobedientiæ dispergit flores Coronæ. Inobedientia enim, totius Regni est pestilentia. Propterea, fili charissime, edicta patris tui semper tibi sint promptuosa, vt prosperitas tua vbique Regalibus dirigatur habenis. Mores quidem meos, quos Regali vides conuenire dignitati, sine

Inobedientes resistunt Deo. Et inobidientia est Regni pestilentia.

sine vinculo totius ambiguitatis sequere. Graue enim tibi est huius climatis tenere Regnum, nisi imitator consuetudinis antè Regnantium extiteris Regum. Quis Græcus regeret Latinos Græcis moribus? aut quis Latinus Græcos Latinis regeret moribus? Nullus. Idcircò consuetudines sequere meas, vt inter tuos habearis præcipuus, & inter alienos laudabilis.

Orandum esse, & quomodo. CAPVT IX.

OBSERVATIO orationis, maxima acquisitio est Regalis salutis, & ideò nonum, & nonaria Regiæ dignitatis canit regula. Continua oratio, est peccatorum † ablutio & remissio. Tu autem, fili mi, quotiescunque ad templum DEI curris, vt DEVM adores, cum Salomone filio Regis, & ipse Rex, semper dicas. Emitte Domine sapientiam de sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret, vt sciam quid acceptum sit coram te omni tempore. Et iterum: Domine pater & DEVS vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu maligno, extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, & desiderium malignum auerte à me Domine, aufer à me concupiscentiam, & animo irreuerenti & infrunito ne tradas me Domine. Hac itaq; oratione antiqui vtebantur Reges. Tu quoque hac eadem vtere, vt DEVS cuncta vitia à te auferre dignetur, vt inuictissimus Rex à cunctis nomineris. Ora etiam, vt desidiam & hebetudinem à te depellat, & supplementum omnium tibi tribuat virtutum, quibus visibiles & inuisibiles vincas inimicos, vt securus & expeditus ab omni incursione aduersariorum, cum omnibus tibi subiectis, cursum ætatis tuæ vitæ cum pace possis finire.

Oratio, & eius vtilitas.
† Al. abolitio.
3. Reg. 3.
Sapientiam Deus dat.
Oratio Salomonis.
Ecclef. 23.

De pietate & misericordia, cæterisq; virtutibus. CAPVT X.

MODVS virtutum ornat Coronam Regum, & in præceptis ponitur decimus. Nam Dominus virtutum ipse est Rex Regum. Sicut ergo sui exercitus cælestis plenitudo, in denis consistit choris, sic tuæ vitæ conuersatio, in decem persistat mandatis. Oportet Regem esse pium, misericordem, & cæteris virtutibus imbutum & ornatum. Rex enim impietate & crudelitate fœdatus, incassum sibi vendicat nomen Regis, quia Tyrannus est dicendus. Ob hoc ergo, fili mi amabilissime dulcedo cordis mei, spes futuræ sobolis, precor, iubeo, vt per omnia, & in omnibus pietate fultus, non solùm parentelæ & cognationi, vel Principibus, siue Ducibus, siue diuitibus, seu vicinis, & incolis sis propitius, verumetiam extraneis & cunctis ad te venientibus. Nam opus pietatis ad summam te ducit beatitudinem. Sis misericors omnibus vim patientibus, semper illud Domini in tuis præcordijs habens exemplum: Misericordiam volo, & non sacrificium. Patiens esto ad omnes, non tantum potentes, sed etiam potestate carentes. Sis denique fortis, ne te prosperitas nimis eleuet, aut aduersitas deijciat. Sis quoq; humilis, vt DEVS te altum faciat, hîc & in futuro. Sis verò modestus, & vltra modum neminem punias, vel damnes. Sis mitis, vt nunquam iustitiæ repugnes. Sis honestus, vt nunquam alicui spontaneum inferas dedecus. Sis pudicus, vt cunctos libidinis fœtores, sicut stimulum mortis, euites. Hæc omnia superius libata Regalem componunt Coronam, sine quibus valet nullus hîc regnare, nec ad æternum pertingere Regnum.

Regum coronã ornant virtutes.
Psal. 23.
Rex qualis esse debet.
Pietas ad omnia vtilis est. Paul. 1. Ti. 4. Os. 6. Math. 9.
Virtutes Principum septem.
Hieron. Humilẽ virum ostendit patientia.

SANCTI STEPHANI REGIS
DECRETORVM LIBER SECVNDVS.
PRÆFATIO.

REGNANTE diuina clementia, opus Regalis dignitatis, alimonia Catholicæ fidei, effectum amplians solidius, alterius dignitatis solet operibus adesse: & quoniam vnaquæq; gens proprijs regitur legibus, idcircò nos quoque DEI nutu

 nostram

nostram gubernando Monarchiam, antiquos & modernos imitantes Augustos decretali meditatione nostra, statuimus genti nostræ, quemadmodum honestam & inoffensam ducerent vitam, vt sicut diuinis legibus sunt ditati, similiter etiam secularibus sint addicti, vt quantum boni in diuinis amplientur, tantum mali & rei in istis † vilitentur. Quæ autem decreuimus, in sequentibus subnotauimus.

† Al. mulctentur.

De statu Ecclesiastico, & veneratione domus DEI CAPVT I.

Bonorum Ecclesiæ Dei inuasor, excommunicetur.

QVISQVIS fastu superbiæ elatus, domum DEI ducit contemptibilem, & possessiones DEO consecratas, atq; ad honorem DEI sub Regia immunitatis defensione constitutas, inhonestè tractârit, vel infringere præsumpserit, quasi inuasor & violator domus DEI excommunicetur. Decet enim, vt indignationem ipsius Domini Regis sentiat, cuius beneuolentiæ contemptor, & constitutionis præuaricator extitit. Nihilominus tamen Rex suæ concessionis immunitatem, ab hominibus ditioni suæ subiectis, illæsam conseruari præcipiat, assensum verò non præbeat improuidè affirmantibus, non debere esse res Dominicas, id est, Domino dominantium traditas. Itaque sub defensione Regis sit, & sicuti suæ propriæ hæreditati, magisq; aduertat. Quia quantò DEVS excellentior est homine, tantò præstantior est diuina causa mortalium possessione. Quocirca decipitur, quisquis plus in proprijs, quam in Dominicis rebus gloriatur: quarum defensor, & custos diuinitatis constitutus diligenti cura non solùm eas seruare, sed etiam multiplicare debet, magisq; illa, quæ diximus præstantiora, quam sua defendere oportet, & augmentare. Si quis igitur insanus, importunitate improbitateque sua, Regem à recto proposito peruertere tentauerit, nullisque remedijs mitigari posse visus fuerit, licet obsequijs aliquibus, & transitorijs sit necessarius, abscindendus ab eo, proijciendusque est, iuxta illud Euangelium: Si pes, manus, aut oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proijce abs te.

De potestate Episcoporum super res Ecclesiasticas. CAPVT II.

Episcopi de rebus Ecclesiarũ dispensent: Et seculares illis obediant.

Infra Coloman. Lib. 1. c. 65. & adde Ferdin. Posõ. an. 48. ar. 5. an. 50. ar. 16.

VT Episcopi habeant potestatem res Ecclesiasticas prouidere, regere & gubernare, atq; dispensare secundùm Canonum authoritatem: volumus, vt Laici eorum ministerio obediant, ad regendas Ecclesias, viduas & orphanos defensandum, & vt obedientes sint eis ad eorum Christianitatem seruandam, consentientesque sint Comites & Iudices Præsulibus suis, ad iusticias faciendas, iuxta præcepta legis diuinæ, & nullatenus per aliquorum mendacia, vel falsum testimonium, neq; per periurium, aut per præmium lex iusta in aliquo deprauetur.

Quales debeant esse accusatores, & testes: & quòd Laici clericos accusare non possint. CAPVT III.

Testes quales esse debent. Laici clericos accusare, aut cõtra eos attestari non possunt.

TESTES autem, & accusatores sine aliqua sint infamia, vxores & filios habentes, & omnino Christum prædicantes. Testimonium Laici aduersus clericum nemo recipiat: nemo etiam quemlibet clericum in publico, nisi in Ecclesia examinare præsumat.

De assiduo & graui labore Sacerdotum. CAPVT IIII.

Sacerdotes pro omnibus, alij pro se ipsis laborant.

SCITOTE fratres cuncti, quòd supra omnes laborant Sacerdotes. Vnusquisque enim vestrum suum fert laborem proprium: illi verò & suum, & singulorum. Ideò sicut illi pro omnibus vobis, ita & vos omnes pro eis summopere laborare debetis, in tantum, vt si necessitas fuerit, animas vestras pro eis ponatis.

De con-

bus, alij pro ſe ipſis laborant.

De conceſſione Regali propriarum rerum. CAPVT V.

DECREVIMVS Regali noſtra potentia, vt vnuſquiſq; habeat facultatem ſuam diuidendi, tribuendi vxori, filijs, filiabusq́;, atque parentibus, ſiue Eccleſiæ, nec poſt eius obitum quis hoc deſtruere audeat.

Teſtamentum condendi Nobilibus vetus lex. Supple. Andreæ Secund. Decret. art. 4. adde, ſine præiudicio fiſci. Sic Ludouicus Prim. in concluſione confirmat. Decret. Andr. Secun. & Trip. Prim. tit. 64.

Regalia & fiſci res ſint intactæ. CAP. VI.

VOLVMVS quidem, vt ſicut cæteris facultatem dedimus dominandi ſuarum rerum, ita etiam res, milites, ſerui, & quicquid ad noſtram Regalem dignitatem pertinet, permanere debet immobile, & à nemine quid inde rapiatur, aut ſubtrahatur, nec quiſquam in his prædictis ſibi fauorem acquirere audeat.

De obſeruatione Dominicæ diei, vt abſtineatur à laboribus. CAP. VII.

SI quis igitur presbyter, vel Comes, ſiue aliqua alia perſona fidelis, die Dominica inuenerit quemlibet laborantem, abigatur. Si verò cum bobus, tollatur ſibi bos, & ciuibus ad manducandum detur. Si autem cum equis, tollatur equus, quem dominus boue redimat, ſi velit, & idem bos manducetur, vt dictum eſt. Si qui alijs inſtrumentis, tollantur inſtrumenta, & veſtimenta, quæ ſi velit, cum cute redimat.

Dominicum diem nō celebrantis mulcta.

Vt eodem die Dominico concurrant omnes ad Eccleſiam. CAPVT VIII.

A Sacerdotibus verò & Comitibus commendetur omnibus villicis, ita vt ipſorum iuſſu, omnes concurrant die Dominica ad Eccleſiam, maiores & minores, viri & mulieres: exceptis illis, qui ignes cuſtodiunt. Si quis verò obſtinatus remanebit, vapulet & depiletur.

Dominicis diebus in Eccleſiam eundum.

Diebus quatuor temporum carnes non comedantur. CAP. IX.

SI quis quatuor temporum ieiunia cunctis cognita, carnem manducans violauerit, per ſpacium vnius hebdomadæ incluſus ieiunet.

Quatuor tēpora violantis pœna.

Sexta feria carnes non edantur. CAP. X.

SI quis in ſexta feria ab omni Chriſtianitate obſeruata, carnem manducauerit, per vnam hebdomadam incluſus ieiunet.

Feria ſexta carnem māducantis pœna.

De his qui ſine confeſſione moriuntur. CAPVT XI.

SI quis tam obſtinatus eſt (quod abſit ab omni Chriſtiano) vt nolit confiteri ſua facinora, ſecundùm ſuaſum presbyteri, hic ſine omni diuino officio & eleemoſinis iaceat, quemadmodum infidelis. Si autem parentes & proximi neglexerint vocare presbyteros, & ita ſubiaceat abſque confeſſione morti, ditetur orationibus, & conſulatur eleemoſinis, ſed parentes luant negligentiam ieiunijs, ſecundùm arbitrium presbyterorum. Qui verò ſubitanea periclitentur morte, cum omni Eccleſiaſtico ſepeliantur honore. Nam occulta & diuina iudicia nobis ſunt incognita.

Confiteri in articulo mortis nolētium pœna.

Sepultura morte ſubitanea decedentium.

De obſeruanda Chriſtianitate. CAPVT XII.

SI quis obſeruatione Chriſtianitatis neglecta, & negligentiæ ſtoliditate elatus quid in eam commiſerit, iuxta qualitatem offenſionis, ab Epiſcopo per diſciplinas Canonum iudicetur. Si verò rebellitate inſtinctus, renuerit ſibi impoſitam pœnam ſufferre, iterum eodem iudicio reſtringatur, etiam vſque ſepties. Tandem, ſi per omnia reſiſtens & abnuens inuenietur, Regali iudicio, ſcilicet defenſori Chriſtianitatis, tradatur.

In fidem cōmittens, ab Epiſcopo iudicetur, & rebellis amplius brachio Regali tradatur. Confer. hoc cap. cum D. Ferdinan. Poſon. ann. 59. art. 41.

De homicidijs, & primo casuali. CAP. XIII.

Homicidij casualis compositio.

Si quis autem casu occiderit aliquem, duodecim pensas auri persoluat, & sicut Canones mandant, ieiunet. Si verò liber alicuius occiderit seruum, reddat alium seruum, vel precio componat: & secundùm Canones ieiunet.

De his qui suas occidunt vxores. CAPVT XIIII.

Vxoricidij mulcta.

Si quis Comitum obduratus corde, negligens animam (quod procul sit á cordibus fidelitatem obseruantium) vxoris homicidio polluetur; secundùm decretum Regalis Senatus, cum quinquaginta iuuencis, parentibus mulieris reconcilietur, & secundùm mandata Canonũ ieiunet. Si autem miles alicuius virtutis in eandem culpam inciderit, iuxta eundem Senatum, soluat parentibus decem iuuencos, ieiunetq; vt dictum est. Si verò vulgaris in eodem crimine inuenietur, cum quinq; iuuencis cognatis concilietur, & subdatur prædictis ieiunijs.

Militis consideratio habenda.

Ieiunium secundùm Canones iniũgendum.

De periurijs. CAPVT XV.

Periurij pœna, amissio manus.

Si quis valentium, fide commaculatus, corde pollutus, iuramento confractus, periurio addictus inuenietur, perdita manu periurium luat, aut quinquaginta iuuencis manum redimat. Si verò vulgaris periurus extiterit, manu amputatus punietur, aut duodecim iuuencis redimetur, & ieiunet vt Canones mandant.

De homicidijs voluntarijs. CAPVT XVI.

Pensa quid sit, vide infr. Decret. Caroli fol. 53.

Si quis accensus ira, ac superbia elatus, spontaneum commiserit homicidium, sciat se secundum Senatus nostri decretum, centum & decem daturum auri pensas. Ex quibus quinquaginta ad fiscum Regis deferantur, aliæ verò quinquaginta parentibus dentur, decem autem arbitris & mediatoribus condonentur. Ipse quidem homicida secundùm institutionem Canonum ieiunet.

Homicidij voluntarij pœna. Hòc ius est antiquatum, Math. Tert. art. 28. Vlad. Prim. art. 82.

De libertate seruorum. CAPVT XVII.

Seruus semel libertate donatus sit emancipatus.

Agape, id est, opus charitatis.

Si quis misericordia ductus, proprios seruos & ancillas libertate donauerit cum testimonio: decreuimus, vt post obitum eius, nemo inuidia tactus in seruitutem eos audeat inducere. Si autem libertatem promiserit, & morte impediente testatus non fuerit, habeat mulier ipsius vidua & filij potestatem, eandem libertatem testari, & agape facere pro animæ redemptione sui mariti, qualitercunq; velit.

De Conuentu ad Ecclesiam, & de his qui murmurant hora Missæ, vel loquuntur. CAPVT XVIII.

Hora Missa in Ecclesia murmurãs. Nobilior. Ignobilis.

Si qui ad Ecclesiam venientes ad audiendum diuinum officium, ibidem hora solennitatis Missarum inter se murmurant, & cæteros inquietant, exponentes fabulas ociosas, & non intendentes ad diuinas lectiones cum Ecclesiastico nutrimento: si maiores sunt, increpati cum dedecore expellantur de Ecclesia: si verò minores & vulgares, in atrio Ecclesiæ, pro tanta temeritate, coram omnibus ligentur, & corripiantur flagellis.

De non recipiendis seruis vel ancillis in accusationem, vel testimonium, contra dominos suos vel dominas. CAP. XIX.

Seruus dominum non accusat, nec aduersus eũ fert testimonium: sic

Vt gens monarchiæ huius ab omni incursu & accusatione seruorum & ancillarum remota & quieta maneat, secundùm Regalis decretum concilij penitus interdictum est, vt nullius causa culpæ, aliquam seruilem personam, contra dominos vel dominas in accusationem & testimonium recipiant.

Trip. Part. Secund. tit 27. & 33.

Liberum nemo in seruitutem redigat. CAPVT XX.

QVONIAM igitur DEO dignum est, & hominibus optimum, vnumquemq; in suæ industriæ libertate vitæ cursum ducere, secundùm Regale decretum statutum est, vt nemo Comitum vel militum posthac aliquam liberam personam seruituti subdere audeat. Quòd si elationis audacia suæ stimulatus præsumpserit, sciat se totidem ex proprio compositurum: quæ compositio inter Regem & Comitem diuidatur, & cætera. Sed si quis hactenus in seruitute retentus, pro libertate sua tuenda, iudicium Regale faciens, securus extiterit, tantummodo libertate fruatur, & ille à quo in seruitute tenebatur, nil reddat.

Seruituti libera persona nō mancipetur.

De his qui alterius milites aut seruitores auocant. CAPVT XXI.

VOLVMVS vt vnusquisq; senior (seu dominus) suum habeat militem (id est seruientem) nec aliquis alter illi suadeat antiquum deserere seniorem, & ad se venire. Inde enim litigium habet initium.

Seruitores non auocandi.

De recipiendis hospitibus. CAPVT XXII.

SI quis hospitem cum beneuolentia accipit, & nutrimentum sibi honestè impendit, quam diu secundùm propositum nutritur, non deserat suum nutritorem, & nec ad aliquem alium suam deferat hospitalitatem.

Colonis, siue hospitibus migratio rationabiliter interdicta

De his qui flagellantur sua quærentes. CAPVT XXIII.

SI cuius miles vel seruus, ad alium fugerit, & is cuius miles vel seruus fuga est elapsus, suum miserit legatum ad reducendum eum, & is legatus ibidem à quocunque percussus ac flagellatus extiterit, decreuimus nostrorum Primatum Conuentu, vt ille percussor decem soluat iuuencos.

Miles vel seruus transfuga inuestigari potest.

De viduis & orphanis. CAPVT XXIIII.

VOLVMVS quidem, vt viduæ & orphani sint nostræ legis participes, tali tenore: vt si quæ vidua cum filijs & filiabus remanserit, atque nutrire eos, & manere cum illis, quam diu vixerit, promiserit, habeat potestatem à nobis sibi concessam id faciendi, & à nemine iterum cogatur in coniugium. Si enim mutato voto iterum nubere voluerit, & orphanus deserere, de rebus orphanorum nihil omninò sibi vendicet, nisi tantum sibi congrua vestimenta accipiat. Si autem vidua sine prole remanserit, & se innuptam in sua viduitate permanere promiserit, volumus vt potestatem habeat omnium bonorum suorum, & quicquid inde facere velit, faciat. Et post obitum eius, eadem bona ad sui redeant parentes mariti, si parentes habet: sin autem non, Rex sit hæres.

Viduę in bonis maritorū permaneant & tolerētur. Suppl. Andr. Secū. Decre. art. 12. Sigis. Sext. art. 18. in defectu fœminis Successor est Rex.

De raptu puellarum. CAPVT XXV.

SI quis militum impudicitia fœdatus, puellam aliquam, sine concessione parentum sibi in vxorem rapuerit, decernimus puellam parentibus reddi, etiamsi ab illo aliqua vis sibi illata sit, & raptor decem soluat iuuencos pro raptu, licet postea reconcilietur parentibus puellæ. Si verò pauper quis, aut vulgaris hoc aggrediatur agere, componatur raptum quinque bobus.

Raptus & pœna eius.

De liberis fornicantibus cum ancillis alterius domini. CAPVT XXVI.

VT liberi suam custodiant libertatem incontaminatam, volumus illis ponere cautionem, ne cum alienis fornicentur ancillis. Si quis autem improuidus hanc cautionem transgrediens, fornicaretur cū ancilla alterius, sciat se reum esse criminis, & pro eodem crimine imprimis decaluari & depilari. Si verò secundò cum eadem fornicatus fuerit, iterum decaluetur & depiletur. Si autem tertiò, sit seruus pariter

cum

Fornicatio liberorum, seruorum & ancillarũ vetita.

cum ancilla, aut redimat se. Si autem ancilla conceperit de eo, & parere non poterit, sed in partu morietur, componat eandem cum alia ancilla. Seruus quoque alicuius, si cum ancilla alterius fornicatur, decaluetur & depiletur: & si ancilla de eo conceperit, & in partu moriatur, seruus venundetur, ac dimidia pars pretij seniori ancillæ detur: altera pars vero seniori serui semper remaneat.

Senior pro domino.

De his qui petunt ancillas alienas in vxores. CAPVT XXVII.

Ob ancillæ coniugium seruitus oritur.

VT nemo eorum, qui libero nomine censentur, facere cuiquam iniuriam audeat, terrorem & cautionem imposuimus. Quia in hoc Regali concilio decretum est, vt si quis liber connubium ancillæ alterius, sciente domino ancillæ, elegerit, perdita suæ libertatis industria, perpetuus efficiatur seruus.

Qui extra Regnum à suis aufugiunt vxoribus. CAP. XXVIII.

VT genus vtriusq; sexus, certa lege, & absq; iniurijs maneat & vigeat, in hoc Regali Decreto statutum est, ut si quis proceruitate præditus, propter abominationem vxoris patriam effugerit, vxor cuncta quæ in potestate mariti habebantur, possideat, dum velit expectare virum, & nemo in aliud coniugium eam cogere præsumat. Sed si sponte nubere velit, liceat sibi sumptis congruis vestimentis, & dimissis cæteris bonis, ad conubium ire. Et si vir hoc audito redierit, ne liceat sibi aliam ducere, propter suam culpam, nisi cum licentia Episcopi.

Desertor matrimonij.

De furto mulierum maritatarum. CAP. XXXIV.

Furti maritatæ pœna.

CVM igitur cunctis horrendum, & omnibus abominabile sit, virilem sexum repertum fecisse furtum, & magis magisque sexum fœmineum: secundum Regalem senatum decretum est, vt si aliqua mulier maritata furtum commiserit, à marito redimatur. Et si secundò in eandem culpam inciderit, similiter redimatur. Si verò tertiò, venundetur.

De incendijs mansionum. CAP. XXX.

Incẽdiarij pœna.

SI quis per inimicitias alterius ædificia cremauerit igne, decreuimus, vt ædificia restituat, & quicquid supellectilis artium fuerit, persoluat, & insuper sedecim iuuencos, qui valent sexaginta solidos.

Solidum Budæus ex Lampridio, ait aureum esse certi sui cuiusdam ponderis.

De strigibus. CAP. XXXI

†Al. Strix. S. Lad. Dec. lib. 1. c. 34. Strigarũ, seu maleficarũ pœna.

SI qua † striga inuenta fuerit, secundùm iudicialem legem, ducatur ad Ecclesiam, & commendetur Sacerdoti ad ieiunandum, fidemq; discendum: post ieiunium verò domũ redeat. Si secundò in eodem crimine inuenietur, simili ieiunio subiaceat: post ieiunium verò in modum crucis in pectore, & in fronte, atque inter scapulas, incensa claui Ecclesiastica, domum redeat. Si verò tertiò, iudicibus tradatur.

De maleficis, veneficis, & sortilegis. CAP. XXXII.

Sortilegium est superstitio illusoria, qua vtitur homo dæmonis ministerio. 26. q. 5. in summ: & 26. q. 2. c. qui sine saluatore.

VT creatura DEI, ab omnium læsione malignorum remota, & à nulla detrimentum sui passura maneat, nisi à DEO, à quo augmentatur: secundùm decretum senatus statuimus ad magni cautionem terroris, veneficis & maleficis, vt nulla persona maleficio aut veneficio quenquam hominum subuertere à statu mentis, aut interficere audeat. Ast si quis, vel quæ, posthac hæc præsumpserit, tradatur in manus maleficio læsi, aut in manus parentum eius, secundùm eorum velle, ad iudicandum. Si verò sortilegio vtentes inuenirentur, vt faciunt in cinere, & his similibus, ab Episcopis flagellis emendentur.

Malefici ob facinorum enormitatem hostes communis salutis appellantur. Nam aliqui sola carminis potentia homines interimunt, August. lib. 10. de ciuit. Dei, & 26. q. 5. c. nec mirum § Magi. & C. de malef. & mathe. l. & si excepta. Quare non est mirum si nunc igne comburantur.

De inuasione domorum, & de pugna ibidem secuta. CAPVT XXXIII.

VOLVMVS, vt firma pax, & vnanimitas sit inter maiores, & minores, secundùm Apostolum: Omnes vnanimes estote, nec alium aliquis inuadere audeat. Nam si quis Comitum, post diffinitionem huius communis concilij tam contumax extiterit, vt alium domi quærat ad perdendum eum, atque suas dissipare res. Et si dominus domi est, & si secum pugnauerit, vel interfecerit, luat secundùm legem de euaginatione gladij confectam. Si autem idem Comes ibidem occubuerit, sine compositione iaceat. Si verò miles quis curiam, vel turrim, vel domum alterius inuaserit militis, decem iuuencis componat inuasionem. Si verò ille non superuenerit, sed suos milites miserit, centum iuuencis componat inuasionem. Si vulgaris quidem alterius sui similis mansiunculas inuaserit, quinque iuuencis soluat inuasionem.

Philip. 2. Inuasor domorum alienarum mulctatur. Sed hoc ius correctum est. Nã inuasor damnatur iã capitis & bonorum. Trip. Part. Secund. tit. 42. & 67.

De ædificatione & dote Ecclesiæ à villis composita. CAPVT XXXIV.

DECEM villæ Ecclesiam ædificent, quam duabus mansionibus, totidemq; mancipijs dotent, equo & iumento, sex bobus, & duabus vaccis, triginta quatuor minutis bestijs. Vestimenta verò & corporalia & coopertoria Rex prouideat, presbyterum & libros Episcopi.

Episcopi presb. in Ecclesijs cõstituant, & libros donẽt.

De donationibus Regum & propriæ rei possessione. CAPVT XXXV.

CONSENSIMVS igitur petitioni totius Senatus, vt vnusquisque dominetur propriorum, similiter & donorum Regis, dum viuit: excepto quod ad Episcopatum pertinet & Comitatum, ac post eius vitam filij simili dominio succedant, nec pro nullius causa reatus detrimentum bonorum suorum patiatur quis, nisi consiliatus mortem Regis, aut traditionem Regni fecerit, vel in aliam fugerit prouinciam. Tunc verò bona illius in Regiam veniant potestatem, ipse verò subiaceat sententiæ, filijs innocentibus remanentibus.

DicvtinDecret. Andreę 2. art. 17. Et in confirmatione Decretorum Andreę per Ludouicũ Regem.

siue notæ infidelitatis casus tres. Supple. Matth. Regis Ann. 1462. art. 2 Vlad. Secund. art. 4.

Perduellionis

De seruo interfecto ab altero seruo. CAPVT XXXVI.

SI alicuius seruus, seruum alterius occidit, senior homicidæ medietatem serui componat seniori interfecti, si potest: sin autem non, peracta vna Quadragesima, venundetur seruus, & precium diuidatur.

Homicidiũ serui.

De redemptione homicidæ serui. CAPVT XXXVII.

SERVVM liberi homicidam, si seniori placuerit, cum centum & decem iuuencis redimat, aut tradat.

Redemptio homicidæ serui.

De vindicta nitentium acquirere libertatem alienis seruis. CAP. XXXVIII.

SI quis alienis seruis libertatem acquirere niteretur, quot serui erunt, totidem mancipia soluat. Ex quibus duæ partes Regi, tertia seniori seruorum detur. Rex autem ex sua parte tertiam tribuat Comiti.

Hinc orta videtur cõsuetudo, quòd conuicti in iudicio duabus partibus Iudicibus, tertia parte aduersario damnentur.

De furto serui semel Commisso. CAP. XXXIX.

SI quis seruorum semel furtum commiserit, reddat furtum, & redimat nasum quinque iuuencis, si potest: sin autem non, abscindatur.

Vide S. Ladisl. Regis Decr. lib. 2. c. 12.

De pæ-

De pœna furtum secundò & tertiò committentis. CAPUT XL.

furatus quid secundò, aures amittit, tertio vitam. vide Decretũ S. Ladisl. L. 3. c. 3.

Si furtum abscissus naso commiserit, redimat aures quinque iuuencis, si potest: si autem non, abscindantur. Si tertiò commiserit furtum, careat vita.

De furto liberorum, semel, bis & ter commisso. CAPUT XLI.

furta liberorũ quomodo puniatur.

Si quis liberorum furtum commiserit, hanc decreuimus legem componere, vt semel redimat se, si potest: sin autem non, venundetur. Si idem venundatus furtum commiserit, legibus seruorum subiaceat. Si secundò, simili legi subiaceat. Si verò tertiò, dispendio vitæ dijudicetur.

Comites, quod Regis est, apud se non detineant. CAPUT XLII.

Fiscum defraudantis pœna. Peculator triplo rem componit.

Si quis Comitum partem Regis defraudauerit, reddat fraudem, & duplo componat.

De contemptu & spretione iusti iudicij Comitis. CAPUT XLIII.

Si quis militum iudicium à suo Comite rectè iudicatum spernens, ad Regem appellauerit, cupiens Comitem suum reddere iniustum, sit debitor decem pensarum auri suo Comiti.

Appellantis malè pœna. Et hinc manauit consuetudo quòd in dupli pœna nunc malè appellantes condemnentur.

De restituenda re militibus per Comites iniustè ablata. CAPUT XLIIII.

Si quis Comitum, inuenta aliqua occasione, quid iniustè militi abstulerit, reddat, & insuper ex proprio tantundem soluat.

Promissum cadit in debitum. CAPUT XLV.

Si quis autem militum, suum spontaneum donum dicens sibi vi ablatum, mendax extiterit, & hoc careat, & insuper tantundem soluat.

De his qui hominem gladio occiderint. CAPUT XLVI.

Homicidiũ.

Si quis hominem gladio occiderit, eodem iuguletur gladio.

De debilitatione membrorum gladio facta. CAPUT XLVII.

Mutilatio.

Si quis autem gladio euaginato, alium quemlibet debilitauerit, vel in oculo, vel in pede, vel in manu, consimile sui corporis damnum patiatur.

De eo qui gladio percussus vulnus accepit. CAPUT XLVIII.

Vulneratio.

Si quis verò gladio vulnerauit aliquem, & vulneratus de eodem vulnere sanus & incolumis euaserit, homicidij compositionem vulneris illator componat.

De gladij euaginatione sine vulnere. CAPUT XLIX.

Gladij euaginatio.

Si quis furore repletus euaginauerit gladium, & tamen non læserit, pro sola euaginatione medium homicidij compositum soluat.

De testimonio seruornm Regali curiæ, vel Comitis præpositorum. CAPUT L.

Comes pro Curiali & aulico accipitur, Budæo teste.

Si quis seruorum Curiæ regali, vel Comitis præficitur, eius testimonium inter Comites recipiatur, si seruus seniorem, vel seruiens suum Comitem interfecerit.

Quòd officiales dominorum & Nobilium, in ferendo testimonio Nobilibus æquiparentur, hinc manauit. Ex tripart. part. Secund. tit 27. Nota quoq; seruientis & serui differentiam.

De conspiratione contra Regem & Reginam. CAPUT LI.

Si

Si quis in Regem aut Regnum conſpirauerit, refugium nullum habeat ad Eccleſiam. Si quis contra Regis ſalutem aut dignitatem quolibet modo aliquid conſpirauerit, aut conſpirare aliquid tentauerit, ſeu tentanti ſcienter conſenſerit, anathematizetur, & omnium fidelium communione priuetur. Vel ſi quis huiuſmodi aliquem nouerit, & probare valens non indicauerit, prædictæ ſubiaceat damnationi. Conſpiratione aduerſus Principem incurritur crimen læſæ Majeſtatis, ff. ad

l. Iuli. maieſt. & punitur affectus etiam non ſecuto effectu, ſi extremo actu voluntas conſtiterit. l. quiſquis, C. ad L. Iul. & Angel. in l. fin ff. Quod quiſque iuris. Publicum crimen quiuis indicare tenetur.

De decimatione. Capvt LII.

Si cui Devs decem dederit in anno, decimam Deo det. Et ſi quis decimam ſuam abſcondit, nouem ſoluat. Et ſi quis decimationem Epiſcopo ſeparatam furatus fuerit, dijudicetur vt fur, ac huiuſmodi compoſitio tota pertineat ad Epiſcopum. Decimæ & earum cauſę ad Epiſcopos pertinent. Denegans decimam.

De calumniatoribus aulæ. Cap. LIII.

Si quis verſutus alicui Comitum, vel alteri perſonæ fideli dixerit, audiui Regem ad perditionem tui loqui, & hic inuentus fuerit, pereat. Calumniatoris pœna.

De his qui mendacia inter duos aulæ familiares aſtruunt. Capvt LIIII.

Si quis inter duos Comites mendacia protulerit, tacereq; eos deprecatus fuerit, vt aſtutia diaboli ab inuicem eos ſepararet, ſoluat duas compoſitiones fallacis linguæ pro reatu mendacij. Si vni ſoli adulatus fuerit, priuetur lingua. Familiares aulæ.

De furto Vduornicorum. Capvt LV.

Si quis illorum, qui vulgò Vduornic vocantur, furtum commiſerit, lege liberorum dijudicetur. Teſtimonium autem eius inter ipſos non recipiatur. Vduornic. Libertinus, Nobilis prędialis.

Explicit Decretum ſancti Stephani Regis, promulgatum † Strigonij, Anno M. XXXV. † Al. Tulnę.

PETRVS Alemanus ſiue Teutenicus, filius VVilhelmi, fratris Sigiſmundi Burgundiorum Ducis, ex ſorore Beati Stephani Regis genitus, electus per Regnicolas in Regem, ob gratam memoriam S. Regis auunculi ſui: regnauit poſt Beatum Stephanum annis ſex. Qui cum ob ſæuitiam & tyrannidem anno ſui Regni tertio pulſus, deinde elapſis tribus annis, beneficio Henrici Imperatoris, reſtitutus, eadem ſæuitia in Vngaros ſæuiret, denuo pulſus, in Auſtriam fugiens, captus, oculis priuatus, & ſic Albam Regiam, ad Andream Regem deductus eſt: vbi & moritur. Sepultus Quinqueeccleſijs in Eccleſia cathedrali, quam ipſe in honorem ſancti Petri fundaſſe dicebatur. Huius Regis priuilegia, etiam ſi quæ extarent, non ſeruantur.

Extat tamen priuilegium S. Stephani, quod teſtatur, non à Petro, ſed à S. Stephano fuiſſe Eccleſiam & Epiſcopatum Quinqueeccleſienſem fundatum, Anno Domini Milleſimo nono.

ABA Vngarus, è ſorore ſancti Stephani Regis, pulſo Petro Rege, anno Milleſimo, Quadrageſimo primo, fuit electus in Regem, & coronatus: regnauit annis tribus, donec Petrus reſtitueretur. Hic quoque ABA crudelis & iniuſtus, Tyrannus potius quam Rex, poſtquam contra Henricum Imperatorem, & Petrum ſuum æmulum bella geſſiſſet, Auſtriamq; & Carinthiam ac Bauariam vaſtaſſet; & cum Proceres Regni aſpernatus, quinquaginta ex eis vna die cædi iuſſiſſet, tandem Henricum Imperatorem & Petrum Regem fugiens, propter crudelitatem ſuam prope Tybiſcum à ſuis, Anno Milleſimo, Quadrageſimo quarto, interemptus eſt. Sepultus in monaſterio Sar. Huius Regis nulla ſeruantur priuilegia.

ANDREAS primus, Ladislai Calui primogenitus, profugus ex Polonia, cum secus Regnum adire recuperareue nequiret, Vngaris vehementer id primum omnium vrgentibus, vt populus fide & religione Christiana abiecta, ritu pagano viuere posset, Scythicaq; numina recoleret, Episcopos & omnes Christianos, maximè verò peregrinos trucidaret, imprudenter permisit. Tandem Rex Corona sancta redimitus, per vniuersum Regnum promulgauit hoc Decretum. 4

ANDREÆ I. EDICTVM, SIVE CONSTITVTIONES.

S. Stephani constitutiones resumendas esse.

Vt quicunq; Vngarus, seu peregrinus in Vngaria, deposito Scythico, gentili & Ethnico ritu, ad veram IESV Christi fidem illicò non rediret, ac sacram legem, à Diuo Rege Stephano traditam non reciperet, capite & bonis mulctaretur.

Ciuitates, oppida, villæ, templa demolita dirutaq; reficerentur.

Pontifices & collegia Sacerdotum, pristino more obseruarentur, & illis parerent.

Ritus omnes Christiani reuocarentur,

Prophanas & Scythicas cæremonias, falsosq; deos abrogarent, & simulachra demolirentur.

Si quis DEO, sanctisque eius, & Sacerdotibus malediceret, aut in eos mali quid patraret, DEI primùm, tum vindictam suam incursurum se sciret.

Vide supra S. Steph. Decret. lib. 2. c. 16. & c. 46. Bonfin. Decad. 2. lib. 2. fol. 192. vltim. edi.

Quicunq; sacris addictum, aut etiam prophanum hominem occidisset, peccatum more veteri expiaret, omnes demum à cædibus, latrocinijs, ac cæteris iniurijs & vi, abstinerent.

Qui verò constitutionem hanc contemneret, & ei animo reluctaretur, capitis & rerum omnium reus esset, edixit.

Huius itaque Regis (quandoquidem priorem noxam strenuè emendauerit, & se bonum Christi militem declarauit) priuilegia seruantur. Occubuit in bello contra fratrem Belam gesto. Constitutionum eius fit mentio in Decreto Diui Ladislai Regis, libro primo, capite tricesimo septimo.

BELA primus, frater Andreæ, vbi Regni habenas, fratre è medio sublato, consecutus est, primus ex argento puro pustulato pecuniam cudi fecit, ad morem aliarum gentium, & aureos Byzantios, quorum vnus quadraginta valebat argenteos nummos, in Regnum admisit, & pleraq; alia in Regno laudabilia constituit. Sub hoc Rege plebs promiscua secundò fidem Christianam abrogari, & pristinas Scythicas suas cæremonias admitti petit, sed à Rege sedulò coërcita, nunquam postea palàm quid eiusmodi tentare ausa est. Tertio autem Regni sui anno, Rex cadens è sede, sic conquassauit membra corporis, vt breui post moreretur. Sepultus est in monasterio Zekzard, quod extruxerat. Priuilegia eius seruantur. 5

Byzantius aureus.

SALOMON filius Andreæ primi, post obitum Belæ regnauit annos vndecim. Hic cum Geysa & Ladislao patruelibus adhuc Ducibus, Nandoralbam imperio Vngarico adiecit. 6
Tandem ab eisdem, ob insolentiam & structas frequenter ipsis insidias, exul, pœnitudine ductus, fugatus, Regnoq; exutus, in habitu religioso est mortuus. Sepultus in Pola ciuitate Istriæ. Huius nulla priuilegia seruantur.

GEYSA, primogenitus item Belæ primi, frater Sancti Ladislai, pulso, sed adhuc viuente Salomone, regnauit annis tribus: genuit duos filios, Colomannum & Almum. Sepultus est in Vaciensi Ecclesia ab ipso extructa. Huius priuilegia seruantur. 7

SAN-

SANCTI LADISLAI REGIS DECRETA.

Sanctus Rex LADISLAVS, filius Belæ primi, fratri suo Geysæ Regi, viuente tamen Salomone, legitimè successit, & regnauit fœlicissimè annis decem & nouem. Edidit Decretorum libros tres, suo tempori accommodos: ab omnibus pius, ob vitæ sanctimoniam, tàm ante susceptum regimen, quàm post inaugurationem, vocatus. Qui eo quod Salomon Rex viueret, tam diu legitimi Regis Coronam vsurpare distulit, quamdiu se concordiam cum eo inire posse sperauit. Tandem Dalmatia & Croatia Regno Vngariæ adiecta, ter de Cumanis, siue Chunis, reportato triumpho, coërcita Polonorum & Boëmorum temeritate; iamq; ad bellum Hierosolimitanum, à Christianis Principibus honorificè inuitatum, pulchro exercitu ex Vngaris sibi comparato, properantem, mors anteuertit. Sic naturæ necessitati cedens, Varadini in Ecclesia à se magnificè, non sine monitu Diuino constructa, ac amplissimis redditibus dotata sepelitur, anno Domini Millesimo, Nonagesimo quinto: Postea inter Diuos relatus anno Millesimo, Centesimo, Nonagesimo secundo. Huius priuilegia omnia seruantur.

SANCTI LADISLAI REGIS DECRETORVM, ANNO DOMINI M.XCII. editorum.

LIBER PRIMVS.

REGNANTE Creatore & Saluatore Domino nostro IESV Christo, anno incarnationis eius, Millesimo, Nonagesimo secundo, XIII. Kalend. Iunij, in ciuitate Szabolch, sancta Synodus habita est, præsidente Christianissimo Vngarorum Rege Ladislao, cum vniuersis Regni sui Pontificibus & Abbatibus, nec non cunctis Optimatibus, cum testimonio totius cleri & populi. In qua sancta Synodo, canonicè & laudabiliter hæc inuenta sunt decreta.

De bigamis presbyteris & diaconis. CAP. I.

BIGAMOS presbyteros, & diaconos, & viduarum, vel repudiatarum maritos, iubemus separari, & peracta pœnitentia, ad ordinem suum reuerti. Et qui noluerint illicita coniugia dimittere, secundùm instituta Canonis debeant degradari. Separatas autem fœminas parentibus reddi iubemus suis: & quia non erant legitimæ, si voluerint, liceat eis maritari.

Coniugati presbyteri ante 400. annos in Pannonia, ritu Græcorum.

De his qui ancillam in locum surrogauerit vxoris. CAP. II.

SI quis autem presbyter ancillam suam, vxoris in locum sibi associauerit, vendat, & si noluerit venundetur, & precium eius ad Episcopum transferatur.

De indulgentia ad tempus facta presbyteris, vt cum vxoribus maneant. CAP. III.

PRESBYTERIS autem, qui prima & legitima duxere coniugia, indulgentia ad tempus datur, propter vinculum pacis, & vnitatem Spiritus sancti, quousq; nobis in hoc domini Apostolici paternitas consilietur.

De Episcopo consensum præbente, nolentibus separari ab illicito coniugio. CAP. IV.

SI quis autem Episcopus, aut Archiepiscopus, ab illicitis coniugijs separari nolenti, spreto Synodali decreto, aut consilium & consensum præbuerit, aut ei Ecclesiam dederit, aut aliquid quod ad ordinem pertinet, agere permiserit: à Rege & Coepiscopis suis, secundùm quod rationabile videbitur, is dijudicetur. Si verò Archiepiscopus, causa ignorantiæ, Episcopo consenserit, aut presbyter per consensum illius, in tali vitio permanserit, iudicio Episcopi voluntario subiaceat.

Episcopo nullam mulierē secum habere permittitur: sed si habere probetur, ab Episcopatu dejciatur, quo se fecit indignum, C. de Episc. & clericis. l. Episcopo.

 De dote

De dote Ecclesiarum non expleta. CAP. V.

QVICVNQVE Ecclesiam DEO ædificauerit,& dotem nominauerit, nominatam verò non dederit,ad illud explendum transmisso nuncio,præualeat Episcopale iudicium: cui si quis contradixerit, & contradicendo verberauerit, ipse Regali iudicio subiacebit.

De perditione rerum Ecclesiasticarum, ob Sacerdotis incuriam. CAP. VI.

SI quis presbyterorum, res Ecclesiæ ad propria loca duxerit,& ibi vendiderit, vel per incuriam suam perdiderit,tripliciter Ecclesiæ restituat.

De restauratione desolatarum Ecclesiarum, propter seditionem. CAP. VII.

Decret. S. Steph. Lib. 2. c. 35.

ECCLESIAS propter seditionem desolatas, aut combustas, iussu Regis parochiani restaurent: calices & vestimenta ex sumptu Regis dentur: libros Episcopus prouideat.

De desolatione Ecclesiarum propter vetustatem. CAP. VIII.

ECCLESIAS ex vetustate desolatas, Episcopus reædificet.

De negotiatoribus, quos Ismahelitas appellant. CAP. IX.

Ismahelitæ, Philistæi siue Sarraceni.

DE negotiatoribus,quos appellant Ismahelitas, si post Baptismum ad legem suam antiquam,per circumcisionem,rediisse inuenti fuerint,à sedibus suis separati, ad alias villas remoueantur. Illi verò,qui inculpabiles per iudicium apparuerint, in propriis sedibus,aut ædibus remaneant.

De coniugio Iudæorum, Christianas mulieres sibi associantium.
CAPVT X.

Iudæi Christianas sibi associantes. C. De Episcopis & clericis. l Deo nobis auxil. § his ita dispositis.

SI Iudæi vxores Christianas sibi associauerint, aut aliquam personam Christianam in seruitio apud se detinuerint, ablata ab eis,libertati reddatur, venditoribus eius precium tollatur,& in sumptum Episcoporum veniat.

De negligentibus venire ad Ecclesiam diebus Dominicis & festiuis.
CAP. XI.

Negligentes venire ad Ecclesiam festiuis diebus,verberentur. Decr. S. Stephani lib. 2. c. 7.

SI quis in Dominicis diebus,aut in maioribus festiuitatibus, ad Ecclesiam non venerit parochialem, verberibus corripiatur. Si verò villæ remotæ fuerint, & ad Ecclesiam suam parochialem villani venire non potuerint: vnus tamen ex eis nomine omnium,cum baculo ad Ecclesiam veniat,& tres panes & candelam ad altare afferat.

De celebratione festiuitatum prædictarum. CAP. XII.

Venatio diebus Dominicis prohibita.

SI quis in his diebus venatus fuerit, canibus & equo careat, sed equum boue redimat. Si verò presbyter,aut clericus fuerit venatus, ab Ordine descendat, vsq; ad satisfactionem.

De interfectione adulteræ. CAP. XIII.

Adulteram vir interimens, dijudicetur ad instantiam proximorũ interfectæ.

SI quis vxorem cum altero viro adulterantem necauerit, DEO de se rationem reddat: & si voluerit,aliam ducat. Si verò ex propinquis fœminæ aliquis in eum insurrexerit,quòd interfecisset eam iniustè, iudicio discutiatur, & illud à vicinis eorum omnimodè inuestigetur: Si in despectione & contemptu apud virum suum esset prius, aut aliqua suspicio fornicationis de illa prius orta fuisset: & hoc, secundùm quod rationabile videtur, dijudicetur.

De subtractione candelarum absq; licentia. CAP. XIIII.

Candelam ex Ecclesia furto auferens, manus decem pensis redimat.

SI quis candelam,sine presbyteri sui & fratrum licentia, subtraxerit, manum eam cum qua furtum commisit,decem pensis redimat.

De negligentia festiuitatum, ob negotiationem. CAPVT XV.

SI quis Dominicis diebus, vel in maioribus festiuitatibus Ecclesiam negligens, mercatum frequentauerit, equo careat. Mercatum frequentans Dominicis diebus, equum amittat.

De negligentia Dominicæ diei. CAPVT XVI.

SI quis die Dominica mercatum constituerit, præcipit sancta Synodus, vt sicut constituit, ita destruat. Si autem quis renuit, quinquaginta quinque pensas soluat. Dominico die mercatū nemo instituat, sub pœna 55. pensarū.

De hospitibus aduenientibus clericis. CAPVT XVII.

SI quis hospes clericus in hanc patriam, sine commendatitijs literis Episcopi sui venerit, ne forte monachus, aut homicida fuerit, & alicuius Ordinis se confessus esse fuerit, iudicio vel testimonio discutiatur. Clericus sine commendatitijs aduena veniens, ab Episcopo discutiatur.

De perseueratione clericorum in vno loco. CAP. XVIII.

Si quis clericus in patriam istam veniens, alicui Episcoporum, vel Comitum adhæserit, & eum dominus suus bene habuerit, & secundùm quod cum eo conuenit, tractauerit, si discedere ab eo voluerit, nequaquam discedat, donec de iniustitia sibi illata, in audientia Regis declarauerit.

De desertione & contemptu propriarum Ecclesiarum
CAPVT XIX.

SI derelicta Ecclesia sua villani ad alias transierint, Pontificali iure, & Regali mandato, vnde transierint, eodem redire cogantur. Ecclesias proprias villanis deserere non licet.

De muliere in adulterio deprehensa CAPVT XX.

SI quis vxorem suam in adulterio deprehenderit, & in iudicium statuerit, secundùm instituta Canonum, ei pœnitentia imponatur, & peracta pœnitentia, si maritus voluerit, iterum eam recipiat: sin autem non, quam diu ambo vixerint, innupti permaneant. Supra eodē c. 13. Adulteræ, pœnitentia canonis iniungitur.

Abbates quomodo se habeant erga proprios Episcopos. CAPVT XXI.

ABBATES secundùm decreta patrum, in procuratione Episcoporum suorum, in quorum territorio sunt, humiliter permaneant. Et non semel in anno, sed sæpe monasteria eorum Episcopi visitent, & regularem vitam & conuersationem fratrum discutiant, tametsi monachi, cui monasterio voluerint, se cum rebus suis commendent. Similiter & sanctimoniales in monasterio sanctimonialium. Deinceps autem aliquis Episcopus, aut Abbas, sine titulo certi loci, monachum, aut monacham non audeat ordinare. Episcopus monasteria visitet.

Pœna gentilium ritu sacrificantium CAPVT XXII.

QVICVNQVE ritu gentilium, iuxta puteos sacrificauerint, vel ad arbores & fontes, & lapides obtulerint, reatum suum boue luant.

De donatione rerum alicui Ecclesiæ facta. CAPVT XXIII.

SI quis res suas, aut prædia, vni dederit Ecclesiæ, nulla interueniente causa subtrahere audeat, & dare alteri. Ecclesiæ semel donatæ adimi non debent.

De inuentione rerum Ecclesiasticarum. CAP. XXIIII.

RES Ecclesiarum vbicunque inueniantur, siue apud Ecclesias alias, vel apud domines, ad priorem Ecclesiam suam redeant. Ab Ecclesiæ res abalienatæ, ad eandē redeant.

De negligentia festorum, & fidelium cadauerum sepultura CAP. XXV.

Vid. Decret. S. Steph. lib. 2. c. 8. 9. 10. Sepultura fidelium.

Si quis Dominicum diem non obseruauerit, & dies festos non seruauerit, aut quatuor tempora & vigilias non ieiunauerit, aut mortuos suos ad Ecclesiam suam non sepelierit, duodecim diebus pane & aqua pœniteat in cippo. Si dominus serui sui corpus, aut villicus pauperis villani, vel hospitis, ad Ecclesiam non detulerit, tantumdem pœniteat.

De laboribus Iudæorum in festiuitatibus. Capvt. XXVI.

Iudæus festiuis diebus nō laboret, & laborantis pœna.

Si in die Dominico, aut alijs maioribus festiuitatibus, Iudæum laborantem aliquis inuenerit, ne scandalizetur Christianitas, cum quibus instrumentis laborauerit, illa amittat.

De decimatione liberorum Abbatum. Capvt XXVII.

De liberis, id est, mancipatis, siue manu missis.

Abbates de liberis suis dent decimationem Episcopis.

De testibus iudicij ferri, vel aquæ. Cap. XXVIII.

Ferri candētis & aquæ iudiciū. Adde. Colom. lib. 1. c. 22.

Qvotiens vel aqua, vel ferro iudicium factum fuerit, intersint ibi tres idonei testes, iurando iure probati, qui & innocentis innocentiam, & è contra culpabilis culpam perhibeant. Presbyter de ferro duas pensas, & de aqua vnam pensam accipiat.

De celebratione Missæ extra Ecclesiam. Capvt XXIX.

Missa extra Ecclesiā non celebretur.

Nvllvs presbyter audeat Missam celebrare extra Ecclesiam, nisi fortè itineris causa necessitas cogat eum. Si verò à Comite suo coactus fuerit, ab ordine cessabit, & qui eum ad hoc coëgerit, quinquaginta quinque pensas soluat. In itinere verò diuinum officium celebrare liceat in tentorio.

De decimatione liberorum, & de emancipatione eorundem, Ecclesijs facta. Capvt XXX.

Decima personalis. Bonfin. Decad. 2. lib. 1. fol. 174.

Episcopi de liberis accipiant decimas, liberi verò cuicunque Episcopo vel Comiti adhæserint, sicut eis placuerit, ita habeantur, salua tamen libertate. Qui autem pro animarum salute libertati mancipati fuerint, eo tenore tamen, vt Ecclesiæ seruiant, ipsi nemini, nisi soli presbytero administrent.

De carnis dimissione. Cap. XXXI.

Itali.

Latini, qui Vngarorum consuetudini legitimè consentire noluerint, scilicet, postquam Vngari carnes dimiserint, ipsi iterum in secunda & tertia feria comederint, si se nostræ consuetudini meliori non consentire dixerint, quocunque volunt, eo vadant: pecuniam verò, quam hic acquisierunt, hîc relinquant, nisi fortè resipuerint, & carnes nobiscum dimiserint.

De illata violentia virgini, vel mulieri. Cap. XXXII.

Virgini vis illata, homicidio æquiparatur.

Si quis virgini, vel mulieri de villa in villam eunti, vim intulerit, quantum pro homicidio, tantundem pœniteat.

De decimatione pecorum in alio Episcopatu nascentium. Cap. XXXIII.

Decima pecuaria.

Episcopi, qui decimationem pecorum, in alio Episcopatu nascentium accipiunt, quartam partem presbyteris in suo Episcopatu manentibus tribuant.

De satisfactione meretricum, vel strigarum. Cap. XXXIV.

S. Stepha. Decret. lib. 2. c. 31.

Meretrices, & strigæ, secundùm quod Episcopo iustum visum fuerit, tali modo dijudicentur.

De Abbatis vel monachi osculo, erga Regem, vel Episcopum. Cap. XXXV.

Si contigerit Regem, vel Episcopum ad quamlibet Abbatiam venire, Abbas & monachi ad Regis, vel Episcopi osculum in Ecclesia non accedent, sed egressi in Clau-

Claustrum ordinatim stantes, Regis, vel Episcopi osculum praestolentur. Regem autem, vel Episcopum, cum quot & qualibus sibi placuerit, Abbas Claustrum intrare permittat.

De salutatione Abbatis vel monachi euntis ad Regem.

CAP. XXXVI.

SI autem contigerit Abbatem, vel monachum, ad Curiam Regis venire, in Ecclesia ad salutandum Regem non eat, sed postquam exierit de Ecclesia, in domo, vel in tentorio salutet eum.

De sanctarum vigiliarum obseruatione. CAP. XXXVII.

IN hac verò sancta Synodo à venerabili Rege Ladislao statutum est, & ab vniuersis Episcopis collaudatum & canonizatum, vt Vigiliae celebrentur, Beati Stephani Regis, & Gerhardi martyris, quo die passus est, & tres dies ad festiuitatem Sancti Martini: & quod patruus suus Andreas Rex, cum omnibus, qui tunc erant Episcopis vouit & statuit, iste Rex Christianissimus destruere noluit, sed firmius corroborauit, trium dierum vigiliam ad festiuitatem sancti Petri.

Vigiliae Sanctorum. Andr. Prim. Ladislai Calui filius.

De sanctarum veneratione festiuitatum. CAP. XXXVIII.

ISTAE verò festiuitates seruandae sunt per annum: Natiuitas Domini, sancti Stephani Protomartyris, sancti Ioannis Euangelistae, sanctorum Innocentum, Circumcisio Domini, Epiphania cum vigilia, Purificatio sanctae Mariae, in Pascha quatuor dies, sancti Georgij Martyris, Philippi & Iacobi cum Vigilia, Inuentio sanctae Crucis, Ascensio Domini, in Pentecoste quatuor dies, sancti Ioannis Baptistae, Petri & Pauli Apostolorum vna die, sancti Iacobi, sancti Laurentij, Assumptio sanctae Mariae, sancti Regis Stephani, sancti Bartholomaei, Natiuitas sanctae Mariae, Exaltatio sanctae Crucis, sancti Matthaei Apostoli & Euangelistae, sancti Gerhardi Episcopi, sancti Michaelis Archangeli, sanctorum Simonis & Iudae, Omnium sanctorum, sancti Emerici Ducis, sancti Martini, sancti Andreae, sancti Nicolai, sancti Thomae Apostoli: & vnaquaeque parochia suum patronum & dedicationem Ecclesiae celebret.

Festa anni.

De Abbatibus, vel monachis in Kalendis sedentibus.

CAP. XXXIX.

ABBATES vel monachi, inter fratres Kalendarum non sedeant, sed Abbas oblationes fratrum in Claustrum accipiat, & secundùm regulam fratribus administret.

Kalēdae sunt cōtubernia & sodalitia.

De negantibus decimationem. CAP. XL.

EPISCOPVS accipit decimationem de omnibus, sed eo tenore: Episcopi Pristaldus interroget possessorem annonarum, seu bestiarum, quantum habeat: si crediderit verbis illius, accipiat secundùm hoc quod dixit: si verò non crediderit, faciat illum iurare, & accipiat: In annona verò † commixtum non accipiat, sed separatim. Si verò post iuramentum domini annonae quis alienus periurium dixerit, praeter Pristaldum Episcopi, ante Pristaldum Regis & Comitis numeretur annona: & si culpabilis inuentus fuerit dominus annonae, ei tantum decima pars detur, & nouem partes dentur Episcopo. Si verò ipse, qui insurrexerit, mendax extiterit, eodem iudicio persoluat culpam: si non habuerit vnde se redimat, solus venundetur, exceptis liberis. Decimatio autem tota colligatur vsque ad Natiuitatem Domini. Filius autem, qui in domo patris est, vel seruus, non separetur, sed simul dent decimationem cum patre. Filijs verò & seruis, qui per se habent domos, accipiant decimationem de omnibus quae habent. Si autem aliquis contumax

Decimae. Pristaldus. Iuramentū villani. † Al: coniunctim. Periurium. Poena negātis decimā. Decimam exigendi modus & tēpus antiquitus.

max fuerit, & interrogatus decimam noluerit indicare Pristaldo Episcopi, tunc Pristaldus coram idoneis testibus designet, quantum sibi videtur esse iustum, lipum, vel canabum, quãtum potest, pugillus capere, pressis digitis ad terram tantum accipiat. Si trituratam annonam inuenerit, si decem hydriæ fuerint, nil accipiat: si viginti, vel plus, accipiat decimam partem.

De litigatoribus venientibus ad Regale palatium. CAPVT XLI.

Contumax amittit causam, & in duplo rei quæsitæ cõuincitur.

SI quis verò Nobilium, seu militum, aut Comitum, in Curiam causa litium veniens ad Regale palatium, cum suo litigatore non steterit, & Regio nuncio vocatus, sine Regis licentia, domum perrexerit, rationem perdet, & insuper si quid ab eo abstulerit, dupliciter reddat.

De spretu sigilli Regij & Iudicis. CAPVT XLII.

SigillumRegis aut Iudicis aspernãtis pœna. D. Ladisl. infra li. 3. c. 16.

SI quis autem Regis sigillum super aliquem proijciens, ipse in Curiam venire neglexerit, rationem perdat, & quinque pensas persoluat: & quotiescunque renouauerit, toties quinque pensas persoluat. Si verò Iudicis sigillum proijciens non venerit, centum nummos persoluat.

SANCTI LADISLAI REGIS DECRETORVM LIBER SECVNDVS.

De furto proximi quorumlibet Principum. CAPVT I.

TEMPORIBVS pijssimi Ladislai Regis, omnes nos Regni Pannoniæ Optimates, in monte Sancto conuentum fecimus, & quæsiuimus qualiter malorum hominum impedirentur studia, & gentis nostræ expedirentur negotia. Primum omnium iureiurando constituimus, vt qualiscunq; proximus Principum reperiretur in furti culpa, vltra preciumgallinarum, nullatenus possit abscondi, vel defendi à quolibet eorum. Placuit quoque vt ipse fur, nisi ceciderit in Ecclesiam, suspendatur, & omnis facultas eius depereat. Et si imprudentia eius, qui ceperat eum, euaserit in Ecclesiam, vel in Curiam Regis, vel ad pedes Episcoporum, careat qui non cauit vendicatione furti. Si autem de manu fideiussoris euaserit, de patibulo quidem liberetur, verumtamen cum eodem fideiussore in aliam regionem venundetur, & bona ipsius † Regali fisco vendicentur.

Furti commissi pœna suspendiũ.

† Al. Fisco Regis adiudicentur & occupentur.

De furto serui. CAP. II.

Fur ad pedes Episcopi cadens liberatur. Decr. S. Stepha. li. 2. c. 40.

SI seruus fur inuentus fuerit, & non possit precio commutari, nasus eius (nisi ceciderit in Ecclesiam, vel in Curiam Regis, vel ad pedes Episcopi) abscindatur, & si ceciderit, careat custos eius vendicatione furti. Si verò secundò hoc modo captus fuerit, suspendatur.

De ligatione furis. CAP. III.

SI quis autem furem ligauerit, habeat potestatem ligandi eum, & ducendi ad Iudicem, siue iustè, siue iniustè ligauerit. Si autem eum ligare quis prohibuerit, persoluat quinquaginta quinque pensas, & eandem noxam reddat in ligamine.

De purgatione furti, si quem tota villa furem proclamauerit. CAPVT IIII.

Furti pœnæ.

SI quempiam deinceps tota villa furem esse proclamauerit, probent iudicio. Vnde si mundus apparuerit, villa persoluat solum vnam pensam presbytero. Si autem reus iudicio conuincetur, omni substantia sua priuetur, & vendicetur Regi, vnde detur quarta pars villanis. Si verò aliquem personaliter furem esse proclamauerit

uerint villani, accipiant vnam pensam. Si autem vna pars accusauerit furem, alia verò defenderit, non accipiatur eorum defensio, & probato fure iudicio, si culpabilis inuentus fuerit, non habeant partem in quarta parte vendicationis.

De inuestigatione furtiuæ rei. CAP. V.

SI quis vestigia sequitur furtiuæ rei, nuncium præmittat in villam, in quam diriguntur vestigia, ne excutiendo bestias suas, perturbent villani vestigia sequendo: quod si contumaciter fecerint, perditas res persoluant. Si autem priusquam nuncius venerit, villani excusserint bestias suas, tunc inuestigatores perscrutentur singulas domos, vt ipsis placuerit. Si cui perierit res, eat cum testibus idoneis inuestigare rem, vbi putauerit esse: & si prohibitus fuerit, prohibitores probentur iudicio; & si culpabiles effecti fuerint, pereant, vt fures: si verò mundati propter prohibitionem, quinquaginta quinque pensas persoluant. Si autem instinctu Comitis sui milites inuestigare impedierint, pro ipsis quinquaginta quinq; pensas Comes persoluat, & postea probetur iudicio.

Furta per vestigia inuestigentur, prohibitio eius punitur, pēsis 55.

De iudicis erga seruum vel liberum iudicio. CAP. VI.

SI iudex nasum serui non inciderit, vel liberum non suspenderit, pereant omnia sua, præter filios, filiasue, & ipse Iudex venundetur. Si verò iustum suspenderit, centum & decem pensas, & omnia bona suspensi sui restituat. Et si se cum duobus testibus idoneis liberauerit ab eo, qui duxerat eum in concilium, tollat quinquaginta quinque pensas. Et si ad iudicium peruenerit, & iustus Iudex apparuerit, introductor eadem pœna pereat, qua Iudex periturus erat. Et si maioris facultatis fuerit quam Iudex, amittat etiam libertatem.

Iudex in iudicio furti malè se gerens.

De negotiatore siue mercatore furtiuam rem emente. CAP. VII.

NEMO vendat, vel emat præter mercatum: si quis verò contra hoc emerit de furtiua re, pereant omnes, & emptor, & venditor, & testes. Si verò propriam rem traxerint, perdant rem & precium, & testes tantumdem. Si verò in mercatu fit contractus, fiat coram Iudice: & Teloniatore, & testibus. Et si res empta furtiua esse apparuerit, emptor quidem testimonio Iudicis & Teloniatoris euadat, testes autem reddant venditorem.

Venditio coram testibus fiat.

De iugulato homine. CAPVT VIII.

SI quis extracto gladio iugulauerit hominem, Regali iudicio tradatur in carcerem, & omnia bona sua diuidantur in tria, scilicet, vineæ, terræ, lixæ, serui. Vnde duæ partes dentur cognatis iugulati, tertia verò filijs & vxori iugulatoris. Si verò † minoris facultatis sit, quàm centum & decem pensas, amittat etiam libertatem.

Homicidæ bonorum diuisio.
† Al: maioris.

De quolibet eiusdem prosapiæ furtum faciente. CAP. IX.

SI quis eodem Decreto ex diuina propiciante gratia, prolem vel cognatum, siue quemlibet propinquum in furti cognitione præoccupauerit, suspensionem vel carnis perditionem non subeat, sed vt exul venundetur, si vulgaris fuerit: si verò Nobilis, eadem culpa captus à parentibus fuerit, non venundetur, sed ergastulorum custodiæ commendetur.

Furatus vulgaris proximi rem vendatur, Nobilis domus custodiæ mancipetur.

De cuiusuis seruo in furto deprehenso. CAPVT X.

SI quis ergo seruum suum, vel in furto proprio, siue aliorum, culpabilem inuenerit, præfato testante eloquio, Iudicibus vt pateat ad incidendum largiri nasum

Decr. Steph. c. 40. Lib. 2.

De Nobile, vel milite inuadente alterius domum. CAPVT. XI.

SI quis Nobilium, vel militum, alterius domum Nobilis inuaserit, & ibi pugnam fecerit, & vxorem illius flagellauerit: si tantam substantiam habuerit, duæ partes eius-

Inuasio domus.
In Decr. S. Steph. c. 33. Lib. 2.

eiusdem substantiæ pro reatu commisso dentur, tertia verò vxori, filijsq; suis remaneat. Si autem substantia defuerit, raso capite, ligatus & flagellatus circa forum ducatur, & sic vendatur. Alij verò, qui cum eo erant liberi, reatum suum quinquaginta quinque Byzantijs redimant. Serui verò eadem pœna damnentur, vt domini illorum. Serui verò alieni, qui ad hanc pugnam inscijs dominis conuenerunt, venundentur, & dimidium precium pro reatu detur, dimidium verò ad dominos illorum redeat.

Byzantius.

De libero, vel seruo in furto capto, & de filijs liberorum in seruitutem redactis.

CAPVT XII.

SI quis liber, vel seruus, in furto captus fuerit, suspendatur. Si verò pro euadendo patibulo, ad Ecclesiam fugerit, abductus ab Ecclesia obcæcetur. Seruus in furto captus, si ad Ecclesiam non fugerit, sicut liber suspendatur, & domino serui illius detrimentum sit in seruo suspenso: domino verò rerum perditarum sit detrimentum in rebus perditis. Liber in furto captus, si ad Ecclesiam fugerit, & inde eductus obcæcatus fuerit, filij sui, & filiæ suæ, si decem annorum, aut minoris ætatis fuerint, in libertate permaneant: si verò maioris ætatis, quam decem annorum fuerint, in seruitutem redigantur, & omnis substantia eorum auferatur. Seruus autem, vel liber, si anserem vel gallinam furatus fuerit, monoculus efficiatur, & quod furatus est reddat.

Liber fur excæcatur. Fur secundũ leg. Lõbard. pro primo furto perdit oculum, vt in Lombard. de fur. Et de seruis fugit. l. de latronibus.

Oculus pro ansere vel gallina.

De furto clericorum. CAPVT XIII.

ORDO clericalis, si anserem, vel gallinam, aut poma, vel his similia furatus fuerit, † scopis tantum à magistro corrigatur, sed quod furatus est restituat: maius his si furatus fuerit, ab Episcopo suo degradetur, & iudicio vulgari damnetur.

† Al: in Scholis.

Clericus minutas res furatus, in schola castigetur.

De libero in furto reperto, CAP. XIIII.

SI quis liber decem denariorum precium furatus fuerit, suspendatur: minus denarijs decem si furatus fuerit, furtum duodecies reddat, & bouem vnum persoluat. Seruus autem si tale furtum fecerit, reddat duplum, & nasum amittat. Seruus profugus, si alicubi in furto deprehensus fuerit, obcæcetur: & ideo ne suspendatur, nec lingua ei abscindatur, decreuimus, vt si postea dominus suus eum inuenerit, requirat per eum, si quid perdidit.

Furis liberi & serui pœna.

Vt nulli negotiatori liceat emere, vel vendere equos, vel boues, nisi quantum ei necesse fuerit. CAP. XV.

NVLLVS mercator in aliquo huius terræ confinio equum, aut bouem vendere, vel emere præsumat, sed equum solum sibimet ad expeditionem necessarium, aut boues ad arandum aptos, si voluerit, emat.

Boues ad vsum agriculturæ emẽdi.

De venditione equorum, & boum, sine licentia Regis. CAP. XVI.

SI quis equum ad vendendum, sine licentia Regis, in confinium duxerit, equus ab eiusdem confinij Comite auferatur, & equi dominus in carcerem mittatur, donec testimonio Comitis sui comprobetur. Et si reus extiterit, sicut fur † pœniteat: Sin autem liber, sospes euadat, sed equum, quem adduxit, amittat.

† Al: pereat.

De priuatione honoris Comitum, si permittunt emere, vel vendere.

CAPVT XVII.

COMITES confiniorum si equos, vel boues vltra fines huius patriæ, sine licentia Regis, vendere permiserint, Comitatus honore priuentur. Custodes ergo confiniorum, qui vulgò *Ewrij* vocantur, si absque licentia Comitum tale quid commiserint, libertatem amittant, si pauperes fuerint: illis verò custodibus, qui præsunt, si in culpa eadem rei inuenti fuerint, cum omnibus, quæ habuerint, pereant, soli filij & filiæ in libertate permaneant.

Ewrij custodes confiniorum.

De cuius-

De cuiusuis hospitis negotiatione. CAPVT. XVIII.

HOSPES ex alijs Regionibus in confinium, pro equo emendo, vel alijs rebus negotiandis, si venerit: cum nuncio eiusdem confinij Comitis ad Regem eat, & per licentiam Regis, quicquid & quantum ei concessum fuerit, coram Pristaldo Regis emat.

Explicit liber secundus Decreti Sancti Ladislai Regis.

SANCTI LADISLAI REGIS DECRETORVM LIBER TERTIVS.

De Centurionibus & Decurionibus. CAPVT I.

HOC decreuerunt, hanc legem constituerunt, vt nuncius Regis per omnes ciuitates dirigatur, qui congreget Centuriones & Decuriones eorum, qui vulgò Ewrij vocantur, cum omnibus sibi commissis, & præcipiat eis, vt si quem furti culpabilem sciunt, ostendant, & qui pro culpabilibus ostensi fuerint, si quod non sint culpabiles, iudicium portare voluerint, iudicium detur illis: quosq; nominarint Ewrij illi patiantur sub decenario numero, quorum vnus pro decem portet iudicium, qui si fuerit saluus, reliqui nouem salui fiant: Sin autem nouem, portent iudicium vnusquisque pro se: ille autem qui pro nouem iudicium portauerit, ipse etiam pro se portet æquè iudicium. Posthæc inquiratur à cunctis optimatibus & populo, si quam villam sciant furto diffamatam. Et si quam dixerint, dicat nuncius Regis villanis, vt quos fures sciant in illa, illos reddant. Quos autem reddiderint, si se iudicio defendere dixerint, ne prohibeantur. Sed qui fures antea auditi fuerant, illis nequaquam detur iudicium. Præterea eiusdem villæ villani, per decem & decem diuidantur, & decimus pro nouem portet iudicium. Si ipse fuerit mundus, reliqui nouem mundi sint: Si culpabiles sint, sicut suprà diximus, vnusquisque pro se portet: decimus autem, qui pro nouem portauerat, ipsemet æquè iudicio probetur. Deinde nuncius Regis de villa in villam vadat, sciscitando à villanis, & vbi furem sciunt, monstrent. Notum etiam faciat totius Vngariæ Principes Sacramentum fecisse, quòd neque furi parcent, neque celent ipsum, ipsi quoque similiter faciant. Et si rustici dixerint iusiurandum se velle obseruare, tunc ostendant fures vbi sciunt. Sed si aliqui fures postea celasse eos accusauerint, & ita periuri inuenti fuerint, pro commutatione linguæ, decem pensas persoluant, & canonicè pœniteant.

Akasźto Ispanoc vocantur in Transyluania, qui per oppida & villas de furibus inquirunt. Ewrij obseruatores.

Furto diffamata villa.

De his, qui aliorum seruientes detinent. CAP. II.

PRÆCIPIMVS etiam, vt idem Regis nuncius palàm faciat omnibus, tam Nobilibus quàm ignobilibus, imprimis Episcopis, Abbatibus, Comitibus, postea verò minoribus, quod à tempore Regis Andreæ, & Ducis Belæ, & à descriptione iudicis † Sarchas nomine, apud quemcunq; aliqui ciuium, vel illorum, qui dicuntur Ewrec, vel serui detinentur, in Assumptione S. Mariæ, omnes Regi præsententur: Quòd si quis fortè detinuerit, dupliciter reddat, vel is, qui defendere voluerit, in prædicta festiuitate veniat ad Curiam, & defendat. Veniant & illi omnes, qui dicuntur Wzbeg, ad Curiam, in eadem festiuitate, & secundum quod regale iudicium ordinauerit, postmodum ratum permaneat. Et quisquis vltra terminum prædictum aliquem illorum, quos tunc reddi præcipimus, detinuerit, dupliciter reddat, & quinquaginta quinque pensas, propter transgressionem, soluat: & si qua suspicio de illo, vel alterius, qui rem detinebat habita fuerit, eo quod, quem retinerat, fur & latro diffamabatur, ipse expurget se iudicio: Si culpabilis fuerit, vt fur & ipse dijudicetur. Illi qui dicuntur vulgò Wzbeg, cuicunque personæ adhæse-

† Al: Darchas.

Al: Vzbeg. id est, profugus.

hæſerint, repreſentent eos Regi in Aſſumptione S. Mariæ virginis. Quod ſi quis tranſgreſſus fuerit, bis totidem reddat, & inſuper, propter legis fractionem, quinquaginta quinque penſas adhibeat.

De Palatino Comite, & eius ſigillo, ac facultate.

CAPVT III.

Palatinus ex Curia Regis diſcedens, vices ſuas gerenti relinquit ſigillum. Palatinus domi ſuæ quos iudicat.

PLACVIT etiam, vt ſi aliquando Palatinus Comes domum iuerit, Regis & Curiæ ſigillum, qui in vice eius remanſerit, illi dimittat, vt ſicut Regis vna eſt Curia, & ita vnum ſigillum perſiſtat. Domi verò Comes idem, quamdiu permanſerit, ſuper neminem ſigillum mittat, niſi ſuper eos duntaxat, qui vocantur Vdvornik, & qui ſpontanea voluntate iuerint ad eum, illos ei liceat iudicare. Quod ſi aliter fecerit, quinquaginta quinq; penſas ſoluat. Similiter & Duces, Comites, qui ſuper ſuos, quàm alios iudicauerint, ea ſententia corrigantur.

De quolibet fure ad Eccleſiam fugiente. CAPVT IV.

Liber furatus, & ad Eccleſiam fugiens, ſeruus fit Eccleſiæ.

SI quis liber furatus fuerit, & ad Eccleſiam fugerit, cuius Eccleſiæ refugium quæſiuit, illius ſeruus ſit. Ille autem, cuius ſuaſione euaſit, parte ſua careat. Si presbyter poſtea eum mancipauerit, & ipſe vice eiuſdem ſeruus ſit Eccleſiæ. Ille verò qui furatus fuerat, venundetur in aliam patriam, & ſi poſtmodum huc reuerſus fuerit, tollantur ei oculi.

De ſeruo, vel libero, in eadem culpa, ad Eccleſiam fugiente.

CAPVT V.

Seruus fur ad Eccleſiam fugiens. Liber.

SERVVS qui furatus fuerit, & ad Eccleſiam fugerit, domino ſuo reddatur, & cuius conſilio fugit, det Eccleſiæ duas penſas. Et ſi liber furtum fecerit, ſed neque captus, neq; ligatus ad Eccleſiam fugerit, ipſe ſimiliter ſit ſeruus Eccleſiæ, & cuius erat fur, parte ſua non careat. Eo modo, ſi ſeruus ad Eccleſiam fugerit, vna penſa dominus eius eum redimat, cuiusq; res furatus fuerat, illi totum † reſtauret. Item ſi ſeruus magnum quid, & tantum furatus fuerit, quantum dominus eius reſtaurare non poterit, cuius erat, vnam penſam Eccleſiæ det, & ſeruus ſit eius.

† Al: reſtituat.

De muliere in furto inuenta. CAPVT VI.

Furis mulieris pœna.

SI quæ mulier, habens maritum, furtum fecerit, naſum perdat, & venundetur, & cum tota ſubſtantia ſua, cum qua poſt viri ſui mortem maritari alij poſſet, pereat. Et ſi vidua idem fecerit, alterum perdat oculum, & exceptis partibus filiorum ſuorum, cum parte ſua annihiletur.

De puella furtum faciente. CAPVT VII.

Furis puellæ pœna.

SI quæ innupta puella furtum fecerit, venundetur, & nunquam ad libertatem redeat. Et ſi quis emancipauerit, precio careat, & illa in Curiam Regis ducatur.

De furibus liberis, decem vel ſex denarios rem valentem furantibus.

CAPVT VIII.

SI LIBER, quod decem denarios valet, furatus fuerit, cum omni ſubſtantia ſua pereat: Si minus autem, alter oculus eruatur, & ſecundum Sancti Stephani Decreta dijudicetur. Item ſi Seruus ſex denariorum precium furatus fuerit, careat oculis; ſin minus, ſemioculo, & quod furatus fuerit, dominus eius dupliciter perſoluat, ac reſtituat.

De his, qui capiunt furem. CAPVT IX.

Iudices criminalium, olim ſoli pa-

QVOTIESCVNQVE quis furem cœperit, & ligauerit, per tres tantum dies eum teneat, quarto autem die, iudici ſtatuat. Et ſi forte ſe conſcios furti inuentorum dixerit, ſex ſeptimanarum habeat indulgentiã, & interim furti conſcios, quos ſe in-

se inuenturum promiserat, inueniat: Si autem non inuenerit Regali sententia damnetur. Si verò plus, quàm per tres dies eum tenuerit, & in quarta, sicut diximus, iudici non præsentauerit, & postea vel à parentibus ipsius furis, vel à domino, si dominum habet, declamatio venerit, ante iudicem statuatur, quod eum vinculatum tenuit, & secundum legem tertia, vel quarta die non repræsentauerit: ipse etiam ante iudicem statuatur, & quia iniustè tenuit furem, decem pensas persoluat: fur autem secundum legem dijudicetur. Et si quis contumax iudicium iudicis transgredietur, sex pensas soluat. Iudex verò per vim furem capiat, & si fur iudicium quæsierit, iudicioq; dato inculpabilis fuerit, de his sex pensis, vnam sanctæ Ecclesiæ donet, & si quis culpabilis fuerit, cum omni substantia sua in sumptum Regis exportetur.

rochiales Comites erant.

Fur post tres dies iudici præsentetur.

De his, qui stante expeditione furantur. CAPVT X.

SI Rex in expeditione fuerit, & interim furem capi contigerit, qui cepit, firmiter teneat: sed postquam Rex & primates redibunt, vltra quem terminum dixi tenere non præsumat. Quod si aliter fecerit, sex pensas enumeret. Item si quis in expeditione furtum fecerit, cum omnibus rebus suis extirpetur.

Furti in bello punitio.

De negotiatoribus, de ciuitate in ciuitatem, euntibus. CAPVT XI.

SI quis de ciuitate in ciuitatem vadens, emerit, vel vendiderit, & si quod prius vendidit, postea furatum esse apparuerit, ille qui vendidit, sicut fur, dijudicetur, & qui testes fuerint, iudicio discutiantur: Si culpabiles inuenti fuerint, sicut fures ita dijudicentur.

Venditor rei furatæ.

De fure in curia Nobilium capto. CAPVT XII.

SI quis in curia nobilium furtum fecerit, nuncietur, vel eiusdem domino curiæ, vel Pristaldo eius. Et si forte contigerit, quòd neuter domi sit, expectetur per decem dies: Si in vndecimo neuter illorum venerit, ante iudicem statuatur, & secundum legem tractetur.

Furatus in curia nobilium.

Iudicem, id est, Comitē.

De collectoribus rerum fugitiuarum. CAPVT XIII.

RERVM fugitiuarum collector, quem vulgariter Iokergech dicunt, quicquid colligit, ad ciuitatem eiusdem prouinciæ congreget, & Regis Agaso, & Comitis eiusdem Ciuitatis, in suburbio stabulum faciant, vbi vsque ad festiuitatem Sancti Michaelis Archangeli, quicquid pecorum collectum erit, seruetur, duæ partes fugitiuorum hominum donentur Regis Pristaldo, tertia pars Comiti, & vsque ad pronunciatam festiuitatem detineantur & reseruentur, de quibus post festiuitatem Sancti Michaelis, quando diuiduntur, nuncius Episcopi decimam partem accipiat. A festiuitate Sancti Martini, vsq; ad festiuitatem Sancti Georgij, congregentur oues & boues, & simili modo diuidantur. Et si iterum rerum fugitiuarum collector, quem dixi, † hoc transgressus fuerit, exceptis filijs & vxore eius, cum omni substantia perdatur. Si Comitis collector fugitiuorum liber fuerit, simili modo disperdatur: Si seruus Comiti auferatur. Si Regis fugitiuorum collector, de his, quæ collegit, aliquid denegauerit, aut alicui dederit, tam qui recipit, quàm qui dederit, ambo perdantur: & si quis ei quicquam de talibus negauerit, quantum negauit, duodecies tantum reddat.

Iokergech.

Ciuitas prouinciæ dicitur, vbi est sedes iudiciaria Comitatus.

† Al: hæc.

De his, qui à cursoribus equos dimissos retinent. CAPVT XIV.

SI quis equos, quos cursores dimittunt, habuerit, per tres septimanas ad Ecclesiam, vel ad mercatum, causa monstrandi, ducat; & si dominus eius non venerit, donet eos collectori Regis. Similiter de equis fiat à furibus dimissis: & qui furem cum equo deprehenderit, furem iudici det, equus verò suus sit sibi. Hodie vaga animalia ter in forum ducuntur: postea, non reperto suo domino, qui detinet, retinere potest. Violator Decretorum.

De his, qui decretum Regis spernunt. CAPVT XV.

QVICVNQVE ergo Regis & Principum decreta fregerit, si Episcopus est, secundum voluntatem Regis dijudicetur: si Comes, à Comitatu degradetur: si Centurio, honore priuetur: & insuper quinquaginta quinq; pensas soluat. Miles consimiliter quinquaginta quinq; pensas soluat.

De Iudicibus. CAPVT XVI.

Parochia hic accipitur pro Comitatu.

VNVSQVISQVE Iudex in parochia sua iudicet, id est, nemo iudicum extra suam iurisdictionem iudicet.

De furibus ad Ecclesiam fugientibus, & se innocentes proclamantibus. CAPVT XVII.

Decret. lib. 2. c. 40. 41. 42.

SI qui serui, vel liberi fures ad Ecclesiam subintrauerint, & se innocentes esse proclamauerint, iudicio probentur. Quod si rei apparuerint, quasi qui Ecclesiam non intrassent, iudicentur: Si verò culpam confessi fuerint, lege Beati Stephani discutiantur.

Vt nullus cum fure conuenire audeat. CAPVT XVIII.

NEMO cum fure conuenire audeat: Si autem quis fuerit talis, quinquaginta quinque pensas perdat.

Nemo furem ducat ad alium iudicem. CAPVT XIX.

VOLVMVS etiam, vt si quispiam furem ceperit, ante illum iudicem discutiatur causa, in cuius termino captus fuerit fur.

De vsucapionibus. CAP. XX.

Vsus vagorum animalium tantū, & non proprietas concedebatur.

VSVCAPIONES capiantur à festo S. Georgij, vsque ad festum S. Ioannis Baptistæ, & ducantur in ciuitatem, teneanturq; vsque ad festum Sancti Michaelis, ac præsententur assiduè in mercatu, vt si quispiam suam repererit personam, redimat nonaginta denarijs, equum duodecim, bouem quinque. Ex quibus duæ partes Regi, tres Comiti tribuantur. Si verò vsque ad festum S. Michaelis inuenti non fuerint, diuidantur prædicto modo; tamen nullo pacto vendantur, vel celentur, sed tantum labore eorum vtantur. Quòd si collector vendiderit, vel celauerit, triplum reddat, ipseq; decem pensas persoluat. Comes verò si itidem fecisse probatur, quinquaginta quinq; pensas persoluat. Simili modo iubemus, vt qui vsucapiones tenuerint, à tempore Regis Belæ, vsq; ad festum S. Stephani, dimittant.

Vsus fructus tantum.

Rex Bela. I.

Vsucapio est ius, quod rem alienam mobilem, meam facit, quam præscripto à lege tempore, iusto titulo, vel putatiuo, bona fide possideo.

De his, qui recipiunt seruum, vel lixas alterius. CAP. XXI.

Malefactorum detentores.

INTERDICIMVS etiam, vt nullus recipiat seruum alterius, vel lixas. Si quispiam autem receperit; Si Comes fuerit, sciat se dupliciter cum quinquaginta quinq; pensis redditurum. Si minister, dupliciter cum viginti quinq; pensis. Si plebeius, dupliciter cum quinq; pensis. Quod si receptus, vel pro furto, vel aliquo crimine latuerit, & receptor conscius reatus illius fuerit, & negauerit, se fuisse conscium. Si Comes est, iuramento se purget, & insuper quinquaginta quinque pensas soluat: Si verò plebeius, simili iuramento purgetur, & quinque pensis componat, & si quid contra eum latro proclamauerit, exaudiatur.

De iudice erecto & constituto CAP. XXII.

SI quis iudicum non diffiniuit litigium, antequam eius potestas auferatur, veniat ad iudicem constitutum, & sicut iudicare disposuerat, cum eo discernat, & exinde recipiat nonam partem iudicij: Iudex verò decimam.

De fal-

De falsis iudicibus. CAP. XXIII.

SI qui falsi iudices in occulto iudicare aliquid cognoscerentur, præsententur iudici, in cuius termino reperti fuerint, inquisitáue ab eis commissi causa, quod diiudicauerint, duplum reddant, ipsiq; decem pensas persoluant. Lex repetūdarum.

De iudice litigium differente. CAP. XXIIII.

SI quis iudicum distulerit litigia vltra triginta dies, vapuletur.

De iudicibus sigillum mittentibus. CAP. XXV.

POSSIT iudex sigillum suum mittere super quoscunque, exceptis presbyteris & clericis, nec non Comitibus. Si quis autem iudicem iniuste iudicasse proclamauerit, & non probauerit, quinq; pensas soluat: Si verò iudex conuictus fuerit, iudicatum in duplo restituat, & insuper quinque pensas persoluat. Iudex pro suo iudicato sit vno anno, postea non introducatur. S.Steph. lib. 2. cap. 43. vide.

De spernentibus sigillum iudicum. CAPVT XXVI.

SI quis sigillum iudicis negligens, ad causam non venerit, primo quinq; pensis puniatur: Si secundò, totidem: Si tertiò, rationem perdet, & tonsus reddatur pro debito. E. Ladisl. C. lib. 1. c. 42. Contumaciæ mulcta.

De his, qui domi fecerunt pugnam. CAP. XXVII.

SI qui domi pugnauerint, & ad iudicem non venerint, nil quærat iudex: Si venerint ad ius eius, fiat libitum: quòd si concordati aliquid iudici inde dederint, tertiam sibi, duas partes Regi reseruet.

De cursoribus, qui vltra tria miliaria equos duxerint.
CAPVT XXVIII.

NEMO cursorum audeat ducere equum, vltra tertiam villam, vel accipere ad Ecclesiam euntium, siue ad curiam Episcoporum, seu Comitum, nec de Presbyteris aut Clericis, ac curribus eorum. Accipiat autem qualescunq; inuenerit equos, vt Regis legatio citius expediatur. Si quis autem cursorem verberauerit, quinquaginta quinque pensis, si lora retinuerit eius, decem pensis puniatur.

De quærentibus res perditas. CAP. XXIX.

SI quis seruum fugitiuum, vel quodcunque perditum, quærere voluerit, à nemine prohibeatur. Si quis autem prohibuerit, vel quærentem verberauerit, decem iuuencis mulctabitur, valentibus decem pensas. Vide Decre. S.Steph. lib. 2. c. 23.

Etiam de iure Ciuili fugitiuum occultans, viginti solidis tenetur. C. de Ser. fugi. l. quicunque. Solidus autem est aureus Romanus, Conrad. Lag. in suo Methodo ciuili fol. 806. Pensa verò quid sit, lege infra Caroli Regis literas, de lucro Cameræ & alijs. Est enim Vncia vna argenti, quod vt rude, aut purum est, ita quandoque plus, quandoque minus valet: Proinde à quadraginta denarijs, ad hoc tempus, vltra centum denarios precium eius excreuit. Nam nunc puri argenti pensa valet centum viginti den. Pensa, id est, lat. 2.

Explicit Decretum Sancti Regis Ladislai.

COLOMANI REGIS DECRETA ANNO DOMINI M. C. EDITA.

COLOMANVS filius Geysæ, luscus, gibbosus, claudus & blesus, sed elati animi, fuit Episcopus Varadiensis. Postea verò per dispensationem Papæ Vrbani secundi, Sancto Regi Ladislao successit. Venetos, qui Dalmatiam in seruitutem redigere conabantur deuicit. Ac naturam secutus suam, magnam in suos crudelitatem exercuit, vt corpore, ita animo S. Ladislao patruo dissimilis. Nam Ducem Almum & Belam filium eius oculis priuauit; Edidit duos libros Decretorum. Habuit filios Ladislaum & Stephanum. Obijt Anno Millesimo, Centesimo, decimo quarto. Sepultus in Alba regali. Obseruantur eius Priuilegia.

COLOMANI REGIS DECRETORVM LIBER PRIMVS.

PRÆFATIO

AD SERAPHIN ARCHIPRÆSVLEM STRIGON.

DEI GRATIA. Seraphin Archipræsuli, diuinarum igne virtutum ardenti, Albricus quamuis vnus ex minimis, tamen seruus Sanctitatis nuncupatus, in palacio cœlestis contemplationis.

2. Cor. 3. Quoniam fiduciam talem habemus, per Christum ad DEVM, non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficiencia nostra ex DEO est, cum † specialis gratiæ inspiratio mentem tuam cælestis sapientiæ thesauro ditauerit, & quàm plurimis disertis ad didascalici meriti lucidas contubernij tui officinas, quasi totidem gemmis ornauerit, haud paruum ingenioli mei reformidat rusticitas, dum me, vt ita dicam, elinguem, ac penè totius vrbanitatis exortem, iubes, ô Præsul, Regalium instituta collationum recolere, vel Senatoria totius Regni decreta, ieiuna oratione recapitulare. Neque enim ad regalia consilia, me consultricis prudentiæ inculta prouexit materies, nec tenuis rei, stantem pro foribus intromittit despecta pauperies. Quia verò obedientiæ eligo magis operam dare, quàm Charitati, omnia speranti aliquid denegare: malo etiam vltra vires obtemperando præsumere, quàm præsumptuosè minimè obtemperare. Quamuis enim imperitia mea dictandi non præstet facundiam, Charitas tamen obedientiam non negat. Porrò non in hoc opere, proprij arbitrij vestigia figo, verum præuijs alieni itineris visibus insisto, ob quam videlicet causam, si quid in errabundo vestigio liberius euagatus meus deuiauerit calamus, non ambigo, quàm facilis apud te sit veniæ locus: quæ res pigram etiam impellit huius consilij moram. Sed sunt fortasse nonnulli, qui sine rationis circumspectione, idem, vnde sermo est, concilium Vercellinum autumant esse superfluum, minus prouidè asserentes, antiquis dicentes potius piorum insistendum est relatibus: quorum profectò quàm friuola, quàmque sit inconsulta coniectura, non est superuacuum paulisper commemorare: Quia hi Regni detractores, magis proprio consulunt arbitrio, quàm communiter Regni prouectui administrando. Nam quis ambigat à Sancto patre nostro Stephano, viro quippe Apostolico, legem populo nostro datam, in quibusdam austeriorem, in quibusdam verò tollerabiliorem, in his quoque intensius vindicantem, atque in alijs remissius indulgentem: nec quenquam tamen absque disciplinæ verbere dimittentem, cum prædestinationis tempus, nullum adhuc verum adduxisset fidei sponsorem: nec hoc quidem præter diuinæ dispensationis respectum credi nephas est. Nam cum tempore prædicti † Regis, vniuersum Regnum eius, barbaricis inseruierit cultibus, ac rudis, coactusq; Christianus, contra commonitorem Sanctæ fidei stimulum, adhuc recalcitraret, adhuc contra pœnitentialia vltricis virgæ verbera remorderet, opere precium fuit, vt sanctæ disciplinæ coactio, infidelibus quidem, ad conuersionem fidei, sed conuersis fieret ad iusticiam pœnitentiæ. At Christianissimus Rex noster Colomanus, columbinæ gratiæ simplicitate, cum omni virtutum discretione, præditus, postquam vidit adultam fidem perfectæ religionis robur accepisse, legalis vinculum catenæ cogitauit relaxare prudenter: vt pote, indignum esse perpendens, si iam spontaneum fidei militem, legalis pœnæ timor torqueret, quem nec ipsa mors ab agnitæ iam confessione veritatis † absterrere potuisset: Hic nimirum cum videret propter ciuilia bella, vsque ad tempus illius ingrauescentia † paternis traditionibus iam magna ex parte solutis, Regni consilium labefactari, Curiæ honorem vilescere, timens ne miles insolens pacis, domesticus tamen virtutis hospes, irreuocabilis fieret iniquitatis: Regni principibus congregatis,

[Margin notes: † Al: Spiritualis. — Concilium Vercellinũ circa ann. 1053. — S. Stephani lex qualis. — † Al: patris. — † Al: abstrahere. — † Al: proprijs.]

tis, totius Senatus consultu præfati Regis Sanctæ memoriæ Stephani, legalem textum recensuit, de quo, si rem consideres, nihil comminuit, sed auxit, non tamen quasi fundator, sed superædificator. Quatenus primitiua plantaria, salubri, veluti respersionis infusione irrigata, percipiant iusticiæ incrementa, Et ille quidem destructor fuit infidelium: Iste rectæ conuersationis augmentator in iustificatione: Ille lorica fidei populum induerat: Iste terrenæ ambitionis superfluenta, cingulo iusticiæ, præcingebat: Ille gladio Spiritus verbi DEI perterruit: Iste galea salutis decorauit.

S. Stephani statuta sunt perlecta priusquam hæc conderetur.

Postremò hunc vterq; Regum finem rebus imposuit, vt dum debita † vltrix pœna, filios perditionis consumeret, filios prædestinationis refoueret: Non enim sine causa Rex gladium portat. DEI enim minister est, vindex in iram eius, qui malum agit: Nam Principes non sunt terrori boni operis, sed mali. Quis enim est qui noceat vobis, si boni emulatores fueritis? Hactenus hæc. Contra supradictos autem huius concilij detractores, de singulis capitulis, quæ ab re esse mentiuntur, possem etiam scribendo satisfacere, nisi epistolaris ego sermonis modum excedens, modestiæ tuæ, (ô Præsulum decus) aures timuissem fastidire, possunt tamen illa ex his colligi, quæ moderata satis breuitate perscripsi. Verumtamen, tui Domine, qui in huius populi linguæ genere, minus me promptum consideras, si quid calamus, à suscepti itineris tramite declinauerit, tua quæso in me solita beneuolentia, & superuacua resceces, & imperfecta suppleas, errata corrigas, commodè dicta paterna gratia prouehas, & antequam in aures prodeant publicas, curæ tuæ digitũ, dignanter imponas: & quæ tuo duntaxat doctissimò digna constitui examine, tuo etiam iudicio, à detrahentium muniantur liuore.

† Al: vltricis.

Rom. 13.

Oratio ad DEVM.

De dote cuiuslibet Ecclesiæ, per Beatum Regem Stephanum disposita.

CAP. I.

PLACVIT Regi & communi concilio, vt dotes cuiuslibet possessionis, Monasterijs, seu Ecclesijs à Beato Stephano Rege dispositæ inconuulsæ remaneant.

S. Steph. lib. 2. c. 1. & c. 34.

De synodo in vnoquoque Episcopatu, Comitibus & magistratibus celebranda.

CAP. II.

QVIA populus noster magnis sæpe tam viæ, quam inopiæ laboribus prægrauatus, pro qualibet necessitate Curiam Regalem adire non potest, bis in anno, id est, in festiuitate Apostolorum Philippi & Iacobi, & in octauis Michaelis, Synodum in vnoquoque Episcopatu celebrari constituimus, in qua tam Comes, quam Comites, & aliorum magistratuum dignitates & potestates, ad suum Episcopum conueniant, ad quam quicunque, etiam sine sigillo vocatus, non venerit, reus iudicio erit.

Synodus seu congregatio populi, in vnoquoque Episcopatu, bis in anno fiat. Comes & Comites

De alienigenis presbyteris, sine literis commendaticijs, aduenientibus.

CAP. III.

ALIENIGENA presbyter, vel diaconus, commendaticijs literis recipiatur, qui verò hactenus recepti sunt, si iure venerint, examinentur, quatenus de quibus aliqua aures nostras pulsat infamia, hi ab officio cessent, donec in iudicio purgentur, vel de terra eliminentur.

Ladisl. decr. lib. 1. c. 17. Literę commendaticiæ.

Quod nullus aduena, sine fideiussore, recipiatur. CAP. IV.

ITEM nullus aduena, sine fideiussore, recipiatur.

De citationibus presbyterorum. CAP. V.

EPISCOPORVM & Comitum Capellani, vel reliquorum, per sigillum Episcopi, vel Archiepiscopi, ad causandum cogantur.

Sacerdotes in foro Episcopi conueniantur.

De citationibus presbyterorum & laicorum contra sese.

CAP. VI.

 Si ve-

Clericum sæcularis in foro Spirituali, clericus sæcularē, in iudicio prophano conueniat.

SI verò clericus causam habet cum laico, per iudicis sigillum laicus cogatur: Si verò laicus habet causam cum clerico, per sigillum Episcopi, vel Archiepiscopi, clericus cogatur, ab eisque, tanquam iudice suo, examinentur.

De causis duorum Comitum in Synodo terminandis. CAP. VII.

SI duo Comites, pro causa aliqua, dissideant, in supra dicta Synodo ventilentur.

De causis duorum Abbatum in Synodo litigantium. CAP. VIII.

SI duo Abbates contenderint, in eadem Synodo iudicentur.

De causis ministrorum Regis, vel Ducis, & Capellanorum in Synodo iudicandis. CAP. IX.

Maiorum, causæ in Synodo discutiantur.

MAIORES ministri Regis, vel Ducis, & capellani, quorum personis indignum est coram iudice inferiori se constituere, in eadem Synodo iudicentur.

De contumacia iudicum, ad Synodum venire nolentium. CAPVT X.

† Al: vindicetur.

SI quis superbus iudex, ad prædictam Synodum venire neglexerit, suo accusatore † iudicetur.

De contumacia ministrorum Regis & Ducis. CAP. XI.

† Al: Synodum.

SI maiores ministri Regis, & Ducis, vel inter se, vel cum maioribus contenderint, & ad † iudicem venire contempserint, Comes parochialis cum iudice, eorum causas discutiat.

De iudicibus ministrorum Regis & Ducis. CAP. XII.

Mega, id est, aula.

DVCIS ministri, qui in mega Regis sunt, & Regis, qui in mega sunt Ducis, ante Comitem & iudicem: Minores verò ante iudicem delitigent.

Comes & Iudex, id est, Iudex Curiæ. Minor Iudex, id est, Comes Comitatus.

De facultate Comitum discutiendi causas in Synodo. CAP. XIII.

Aulicus, cū curiali, aut nobilis cum nobili.

SI Comes cum Comite contenderit, vel populus eius, seu Synodica discretio, seu vicinus Comes causas eorum discutiat.

Quod nullus secularis iudex clerico det sigillum. CAPVT XIV.

S. c. lib. c. 6.

NVLLVS præsumat secularis Iudex sigillum clerico dare.

Reuocatio omnium donationum, præter donationem Sancti Stephani. CAPVT XV.

† Al: minus, Donationes reuocantur, præter S. Stephani. † Al: suum regale.

QVIA eo minus videtur valere Curia, quo minus suppetunt necessaria: ne nostra abundantia † nimis superfluat penuria, placuit omnes pristinas, præter quas Sanctus Stephanus Rex donauerat, † solio Regali reddere: Quia indignum erat nobis recedentibus, Curialem nobiscum honorem recedere, vbi præstat nos, & venientes copiam honoris inuenire.

Ablatio piscinarum Monasterijs, vel Ecclesijs, datarum. CAPVT XVI.

Piscinæ.

SIMILITER decreuimus piscinas monasterijs, vel Ecclesiæ datas, alias quidem reddere, sed necessarias quotidiano fratrum vsui relinquere, nullas verò nisi superfluas auferre.

Quod donationes vinearum, mansionum & terrarum, in suo vigore permaneant. CAP. XVII.

Vineæ, sessiones, terræ non auferantur.

VINEÆ, mansiones, terræ, à Regibus quibuslibet datæ, perseuerent, his, quibus dabantur, & permaneant.

Quod syluæ datæ Ecclesijs non auferantur. CAP. XVIII.

Syluæ.

SYLVAS Ecclesijs datas, minimè auferri concedimus.

De terris occupatis colonorum eiectorum. CAP. XIX.

VETE-

VETERES coloni eiecti, terram non habentes alibi, ad suam reuertantur: Si tamen terra eorum data est monasterijs, vel Ecclesijs, & ipsi aliam habent, hoc inuiolabiliter ita permaneat. Coloni, qui prius serui vocati.

De successionibus possessionum collatarum à Regibus. CAPVT XX.

POSSESSIO quælibet à Sancto Stephano donata, humanæ successionis quoslibet contingat hæredes: possessio verò ab alijs Regibus data de patre descendat ad filium, qui si defuerit, succedat germanus, cuius filij, etiam post mortem illius, non exhæredentur: germanus autem prædictus si non inueniatur, Regi hæreditas deputetur. S. Steph. Regis li. 2. c. 35. And. art. 4. Fiscus.

De hæreditatibus empticijs, quemlibet hæredem concernentibus.

CAP. XXI.

HÆREDITAS empticia nulli hæredi auferatur, sed tamen eadem testimonio confirmetur. Bona empticia.

De iudicio ferri & aquæ, in quibus locis fieri possint. CAP. XXII.

IVDICIVM ferri, & aquæ, in aliqua Ecclesia fieri interdicimus, nisi in sede Episcopi, & maioribus præposituris, vt Posonij, & Nittriæ. S. Ladisl. li. 1. c. 28.

De iudice iniusto cum sigillo, vel sine sigillo citando.

CAP. XXIII.

IVDEX iniustè causam discutiens, ad Curiam Regis, cum sigillo, cogatur, sed sine sigillo, ad Synodum. Iudex iniustus citetur.

De iusto iudicio Episcoporum, ac Comitum, & † negligentia citatorum.

CAP. XXIV. † Al: contumacia.

SI quis ad conuentum Episcoporum & Comitum, venire neglexerit, iudicetur: ipsi verò, si solito more conueniant, sic subnixa cura, sicq; summa diligentia, æquè libraminis trutinam compensent: quatenus nec huius per odium innocentiam condemnent, nec illius per amicitiam culpam defendant. Iudicium æquum.

De decimis tributorum & vectigalium. CAP. XXV.

DE tributis autem & vectigalibus, sicut Comitibus tertiam partem dari decreuimus: ita decimam quoque Episcopis censemus, quibus tam noui, quàm veteris Testamenti pagina, decimas dandas esse proclamat. Incautum igitur & inconsultum est, si instituta Sanctorum præsumamus infringere, quæ summa potius deuotione debemus adimplere. Episcopis ex tributis décima dari censetur. Gene. 13.

De testibus confiteri debentibus ante attestationem.

CAP. XXVI.

SI quis in testimonium adductus, alicuius veritatem, sua nititur attestatione probare, huius testimonium sic recipi iubemus, si præsertim sit confessus peccata sua sacerdotibus: Si denique contrarium habeatur, & cautela sit veri testimonij per sacerdotem in confessione, & mendacis culpæ redemptio fiat cum possessione. Testis confiteatur, priusquam attestabitur, idē sequenti capitulo.

De falsis testibus deinceps non admittendis. CAP. XXVII.

NVLLVS audeat perhibere testimonium, nisi confessus peccata fuerit: cuiuscunque verò testimonium falsum inuenietur, eius testimonium amplius non recipiatur. Testimoniū falsum cum teste reprobatur.

De Pristaldo iudicis verberato, & de pœna verberantis.

CAP. XXVIII.

SI Pristaldus iudicis, pro causa dijudicata, ab aliquo verberabitur, verberatus ad Comitem Comitatus mittatur, & quicquid deliberatum est, totum auferatur vi iudicis. Executoris verberatio.

De idoneitate Pristaldorum, sicut & testium. CAP. XXIX.

S.e.c.26. & 27. PRISTALDOS tales esse præcipimus, quales idoneos testes fieri supra iusseramus.

De pœna Pristaldi iniquam executionem facientis. CAP. XXX.

Executio iniqua. SI Pristaldus iudicis, in legatione eius iniustè quid egerit, damnetur cum iudice iniquè ei mandante.

De pœna iudicis occasione Pristaldi secuta. CAP. XXXI.

DAMNVM à iudice per Pristaldum alicui iniustè illatum, de rebus iudicis restituatur.

De occupatoribus terrarum, & pœna eorundem. CAP. XXXII.

Occupator violentus tantū amittit de suo, quantū vi rapuit ab alio. SI quis terram alterius ad possidendum sibi vsurpauerit iniustè, cum in iudicio reus fuerit, tantūdem de propria terra perdat, insuper decem pensas persoluat.

De duplici tributo mercatorum. CAP. XXXIII.

Tributorū duplicatio. MERCATORES ad id solum vt ditescant, venalium rerum dediti studijs, pristina duplicent tributa: pauperes verò qui de mercato viuunt, solita tributa persoluant.

De distributiuis propriarum rerum, in foro emptarum. CAP. XXXIV.

S.Steph.lex. SI quis de proprijs & domesticis rebus quid in foro vendiderit, Lege Sancti Stephani tributum reddat.

De solutione hospitis accolæ. CAP. XXXV. a.

† Al: octo. SI quis hospitum accola, terram ciuium cohabitat, aut iuxta medietatem substantiæ ciuilium expeditionem faciat, aut † septem denarios soluat.

a. Sed istius Capituli altera pars intellectui meo hinc facilè patescit, vt scilicet iuxta medietatem Substantiæ ciuilium expeditionum faciat æstimam, aut quod idem sit sensus illius Capituli, quod scriptum est de non dandis 8. denarijs.

De equo donando Regi, in quolibet Comitatu. Item de expensis nunciorum per Palatinum Comitem dandis. CAP. XXXVI.

† Al: megalis. † Al: Monarchiam. QVANDO Rex, vel Dux, in Comitatum aliquem intrauerit, tunc † Regalis equus exercitualis præstetur. Qui si casu aliquo mortuus fuerit, quindecim pensæ domino equi donentur; Si verò aliquo modo, sed non vsq; ad mortem, læsus fuerit, prædicti pretij pars dimidia pro equo reddatur. Si magna fama † Marchiam intrauerit, Comes nuncios duos, equis exercitualibus quatuor, ad Regem dirigat, qui cum proprio cibo illuc peruenientes, pretium viatici sui à Palatino Comite exigant, & tantundem ad reditum suum: Si verò equi illorum mortui, seu læsi fuerint, tot pensæ, quot prædiximus, pro equis reddantur. Sed si redeant, pro vna via exercituali, deputetur.

De iudicio Megæ Regis. CAP. XXXVII.

IN quacunque Comitis Mega Rex digrediatur, ibi iudices duo megales cum eo coniungentur, qui & dissensiones populi illius, discreto examine, dirimant; & ipsi, cum clamor populi ingrauescit, à Comite Palatino, dijudicentur.

De ciue à Rege dimisso. CAP. XXXVIII.

Comes, id est, minister. † Al: vnde exijt. SI Rex fortè cuiquam Comiti, vel ministro, aliquem de ciuibus dimiserit, solus in expeditionibus pergat: Sin autem, ad populum † vbi egit, reuertatur.

De ciuibus fugitiuis, absq; licentia Regis non retinendis. CAP. XXXIX.

† Al: tenuerit. OMNIBVS interdicimus tenere quenquam de ciuibus ad fugam faciendam, absq; Regis licentia: At si quis † tentauerit, quasi legis fracturam, emendet.

Quod

Quod olim loricati, secundum exigentiam prouentuum, disponebantur. CAP. XL.

COMITES, si proprios in villis suis liberos habuerint, de quibus equos accipere, & centum pensas possint colligere, loricatum vnum Regi, de sumptu illo procurent: Si verò quadraginta pensas, militem, absque lorica educant: At si minus, suis hoc proprijs vsibus reseruent.

Militem vnū de centū pensis ad bellum producendum esse.

De seruis diuagis medio capite tondendis. CAP. XLI.

SI REX aliquem vagum seruum alicui donauerit, hic medium caput eius tondat: Quod si non fecerit, decem pensas amittat, cui si vxorem dederit, etiam illam cum eo perdat.

Serui caput dimidium tonditur, nunc hoc ad ingenuos referre posis.

De pœnis vagos, absque licentia Regis, tenentibus. CAPVT LXII.

QVICVNQVE absque licentia Regis vagum tenuerit, pensas soluat quinquaginta quinque, & si apud dominum quicquam sit furatus, Dominus à crimine iudicio purgetur, & qui fideiussor eius fuerat, illum ostendat, idemque si inculpabilis fuerit, eandem legem persoluat, quam detentor eius, & si non habet, propriam libertatem amittat.

De redemptione vagi, ab eo, qui eum apprehendit. CAP. XLIII.

CVM quis vagū apprehensum tenuerit, à domino eius vna pensa redimatur. †

† Al: ab eo, qui eum apprehendit, quinq; pensis redimatur.

De pœna vendentium vagos seruos, & etiam ementium. CAPVT XLIV.

SI quis vagum, quem tenet, aut alicui donarit, vendiderit, decē pensas persoluat, & totidem emptor illius. Vbicunq; equites, emptores, viatores venerint † & valuerint, non minoris tantum capecium comparent: Qui verò minoris precij acceperit, aut qui maioris fecerit, quinquaginta quinque pensas persoluat.

† Al: id est, si voluerint.

De exemptione liberorum à solutione octo denariorum. CAPVT XLV.

DENARII octo, qui de liberis singulis colligebantur, à modo non accipiantur. De ciuilibus hebdomadarijs octo denarios præcipimus colligi, inter quos scilicet, si quis liber non à Rege, sed ab ipsis ciuibus: Si autem liberi, qui Regi per fines eorum transmigranti, equos, currus subductorios, & seruitia stipendiaria suppeditabant, quatuor denarios persoluant: Similiter & liberi, qui cum eis cohabitare consenserint, † aut exeant.

† Al: antea exeant.

De accusatione Ismaëlitarum, secundum sectas suas, viuentium. CAPVT XLVI.

SI quis Ismaëlitas in ieiunio seu comestione, porcinæq; carnis abstinentia, vel in ablutione, vel in quolibet suæ sectæ facinore deprehenderit, Ismaëlitæ Regi deputentur: Qui verò eos accusabat de substantia eorum partem accipiat.

Ismaëlitæ Saraceni.

De Ecclesijs Ismaëlitarum, & de dotibus earundem. CAP. XLVII.

VNICVIQVE villæ Ismaëlitarum Ecclesiam ædificare, de eademq; villa dotem dare præcipimus, quæ postquam ædificata fuerit, media pars villæ Ismaëlitarū emigret, sicq; aut extrinsecus sedeant, aut quasi vnius moris in domo: Mater autem nobiscum vna eademq; Christi Ecclesia indiuidua vnanimiter consistat.

De matrimonio Ismaëlitarum CAP. XLVIII.

Ismaëlitarum verò nullus audeat filiam suam iungere matrimonio alicuius de gente sua sed nostra.

De esu carnium porcinarum per Ismaëlitas. CAP. XLIX.

SI quis Ismaëlitarum hospites habuerit, vel aliquem in conuiuium † rogauerit, tam ipse, quàm conuiuæ eius, de porcina tantum carne vescantur.

† Al: vocauerit.

De pœnis homicidas retinentium, nec non paricidis, & alijs. CAPVT L.

SI

Si quis homicida apud Comitem, vel quemlibet inueniatur, per nuncium Episcopi ad pœnitentiam quæratur, quem si mittere renuerit, eadem cum homicida sententia feratur. Parricida & cætera quæ prætitulauimus homicidia, Episcoporum censuris vocare decreuimus, qui iuxta qualitatem facinorum & personarum, prout ipsis visum fuerit, canonicè huiusmodi facinus deliberent. Simplicia verò huiusmodi homicidia Archidiacono & Iudice seculari iudicentur, de quibus & ipsi nonam & decimam partem inter se dispartiant.

De furibus quarta die & modo ad iudicium statuendis.

CAP. LI.

Et in S. Lad. lib. 3. c. 9. Fvr captus per triduum ligatus, sine manuum secatione & ignis concrematione teneatur, quarta autem die ad iudicem ducatur. Fur quando ducitur à Pristaldo domini sui, si vna tantum ibi familia sit, in die vnus cum fure eat, qui si ire noluerit, iudex iudicare non formidet. Si verò ibi nulla familia fuerit, ad viciniorem † domini locum iudex ligatum dirigat. Lege autem fur iudicetur.

† Al: domus suæ.

De pœna cuiuspiam aliquem iniustè capientis. CAP. LII.

Si fur ductus in iudicio saluus apparuerit, captor eius iudicetur sententia, sed non aboculetur.

De pœna capientis, si fur falsus euaserit. CAP. LIII.

Si furi capto, furtum proponi non possit, detur iudicium, in quo si saluus appareat, captor illius † priuetur substantia, quantum ipse fur dictus habere dinoscitur, non autem aboculetur.

† Al: puniatur.

De furto viginti denariorum. CAP. LIV.

Si quis furatus fuerit quadrupes animal, vel precium eius, aut vestimentum precij viginti denariorum furetur, vt fur iudicetur.

De pœna capientium aliquem ex sola suspicione. CAP. LV.

Si quis sola suspicione furem ceperit, vt fur culpabilis in iudicio iudicetur.

De furis supplicio, vxorem & filijs furum. CAP. LVI.

Fvr inuentus in iudicio culpabilis, aboculetur, & vxor furis, quæ particeps est sceleris mariti, meritò seruituti mancipetur: filij quoq; eorum quindecim annorū, & vltra, matris pœnam sortiantur: qui verò infra quindecim annos fuerint, impunè dimittantur.

De strigis. CAPVT LVII.

De Strigis verò, quæ non sunt, nulla quæstio fiat.

De mulieribus partum suum necantibus. CAP. LVIII.

Mvlieres partum suum necantes, Archidiacono allatæ, pœnitentiam agant.

De raptu mulierum. CAP. LIX.

Raptvs mulierum Episcopus, seu Archidiaconus, dijudicet.

De maleficis. CAPVT LX.

Malefici per nuncium Archidiaconi & Comitis inuenti, iudicentur.

De adulteris. CAPVT LXI.

Advlteri Episcopo, vel Archidiacono adducti, debitis pœnarum iudicijs deputentur.

De amissione equi in villa, vbi Rex fuerit. CAPVT LXII.

Si in villa, qua Rex fuerit, equus perdatur, nullus de villa illa emendet, sed si circa partes illas, vbi in villa latrocinium fuerit, hi ligentur.

De amissione equorum itinerantium. CAPVT LXIII.

Si e-

Si equites viatores in villa iacuerint,& equos perdiderint, à villanis hæc emendentur: Si verò extra villam,nullus de villa persoluat.

De tempore discussionis querimoniarum. CAP. LXIIII.

QVI in tribus † concilijs causam suam legaliter diffinire noluerit, eius querimoniæ amplius non audiantur. † Al: sconcilijs. In tribus terminis causę finiantur.

De Comitibus & militibus potestatem Ecclesiæ sibi vendicantibus.

CAPVT LXV.

NVLLVS Comitum, vel militum in Ecclesia præsumat sibi vendicare potestatem,præter solum Episcopum. Episcoporũ iurisdictio i Ecclesias.

De personis Ecclesiasticis decimas persoluentibus. CAP. LXVI.

PRESBYTERI, & Abbates,seu cuiuslibet personæ dignitatis,Ecclesiæ decimationem persoluant,in cuius territorio agriculturam exercent, aut vindemiant. S. Steph. lib. 2. cap. 2.

De bigamis presbyteris. CAP. LXVII.

BIGAMI & viduarum,vel repudiatarum mariti à coniugijs cessent illicitis,vel à cleri excludantur consortijs.

De celebrationibus Missarum. CAPVT LXVIII.

MISSA non celebretur,nisi consecratis in locis, nisi causa necessitatis aliqua existente,& tunc in tentorio,siue alio mundo loco: sed viæ tantum ac itineri hæc vacet necessitas,non venationi,nec sine tabula itineraria. Decret. Ladisl. c. 29. lib. 2. Altare viaticum.

De reliquijs Sanctorum. CAP. LXIX.

RELIQVIÆ Sanctorum per viam non portentur, nisi à bono & religioso Clerico.

De vestibus Clericorum. CAP. LXX.

NVLLVS, qui Clericus æstimatur,vestibus vtatur laicalibus, vtpote fisso pellicio, vel tunica sparsa,manica rubra,strangula,vel viridi chlamide,caliga seu ioppa, calceo picto,vel sericata camisia quoq; & tunica, & serico in pectore non consuantur,sed nodis vel fibulis collum amplectentur. Nunc Prophana indumenta simul cũ moribus Clerus assumit.

De quatuor temporibus. CAPVT LXXI.

QVATVOR tempora in suis, vt hactenus mos fuit,locis celebrentur.

De officio Sanctæ Trinitatis. CAP. LXXII.

OFFICIVM de Sancta Trinitate, post octauas Pentecostes,celebretur.

De Sepulturis Christianorum. CAP. LXXIII.

SEPVLTVRA Christianorum,non nisi in atrijs Ecclesiarum,fiat.

De Iudæis Christianum mancipium ementibus. CAPVT LXXIV.

NVLLVS Iudæus Christianum mancipium emere, vel vendere audeat, aut in suo seruitio tenere sinatur. Nunc verò qui habet, si infra datis sibi indicijs non † vendat, amittat. † Al: vendiderit.

De agricultura Iudæorum, possessionibus & mansionibus eorundem.

CAP. LXXV.

AGRICVLTVRAM autem si quis eorum habet † pugnis hanc mancipijs † exornet. Possessiones quidem Iudæi, qui possunt emere, habeant, sed ipsi nusquam, nisi vbi sedes Episcopalis, remanere sinantur. † Al: paganis. † Al: exerceat.

De pœna incolarum alienigenis equum Vngaricum ementium.

CAP. LXXVI.

NVLLVS habitantium in Vngaria,adiacentibus Vngariæ regionibus,Vngaricum equum emere audeat: Quod si quis emeret, ac vt alium furatus sit, sibi imposi-

impositum fuerit, infra Vngariam & vsq; ad fines Vngariæ tantum causam suæ excusationis, protendere ei liceat. Cum verò equi venditorem, in extranea voluerit quærere patria, non illi illuc ire permittatur, sed ferri iudicium portet: si reus apparuerit, pro fure iudicetur: si mundus, non vt fur teneatur, sed pretio, quo emerat, solummodò careat.

Ferri iudicium, de quo supra Ladis. lib. 1. c. 28.

Quales serui possunt vendi extra Vngariam, & similiter qualia animalia, & de pœna transgredientium. CAP. LXXVII.

NEMO seruum in genere Vngarorum, vel quemlibet in Vngaria natum, etiam alienigenā, nec ancillam, exceptis linguæ alterius seruis, qui ab alijs ducti sunt Regionibus, vendat, Nec aliud animal, præter boues masculos, extra Vngariam, vel vendere, vel ducere audeat. Quod si qui Comitum infringeret, aut honore suo priuetur, aut duas rerum suarum partes amittat, tertia verò substantiæ portio, vxori atq; hæredibus suis remaneat.

De tributis, inter Regem & Comitem, diuidendis. CAPVT LXXVIII.

QVISQVE Comitum, in Comitatu suo, tertiam vbiq; partem habeat de tributo: Rex verò ad plenum, de tributo omnium, similiter duas partes habeat.

De pecunijs per Comites in vnoquoque centuriatu colligendis, & Strigonium importandis. CAPVT LXXIX.

SINGVLI Comites, per quemcunq; suorum voluerint, denarios, qui per vniuersas Vngariæ partes colliguntur, quantum super vnoquoq; centuriatu fuerit collectum, nominatim sub certo scribentes numero, Strigonium, vsq; festum Sancti Michaelis mittant, neq; prius Regij Comites, vel Cēturiones partem accipiant, sed in eodem loco, videlicet Strigonij, fiat omnium partium diuisio. Si quis autem vsque ad tempus præsignatum nummos illos cum pleno illuc numero non attulerit, dupliciter reddat.

De liberis hospitibus Slauis in terris aliorum laborantibus. CAPVT LXXX.

LIBERI quoq; hospites, sicut Slaui, vel cæteri extranei, qui in terris laborant aliorum, pro libertate tantùm denarios dent, non alios etiam denarios insuper pro opere aliquo dare cogantur.

Slaui hospites liberi in Pannonia.

De solutione Castellanorum CAPVT LXXXI.

DE Castellanis autem, tàm pro opere, quàm pro libertate, denarij accipiantur.

Id est, ad castella pertinentium.

Quod nemo sine sigillis † Tributariorum extra Vngariam ire audeat. CAPVT LXXXII.

† Al: Teloniatorum.

EGRESSVRI de Vngaria à Thelonearijs, tàm Regis, quàm Comitis, qui exitùs tenent, sigillum quærant pro Thelonearijs, quod Thelonearius Regis ab vna parte cum sigillo comprimat, ab alterea parte Thelonearius figuram Comitis sui, Si quis absque tali sigillo tentauerit egredi, vt legis præuaricator, vnam pensam soluat.

De pœna falsorum testimoniorum. CAP. LXXXIII.

SI quispiam falsum testimonium alicui imposuerit, id est, de eo pluribus ex villis, siue rixæ, vel odij causa attestantibus, ferreo probetur iudicio, ac si mundus fuerit, impositor culpæ, decem pensas soluat. Quod si reus erit, siue quidem res eius permaneant, sed ad modū crucis ferro in genis excoquatur, vt amplius testimonium eius refutetur.

Iudicio ferri purgetur, qui testimonio falso cōuictus est.
† Al: non reputetur.

De furibus ad Ecclesiam fugientibus. CAP. LXXXIIII.

SI quis

Si quis autem de furto accusatus ad Ecclesiam fugerit, non illicò teneri pro fure culpabili eum iudicamus: sed iudex cum Presbytero Ecclesiæ ipsius eum interroget, vtrum culpabilis sit, nec ne: Et si reum se esse fatebitur, pro Ecclesia de obcæcatione oculorum, seu aliorum † detrimentatione membrorum, liberetur: Si verò se non esse furem dixerit, excusandi se potestas ei non negetur; sed non de periculis supradictis eum Ecclesia liberabit, si reus postea esse probabitur. Item si quis fur esse ab aliquo accusabitur, furti signo apud ipsum reperto, vel comprobato, quod pro tali causa aliquid villæ restaurauerit, vnde de villis alijs plures eum criminabuntur.

Fur in Ecclesiam fugiens lenius puniatur.

† Al: detrūcatione.

Explicit liber primus Decretorum Colomani Regis.

COLOMANI REGIS DECRETORVM LIBER SECVNDVS.

De Iudæis. Capvt I.

Colomanvs, etc. Hanc legem dedit Iudæis in Regno suo commorantibus, vt nullus Iudæus deinceps præsumat Christianum mancipium, cuiuscunque linguæ, vel nationis, emere, vel vendere, aut in seruitio suo retinere. Et si quis hoc decretum transgrediatur, damnum Christiani mancipij apud eum inuenti patiatur.

Iudæus Christianum mācipium non teneat.

De mutuis Christianorum & Iudæorum. Capvt II.

Si Christianvs Iudæo, aut Iudæus Christiano duarum, vel trium personarū pretium accommodare voluerit, mutuator à mutuante vadimonium recipiat, & testes Christiani, ac Iudæi in testimonium assumantur, vt si fortè alter alteri quod mutuauerit denegauerit, vadimonio tamen & testimonio vtriusque comprobetur. Si autem vltra tres personas alter alteri quicquam accommodauerit vadimonium & testes, vt prædictum est, assumant, & quantitatem pecuniæ, ac nomina testium in chartulam scribere, ac sigillo vtriusque mutuatoris scilicet & mutuantis, sigillari faciant: vt si quando alter alteri in hac re vim inferre voluerit, scripto, aut sigillo vtriusq; veritas comprobetur.

Vadimoniū, id est, securitas, pignus.

De emptionibus & venditionibus Christianorum & Iudæorum. Capvt III.

Si Ivdævs à Christiano, aut Christianus à Iudæo aliquid emere voluerit, coram idoneis testibus Christianis & Iudæis rem venalem emat, eamque rem & nomina testium in chartula scribere faciat: & chartulam illam cum sigillo vtriusque, venditoris scilicet & emptoris, insignitam, apud se custodiat: vt si in hac emptione furti reus aliquando arguatur, dominum rei furtiuæ, quæ apud se recognita est, & testes prænominatos producat, & liberetur. Si autem dominum furtiuæ rei, & recognitæ producere non poterit, chartulam verò sigillatam ostenderit, iuramēto testium inscriptorum purgatus euadat. Si autem testes Christianos non habuerit, & Iudæos idoneos produxerit, iuramento eorum, secundum legem Iudæorum, purgatus, furti compositionem quadruplo persoluat. Quod si nec dominum recognitæ rei inuenerit, nec chartulam sigillatam produxerit, more patriæ dijudicetur, tunc compositionem furti duodecies persoluat.

Furtiuæ rei emptæ, vel venditæ examen.

De degradatione bigamorum. Cap. IV.

S. c lib. 1. c. 67.

Si quis bigamus Presbyter, propter vxorem, diuinum officium reliquerit, omni Ecclesiastica dignitate priuetur, & inter Laicos deputetur.

Presbyter bigamus deponatur.

De decimis populorum, & seruorum denarijs. CAP. V.

Decimę omnium ab omnibus soluantur.

DECRETVM est in sancta Synodo ab omnibus, vt Episcopis populus Sanctæ Ecclesiæ decimas omnium, quæ possident: Serui verò, Ecclesiæ parochiano presbytero, tres denarios impendant.

De notis infidelitatis. CAP. VI.

S. Steph. li. 2. c. 51.

Ex autoritate Apostoli, pro Regis nostri salute, & Regni eius stabilitate, in omnibus quotidie Ecclesijs orandum censemus, & distinctè præcipimus, vt si quis contra Regis salutem, aut dignitatem quolibet modo aliquid conspirauerit, aut cōspirare tentauerit, seu tentari sciens consenserit, anathematizetur, & omnium fidelium communione priuetur: vt si quis huiusmodi aliquem nouerit, & probare valens non indicauerit, prædictæ damnationi subiaceat.

De mulieribus fugientibus à viris suis. CAP. VII.

SI qua mulier à virò suo fugerit, reddatur ei, & quoties fugerit, restituatur ei: Quia scriptum est: Quos DEVS coniunxit homo non separet.

De mulieribus adulteris. CAP. VIII.

Diuorcio, inter virū & vxorē facto, vterq; innuptus permaneat.

SI quis vxorem suam, coram legibus, adulteram probauerit, ipsa pœnitentiæ subiaceat, & postea, si voluerit, reconcilietur: aliter innupti permaneant.

Bigami Presbyteri beneficijs priuentur. CAP. IX.

Ad sacerdotium promouendi, continentiā voueant.

† Al: nouerit.

VT clerici bigami, & viduarum, aut repudiatarum mariti, temporalibus Ecclesiæ beneficijs, & cunctis dignitatibus ecclesiasticis priuentur. Nullus Episcopus aliquem promoueat clericorum ad Diaconatum, & vltra, nisi prius continentiam† nouerit, & si vxorem habuerit, ex eius fiat consensu idem promittentis.

De seruitio coniugatorum presbyterorum. CAPVT. X.

Coniugatus sacerdos nisi uxore continentiam uouente, castus altari seruiat. S. Steph. lib. 2. c. 2.

NVLLVS coniugatus presbyter, aut diaconus altari deseruiat, nisi prius vxore concedente, & continentiam vouente, locum separatum, & necessaria vitæ temporalis ei prouideat, vt secundum Apostolum, vxorem habens non habentem se esse intelligat.

Vt nullus laicus potestatem habeat Ecclesia. CAP. XI.

NVLLVS laicus potestatem Ecclesiæ habeat.

De clericis concubinarijs. CAPVT XII.

Concubina sacerdoti auferatur.

SI presbyter altari deseruiens, concubinam habuerit, illa auferatur: ipse verò iuxta præceptum Episcopi, fructu peracto pœnitentiæ, ad administrandum altari restituatur, & Ecclesiæ: vt à villa, in qua est Ecclesia, ab Ecclesia longius non recedat: quod si recesserit, decem pensas persoluat, & redeat.

De venditionibus in diebus festis. CAP. XIII.

In festo die vendentis pœna.

SI quis in die festo vendiderit, precium acceptum quadruplo restituat, ipse verò pœnitentiæ subiaceat.

De non celebrantibus festiuitates. CAP. XIV.

Liberi & serui festa non celebrantis pœna:

SI quis descriptas festiuitates non celebrauerit, sic iudicetur in eum, vt si liber est, tribus diebus pœniteat: Si seruus, septem plagis multetur.

De desponsatione coniugali in facie Ecclesiæ fienda. CAPVT XV.

Copulationes desponsatorū in Ecclesia fiant.

DE desponsatione coniugali placuit Sanctæ Synodo, vt omnis coniugalis desponsatio, in conspectu Ecclesiæ, præsente sacerdote, coram idoneis testibus, aliquo signo subarrationis, & consensu vtriusque fieret: aliter non coniugium, sed opus fornicationis reputetur.

Finis Colomani Regis Decretorum.

STE-

0 STEPHANVS *secundus, Colomano patri admodum puer suffectus, annis ferè octo alterius arbitrio Regnum gubernauit, in libertatem assertus, more patris nimium sibi arrogat, eius crudelitatem superare conatus. Vastauit Boëmiam tunc Ducatum: Coërcuit Polonos, & Ruthenos: Mysos, Thraces, Macedonas immaniter infestauit: Imperatorem Græcorum Emanuelem, multis conuicijs, quòd sibi aperto Marte occurrere nollet, prescidit, quem paulò post in se & Regnum satis asperum expertus est. Hic tamen Græcis, & Mysis adeò formidolosus habitus, vt ad mentionem eius vagientes infantes, præ timore, conticescere dicerentur: Regnauit annis duo de viginti. Tandem anno Millesimo, Centesimo, trigesimo primo, ventris profluuio vita decessit, & Varadini sepultus est.* Seruantur eius priuilegia.

1 BELA *secundus Cæcus cognomine, Almi Ducis Cæci filius, quos Colomanus oculis priuauit, vt Regno potiendo ineptos redderet: Stephanus denique vt calamitati calamitatem adderet, Regno expulerat. Almus ab Imperatore Emanuele liberalissimè acceptus, tandem in Macedoniæ Constantia, Ciuitate ab ipso extructa, moritur: Bela hoc, per quosdam Regni Proceres reuocato, & in occulto, declinandæ crudelitatis Regiæ causa, in Regno asseruato. Quem opportunè detectum, Stephanus in filium adoptat, & in Regni successorem Optimatibus commendat. Fuit hic optimus Princeps, pacis amans, CVIVS hæc fuerunt dicta.* Disce pati, & humana contemnere. Et nemo scit frui bonis, qui nunquã mala fuerit expertus. *Ex Helena Vri Macedonis filia quatuor liberos indolis optimæ, Geysam, Ladislaum, Stephanum & Almum, suscepit. Regnauit post Stephanum annos nouem, menses vndecim. Naturæ necessitati hydrope cessit, Anno salutis Millesimo, Centesimo, Quadragesimo primo.* Priuilegia eius seruantur.

2 GETSA *secundus, patre Bela è viuis sublato, vti primogenitus admodum adolescens, ad Regni fastigium, tanquam à DEO datus, effertur & rapitur, Et vix annus præterijt, cum Henricum Ducem Austriæ iniquo bello, externis auxilijs sibi comparatis secum decertantem, magnanimè superauit, fudit, fugauitq́. Hinc, Nitrienſem Ecclesiam è collegiata, Cathedralem, dote auctiori facta, constituit, delecto ad Episcopi munus Eduardo primo Ecclesiæ Antistite. Cæterum quoq; Regio munere ritè perfunctus est, ac Stephanum, Belam, Arpad, & Geysam filios relinquens, annis viginti, mensibus tribus, regnasse fertur, & quod pulchrum est, incolumi fama, & integra Regni potestate, moritur vltima die Maij, Anno Salutis Millesimo, Centesimo, Sexagesimo primo.* Priuilegijs eius sempiternè in Iudicijs locus est.

3 STEPHANVS *tertius, Geysæ in Regno patri succedit, Venetorum hostis acerrimus, tamen patruorum Ladislai, & Stephani in se, qui coronam & Regnum tantisper vsurpare ausi sunt, iniqui animi prope tolerantissimus. Regnauit, interrupto quidem per patruos regimine, annis vndecim, mensibus nouem. Obijt die quarta Martij, Anno Millesimo, Centesimo, Septuagesimo tertio.* Priuilegia eius seruantur.

4 LADISLAVS *secundus interrex Belæ Cæci, viuente Stephano tertio, sublata furto corona, & comparato apud Optimates quosdam fauore, Regni imperio sex mensibus potitur. Mortuus anno Domini Millesimo, Centesimo, Septuagesimo secundo: Albæ sepultus.* Huius priuilegia nulla seruantur.

5 STEPHANVS *quartus interrex Belæ cæci filius, mortuo Ladislao fratre, vsus ijsdem suffragatoribus, quibus germanus frater, viuente legitimo Rege Stephano tertio, nepote ex fratre suo, vsurpata Regni potestate, quinq; non amplius mensibus ea frui, vix concessum sibi, cum decima tertia Aprilis die, Anno* Saluatoris, *Millesimo, Centesimo, Septuagesimo tertio, fato concedit: Vtrunq; patruum, quorum iniquos animos in se expertus est, Rex Stephanus, præ se vita excessisse, vindice DEO gauisus est.* Non seruantur huius priuilegia.

6 BELA *tertius, Stephani tertij frater, Geysæ item secundi filius: post Stephanum Imperio Vngarico potitur, optimum Principem egit in latrocinijs summouendis. Hic processum iudiciarium introduxit, per libellos supplices, vt maturius negocia expenderet, & iudicia distinctius discerneret, enunciaretq́; seruata grauitate adiri voluit. Regnum ex omni parte stre-*

te strenuè tutatus est, superstitibus filijs Emerico & Andrea, Regni sui anno vigesimo tertio, mense vno, è viuis excessit, Anno verò Domini Millesimo, Centesimo, Nonagesimo sexto. Sepultus in Alba Regali. Huius quoque valida sunt priuilegia.

EMERICVS *Belæ tertij filius in Regnum surrogatur, qui cum Andrea fratre suo postea Rege Hierosolimitano dicto, de Imperio decertans, euasit victor, genuit filium Ladislaum: Deinde cum regnasset annis octo, mensibus septem, è viuis decessit, anno Domini Millesimo Ducentesimo Agriæ sepultus.* Huius quoq; priuilegia seruantur: 17

LADISLAVS *tertius, secundum Emerici parentis sui obitum, mensibus sex, diebus quinq; ritè Regiam dignitatem consecutus regnauit: Sic immaturo fato decessit, Anno Millesimo Ducentesimo primo.* Priuilegia eius, si quæ extarent, seruarentur. 18

HI REGES NVLLA DECRETA EDIDERVNT.

ANDREÆ II. REGIS HIEROSOLIMITANI DECRETVM, ANNO NATIVITATIS CHRISTI. M. CC. XXII. EDITVM.

ANDREAS *secundus Hierosolimitanus, frater Emerici, filius Belæ tertij, successit in Regnum, regnauit annis triginta, genuit filios de prima vxore; Belam, Colomanum, Andream, & Sanctam Elizabeth, De secunda verò vxore, filia Marchionis Esthensis, Stephanum, patrem Andreæ tertij, suscepit. Hic Rex secundum S. Stephani Regis leges, magna libertatis prærogatiua status & ordines Regni beauit, libertatibus ipsis in formam decreti reductis. Quamuis enim regnante Stephano, & ipsum sequentibus Regibus, multi fuerunt in hoc Regno Nobiles, conditionaria tamen quadam seruitute, collectarumq; ex parte colonorum suorum solutione, Regibus obnoxij erant, à qua primum per hunc Andream Regem, ipsi Nobiles, qui tunc seruientes dicebantur, exempti sunt, atque omnimoda libertate donati. Proinde cuncti Reges Vngariæ, vsque in præsens tempus, priusquam Sacro Regni diademate insigniantur, super obseruando Decreto & constitutionibus eiusdem Andreæ Regis, Prælatis, Baronibus, Magnatibus, Proceribusq; & Nobilibus Regni huius, iuramentum præstare consueuerunt.* 19 Istius ergò Regis literæ, cunctaque priuilegia valent, & semper obseruantur. *Mortuus est anno Domini Millesimo, Ducentesimo, Trigesimo quinto. Sepultus in Cænobio Egres.*

ANDREÆ SECVNDI REGIS HIEROSOLIMITANI DICTI, DECRETVM.

IN NOMINE S. Trinitatis, & indiuiduæ vnitatis. ANDREAS DEI gratia, Vngariæ, Dalmaciæ, Croatiæ, Ramæ, Seruiæ, Galliciæ, Lodomeriæque Rex, in perpetuum. Quoniam libertas tam Nobilium Regni nostri, quàm etiam aliorum instituta, à Sancto Stephano Rege, per aliquorum Regum potentiam, vlciscentium aliquando iram propriam, aliquando etiam attendentium consilia falsa hominum iniquorum, vel sectantium propria lucra, fuerunt in quamplurimis partibus diminuta. Multocies ipsi Nobiles nostri, Serenitatem nostram, & prædecessorum nostrorum Regum suorum aures, precibus, & instantijs multis pulsauerunt, super reformatione Regni nostri. Nos igitur eorum petitioni satisfacere cupientes, in omnibus, vti tenemur, præsertim quia inter nos, & eos, occasione hac iam sæpius ad amaritudines non modicas est processum: quod vt Regia honorificentia plenius conseruetur, conuenit euitare: (hoc enim per nullos alios melius fit, quàm per eos) concedimus tàm eis, quàm alijs hominibus Regni nostri libertatem, à Sancto Rege concessam, ac alia ad statum Regni nostri reformandum pertinentia salubriter ordinamus, in hunc modum,

Libertas à S. Stephano Rege instituta.

S. Regis Stephani libertas conceditur.

De so-

De solennitate Sancti Regis Stephani annuatim celebranda. ART. I.

STATVIMVS vt annuatim in festo Sancti Regis, nisi arduo negotio ingruente, vel infirmitate fuerimus prohibiti, Albæ teneamur solennizare: & si nos interesse non poterimus, Palatinus proculdubio ibi erit pro nobis, & vice nostra causas audiet, & omnes seruientes, qui voluerint, liberè illic conueniant. Festũ S. Regis Steph. in Alba Regia solennizetur.

Quòd nemo condemnetur, nisi fuerit citatus. ART. II.

VOLVMVS etiam, quòd nec nos, nec posteri nostri, aliquo tempore seruientes capiant, vel destruant, fauore alicuius potentis, nisi primò citati fuerint, & ordine iudiciario conuicti. Nobiles nisi conuicti capi possunt.

Ex S. Steph. lib. 2. c. 53. 54. Supple. Matthiæ Ann. 1471. art. 2. Sigism. ann. 1435. art. 8.

De libertate prædiorum seruientium, atq; Ecclesiarum. ART. III.

ITEM, nullam collectam, nec † libras denariorum colligi faciemus supra prædia seruientium: nec in domos, nec villas descendemus, nisi vocati. Super populos etiam Ecclesiarum ipsarum nullam penitus collectam faciemus. † Al: liberos denarios. Ex S. Steph. lib. 2. c. 35.

De facultate seruientium disponendi de rebus & possessionibus suis. ART. IV.

SI quis seruiens sine filio decesserit, quartam partem possessionis filia obtineat: de residuo, sicut ipse voluerit, disponat, & si morte præuentus disponere non poterit, propinqui sui, qui eum magis contingunt obtineant: Et si nullam penitus generationem habuerit, REX obtinebit. S. Steph. lib. 2. c. 5 & c. 24. sub fine & c. l. c. 35.

De facultate Comitum parochialium & Bilochis Regalibus. ART. V.

COMITES parochiani prædia seruientium non discutiant, nisi causas monetarum & decimarum: Comites Curiæ parochiani nullum penitus discutiant, nisi populos sui castri, Fures & latrones, Bilochi Regales discutiant, ad pedes tamen ipsius Comitis. Comitũ iurisdictio Bilochi, id est, Iudices Nobilium.

De populis coniuratis, quod fures non nominentur. ART. VI.

ITEM populi coniurati in vnum, fures nominare non possint, sicut cõsueuerant.

De exercitu extra Regnum ducendo per Regem. ART. VII.

SI autem Rex extra Regnum exercitum ducere voluerit, seruientes cum ipso ire non teneantur, nisi pro pecunia ipsius: Et post reuersionem iudicium exercitus super eos non recipiat. Si verò ex aduersa parte exercitus venerit super Regnum, omnes vniuersaliter ire teneantur. ITEM si extra Regnum exercitum ducere voluerimus, & cum exercitu iuerimus, omnes qui Comitatus habent pro pecunia nostra nobiscum ire teneantur. Exercituandi modus. Comites, id est, Curiales & Stipendia merentes, etiam extra Regnum cũ Rege in bellum ire tenentur.

De auctoritate Palatini, & de Vicarijs Iudicum. ART. VIII.

PALATINVS omnes homines Regni nostri indifferenter discutiat: Sed causam Nobilium, quæ ad perditionem capitis, vel ad destructionem possessionum pertinet, sine conscientia Regis terminare non possit. Iudices verò Vicarios non habeant, nisi vnum in Curia sua. Palatinus quales causas iudicare non potest. Vicegerens vnius Iudicis sit vnus.

De facultate Comitis Curialis. ART. IX.

CVRIALIS Comes noster, donec in Curia manserit, omnes possit iudicare, & causam in Curia inchoatam, vbique terminare. Sed manens in prædio suo Prætaldum dare non possit, nec partes facere citari. Iudex Curiæ in Curia iudicet.

De remuneratione filiorum Baronum, in bello occumbentium. ART. X.

SI quis Iobagio habens honorem, in exercitu fuerit mortuus, eius filius, vel frater, Iobagio, id est, Baro.

frater, congruo honore sit donandus. Et si seruiens eodem modo fuerit mortuus, eius filius, sicut Regi videbitur, donetur.

Externi quo modo ad dignitates promouendi.

Hospites, seu alienigenæ ad dignitates qui modo promoueantur. ART. XI:

SI hospites, videlicet boni homines, ad Regnum venerint, sine consilio Regni, ad dignitates non promoueantur.

Dotibus vxores non fraudentur. S. Steph. lib. 2. c. 24.

De dotibus vxorum quomodocunque decedentium. ART. XII.

VXORES decedentium, vel damnatorum ad mortem per sententiam, vel in duello succumbentium, vel ex quacunque alia causa, non fraudentur dote sua. Dos hic ponitur pro contradote.

Quod rustici per potentiores non opprimantur, nec alij pauperes. ART. XIII.

IOBAGIONES ita sequantur Curiam, vel quocunque proficiscuntur, vt pauperes per eos non opprimantur, nec spolientur.

De Comite castri sui populos destruente. ART. XIV.

Comes Comitatus sui populos nō vastet.

ITEM, si quis Comes honorificè se iuxta Comitatus sui qualitatem non habuerit, vel destruxerit populos castri sui, conuictus super hoc, coram omni Regno dignitate sua turpiter spolietur, cum restitutione ablatorum.

De agazonibus, caniferis & falconarijs. ART. XV.

AGAZONES, caniferi & falconarij, non præsumant descendere in villis seruientium.

Quod integri Comitatus honores, in perpetuum non conferantur. ART. XVI.

INTEGROS Comitatus, vel dignitates quascunque in prædia, seu possessiones non conferemus perpetuò.

Quod possessionibus acquisitis, nemo priuetur. ART. XVII.

S. Steph. lib. 2. c. 36. & c. 37. & Coloman. lib. 1. c. 20.

POSSESSIONIBVS etiam quas quis iusto seruitio obtinuerit, aliquo tempore non priuetur.

De facultate seruientium eundi ad filium, & de causis coram filio Regis inchoatis. ART. XVIII.

ITEM seruiuntes, accepta licentia à nobis, possint liberè ire ad filium nostrum, vt à maiore ad minorem, nec ideo possessiones eorum destruantur. Aliquem iusto iudicio filij nostri condemnatum, vel causam inchoatam coram ipso, priusquam terminetur coram eodem, non recipiemus, nec è conuerso, filius noster.

De libertate rusticorum, & hospitum. ART. XIX.

IOBAGIONES castrorum teneantur, secundum libertatem à Sancto Rege Stephano institutam: Similiter & hospites, cuiuscunque nationis, secundum libertatem ab initio eis concessam, teneantur.

De decimis. ART. XX.

DECIMÆ argento non redimantur, sed sicut terra protulerit, vinum vel segetes, persoluantur: Et si Episcopi contradixerint, non iuuabimus ipsos.

S. Steph. lib. 2. c. 52.

Quòd Episcopi non dent decimas equis Regalibus, nec populi eorundem decimas importent ad prædia Regalia. ART. XXI.

EPISCOPI super prædia seruientium, equis nostris decimas non dent, nec ad prædia Regalia populi eorundem, decimas suas apportare teneantur.

De porcis Regalibus. ART. XXII.

ITEM porci nostri in syluis, vel pratis seruientium non pascantur, contra voluntatem eorum.

De noua moneta. ART. XXIII.

ITEM

ITEM noua nostra moneta per annum obseruetur, à Pascha vsque ad Pascha, & denarij tales sint, quales fuerunt tempore Regis Belæ. Moneta. Bela primus.

Quòd Ismaëlitæ & Iudæi non teneant officiolatus. ART. XXIV.

COMITES Camerarij monetarum, Salinarij & tributarij Nobiles Regni nostri sint: Ismaëlitæ & Iudæi fieri non possint. Officia.

De Salibus. ART. XXV.

ITEM sales in medio Regni non teneantur, nisi tantum in Zabolch, & Regecz, & confinijs Sal.

De possessionibus non conferendis extra Regnum. ART. XXVI.

ITEM possessiones extra Regnum non conferantur: Si sunt aliquæ collatæ, vel venditæ, populo Regni ad redimendum reddantur. Externis bona non conferātur.

De mardurinis soluendis. ART. XXVII.

MARDVRINÆ, iuxta consuetudinem à Colomano Rege constitutam, soluantur. Mardurinæ. Colomanus Rex.

De conuictis in iudicio non defendendis. ART. XXVIII.

SI quis ordine iudiciario fuerit condemnatus, nullus potentum possit eum defendere. Conuictum iure, nemo defendat.

De prouentibus Comitis & Regalibus. ART. XXIX.

COMITES iure Comitatus sui tantùm fruantur: cætera ad Regem pertinentia, scilicet cibriones, tributa, boues, & duas partes Castrorum, Rex obtineat. Cibriones.

Quod præter Palatinum, Banum & Curiales, Comites Regis & Reginæ, nullus duas dignitates teneat. ART. XXX.

ITEM, præter hos quatuor Iobagiones, scilicet, Palatinum, Banum, Comites, Curiales Regis & Reginæ, duas dignitates nullus teneat. Iobagiones, id est, Barones.

Quod articuli præmissi scripto & sigillo aureo roborentur; & ad diuersa loca seruandi assignentur & reponantur. ART. XXXI.

ET vt hæc nostra tàm concessio, quàm ordinatio, sit nostris, nostrorumq; successorum temporibus in perpetuum valitura, eam conscribi fecimus, in septem paria literarum, & aureo sigillo nostro roborari: ita quod vnum pàr mittatur Domino Papæ, & ipse in regesto suo scribi faciat, secundum penes hospitale, tertium penes templum, quartum apud Regem, quintum in Capitulo Strigoniensi, sextum in Colocensi, septimum apud Palatinum, qui pro tempore fuerit, reseruetur: Ita quod ipsam scripturam præ oculis semper habens, nec ipse deuiet in aliquo prædictorum, nec Regem, vel Nobiles, seu alios consentiat deuiare, vt & ipsi gaudeant sua libertate, ac propter hoc nobis, & successoribus semper existant fideles, & Coronæ Regiæ obsequia debita non negentur. Quod si verò nos, vel aliquis successorum nostrorum, aliquo vnquam tempore, huic dispositioni nostræ contraire voluerit, liberam habeant harum authoritate, sine nota alicuius infidelitatis tàm Episcopi, quàm alij Iobagiones, ac Nobiles Regni vniuersi & singuli, præsentes & futuri, posteriq; resistendi & contradicendi nobis, & nostris successoribus in perpetuum facultatem. Datum per manus Cleri, Aulæ nostræ Cancellarij, Agriensis Ecclesiæ Præpositi, Anno Verbi incarnati, Millesimo, Ducentesimo, vigesimo secundo, Venerabili Ioanne Strigoniense, Reuerendo Vgrino Colocense, Archiepiscopis existentibus: Desiderio Chanadiense, Ruberto Vesprimiense, Thoma Agriense, Stephano Zagrabiense, Alexandro Varadiense, Bartholomæo Quinqueeclesiense, Cosma Iauriense, Briccio Vaciense, Vincentio Nittriense, Episcopis existentibus. Regni nostri anno decimo septimo.

ANDREÆ REGIS DECRETI FINIS.

BELA quartus, prædicti Andreæ secundi filius, post patrem regnauit, multis afflictus incommodis, eius tempore Vngaria per Tartaros deuastata crudeliter fuit: Ipso Rege quoque è Regno pulso. Genuit duos filios, Stephanum & Belam: Sed Bela ante patrem obijt, Stephanus patri successit. Moritur Anno Domini Millesimo, Ducentesimo, Septuagesimo quinto. Sepultus Strigonij apud fratres minores. Eius priuilegia obseruantur. 20

STEPHANVS quintus filius Belæ quarti, regnauit annis duobus. Genuit filium Ladislaum & Mariam, Carolo Claudo Regi Siciliæ elocatam, ex qua ille genuit Carolum Martellum. Obijt tertio sui Regni anno. Sepultus in insula Budensi. Huius priuilegia, tempore Ducatus sui, qui se minorem Regem Vngariæ, & Ducem Transsiluaniæ, iam ab anno Millesimo, Ducentesimo, Septuagesimo scribebat, confecta & emanata non seruantur, nisi forsitan postea, ipso Regni gubernacula ritè suscipiente & possidente, fuissent per eum confirmata. 21

LADISLAVS quartus filius Stephani quinti, Kwnlazlo dictus, patri successit. Regnauit annis quatuordecim, Anno Millesimo, Ducentesimo Nonagesimo, prope Castellum Kerezzegh, à Cumanis interfectus. Hoc regnante Tartari denuò in Vngariam reuertuntur, & duobus annis Regnum vastant. Decessit sine hærede: Sepultus Chanadini. Huius priuilegia seruantur. 22

ANDREAS tertius, Venetus cognominatus, filius Stephani filij Andreæ secundi Hierosolimitani, Ladislao Kwn viuente, in inuidiam eius a proceribus introductus, & post interitum suum, per electionem quorundam optimatum Regi successit: Præfuit Regno annis decem: Decessit Budæ sine hærede, Anno Domini Millesimo Trecentesimo primo. Sepultus in Claustro Sancti Ioannis apud fratres minores, Literæ huius ANDREÆ & priuilegia nō seruantur, exceptis, si quæ per Carolum Regem, suum legitimum successorem, annulari sigillo suo, in cera rubra, in quo habetur litera K, à parte dextra scuti, pro sigillo confirmationis apposito, fuissent confirmatæ: Nam tales vbiq; seruantur. 23

VENCESLAVS interrex, Vngari Ladislaum quartum vocant, Venceslai Poloniæ & Boëmiæ Regis filius, factione quorundam procerum, post obitum Andreæ tertij, contra Carolum, Caroli Martelli Siciliæ Regis filium, adhuc superstite Andrea, in Vngariam adductum, optatur: Hic dum penè annis tribus regnasset, ob domesticas seditiones & factiones procerum, per patrem reductus in Boëmiam est, sublata vna Sacrosancta Regni Vngariæ Corona, Anno Domini Millesimo Trecentesimo tertio, post obitum patris, Olomucij in domo Decani, tribus vulneribus confossus interijt. Huius priuilegia non seruantur. 24

OTTO Dux Bauariæ similiter interrex, per factiones quorundam Magnatum Vngariæ, post abductionem Venceslai, intrusus, & Carolo, eiusq; factioni oppositus, Anno Domini Millesimo Trecentesimo quinto, Albæ Sacra Corona (quam ille gratuitam à Venceslao Rege Boëmiæ, in hanc rem, cum iure quod sibi filius in Regnum Vngariæ acquisitura habuit, acceperat) coronatus fuit. Regnauit annis ferè tribus, sed per Ladislaum VVaiuodam Transsyluan. captus, corona spoliatus, & è Regno pulsus est. Huius literæ non seruantur. 25

HI REGES

NVLLA EDIDERVNT DECRETA.

CARO-

CAROLI I. REGIS DECRETVM, CVIVS MEMINIT INFRA LVDOVICVS PRIMVS SVI DECRETI ART. IIII. ET ART. XIII. de Contributione Regia, & Vrburis, ac nonnullis alijs, cum arendatione prouentuum Regiorum, Editum Anno Domini M. CCC. XLII.

EXTAT ETIAM NVNC MANVSCRIPTVM, SVB SIGILLO

26 *CAROLVS Caroli Martelli filius, qui & Carolus Robertus dictus, tandem omnium Prælatorum & Baronum suffragijs, legitimè electus in Regem Vngariæ: Coronatur, Anno Domini Millesimo Trecentesimo decimo. Habuit plures vxores, postremò Elisabetham, Ladislai Regis Poloniæ filiam. Genuit Carolum, Ladislaum, Ludouicum & Andream. Regnauit fæliciter annis triginta duobus, Regnum fortiter tutando, augendoq́: Lademeriam, Russiam, Comaniam, Bulgariam, Bosnam, sub imperio habuit. Erat tunc Matheus Threnchiniensis armis & opibus potens, Petri Palatini filius, Venceslai suffragator, à quo ad Vagum flumen, vbi Tirnauiam & Syntzuiam interfluit, Regio, Mathyus folde hinc appellata, quod omnes eius prouinciæ, Castra, Ciuitates, oppida, dum Caroli imperium aspernatur, suo imperio veterator subdiderit. Nittriensem Ecclesiam, sepulchrum Diui Zecrardi, ex puro Argento optimè factum, spoliauit, & depeculatus est, Ciuitatem ipsam Episcopi, igni ferroq́ primo assultu vastauit. Hinc digrediens Syntauia & Tyrnauia capta, reuersus Nittriam, turres & mœnia tegi à conflagratione ausa, ad solum vsque decussit, diruit: Ioanni Episcopo indignatus, propter seruatam Carolo fidem, & execrationem, censuramq́ Ecclesiasticam, qua dignè in eum, ob patratum in Ecclesiam, & Ciuitatem suam, adeoq́ vniuersam eius ditionem, sacrilegium, animaduerterat. Hic Carolo cum ingenti exercitu ad Cassouiam Ciuitatem Regiam occurrens, victus, non multò post nullo pœnitudinis signo edito, morte misera blasphemus interijt.* Carolus tria sigilla habuit, quorum duo priora, per eundem fuerunt reuocata, & priuilegia cum illis emanata non seruantur, nisi tertio postremo fuissent confirmata. Quod quidem tertium agnoscitur: Nam ab vtraque parte scuti sigilli, in quo duplicata crux habetur, sunt duæ figuræ draconis.

CAROLI PRIMI REGIS DECRETVM.

NOS CAROLVS Dei gratia Rex Vngariæ, Memoriæ commendantes tenore præsentium significamus quibus expedit Vniuersis. Quod nos Prælatorum & Baronum nostrorum voto vnanimi, & de consilio eorundem, consideratis fidelitatibus & industriosis virtutibus, Magistri Ipoliti Castellani de Arwa, fidelis nostri, Comitatum Cameræ nostræ de Kremnycz, cum omnibus Comitatibus, Districtibus, Villis, Oppidis, qui & quæ, ab antiquo ad eandem Cameram nostram dignoscuntur pertinuisse, scilicet, cum Comitatibus Nitriensi, Neugradiensi, Borsiensi, Posoniensi, Hontensi, Trinchiniensi, de Zolyom, de Pesth, & de Comarom, ex alia parte Danubij, scilicet à Posoniensi, & Bachiensi, partibus situatis, eidem Magistro Ipolito, pro Octingentis Marcis, partim in florenis, seu Aureis denarijs, Cameræ nostræ eiusdem cusis, & cudendis, partim verò cum integris Cameræ nostræ monetis, annorum præteriti, tertij & quarti, & præsentis, per totum Regnum
vniformiter discurrendis, ad modum anni præteriti, tam per ipsum, quàm per alios 1342.
Regni nostri Camerarios ampliādis, nobis in terminis infrascriptis persoluendis, Anno Domini Millesimo, Trecentesimo, qnadragesimo secundo, à data præsentium per anni circulum, simul cum Decimis Archiepiscopalibus, dedimus iterato, & locauimus ad exercendum, procurandum, & tenendum isto modo. Quod idem Magi-

Magister Ipolitus, faciat fabricari integros denarios, Cameræ nostræ Argenteos veræ combustionis tertiæ, ad modum & formam, ac valitudinem denariorum annorum præteriti, tertij & quarti eosdem ampliando, in vera & tertia combustione, ex quibus de vna Marca fini argenti, duodecim pensæ incidantur; & octo pensæ ex eisdem, & non plures, vnam Marcam ponderis Budensis, in statera ponderabunt & current, pro Marca fini argenti in montanis. Qui quidem denarij nostri integri, cambientur per hunc modum. Quod ipse Comes Cameræ, vel sui Officiales in singulis foris Ciuitatum, & liberarum villarum nostrarum Regalium, & Reginalium, ac quorumlibet aliorum præsentibus hominibus dominorum Archiepiscopi, Magistri Tauernicorum, & Comitis Parochialis, ac vno Iudice nobilium, sub testimonio alicuius Capituli, in eisdem foris, ipsos denarios ampliandos Cameræ, & multiplicandos, publicè super tabula sua exponere debeat, & tres ex eisdem denarijs pro quatuor latis Viennensibus, vel alijs Cameræ nostræ monetis, quinti Anni iam abolitis: aut etiam in alijs præcedentibus annis fabricatis, cõbustionem Viennensem habentibus cambientur, & sex ex eisdem tã denarijs nouis, quam annorum præteriti, tertij, & quarti Cameræ monetis, quia ipsorum annorum præteriti, tertij, & quarti denarios in suo esse, cursu, & cambio remanere volumus, pro grosso: & octo pensæ, ac sedecim denarij, pro Marca pagamenti, absq; aliqua augmentatione, vbiq; currant & soluantur. Si qui verò iam dictas monetas nostras, annorum præteriti, tertij & quarti & etiam hoc anno, pro eorundem ampliatione in eodem valore fabricandas, in numero augmentantes reperti fuerint, tanquam mandatorum nostrorum Regalium, & statuta Cameræ infringentes, in rebus, & personis, per ipsum Comitem Camerarum nostrarum puniantur nostra authoritate mediante. ITEM si leuiores denarij in istis præsentibus, præteriti, tertij, & quarti Annorum Cameræ moneti s, vel peioris combustionis, plures, quàm octo pensæ, & tres, vel quatuor denarij Marcam ponderantes, apud quemcunq;, siue in Ciuitatibus, siue alijs locis, siue etiam circa Camerarios, vel suos Officiales, numerum Marcarum augmentantes, vbicunque inuenientur, tanquam falsarij nostra authoritate puniantur. Propter quod volumus, & committimus, vt in cunctis Ciuitatibus & locis publicis, statera cum suis ponderibus semper habeatur, & seruetur, ad euitandum, quod mercatores & alij forenses, aut etiam quicunque ex Ciuibus, & hospitibus, iuxta abusiuam eorum consuetudinem & fraudem, grauiores denarios ipsius monetæ Camerarum nostrarum, præsentis, præteriti, tertij & quarti, non possint eligere, vel diminuere per incisiones. Istud tamen, pro multiplicatione earum monetarum Camerarum nostrarum maximè, & specialissimè, cum ipso Comite Camerarum nostrarum, iuxta suam spontaneam obligationem, & nostram omnimodam intentionem, volumus & committimus, vt in cunctis locis Camerarum, in quibus monetæ Camerarum cudi solent, nunc in principio, ad minus mille Marcas, idem Camerarius fabricari faciat, cambio exponendas, qui si non fecerit, tanquam nos seducens, & Regnicolas nostros decipiens remanebit. ITEM ordinauimus, quod ab hinc vnusquisq; cambsores denariorum, vt soliti fore dicuntur, per se seruare cesset omnino & desistat. Si enim aliquos ex eisdem cambsoribus, in detrimentum Camerarum seruare, & habere ipse Comes Camerarum sciuerit, in præsentia hominum dominorum Archiepiscopi Strigoniensis, & Magistri Tauernicorum nostrorum, triumq; aliorum prædictorum, & vna cum eisdem inuenerint, ne dum ipsi cambsores, verùm etiam ipsi dominicorum, in ablatione bonorum, & rerum ipsorum punientur, & dehonestabuntur in personis. ITEM florenus, seu Aureus denarius, denar. Cameræ, pro nonaginta denarijs integris, Cameræ nostræ ampliandis, semper absq; augmentatione, & refutatione vbique acceptetur & cambiatur. ITEM vna marca Auri, ponderis Budensis, duodecim caratorum cambitur, cum septem Marcis ipsorum denariorum

Marca Vnciarum duodecim, Pẽsa, Vncia vna. Vncia, lath 2. Nũc mõtanarũ Marca, pensarũ est septem. Budensis, etiamnum octo. hæc Latinis est Bes, sicut Marca veterum As, vna, vel mina. Denarij Viennen. lati. Grossus denarios sex. Nunc pagamentum est Marc. 75. fini, siue puri Argenti, quibus additur, &c.

Florenus seu aureus denarius. Marca auri. Caratus, id est, gradus.

rum

rum Cameræ, cum eodem pondere Budensi leuando in statera, & nullus possit cambire, Aurum vel Argentum, cum pecunia numerata, sed debeat cambire in Camera Regali, pro eisdem denarijs ampliandis, leuando in statera. Si qui autem secus fecisse, vel facere reperti fuerint, pœna condecenti, tanquam transgressores Regalis mandati, & Statuta Camerarum infringentes, punientur. Cæterùm statuimus, vt nullus omnino hominum, cum aliquibus antiquis monetis, aut auro, vel argento in specie, & specialiter cum paruis, & etiam cum mediocribus Viennensibus, quorum omnimodam extirpaticionem volumus, & committimus, præter quam cum prædictis monetis Camerarum nostrarum mercandi habeat facultatem: Alioquin emptores & venditores suas res & bona perdent, & dehonestabuntur in personis. Præterea nullus mercator extraneus, vel huius Regni superueniens, palàm, vel occultè in domibus, aut Camera suas res & bona, tàm in pannis, quàm in alijs generibus, & speciei rebus, pro alijs monetis antiquis, cuiuscunq; formæ, auro vel argento vendere, aut commutare præsumat, sed pro monetis Cameræ prædictis: de noticia tamen & ad scitum Comitis Camerarum, aut prædictorum hominorum Dominorum Archiepiscopi, & Magistri Tauernicorum nostrorum, ac aliorum, dum ad locum depositionis ad vendendum vel commutandum deuenerit, vendendi habeat facultatem. Si qui autem secus facientes & exercentes, per ipsum Comitem Camerarum, vel suos Officiales reperti, seu per eosdem deprahensi fuerint, res venditioni, tàm in pannis, quàm in alijs rebus expositas, & pro venditis rebus receptas, perdant, & puniantur in personis: Et ne dum illi, qui per se, & sua propria authoritate, contra ordinationem Camerarum nostrarum, & nostram voluntatem, Aurum, vel Argẽtum in specie, præter quam in Aureis, aut Argenteis nouis denarijs, exportantes inuenti fuerint, ablatione eorundem, & dehonestatione personarum suarũ puniantur. Hoc tamen in præsenti Articulo specialiter expresso, quod Comites Camerarum nostrarum, sub quorum Iurisdictione, Montana habentur, & existant, pro comparando plumbo, & alijs euidentibus necessarijs Camerarum, & Montanarum sine quorum copia mineræ Auri, & Argenti minimè videntur posse procurari, ad noticiam eorundem hominũ, domini Archiepiscopi, & aliorum, si tamen euidens necessitas id requirit, de Auro vel Argento tantum, ad comparationem præmissorum habebunt transmittendi facultatem. ITEM sub cuiuscunq; Comitis Camerarum Comitatu, vel in prouincijs præsens nostra moneta, ex mala procuratione falsificata fuerit, & discurrere, ac abundare cæperit: ipseque Comes Camerarum eandem falsam monetam captiuare, & annihilare non procurauerit: Ipsi Comiti Camerarum sic imputabitur, ac si in locis Camerarum suarum ipsa falsa moneta fuisset fabricata. Si autem idem Comes Camerarum ad compescendum eosdem falsarios, de eorum maliciosis operibus propriam alicubi non habuerit facultatem, ex tunc idem Camerarius, sub testimonijs prædictorum quinque hominum, veritate de eorum falsariorum maleficijs indagata, & recepta, eosdem falsarios nobis, & nostris Baronibus, ac Regno nominatim debeat declarare, & nos pro extirpatione eorundem sollicitè tenebitur incitare. ITEM quia volumus vt præsens moneta nostra tertiæ combustionis amplianda, per totum Regnum nostrũ immutabiliter possit perpetuari, & abundare, & ipsi denarij Cameræ nostræ annorum præteriti, tertij & quarti, vna cum eisdem nouis pariter debeat discurrere, & acceptari: Statuentes ordinauimus & committimus, vt in quolibet Comitatu de singulis portis, per quas currus, cum fœno, vel frugibus oneratus intrare potest, & exire, siue sub eadem porta, seu Curia portam habente, tres aut quatuor, vel etiam plures existant homines residentes, siue solùm vnus commoretur in eadem, nec in tantum sit egens, & pauper, vt soluendi non habeat facultatem, quod videlicet prænominati quinq; homines, Archiepiscopi, & aliorum iuxta ipsorum conscientiam soluere posse cognouerint, & commiserint, ac domini terræ, seu officiales sibi solu-

Curia nunc sessio.

Domini terræ, officia-

les, serui, conditionarij. Exercituantes seruientes.

Lucrum Cameræ.

Denarij 18. nunc 20.

Mulctandi mos vetus marcarum trium.

solutionem facere posse, vel non posse, iuramento suo dixerint; exceptis seruis, & conditionarijs nostrorum Regalium, & Reginalium Ecclesiarum, ac aliorum quorumlibet, nec non, exercituantibus, seruientibus dominorum terræ, quos ipsi iuramento ipsorum exceperint, & ijdem quinq; homines, scilicet domini Archiepiscopi, & aliorum, fore exercituantes inuestigando sciuerint, & etiam exceptis Ecclesijs, Ciuitatibus, vel alijs, euidenti priuilegiatica libertate, fultis, facta dicatione, infra quintum decimum diem; decem & octo denarios prædictæ Cameræ nostræ, pro lucro Cameræ ipsi Comiti Camerarum, dare, & soluere teneantur; Tali tamen expressione mediante, quod vbi & in quibus Comitatibus, aut Regni nostri partibus, portæ ex consuetudine non habentur, tum etiam propter defectum lignorum fieri non potuerunt, inibi & ipsi tales prædictum lucrum Cameræ, secundum quod in alijs temporibus, iuxta tamen dispositionem, & conscientiosam ordinationem prædictorum quinq; hominum, infra idem tempus soluere tenebuntur. Ciuitates autem & alij Regnicolæ nostri, prædictã euidentem libertatem habentes, à solutione lucri Cameræ taliter sint exempti. Si tamen ipsas monetas Cameræ nostræ in tenutis ipsorum, & inter eos ac Iobagiones eorundem acceptari faciendo, continuum cursum, & cambium eorundem voluerint facere & exercere; Sin autem non per nos, sed per se ipsos, libertates eorum infringentur, & sic ad solutionem eiusdẽ lucri Cameræ, sicut alij Regnicolæ nostri, sic & ipsi, dum modo hoc vt ipsa moneta nostra per eos non fuerit acceptata, nec inter eos, & ad eos pertinentes cambiri curata fuerit, ad relationem quinque hominum prædictorum, videlicet, Archiepiscopi, Magistri Tauernicorum, ac Comitis Parochialis vnius Iudicis nobilium, & alicuius Capituli nobis pateat euidenter, tenebuntur: Ita tamen quòd quiuis Camerariorum ad singulos Comitatus suæ Cameræ, sufficientes denarios Cameræ nostræ, pro multiplicatione dictorum modernorum denariorum nostrorum, ad scitum & noticiam eorundem quinq; hominum, in tanta abundantia, quòd ipse Comitatus de ipsis contentetur, dare debeat cambio exponendas, qui si non facerent; aut ipsos nostros denarios in tam larga copia cambio exponere non curarent, illic, & in illis Comitatibus iura sua perdendo, nec dicam faciendi, nec lucrum Cameræ exigendi, habeant facultatem. Soluentibus autem in quibuslibet Comitatibus, vnus locus communis & conueniens, pro dicta solutione, deputetur, & si qui præsentes præ multitudine soluentium, aut aliquo alio impedimento præpediti, die assignato soluere non possent, absque aliquo grauamine, quatuor diebus continuis expectentur, nec infra ipsos quatuor dies integros, si solutionem fecerint, possint aggrauari. Hoc expresso, quod ijdem Comites Camerarum nostrarum, ipsum lucrum Cameræ, ratione cambij signanter impositum, non aliter, videlicet, Viennensibus, aut aliquibus antiquis denarijs, vel grossis, per formam compositionis, aut alicuius alterius coloris cautela, nisi cum ipsis integris denarijs Cameræ nostræ ampliandis, exigere tenebuntur: & quod vniuersos denarios antiquos, aut Viennenses grossos, tàm Boëmicales, quàm Pachienses, & alios cuiuscunq; formæ existant, exceptis solummodo præsentibus denarijs Cameræ nostræ perpetuò currere statutis, comburere & infundere, ac in formam modernorum denariorum nostrorum redigi facere, pro multiplicatione eorundem, teneantur: Conditione tali, quod si qui facta dicatione, in termino assignato, lucrum Cameræ non persoluerit, tunc ijdem quinque homines, ad possessionem, de qua ipsum lucrum Cameræ non est persolutum, accedant, & tam diu moram ibi facient; absq; destructione, & spoliatione possessionaria, in expensa moderata eiusdẽ possessionis, donec ipsum lucrum Cameræ, cum iudicio trium marcarum, persoluatur. Si verò populi vel domini villarum non soluentium lucrum Cameræ prænotatum, præterito termino solutionis, dictis hominibus, in officio Cameræ procedentibus, cum pecunia debita, & iudicio iam ordinato, extra villam placatum obuiarent:

uiarent: Ex tunc ipsi executores negotiorum Cameræ, in talibus Villis descensum facere nequeant aliqualem. Comites autem parochiales, & Iudices nobilium fauore, vel precio corruptos iusticiam Cameræ celantes, & homines de dicta solutione defendentes, vel quoquo modo contra nostram ordinationem procedentes, dum modò contra ipsos, hoc euidenter possit comprobari, pœnis non soluentium decreuimus puniendos. Et quia promisimus seriem omnium præmissorum inuiolabiliter obseruare: volumus vt idem Comes Camerarum nostrarum, immutabiliter in præmissis perseueret. Econuerso autem, remedio aliquorum literarum, post emanationem præsentium confectarum, aut acquisita aliqua astutia, quicquam immutare queat de singulis præmissorum: Quia si qui contra hoc facere, ex ipsis Comitibus Camerarum attentaret, dictos quinq; homines, sine quorum iuuamine lucrũ Cameræ exigendi nolumus habere facultatem, à societate ipsorum, authoritate præsentium iubemus separari. Nam hanc Dicam, nõ pro exactione antiquarum monetarum, aut Viennensium, sed pro ampliatione monetarum Cameræ nostræ perpetuo discurrere in toto Regno nostro ordinatarum duximus disponendam. ITEM volumus, quod dictus Comes Cameræ nostræ, absq; prædictis quinq; hominibus, in negotijs Cameræ, in exterioribus seu extraneis, videlicet, in Comitatibus fiendis & peragendis, vt pote, in dicationibus & exactionibus lucri Cameræ nihil possint exercere. Si verò ausu temerario, contra hoc procederent, & in hoc malum aliquod paterentur, meritò patientur, & sustinebunt. Igitur si Comiti Cameræ, aut suis sequacibus, ac cum eo, precedentibus violentiam cuipiam inferret mani feste, tales secundum qualitatem & quantitatem delicti punientur. Ciuitatenses verò sub Comitatu & iurisdictione eorundem Comitatuum Cameræ existentes, iuxta præsentem taxationem nostram, & Baronum nostrorum, certam summam pecuniæ de prædictis monetis Cameræ ampliandis, similiter infra prætactum temporis spatium, pro argento cambire, vel finationem euidentem monetæ campsæ, in eisdem denarijs Cameræ ampliandis, dare, & soluere teneantur: Videlicet, Ciuitas Trinchiniensis decem Marcas: ITEM Ciuitas de Bach, triginta quinque Marcas: ITEM Korponija similiter triginta quinque Marcas: ITEM Ciuitas Barsiensis quindecim Marcas: ITEM Ciuitas de Tirnauia centum Marcas, & Ciuitas de Tapolchan viginti Marcas, modo prædicto cambire teneantur: Ita tamen, quod aut ipsi Ciuitatenses, receptis ipsis quantitatibus pecuniæ nouæ monetæ Cameræ pro qualibet Marca octo pensas in statera ponderanti, vnam Marcam fini argenti, vel solum nihil recipiendo, combustionem, seu finationem singularum Marcarum ipsius monetæ: Videlicet, de singulis Marcis super ipsos impositis, singulas quatuor pensas prædictarum monetarum, quarum octo pensæ Marcam ponderant, dare debeant. Si qua autem Ciuitatum negligens fuerit in soluendo, prædicti executores negotiorum Cameræ in medio talis Ciuitatis, tam diu permanebunt, quousque cum grauamine duodecim Marcarum solutionem faciet prænotatam, in expensa tamen eiusdem Ciuitatis moderata, vt superius est expressum: Eo etiam declarato, quod quilibet Nobilis, super solutione lucri Cameræ, literas expeditorias à Comite Cameræ pro vno grosso redimere, licet plures habeat possessiones, teneatur. ITEM statuimus, vt in quibuslibet solitis locis in Ciuitatibus debeat fieri domus Regalis, ad quam omnes homines aurum, & argentum, ad vendendum, comburendum, & cambiendum deferre teneantur, vel si palam, vel occultè aliàs comburere, vendere, vel commutare præsumserint, & in hoc reperti fuerint, per eundem Comitem Camerarum omnia bona sua, præsentibus supradictis testimonijs, auferantur, & insuper vt infideles puniantur. Volumus etiam, vt nullus alias, præter quàm in Cameram Regiam aurũ quot Karatorũ existat, probare debeat, sed Camerarius debeat examinare in domo Regia, & ponere Karatos super aurum, & signum nostrum regium, & sic ad Cameram aurum deferatur: Contra hoc autem præsumentes, per eundem Comi-

Comites. Iudices nobilium.

Literæ expeditoriæ redimantur.

Falsariorum pœna.

Comitem Camerarum, prædictâ pœnâ iussimus puniendos. Cæterùm statuimus, vt nullus mercator, aut quilibet alter, vltra duas Marcas denariorum ad montana secum deferre præsumat pro expensis. Si autem idem Comes Camerarum, vel sui Officiales apud tales vltra duas Marcas reperierint in denarijs, auferant bona sua vniuersa, & puniant eos in persona, præsentibus testimonijs supradictis. Et vt Camerariorum nostrorum iusticia appareat in denarijs fabricandis: Statuimus, vt quilibet eorum in ipsorum monetis, signum habeat, per quod moneta per ipsum fabricata cognoscatur. Cæterum volumus vt ipse Comes Camerarum, monetarios, seu cusores denariorum, vbiq; in Ciuitatibus, aut villis inuenire poterit, & eosdem captiuare voluerit, tunc Iudex, Iurati & vniuersitas Ciuitatis, vel villæ, in qua reperti fuerint, ad requisitionem eiusdem Comitis Cameræ, vel eius officialium, ipsos monetarios captiuare, & ad manus Comitis Camerarum teneantur assignare. Secus autem si qui fecerint, eadem pœnâ, quâ monetarij contumaces sunt plectendi, puniantur. ITEM ipse Comes Camerarum nostrarum in Ciuitatibus nostris, vbi monetæ nostræ fabricantur, debet habere duo scrinia, in quorum vno ferramenta formalia, sub sigillis hominum, domini Archiepiscopi & Magistri Tauernicorum conseruentur, in altero verò virgulæ pro monetis fusæ, absq; monetis nouis, sub sigillis tribus, & clauibus tribus eorundem trium hominum, videlicet domini Archiepiscopi, & Magistri Tauernicorum, ac eiusdem Camerarij, debent conseruari, & semper in præsentia ipsorum hominum, domini Archiepiscopi, & Magistri Tauernicorum aperiantur, nec possint aliquo ipsorum absente aperiri, vel opera monetarum exerceri: Ita quod si idem Comes Camerarum nostrarum ipsis duobus testibus absentibus, vel aliquo ipsorum absente, fractis laucibus, & sigillis, monetas faceret fabricari, per ipsum Magistrum Tauernicorum, tanquam falsarius puniatur, dummodò hoc ijdem homines, domini Archiepiscopi, & Magistri Tauernicorum fateantur, specialiter dum funditur argentum, omnes personaliter interesse debeant, & singulis septimanis, ipsos nouos denarios nostros, ipsi homines, domini Archiepiscopi, & Magistri Tauernicorum, in combustione quadraginta eorundem denariorum nouorum, debeant examinare, & sic ijdem noui denarij cambio exponentur. ITEM cusores denariorum & fabricatores in eisdem Ciuitatibus nostris cōmorantes, ne ipse Comes Camerarum nostrarum pro falsis monetis inculpetur, sub potestate & Iurisdictione eiusdem remanebunt. Cæterùm, antiquâ libertate Camerarum nostrarum requirente, statuimus, vt omnes seruientes officiales, ac monetarios ipse Comes Cameræ nostrę, & non alter debeat iudicare, & si ipse ex parte suorum iusticiam dare neglexerit, Magister Tauernicorum nostrorum prædictus iusticiam facere teneatur, quibuscunq; querulantibus de eisdem. ITEM pro ampliatione earundem monetarum Cameræ nostræ statuimus, vt vniuersi Ecclesiarum Prælati, decimas & debita, ac quosuis reditus, ac etiam cuncti Regni nostri Barones & Nobiles, alijq; cuiusuis status homines, ipsorum prouentus vniuersos, scilicet tributa, terragia, & quasuis collectas, à quibuscunq; eorum debitoribus, & Iobagionibus, tributarijs & officialibus, cum ipsis monetis Cameræ nostræ, aut florenis recipere, & exigi facere teneantur. Dummodò ipsi denarij Cameræ nostræ in tantâ copiâ cudantur, vt omnes debitores, sua debita, cum ipsis denarijs Cameræ nostræ persoluendi habeant facultatem. Nos autem promittentes assumsimus vniuersas nostras collectas Regales, & Reginales, per totum Regnum nostrum, specialiter tributa nostra, & Tricesimas nostras exigi facere, & recipere cum eisdem. ITEM si qui contra ipsum Comitem Camerarum nostrarum, ratione iniuriarum, seu damnorum aut nocumentorum personis Camerariorum nostrorum, in officio procedentibus illatarum, ad nostram, vel Magistri Tauernicorum presentiam citati fuerint, in primo termino absque vlteriori dilatione, dante iusticia, ipsa causa finaliter debeat terminari. Quicunq; autem Comitem Cameræ nostræ prædictum, ordine

Iudex monetariorum.

Prælati. Decimæ.

ordine Iudiciario in causam attraxerit, præfatus Magister Tauernicorum nostrorū, ex parte eiusdem, iusticiam faciet nostra authoritate mediante. Hoc etiam ordinauimus, vt de quibuslibet rebus, & bonis ipsarum Camerarum nostrarum vbicunque in terra & in aquis per eorundem officiales deferendis, nullum tributum exigatur. Præterea de qualibet Marca vnum pondus ad rationem denariorum, ratione conseruationis ferramentorum homini eiusdem domini Archiepiscopi, omni die operis & dimidius ferto homini ipsi Magistri Tauernicorum, præter summam conuentionis nostræ Regalis, persoluatur. Si verò ipse Comes Cameræ nostræ quolibet die operis de singulis marcis cusis, singula pondera denariorum, & dictos dimidios fertones, præmisso modo, persoluere recusauerit, vel dilationem facere vellet, homines ipsius domini Archiepiscopi, & Magistri Tauernicorum ferramenta formalia includendi habeant facultatem. ITEM Aulæ nostræ Vicecancellario idem Comes Cameræ nostræ prouentus ab antiquo consuetos, videlicet, triginta Marcas in terminis solutionis subscriptarum, saluis prouentibus Notariorum remanentibus, plenè dare & soluere teneatur. Hoc etiam adiecto, quòd iniurias, & damna officialibus Camerarum per quospiam irrogata, præfatus Magister Tauernicorum prosequatur, & emendet: De falsarijs autem, & eorum fautoribus antiquam Regni nostri consuetudinem volumus obseruari. ITEM statuimus vt Comites parochiales quorumlibet Comitatuum, nō plus quam tres marcas octo pensarum nouæ monetæ nostræ, à Comitatibus Camerarum nostrarum petere, vel recipere, ratione fororum, præsumant. Nobiles autem & cuiusuis alterius status homines, fora habentes, prætextu fororum ipsorum, ab eisdem Camerarijs, quicquam petere vel recipere non præsumant. Volumus etiam, vt tam Magistri Tauernicorum suos dimidios florenos, quàm dominus Archiepiscopus sua pondera, quibuspiam vendere non possint & locare. Quod si fecerint, his iuribus ipsorum priuentur. Præterea ijdem, Archiepiscopus & Magister Tauernicorum tales homines, in prosequendis negotiorum Cameræ transmittant, qui possessiones habeant, & si demerita ipsorum requirerent, pendere habeant. ITEM Comites Camerarum nostrarum, qui anno sequenti Cameras nostras conducere voluerint, in die Strenarum venturo, de prædictis debitis ipsorum rationem nobis personaliter reddendo, conducant. ITEM quia superius tetigimus, vt præfati quinq; homines executores negotiorum Cameræ super Ciuitates, huic nostræ ordinationi rebellantes, lucrum Cameræ in expensa moderata commorando, cum subsidio Iudicum, & Iuratorum, earundem Ciuitatum plenè exigere, cum grauamine iudicij duodecim Marcarum, & eisdem Comitibus Camerarum nostrarum plenariè persolui facere teneantur. Ideo volumus, vt si ipsi Iudices & Iurati præsenti nostrò mandato obedire recusarent, extunc ipsum lucrum Cameræ nō solutum plenè, & dictum Iudicium duodecim Marcarum cum duplo persoluere teneatur: Exprimentes etiam, quod quicunq; res & bona, ratione non obseruationis aliquorum articulorum præmissorum, & transgressionis mandati nostri Regalis, seu violationis statuti Cameræ, à quibuscunq; personis hominum, & in quibuscunq; locis auferentur, in tres partes debeant diuidi coæqualiter, quarum duæ partes ipsi Comiti Camerarum, tertia verò in manus prædictorum hominum, domini Archiepiscopi & Magistri Tauernicorum debeat prouenire. ITEM de quibuslibet Marcis, pro lucro Cameræ in quibuslibet Comitatibus dicatis, & exactis, vnum grossum, seu vnum pondus, homini domini Archiepiscopi, alium verò grossum, seu pondus homini Magistri Tauernicorum, dare, & soluere tenebitur Comes Camerarum prædictarum. Istud tamen expressè volumus, quòd si ipse Comes Camerarum nostrarum, ipsam monetam Cameræ nostræ, in locis solitis Cameræ, cudendo abundanter fabricari non fecerit, & ipse solum ad Dicam & exactionem lucrum eiusdem Cameræ se dissimulando commiserit: Extunc ipse talis, tanquam nos seducens & Regni nostri deceptor seu mendax, contra nostram Maiestatem conuincatur. Vt

Cancellarij salarium.

Mulcta Marcar. 12.

Pondus, nūc Pisetum.

autem idem Comes Cameræ memoratam summam pecuniæ octingentarum marcarum, nobis facilius soluere possit, ordinantes decreuimus, vt in Octauis festi Natiuitatis Beati Ioannis Baptistæ, Ducentas marcas. ITEM in Octauis Natiuitatis Beatæ Virginis iterum Ducentas marcas, & modo simili Ducentas marcas in Octauis Beati Martini confessoris: Residuas verò Ducentas marcas in Octauis diei Strenarum vltimam solutionem faciendo, in terminis se se inuicem subsequentibus nūc venturis, hîc in Wijssegrad, cum monetis prænotatis, modo præmisso, nobis tenebitur, pœnam dupli incurret, si aliquem terminum præmissorum obmiserit insolutum. Datum in Wyssegrad in festo Purificationis Virginis gloriosæ, Anno supradicto, videlicet, Millesimo, Trecentesimo, Quadragesimo secundo.

LVDOVICI PRIMI REGIS
DECRETVM, ANNO M. CCC. LI.
EDITVM.

LVDOVICVS primus, Carolo patri optimo, optimus successit filius. Coronatus eodem Millesimo, Trecentesimo, Quadragesimo secundo anno, quo pater è viuis excessit: 27
Regnauit annos quadraginta, & aliquanto plus. Hic sibi Regnum à patre relictum, magnanimè & bono consilio rexit, defendit, & amplificauit, vt omnes Reges Vngariæ facilè ante se excelleret. Hæredes masculos non habuit, sed filias, Mariam, Heduigem & Catherinam. Obijt anno Domini Millesimo, Trecentesimo, Octogesimo secundo. Duo sigilla habuit, primum in partibus vsuræ deperditum à Nicolao Archiepiscopo Strigoniensi Cancellario suo, quod non habet locum in iudicio, nisi per secundum nouum fuissent literæ, sub huiusmodi sigillo editæ, postea confirmatæ. Sub quo nouo sigillo, tàm literæ eiusdem Regis Ludouici, sub priori sigillo suo confectæ, quàm prædicti Caroli Regis patris sui, sub prioribus duobus sigillis cassatæ emanatæ, per appensionem eiusdem noui, seu secundi sigilli, fuerunt tandem cum expressa, & inserta confirmationis clausula confirmatæ, & tales vbique seruantur. Breuiter igitur priuilegia ipsius D. Ludouici Regis, ab anno Dñi Millesimo, Trecentesimo, Sexagesimo quarto, vsque ad obitus sui annum salutis Millesimum, Trecentesimum, Octogesimum secundum, confecta robur sortiuntur firmitatis, Sed priora non valent, nisi fuissent modo antelato posteà confirmata. *Clausula autem confirmationis prædictarum literarum priorum, posterioribus inseri solita est talis:* Ad perpetuam rei memoriam.

Vsura, id est, Bosna.
Bonfin. Decad. 2. lib. 10. fol. 348.

NOS LVDOVICVS præfatus Rex, vniuersis declaramus, quòd vbi in Regno nostro Bosznæ, innumerabilis multitudo hæreticorum pullulasset, in errorem fidei Orthodoxæ, & ad extirpandum quoq; de ipso Regno nostro eosdem, ex vna parte nos personaliter, instaurato valido exercitu proficiscebamur: Ex aliâ verò parte Venerabilem in Christo patrem dominum Nicolaum Archiepiscopum Strigoniensem Cancellarium nostrum, penes quem vtrumq; par sigilli nostri authentici habebatur, & virum Magnificum dominum Nicolaum Palatinum, cum cæteris Prælatis, Baronibus, & Regni nostri Proceribus, in Vsuram destinaueramus, quidam familiares ipsius domini Archiepiscopi pro custodiâ deputati vtrumq; par dicti sigilli nostri authentici, præconcepta malicia subtraxerunt. Nos itaq; præcauentes, ne ex huiusmodi sigilli nostri deperditione, Regnicolis nostris, in eorum iuribus successiuè periculum possit imminere, sigillum nouum in duobus paribus fecimus pro nobis sculpi, quod ad omnia priuilegia nostra, & quondam domini Caroli Regis patris nostri, sub priori sigillo eiusdem, tempore suæ coronationis sculpto, & demùm per eundem, eo quod sub ipso plurimæ infidelitates perpetratæ extiterunt repertæ, permactato, & dissecto, ac sub alio sigillo ipsius in partibus Transalpinis casualiter deperdito, confecta, iuxta dicta tria sigilla decreuimus fore apponendum. Ad quæcunq; verò priuilegia paterna, dictis duobus prioribus sigillis suis consigna-

Transalpina Bonfin.

consignata, quæ eundem patrem nostrum, per sigilla, eiusdem posteriora, vel per nos cum sigillo, modo præmisso deperdito, confirmata non haberentur & ad ipsa priuilegia, ipsum nouum sigillum nostrum non appenderetur, vel quæcunq; patentes literæ nostræ & paternæ non confirmarentur, ea priuilegia & literæ, sicuti per eundem patrem nostrum fuerunt reuocata, & annulata: Sic & nos ipsas, seu ipsa, commisimus viribus caritura, nullam quoq; roboris obtentura firmitatem, interq; patris priuilegium nostrum, omni prorsus suspicione destitutum, & omnia in eo superius contenta & expressa, pro eadem † Ecclesia Nitriensi, dicti sigilli nostri noui duplicis & authentici appensione, † renouauimus, & perpetuò confirmauimus. Datum per manus eiusdem Domini Nicolai Archiepiscopi, Cancellarij nostri, tertio Idus Maij, Anno Domini Millesimo, Trecentesimo, Sexagesimo quarto, Regni autem nostri, anno vigesimo tertio.

Decad. 2. lib. 10.

† Al: pro T. suisq; heredibus & successoribus.

† Al: innouauimus.

Hoc exemplum de verbo ad verbum exceptum est è priuilegio Cathedralis Ecclesiæ Nitriensis, super donatione Ciuitatis Nitriensis eidem Ecclesiæ facta, emanato.

INCIPIT CONFIRMATIO DECRETORVM ANDREÆ SECVNDI REGIS,

Hierosolimitani dicti, Anni Millesimi, Ducentesimi, Vigesimi Secundi, facta per LVDOVICVM primum, Anno Domini Millesimo, Trecentesimo, Quinquagesimo primo.

LVDOVICVS, Dei gratia, Vngariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Seruiæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæq; Rex, Princeps Sallernitanus, & honoris montis sancti Angeli Dominus. Omnibus Christi fidelibus, præsentibus pariter & futuris, præsentium noticiam habituris: Salutem in eo, qui Regibus dat salutem, ac feliciter regnare & victoriosè triumphare. Thronus & potentia Regalis dignitatis, tunc dignoscitur roborari, cum subditorum quieti & tranquillitati, prouida circumspectione, prouidetur, ipsisq; digno remunerationis brauio, in libertatibus largiendis, immò etiam per alios Reges pia consideratione, institutis, componendis, nec non confirmandis, liberaliter respondetur. Nam tum obseruantia fidei suæ † habens originem debitam rationis & naturæ legibus, stabilis perseuerat, cum beneuolentia principis in suos ostensa Regnicolas, sic semper coalescit in subditos, vt nisi vitæ suffocetur igniculus, in corpore vigor fidei non lentescit. Ea propter ad vniuersorum noticiam, harum serie, volumus peruenire: Quod Prælatorum, Baronum, nec non Procerum, ac Nobilium Regni nostri cætus, & vniuersitatis idemptitas, nostrum Regium conspectum adeundo, fidelitatibus suis, & fidelium seruitiorum præclaris meritis, in cunctis nostris, & Regni nostri negotijs, prosperis & aduersis, cum summæ fidelitatis studio, & votiua diligentia, nostræ Maiestati exhibitis & impensis, declaratis, & nostram in memoriam reuocatis: exhibuerunt nobis quasdam literas Priuilegiales, Illustrissimi Principis domini ANDREÆ secundi, filij BELÆ Regis tertij, olim inclyti Regis Vngariæ, aui & prædecessoris nostri piæ recordationis, aurea bulla sua roboratas, libertatesque ipsorum, per sanctissimum Stephanum Vngaricæ gentis Regem, & Apostolum (vt prædictæ literæ declarabant) ipsis institutas, innouandas & confirmandas, tenoris subsequentis: Supplicantes vnanimiter & conformiter nostræ humiliter Maiestati, vt ipsas acceptantes, ratificantes, & approbantes, præsentibusq; de verbo ad verbum transsumi facientes, simul cum omnibus libertatibus eorundem in eisdem expressis, excepto solummodo vno articulo, in subsequentibus declarando, confirmare, ac easdem libertates, in dictis literis expressas, ex Regiæ benignitatis clementia, authoritate Regia innouando, ipsos in eisdem perennaliter fruituros & gauisuros, literis nostris priuilegialibus, mediantibus stabilire dignaremur. Quarum tenor talis est.

† Al: trahet.

Andreas secundus.

S. Rex Stephanus.

BELA quartus, prædicti Andreæ secundi filius, post patrem regnauit, multis afflictus incommodis, eius tempore Vngaria per Tartaros deuastata crudeliter fuit: Ipso Rege quoq; è Regno pulso. Genuit duos filios, Stephanum & Belam: Sed Bela ante patrem obijt, Stephanus patri successit. Moritur Anno Domini Millesimo, Ducentesimo, Septuagesimo quinto. Sepultus Strigonij apud fratres minores. Eius priuilegia obseruantur. 20

STEPHANVS quintus filius Belæ quarti, regnauit annis duobus. Genuit filium Ladislaum & Mariam, Carolo Claudo Regi Siciliæ elocatam, ex qua ille genuit Carolum Martellum. Obijt tertio sui Regni anno. Sepultus in insula Budensi. Huius priuilegia, tempore Ducatus sui, qui se minorem Regem Vngariæ, & Ducem Transiluaniæ, iam ab anno Millesimo, Ducentesimo, Septuagesimo scribebat, confecta & emanata non seruantur, nisi forsitan postea, ipso Regni gubernacula ritè suscipiente & possidente, fuissent per eum confirmata. 21

LADISLAVS quartus filius Stephani quinti, Kwnlazlo dictus, patri successit. Regnauit annis quatuordecim, Anno Millesimo, Ducentesimo Nonagesimo, prope Castellum Kerezzegh, à Cumanis interfectus. Hoc regnante Tartari denuò in Vngariam reuertuntur, & duobus annis Regnum vastant. Decessit sine hærede: Sepultus Chanadini. Huius priuilegia seruantur. 22

ANDREAS tertius, Venetus cognominatus, filius Stephani filij Andreæ secundi Hierosolimitani, Ladislao Kwn viuente, in inuidiam eius a proceribus introductus, & post interitum suum, per electionem quorundam optimatum Regi successit: Præfuit Regno annis decem: Decessit Budæ sine hærede, Anno Domini Millesimo Trecentesimo primo. Sepultus in Claustro Sancti Ioannis apud fratres minores, Literæ huius ANDREÆ & priuilegia nō seruantur, exceptis, si quæ per Carolum Regem, suum legitimum successorem, annulari sigillo suo, in cera rubra, in quo habetur litera K, à parte dextra scuti, pro sigillo confirmationis apposito, fuissent confirmatæ: Nam tales vbiq; seruantur. 23

VENCESLAVS interrex, Vngari Ladislaum quartum vocant, Venceslai Poloniæ, & Boêmiæ Regis filius, factione quorundam procerum, post obitum Andreæ tertij, contra Carolum, Caroli Martelli Siciliæ Regis filium, adhuc superstite Andrea, in Vngariam adductum, optatur: Hic dum penè annis tribus regnasset, ob domesticas seditiones & factiones procerum, per patrem reductus in Boêmiam est, sublata vna Sacrosancta Regni Vngariæ Corona, Anno Domini Millesimo Trecentesimo tertio, post obitum patris, Olomucij in domo Decani, tribus vulneribus confossus interijt. Huius priuilegia non seruantur. 24

OTTO Dux Bauariæ similiter interrex, per factiones quorundam Magnatum Vngariæ, post abductionem Venceslai, intrusus, & Carolo, eiusq; factioni oppositus, Anno Domini Millesimo Trecentesimo quinto, Albæ Sacra Corona (quam ille gratuitam à Venceslao Rege Boêmiæ, in hanc rem, cum iure quod sibi filius in Regnum Vngariæ acquisitum habuit, acceperat) coronatus fuit. Regnauit annis ferè tribus, sed per Ladislaum VVaiuodam Transyluan. captus, corona spoliatus, & è Regno pulsus est. Huius literæ non seruantur. 25

HI REGES

NVLLA EDIDERVNT

DECRETA.

CARO-

CAROLI I. REGIS DECRETVM, CVIVS MEMINIT INFRA LVDOVICVS PRIMVS SVI DECRETI ART. IIII. ET ART. XIII. de Contributione Regia, & Vrburis, ac nonnullis alijs, cum arendatione prouentuum Regiorum, Editum Anno Domini M. CCC. XLII.

EXTAT ETIAM NVNC MANVSCRIPTVM, SVB SIGILLO

26 *CAROLVS Caroli Martelli filius, qui & Carolus Robertus dictus, tandem omnium Prælatorum & Baronum suffragijs, legitimè electus in Regem Vngariæ: Coronatur, Anno Domini Millesimo Trecentesimo decimo. Habuit plures vxores, postremò Elisabetham, Ladislai Regis Poloniæ filiam. Genuit Carolum, Ladislaum, Ludouicum & Andream. Regnauit fæliciter annis triginta duobus, Regnum fortiter tutando, augendoq́; Lademeriam, Russiam, Comaniam, Bulgariam, Bosnam, sub imperio habuit. Erat tunc Matheus Threnchiniensis armis & opibus potens, Petri Palatini filius, Venceslai suffragator, à quo ad Vagum flumen, vbi Tirnauiam & Syntauiam interfluit, Regio, Mathyus folde hinc appellata, quod omnes eius prouinciæ, Castra, Ciuitates, oppida, dum Caroli imperium aspernatur, suo imperio veterator subdiderit. Nittriensem Ecclesiam, sepulchrum Diui Zecardi, ex puro Argento optimè factum, spoliauit, & depeculatus est, Ciuitatem ipsam Episcopi, igni ferroq́; primo assultu vastauit. Hinc digrediens Syntauia & Tyrnauia capta, reuersus Nittriam, turres & mœnia tegi à conflagratione ausa, ad solum vsque decussit, diruit: Ioanni Episcopo indignatus, propter seruatam Carolo fidem, & execrationem, censuramq́; Ecclesiasticam, qua dignè in eum, ob patratum in Ecclesiam, & Ciuitatem suam, adeoq́; vniuersam eius ditionem, sacrilegium, animaduerterat. Hic Carolo cum ingenti exercitu ad Cassouiam Ciuitatem Regiam occurrens, victus, non multò post nullo pœnitudinis signo edito, morte misera blasphemus interijt.* Carolus tria sigilla habuit, quorum duo priora, per eundem fuerunt reuocata, & priuilegia cum illis emanata non seruantur, nisi tertio postremo fuissent confirmata. Quod quidem tertium agnoscitur: Nam ab vtraque parte scuti sigilli, in quo duplicata crux habetur, sunt duæ figuræ draconis.

CAROLI PRIMI REGIS DECRETVM.

NOS CAROLVS Dei gratia Rex Vngariæ, Memoriæ commendantes tenore præsentium significamus quibus expedit Vniuersis. Quod nos Prælatorum & Baronum nostrorum voto vnanimi, & de consilio eorundem, consideratis fidelitatibus & industriosis virtutibus, Magistri Ipoliti Castellani de Arwa, fidelis nostri, Comitatum Cameræ nostræ de Kremnycz, cum omnibus Comitatibus, Districtibus, Villis, Oppidis, qui & quæ, ab antiquo ad eandem Cameram nostram dignoscuntur pertinuisse, scilicet, cum Comitatibus Nitriensi, Neugradiensi, Borsiensi, Posoniensi, Hontensi, Trinchiniensi, de Zolyom, de Pesth, & de Comarom, ex alia parte Danubij, scilicet à Posoniensi, & Bachiensi, partibus situatis, eidem Magistro Ipolito, pro Octingentis Marcis, partim in florenis, seu Aureis denarijs, Cameræ nostræ eiusdem cusis, & cudendis, partim verò cum integris Cameræ nostræ monetis, annorum præteriti, tertij & quarti, & præsentis, per totum Regnum vniformiter discurrendis, ad modum anni præteriti, tam per ipsum, quàm per alios 1342.
Regni nostri Camerarios ampliãdis, nobis in terminis infrascriptis persoluendis, Anno Domini Millesimo, Trecentesimo, qnadragesimo secundo, à data præsentium per anni circulum, simul cum Decimis Archiepiscopalibus, dedimus iterato, & locauimus ad exercendum, procurandum, & tenendum isto modo. Quod idem Magi-

Magister Ipolitus, faciat fabricari integros denarios, Cameræ nostræ Argenteos veræ combustionis tertiæ, ad modum & formam, ac valitudinem denariorum annorum præteriti, tertij & quarti eosdem ampliando, in vera & tertia combustione, ex quibus de vna Marca fini argenti, duodecim pensæ incidantur; & octo pensæ ex eisdem, & non plures, vnam Marcam ponderis Budensis, in statera ponderabunt & current, pro Marca fini argenti in montanis. Qui quidem denarij nostri integri, cambientur per hunc modum. Quod ipse Comes Cameræ, vel sui Officiales in singulis foris Ciuitatum, & liberarum villarum nostrarum Regalium, & Reginalium, ac quorumlibet aliorum præsentibus hominibus dominorum Archiepiscopi, Magistri Tauernicorum, & Comitis Parochialis, ac vno Iudice nobilium, sub testimonio alicuius Capituli, in eisdem foris, ipsos denarios ampliandos Cameræ, & multiplicandos, publicè super tabula sua exponere debeat, & tres ex eisdem denarijs pro quatuor latis Viennensibus, vel alijs Cameræ nostræ monetis, quinti Anni iam abolitis: aut etiam in alijs præcedentibus annis fabricatis, cõbustionem Viennensem habentibus cambientur, & sex ex eisdem tã denarijs nouis, quam annorum præteriti, tertij, & quarti Cameræ monetis, quia ipsorum annorum præteriti, tertij, & quarti denarios in suo esse, cursu, & cambio remanere volumus, pro grosso: & octo pensæ, ac sedecim denarij, pro Marca pagamenti, absq; aliqua augmentatione, vbiq; currant & soluantur. Si qui verò iam dictas monetas nostras, annorum præteriti, tertij & quarti & etiam hoc anno, pro eorundem ampliatione in eodem valore fabricandas, in numero augmentantes reperti fuerint, tanquam mandatorum nostrorum Regalium, & statuta Cameræ infringentes, in rebus, & personis, per ipsum Comitem Camerarum nostrarum puniantur nostra authoritate mediante. ITEM si leuiores denarij in istis præsentibus, præteriti, tertij, & quarti Annorum Cameræ monetis, vel peioris combustionis, plures, quàm octo pensæ, & tres, vel quatuor denarij Marcam ponderantes, apud quemcunq;, siue in Ciuitatibus, siue alijs locis, siue etiam circa Camerarios, vel suos Officiales, numerum Marcarum augmentantes, vbicunque inuenientur, tanquam falsarij nostra authoritate puniantur. Propter quod volumus, & committimus, vt in cunctis Ciuitatibus & locis publicis, statera cum suis ponderibus semper habeatur, & seruetur, ad euitandum, quod mercatores & alij forenses, aut etiam quicunque ex Ciuibus, & hospitibus, iuxta abusiuam eorum consuetudinem & fraudem, grauiores denarios ipsius monetæ Camerarum nostrarum, præsentis, præteriti, tertij & quarti, non possint eligere, vel diminuere per incisiones. Istud tamen, pro multiplicatione earum monetarum Camerarum nostrarum maximè & specialissimè, cum ipso Comite Camerarum nostrarum, iuxta suam spontaneam obligationem, & nostram omnimodam intentionem, volumus & committimus, vt in cunctis locis Camerarum, in quibus monetæ Camerarum cudi solent, nunc in principio, ad minus mille Marcas, idem Camerarius fabricari faciat, cambio exponendas, qui si non fecerit, tanquam nos seducens, & Regnicolas nostros decipiens remanebit. ITEM ordinauimus, quod ab hinc vnusquisq; cambsores denariorum, vt soliti fore dicuntur, per se seruare cesset omnino & desistat. Si enim aliquos ex eisdem cambsoribus, in detrimentum Camerarum seruare, & habere ipse Comes Camerarum sciuerit, in præsentia hominum dominorum Archiepiscopi Strigoniensis, & Magistri Tauernicorum nostrorum, triumq; aliorum prædictorum, & vna cum eisdem inuenerint, ne dum ipsi cambsores, verùm etiam ipsi dominicorum, in ablatione bonorum, & rerum ipsorum punientur, & dehonestabuntur in personis. ITEM florenus, seu Aureus denarius, denar. Cameræ, pro nonaginta denarijs integris, Cameræ nostræ ampliandis, semper absq; augmentatione, & refutatione vbique accepietur & cambietur. ITEM vna marca Auri, ponderis Budensis, duodecim caratorum cambitur, cum septem Marcis ipsorum denariorum

Marca Vnciarum duodecim, Pēsa, Vncia vna. Vncia, lath 2. Nũc mõtanarũ Marca, pensarũ est septem. Budensis, etiamnum octo. hæc Latinis est Bes, sicut Marca veterum As, vna, vel mina. Denarij Viennen. lati. Grossus denarios sex. Nunc pagamentum est Marc. 75. fini, siue puri Argenti, quibus additur, &c.

Florenus seu aureus denarius. Marca auri. Caratus, id est, gradus.

rum

rum Cameræ, cum eodem pondere Budensi leuando in statera, & nullus possit cambire, Aurum vel Argentum, cum pecunia numerata, sed debeat cambire in Camera Regali, pro eisdem denarijs ampliandis, leuando in statera. Si qui autem secus fecisse, vel facere reperti fuerint, pœna condecenti, tanquam transgressores Regalis mandati, & Statuta Camerarum infringentes, punientur. Cæterùm statuimus, vt nullus omnino hominum, cum aliquibus antiquis monetis, aut auro, vel argento in specie, & specialiter cum paruis, & etiam cum mediocribus Viennensibus, quorum omnimodam extirpaticionem volumus, & committimus, præter quam cum prædictis monetis Camerarum nostrarum merçandi habeat facultatem: Alioquin emptores & venditores suas res & bona perdent, & dehonestabuntur in personis. Præterea nullus mercator extraneus, vel huius Regni superueniens, palàm, vel occultè in domibus, aut Camera suas res & bona, tàm in pannis, quàm in alijs generibus, & speciei rebus, pro alijs monetis antiquis, cuiuscunq; formæ, auro vel argento vendere, aut commutare præsumat, sed pro monetis Cameræ prædictis: de noticia tamen & ad scitum Comitis Camerarum, aut prædictorum hominorum Dominorum Archiepiscopi, & Magistri Tauernicorum nostrorum, ac aliorum, dum ad locum depositionis ad vendendum vel commutandum deuenerit, vendendi habeat facultatem. Si qui autem secus facientes & exercentes, per ipsum Comitem Camerarum, vel suos Officiales reperti, seu per eosdem depræhensi fuerint, res venditioni, tàm in pannis, quàm in alijs rebus expositas, & pro venditis rebus receptas, perdant, & puniantur in personis: Et ne dum illi, qui per se, & sua propria authoritate, contra ordinationem Camerarum nostrarum, & nostram voluntatem, Aurum, vel Argẽtum in specie, præter quam in Aureis, aut Argenteis nouis denarijs, exportantes inuenti fuerint, ablatione eorundem, & dehonestatione personarum suarũ puniantur. Hoc tamen in præsenti Articulo specialiter expresso, quod Comites Camerarum nostrarum, sub quorum Iurisdictione, Montana habeantur, & existant, pro comparando plumbo, & alijs euidentibus necessarijs Camerarum, & Montanarum sine quorum copia mineræ Auri, & Argenti minimè videntur posse procurari, ad noticiam eorundem hominũ, domini Archiepiscopi, & aliorum, si tamen euidens necessitas id requirit, de Auro vel Argento tantum, ad comparationem præmissorum habebunt transmittendi facultatem. ITEM sub cuiuscunq; Comitis Camerarum Comitatu, vel in prouincijs præsens nostra moneta, ex mala procuratione falsificata fuerit, & discurrere, ac abundare cæperit: ipseque Comes Camerarum eandem falsam monetam captiuare, & annihilare non procurauerit: Ipsi Comiti Camerarum sic imputabitur, ac si in locis Camerarum suarum ipsa falsa moneta fuisset fabricata. Si autem idem Comes Camerarum ad compescendum eosdem falsariós, de eorum maliciosis operibus propriam alicubi non habuerit facultatem, ex tunc idem Camerarius, sub testimonijs prædictorum quinque hominum, veritate de eorum falsariorum maleficijs indagata, & recepta, eosdem falsarios nobis, & nostris Baronibus, ac Regno nominatim debeat declarare, & nos pro extirpatione eorundem sollicitè tenebitur incitare. ITEM quia volumus vt præsens moneta nostra tertiæ combustionis amplianda, per totum Regnum nostrũ immutabiliter possit perpetuari, & abundare, & ipsi denarij Cameræ nostræ annorum præteriti, tertij & quarti, vna cum eisdem nouis pariter debeat discurrere, & acceptari: Statuentes ordinauimus & committimus, vt in quolibet Comitatu de singulis portis, per quas currus, cum fæno, vel frugibus oneratus intrare potest, & exire, siue sub eadem porta, seu Curia portam habente, tres aut quatuor, vel etiam plures existant homines residentes, siue solùm vnus commoretur in eadem, neç in tantum sit egens, & pauper, vt soluendi non habeat facultatem, quod videlicet prænominati quinq; hominés, Archiepiscopi, & aliorum iuxta ipsorum conscientiam soluere posse cognouerint, & commiserint, ac domini terræ, seu officiales sibi solu-

Curia nunc sessio.

Domini terræ, officia-

solutionem facere posse, vel non posse, iuramento suo dixerint; exceptis seruis, & conditionarijs nostrorum Regalium, & Reginalium Ecclesiarum, ac aliorum quorumlibet, nec non, exercituantibus, seruientibus dominorum terræ, quos ipsi iuramento ipsorum exceperint, & ijdem quinq; homines, scilicet domini Archiepiscopi, & aliorum, fore exercituantes inuestigando sciuerint, & etiam exceptis Ecclesijs, Ciuitatibus, vel alijs, euidenti priuilegiatica libertate, fultis, facta dicatione, infra quintum decimum diem; decem & octo denarios prædictæ Cameræ nostræ, pro lucro Cameræ ipsi Comiti Camerarum, dare, & soluere teneantur; Tali tamen expressione mediante, quod vbi & in quibus Comitatibus, aut Regni nostri partibus, portæ ex consuetudine non habentur, tum etiam propter defectum lignerum fieri non potuerunt, inibi & ipsi tales prædictum lucrum Cameræ, secundum quod in alijs temporibus, iuxta tamen dispositionem, & conscientiosam ordinationem prædictorum quinq; hominum, infra idem tempus soluere tenebuntur. Ciuitates autem & alij Regnicolæ nostri, prædictã euidentem libertatem habentes, à solutione lucri Cameræ taliter sint exempti. Si tamen ipsas monetas Cameræ nostræ in tenutis ipsorum, & inter eos ac Iobagiones eorundem acceptari faciendo, continuum cursum, & cambium eorundem voluerint facere & exercere; Sin autem non per nos, sed per se ipsos, libertates eorum infringentur, & sic ad solutionem eiusdẽ lucri Cameræ, sicut alij Regnicolæ nostri, sic & ipsi, dum modo hoc vt ipsa moneta nostra per eos non fuerit acceptata, nec inter eos, & ad eos pertinentes cambiri curata fuerit, ad relationem quinque hominum prædictorum, videlicet, Archiepiscopi, Magistri Tauernicorum, ac Comitis Parochialis vnius Iudicis nobilium, & alicuius Capituli nobis pateat euidenter, tenebuntur: Ita tamen quòd quiuis Camerariorum ad singulos Comitatus suæ Cameræ, sufficientes denarios Cameræ nostræ, pro multiplicatione dictorum modernorum denariorum nostrorum, ad scitum & noticiam eorundem quinq; hominum, in tanta abundantia, quòd ipse Comitatus de ipsis contentetur, dare debeat cambio exponendas, qui si non facerent, aut ipsos nostros denarios in tam larga copia cambio exponere non curarent, illic, & in illis Comitatibus iura sua perdendo, nec dicam faciendi, nec lucrum Cameræ exigendi, habeant facultatem. Soluentibus autem in quibuslibet Comitatibus, vnus locus communis & conueniens, pro dicta solutione, deputetur, & si qui præsentes præ multitudine soluentium, aut aliquo alio impedimento præpediti, die assignato soluere non possent, absque aliquo grauamine, quatuor diebus continuis expectentur, nec infra ipsos quatuor dies integros, si solutionem fecerint, possint aggrauari. Hoc expresso, quod ijdem Comites Camerarum nostrarum, ipsum lucrum Cameræ, ratione cambij signanter impositum, non aliter, videlicet, Viennensibus, aut aliquibus antiquis denarijs, vel grossis, per formam compositionis, aut alicuius alterius coloris cautela, nisi cum ipsis integris denarijs Cameræ nostræ ampliandis, exigere tenebuntur: & quod vniuersos denarios antiquos, aut Viennenses grossos, tàm Boemicales, quàm Pachienses, & alios cuiuscunq; formæ existant, exceptis solummodo præsentibus denarijs Cameræ nostræ perpetuò currere statutis, comburere & infundere, ac in formam modernorum denariorum nostrorum redigi facere, pro multiplicatione eorundem, teneantur: Conditione tali, quod si qui facta dicatione, in termino assignato, lucrum Cameræ non persoluerit, tunc ijdem quinque homines, ad possessionem, de qua ipsum lucrum Cameræ non est persolutum, accedant, & tam diu moram ibi facient, absq; destructione, & spoliatione possessionaria, in expensa moderata eiusdẽ possessionis, donec ipsum lucrum Cameræ cum iudicio trium marcarum, persoluatur. Si verò populi vel domini villarum non soluentium lucrum Cameræ prænotatum, præterito termino solutionis, dictis hominibus, in officio Cameræ procedentibus, cum pecunia debita, & iudicio iam ordinato, extra villam placatum obuiarent:

Marginal notes: les, serui, conditionarij. Exercituantes seruientes. — Lucrum Cameræ. Denarij 18. nunc 20. — Mulctandi mos vetus marcarum trium.

uiarent: Ex tunc ipsi executores negotiorum Cameræ, in talibus Villis descensum facere nequeant aliqualem. Comites autem parochiales, & Iudices nobilium fauore, vel precio corruptos iusticiam Cameræ celantes, & homines de dicta solutione defendentes, vel quoquo modo contra nostram ordinationem procedentes, dum modò contra ipsos, hoc euidenter possit comprobari, pœnis non soluentium decreuimus puniendos. Et quia promisimus seriem omnium præmissorum inuiolabiliter obseruare: volumus vt idem Comes Camerarum nostrarum, immutabiliter in præmissis perseueret. Econuerso autem, remedio aliquorum literarum, post emanationem præsentium confectarum, aut acquisita aliqua astutia, quicquam immutare queat de singulis præmissorum: Quia si qui contra hoc facere, ex ipsis Comitibus Camerarum attentaret, dictos quinq; homines, sine quorum iuuamine lucrū Cameræ exigendi nolumus habere facultatem, à societate ipsorum, authoritate præsentium iubemus separari. Nam hanc Dicam, nō pro exactione antiquarum monetarum, aut Viennensium, sed pro ampliatione monetarum Cameræ nostræ perpetuo discurrere in toto Regno nostro ordinatarum duximus disponendam. ITEM volumus, quod dictus Comes Cameræ nostræ, absq; prædictis quinq; hominibus, in negotijs Cameræ, in exterioribus seu extraneis, videlicet, in Comitatibus fiendis & peragendis, vt pote, in dicationibus & exactionibus lucri Cameræ nihil possint exercere. Si verò ausu temerario, contra hoc procederent, & in hoc malum aliquod paterentur, meritò patientur, & sustinebunt. Igitur si Comiti Cameræ, aut suis sequacibus, ac cum eo, precedentibus violentiam cuipiam inferret mani feste, tales secundum qualitatem & quantitatem delicti punientur. Ciuitatenses verò sub Comitatu & iurisdictione eorundem Comitatuum Cameræ existentes, iuxta præsentem taxationem nostram, & Baronum nostrorum, certam summam pecuniæ de prædictis monetis Cameræ ampliandis, similiter infra prætactum temporis spatium, pro argento cambire, vel finationem euidentem monetæ campsæ, in eisdem denarijs Cameræ ampliandis, dare, & soluere teneantur: Videlicet, Ciuitas Trinchiniensis decem Marcas: ITEM Ciuitas de Bach, triginta quinque Marcas: ITEM Korponija similiter triginta quinque Marcas: ITEM Ciuitas Barsiensis quindecim Marcas: ITEM Ciuitas de Tirnauia centum Marcas, & Ciuitas de Tapolchan viginti Marcas, modo prædicto cambire teneantur: Ita tamen, quod aut ipsi Ciuitatenses, receptis ipsis quantitatibus pecuniæ nouæ monetæ Cameræ pro qualibet Marca octo pensas in statera ponderanti, vnam Marcam fini argenti, vel solum nihil recipiendo, combustionem, seu finationem singularum Marcarum ipsius monetæ: Videlicet, de singulis Marcis super ipsos impositis, singulas quatuor pensas prædictarum monetarum, quarum octo pensæ Marcam ponderant, dare debeant. Si qua autem Ciuitatum negligens fuerit in soluendo, prædicti executores negotiorum Cameræ in medio talis Ciuitatis, tam diu permanebunt, quousque cum grauamine duodecim Marcarum solutionem faciet prænotatam, in expensa tamen eiusdem Ciuitatis moderata, vt superius est expressum: Eo etiam declarato, quod quilibet Nobilis, super solutione lucri Cameræ, literas expeditorias à Comite Cameræ pro vno grosso redimere, licet plures habeat possessiones, teneatur. ITEM statuimus, vt in quibuslibet solitis locis in Ciuitatibus debeat fieri domus Regalis, ad quam omnes homines aurum, & argentum, ad vendendum, comburendum, & cambiendum deferre teneantur, vel si palam, vel occultè aliàs comburere, vendere, vel commutare præsumserint, & in hoc reperti fuerint, per eundem Comitem Camerarum omnia bona sua, præsentibus supradictis testimonijs, auferantur, & insuper vt infideles puniantur. Volumus etiam, vt nullus alias, præter quàm in Cameram Regiam aurū quot Karatorū existat, probare debeat, sed Camerarius debeat examinare in domo Regia, & ponere Karatos super aurum, & signum nostrum regium, & sic ad Cameram aurum deferatur: Contra hoc autem præsumentes, per eundem Comi-

Comites. Iudices nobilium.

Literæ expeditoriæ redimantur.

Falsariorum pœna.

Comitem Camerarum, prædictâ pœnâ iussimus puniendos. Cæterùm statuimus, vt nullus mercator, aut quilibet alter, vltra duas Marcas denariorum ad montana secum deferre præsumat pro expensis. Si autem idem Comes Camerarum, vel sui Officiales apud tales vltra duas Marcas reperierint in denarijs, auferant bona sua vniuersa, & puniant eos in persona, præsentibus testimonijs supradictis. Et vt Camerariorum nostrorum iusticia appareat in denarijs fabricandis: Statuimus, vt quilibet eorum in ipsorum monetis, signum habeat, per quod moneta per ipsum fabricata cognoscatur. Cæterum volumus vt ipse Comes Camerarum, monetarios, seu cusores denariorum, vbiq; in Ciuitatibus, aut villis inuenire poterit, & eosdem captiuare voluerit, tunc Iudex, Iurati & vniuersitas Ciuitatis, vel villæ, in qua reperti fuerint, ad requisitionem eiusdem Comitis Cameræ, vel eius officialium, ipsos monetarios captiuare, & ad manus Comitis Camerarum teneantur assignare. Secus autem si qui fecerint, eadem pœnâ, quâ monetarij contumaces sunt plectendi, puniantur. ITEM ipse Comes Camerarum nostrarum in Ciuitatibus nostris, vbi monetæ nostræ fabricantur, debet habere duo scrinia, in quorum vno ferramenta formalia, sub sigillis hominum, domini Archiepiscopi & Magistri Tauernicorum conseruentur, in altero verò virgulæ pro monetis fusæ, absq; monetis nouis, sub sigillis tribus, & clauibus tribus eorundem trium hominum, videlicet domini Archiepiscopi, & Magistri Tauernicorum, ac eiusdem Camerarij, debent conseruari, & semper in præsentia ipsorum hominum, domini Archiepiscopi, & Magistri Tauernicorum aperiantur, nec possint aliquo ipsorum absente aperiri, vel opera monetarum exerceri: Ita quod si idem Comes Camerarum nostrarum ipsis duobus testibus absentibus, vel aliquo ipsorum absente, fractis laucibus, & sigillis, monetas faceret fabricari, per ipsum Magistrum Tauernicorum, tanquam falsarius puniatur, dummodò hoc ijdem homines, domini Archiepiscopi, & Magistri Tauernicorum fateantur, specialiter dum funditur argentum, omnes personaliter interesse debeant, & singulis septimanis, ipsos nouos denarios nostros, ipsi homines, domini Archiepiscopi, & Magistri Tauernicorum, in combustione quadraginta eorundem denariorum nouorum, debeant examinare, & sic ijdem noui denarij cambio exponentur. ITEM cusores denariorum & fabricatores in eisdem Ciuitatibus nostris cōmorantes, ne ipse Comes Camerarum nostrarum pro falsis monetis inculpetur, sub potestate & Iurisdictione eiusdem remanebunt. Cæterùm, antiquâ libertate Camerarum nostrarum requirente, statuimus, vt omnes seruientes officiales, ac monetarios ipse Comes Cameræ nostrę, & non alter debeat iudicare, & si ipse ex parte suorum iusticiam dare neglexerit, Magister Tauernicorum nostrorum prædictus iusticiam facere teneatur, quibuscunq; querulantibus de eisdem. ITEM pro ampliatione earundem monetarum Cameræ nostræ statuimus, vt vniuersi Ecclesiarum Prælati, decimas & debita, ac quosuis reditus, ac etiam cuncti Regni nostri Barones & Nobiles, alijq; cuiusuis status homines, ipsorum prouentus vniuersos, scilicet tributa, terragia, & quasuis collectas, à quibuscunq; eorum debitoribus, & Iobagionibus, tributarijs & officialibus, cum ipsis monetis Cameræ nostræ, aut florenis recipere, & exigi facere teneantur. Dummodò ipsi denarij Cameræ nostræ in tantâ copiâ cudantur, vt omnes debitores, sua debita, cum ipsis denarijs Cameræ nostræ persoluendi habeant facultatem. Nos autem promittentes assumsimus vniuersas nostras collectas Regales, & Reginales, per totum Regnum nostrum, specialiter tributa nostra, & Tricesimas nostras exigi facere, & recipere cum eisdem. ITEM si qui contra ipsum Comitem Camerarum nostrarum, ratione iniuriarum, seu damnorum aut nocumentorum personis Camerariorum nostrorum, in officio procedentibus illatarum, ad nostram, vel Magistri Tauernicorum præsentiam citati fuerint, in primo termino absque vlteriori dilatione, dante iusticia, ipsa causa finaliter debeat terminari. Quicunq; autem Comitem Cameræ nostræ prædictum, ordine

Iudex monetariorum.

Prælati. Decimæ.

ordine Iudiciario in causam attraxerit, præfatus Magister Tauernicorum nostrorũ, ex parte eiusdem, iusticiam faciet nostra authoritate mediante. Hoc etiam ordinauimus, vt de quibuslibet rebus, & bonis ipsarum Camerarum nostrarum vbicunque in terra & in aquis per eorundem officiales deferendis, nullum tributum exigatur. Præterea de qualibet Marca vnum pondus ad rationem denariorum, ratione conseruationis ferramentorum homini eiusdem domini Archiepiscopi, omni die operis & dimidius ferto homini ipsi Magistri Tauernicorum, præter summam conuectionis nostræ Regalis, persoluatur. Si verò ipse Comes Cameræ nostræ quolibet die operis de singulis marcis cusis, singula pondera denariorum, & dictos dimidios fertones, præmisso modo, persoluere recusauerit, vel dilationem facere vellet, homines ipsius domini Archiepiscopi, & Magistri Tauernicorum ferramenta formalia includendi habeant facultatem. ITEM Aulæ nostræ Vicecancellario idem Comes Cameræ nostræ prouentus ab antiquo consuetos, videlicet, triginta Marcas in terminis solutionis subscriptarum, saluis prouentibus Notariorum remanentibus, plenè dare & soluere teneatur. Hoc etiam adiecto, quòd iniurias, & damna officialibus Camerarum per quospiam irrogata, præfatus Magister Tauernicorum prosequatur, & emendet: De falsarijs autem, & eorum fautoribus antiquam Regni nostri consuetudinem volumus obseruari. ITEM statuimus vt Comites parochiales quorumlibet Comitatuum, nõ plus quam tres marcas octo pensarum nouæ monetæ nostræ, à Comitatibus Camerarum nostrarum petere, vel recipere, ratione fororum, præsumant. Nobiles autem & cuiuscunque alterius status homines, fora habentes, prætextu fororum ipsorum, ab eisdem Camerarijs, quicquam petere vel recipere non præsumant. Volumus etiam, vt tam Magistri Tauernicorum suos dimidios florenos, quàm dominus Archiepiscopus sua pondera, quibuspiam vendere non possint & locare. Quod si fecerint, his iuribus ipsorum priuentur. Præterea ijdem, Archiepiscopus & Magister Tauernicorum tales homines, in prosequendis negotiorum Cameræ transmittant, qui possessiones habeant, & si demerita ipsorum requirerent, pendere habeant. ITEM Comites Camerarum nostrarum, qui anno sequenti Cameras nostras conducere voluerint, in die Strenarum venturo, de prædictis debitis ipsorum rationem nobis personaliter reddendo, conducant. ITEM quia superius tetigimus, vt præfati quinque homines executores negotiorum Cameræ super Ciuitates, huic nostræ ordinationi rebellantes, lucrum Cameræ in expensa moderata commorando, cum subsidio Iudicum, & Iuratorum earundem Ciuitatum plenè exigere, cum grauamine iudicij duodecim Marcarum, & eisdem Comitibus Camerarum nostrarum plenariè persolui facere teneantur. Ideo volumus, vt si ipsi Iudices & Iurati præsenti nostro mandato obedire recusarent, extunc ipsum lucrum Cameræ nõ solutum plenè, & dictum Iudicium duodecim Marcarum cum duplo persoluere teneatur: Exprimentes etiam, quod quicunque res & bona, ratione non obseruationis aliquorum articulorum præmissorum, & transgressionis mandati nostri Regalis, seu violationis statuti Cameræ, à quibuscunque personis hominum, & in quibuscunque locis auferentur, in tres partes debeant diuidi coæqualiter, quarum duæ partes ipsi Comiti Camerarum, tertia verò in manus prædictorum hominum, domini Archiepiscopi & Magistri Tauernicorum debeat prouenire. ITEM de quibuslibet Marcis, pro lucro Cameræ in quibuslibet Comitatibus dicatis, & exactis, vnum grossum, seu vnum pondus, homini domini Archiepiscopi, alium verò grossum, seu pondus homini Magistri Tauernicorum dare, & soluere tenebitur Comes Camerarum prædictarum. Istud tamen expressè volumus, quòd si ipse Comes Camerarum nostrarum, ipsam monetam Cameræ nostræ, in locis solitis Cameræ, cudendo abundanter fabricari non fecerit, & ipse solum ad Dicam & exactionem lucrum eiusdem Cameræ se dissimulando commiserit: Extunc ipse talis, tanquam nos seducens & Regni nostri deceptor seu mendax, contra nostram Maiestatem conuincatur. Vt

Cancellarij salarium.

Mulcta Marcar. 12.

Pondus, nũc Pisetum.

consignata, quæ eundem patrem nostrum, per sigilla, eiusdem posteriora, vel per nos cum sigillo, modo præmisso deperdito, confirmata non haberentur & ad ipsa priuilegia, ipsum nouum sigillum nostrum non appenderetur, vel quacunq; patentes literæ nostræ & paternæ non confirmarentur, ea priuilegia & literæ, sicuti per eundem patrem nostrum fuerunt reuocata, & annulata: Sic & nos ipsas, seu ipsa, commisimus viribus caritura, nullam quoq; roboris obtentura firmitatem, interq; patris priuilegium nostrum, omni prorsus suspicione destitutum, & omnia in eo superius contenta & expressa, pro eadem † Ecclesia Nittriensi, dicti sigilli nostri noui duplicis & authentici appensione, † renouauimus, & perpetuò confirmauimus. Datum per manus eiusdem Domini Nicolai Archiepiscopi, Cancellarij nostri, tertio Idus Maij, Anno Domini Millesimo, Trecentesimo, Sexagesimo quarto, Regni autem nostri, anno vigesimo tertio.

De cad. 2. lib. 10.

† Al: pro T. suisq; heredibus & successoribus.

† Al: innouauimus.

Hoc exemplum de verbo ad verbum exceptum est è priuilegio Cathedralis Ecclesiæ Nittriensis, super donatione Ciuitatis Nittriensis eidem Ecclesiæ facta, emanato.

INCIPIT CONFIRMATIO DECRETORVM ANDREÆ SECVNDI REGIS,

Hierosolimitani dicti, Anni Millesimi, Ducentesimi, Vigesimi Secundi, facta per LVDOVICVM primum, Anno Domini Millesimo, Trecentesimo, Quinquagesimo primo.

LVDOVICVS, Dei gratia, Vngariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Seruiæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæq; Rex, Princeps Salernitanus, & honoris montis sancti Angeli Dominus. Omnibus Christi fidelibus, præsentibus pariter & futuris, præsentium noticiam habituris: Salutem in eo, qui Regibus dat salutem, ac feliciter regnare & victoriosè triumphare. Thronus & potentia Regalis dignitatis, tunc dignoscitur roborari, cum subditorum quieti & tranquillitati, prouida circumspectione, prouidetur, ipsisq; digno remunerationis brauio, in libertatibus largiendis, immò etiam per alios Reges pia consideratione, institutis, componendis, nec non confirmandis, liberaliter respondetur. Nam tum obseruantia fidei suæ † habens originem debitam rationis & naturæ legibus, stabilis perseuerat, cum beneuolentia principis in suos ostensa Regnicolas, sic semper coalescit in subditos, vt nisi vitæ suffocetur igniculus, in corpore vigor fidei non lentescit. Ea propter ad vniuersorum noticiam, harum serie, volumus peruenire: Quod Prælatorum, Baronum, nec non Procerum, ac Nobilium Regni nostri cætus, & vniuersitatis idemptitas, nostrum Regium conspectum adeundo, fidelitatibus suis, & fidelium seruitiorum præclaris meritis, in cunctis nostris, & Regni nostri negotijs, prosperis & aduersis, cum summæ fidelitatis studio, & votiua diligentia, nostræ Maiestati exhibitis & impensis, declaratis, & nostram in memoriam reuocatis: exhibuerunt nobis quasdam literas Priuilegiales, Illustrissimi Principis domini AMDREÆ secundi, filij BELÆ Regis tertij, olim inclyti Regis Vngariæ, aui & prædecessoris nostri piæ recordationis, aurea bulla sua roboratas, libertatesque ipsorum, per sanctissimum Stephanum Vngaricæ gentis Regem, & Apostolum (vt prædictæ literæ declarabant) ipsis institutas, innouandas & confirmandas, tenoris subsequentis: Supplicantes vnanimiter & conformiter nostræ humiliter Maiestati, vt ipsas acceptantes, ratificantes, & approbantes, præsentibusq; de verbo ad verbum transumi facientes, simul cum omnibus libertatibus eorundem in eisdem expressis, excepto solummodo vno articulo, in subsequentibus declarando, confirmare, ac easdem libertates, in dictis literis expressas, ex Regiæ benignitatis clementia, authoritate Regia innouando, ipsos in eisdem perennaliter fruituros & gauisuros, literis nostris priuilegialibus, mediantibus stabilire dignaremur. Quarum tenor talis est,

† Al: trahēt.

Andreas secundus.

S. Rex Stephanus.

IN NOMINE SANCTÆ TRINITATIS, ET INDIVIDVÆ VNITATIS. ANDREAS Dei gratia, Vngariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Seruiæ, Galliciæ, Lodomeriæq; Rex, in perpetuum. Quoniam libertas tam Nobilium Regni nostri, quàm etiam aliorum instituta, à Sancto Stephano Rege, per aliquorum Regum potentiam, vlciscentium aliquando iram propriam, aliquando etiam attendentium consilia falsa hominum iniquorum, vel sectantium propria lucra, fuerunt inqnam plurimis partibus diminuta. &c.

EXTAT DECRETVM supra de verbo ad verbum scriptum, & in sua serie positum. fol. 46.

CONCLVSIO CONFIRMATIONIS DECRETORVM *Andreæ per Ludouicum factum.*

NOs igitur, petitioni dictorum Prælatorum, Baronum, Procerum, & Nobilium Regni nostri, aures exaudibiles, Regio cum fauore inclinantes, consideratis, & in memoriam reuocatis, fidelibus obsequijs, & sincerissimis complacentijs eorundem, quibus in cunctis nostris, & Regni nostri negotijs, prosperis pariter & aduersis, specialiter verò in sumenda vindicta innoxij sanguinis olim domini Andreæ, Hierusalem & Siciliæ Regis, fratris nostri charissimi, beatæ recordationis, cuius diræ necis acerbitas ferè totius orbis fines, seu plagas, perpulsauit, ad dictum Regnum Siciliæ nobiscum proficiscentes, inopinatis fortunæ casibus, & varijs personarum periculis summa fidelitate fulti, intrepidè se submittendo nostræ Maiestati, studuerunt complacere, & se reddere nobis gratiosos & acceptos: volentes votis ipsorum gratiosè occurrere, & eorum beneplacitum adimplere, vt ipsos ad similia fidelitatis opera exercenda deuota mente incitemus, prædictas literas ipsius domini Andreæ secundi Regis, aui & prædecessoris nostri charissimi, aurea Bulla sua roboratas, omni penitus suspicione carentes, de verbo ad verbum præsentibus insertas, acceptantes, ratificantes & approbantes, similiter cum omnibus libertatibus in eis expressis: Excepto solummodo vno articulo prænotato, de eodem priuilegio excluso, eo videlicet: *Quod Nobiles homines sine hærede decedentes, possint & queant Ecclesijs, vel alijs, quibus volunt, in vita, vel in morte, dare & legare, possessiones eorum vendere, vel alienare.* Imò ad ista facienda nullam penitus habeant facultatem, sed inter fratres proximos, & in generationes eorundem, ipsorum possessiones, de Iure & legitimè, purè & simpliciter, absque contradictione aliquali, deuoluantur, vt tenor continet priuilegij Bullarum domini Andreæ Regis supradicti confirmantes, & easdem libertates, de beneplacita voluntate Serenissimæ Principissæ, dominæ Elisabeth, eadem gratia Reginæ Vngariæ, genitricis nostræ charissimæ, ac de consilio eorundem Baronum nostrorum, ex Regiæ benignitatis clementia innouantes, ipsos eisdem perenniter commisimus fruituros, & gauisuros.

Elisabeth Vladislai cubitalis filia. Casimiri Magni Regis Poloniæ soror, per quam Carolus primus Rex Vngariæ integrum Regnum Poloniæ adeptus est: Et hic Ludouicus, ac secundum eius obitum filia sua Heduigis possedit. Hinc Ladomeriæ titulus Regibus Vngariæ superest.

ARTICVLI NOVITER CONCEPTI PER Ludouicum Regem, & ad præscriptos Andreæ Regis Articulos additi sunt isti.

INSVPER pro tranquilliori statu, & pacifico commodo Regnicolarum nostrorum, de voluntate eiusdem genitricis nostræ, & consilio eorundem Baronum nostrorum, ipsis ex solida libertate huiusmodi libertates infrascriptas superaddendum duximus, & concedendum.

Ecclesia-

Ecclesiastici viri, pendente lite, contra Nobiles, per censuras Ecclesiasticas, procedere non possint. ART. I.

QVOD si Prælati, vel aliqui viri Ecclesiastici, contra Nobiles Regni nostri in aliqua causa in præsentia alicuius iudicis Regni nostri processerint, & litem habuerint: tunc pro causa, pro qua agitur, lite pendente, interdictum in eos ponere, vel contra ipsos sententiam excommunicationis non possunt promulgare, sicut hactenus vsi sunt & consueti, absque scitu & noticia Regiæ Maiestatis. Et si ijdem viri Ecclesiastici, seu Prælati, tramite iuris obseruato, in alicuius Regij iudicis præsentiam de iure conuicti fuerint, tunc in eandem grauaminis pœnam, qua eorum aduersarios intendebant aggrauare, incidant eo facto. Interdictũ. Albert. Art. 38.

Archidiaconi pro funere interfecti nihil exigant. ART. II.

ITEM pro funere hominum, per aliquem, vel aliquos interemptorum, Archidiaconi mala consuetudine, sicut vsi sunt, nullam marcam exigere valeant. Vlad. 1492. Art. 29. & 1495. Art. 6. Albert. Art. 39.

Conuentus minuti, ab emanatione literarum factum possessionum tangentium, cessent. ART. III.

MINVTI etiam Conuentus, ab emanatione literarum suarum, super perpetuatione possessionum conficiendarum, cessent, & eorum sigilla omni careant firmitate. Vlad. maior. Art. 39.

De lucro Cameræ instituto. ART. IV.

LVCRVM verò Cameræ, prout tempore inclyti Principis Domini Caroli, olim Regis Vngariæ, genitoris charissimi piæ memoriæ, de quolibet integro fundo Curiæ tres grossi soluebantur: Sic & nunc cum tribus grossis, in nostra Camera cudendis (quoniam † grossorum vnus sex denarios Cameræ nostræ in valore & quantitate sex † latorum Viennensium valeat, & ipsorum grossorum quatuordecim vnum † florenum faciant) persoluatur. Superfluos autem denarios dicarum redemptionem, & victualia recipere non valeant. † Albert. Art. 7. Grossus denarij sex. † Al: quorũ † Al: lotouũ † Al: fertonẽ. † Al: non audeant.

De exemptis à solutione lucri Cameræ. ART. V.

VILLICOS, & seruientes in proprijs eorum possessionibus commorantes, ac seruos ipsius lucri Cameræ dicatores, dicare, & super ipsos lucrum Cameræ exigere non possint. Et generaliter dicendo, nihil plus, quam tres grossos, recipere valeant & extorquere. Albert. Art. 7. Villicus.

De Nonarum solutione & exactione. ART. VI.

PRÆTEREA ab omnibus Iobagionibus nostris aratoribus, & vineas habentibus, in quibuslibet Villis liberis, ac etiam Vduarnicalibus Villis, quocunq; nomine vocitatis, ac Reginalibus constitutis, exceptis ciuitatibus muratis, nonam partem omnium frugum suarum & vinorum suorum exigi faciemus, & domina Regina exigi faciet: ac prædicti Barones & Nobiles similiter, ab omnibus aratoribus Iobagionibus, & vineas habentibus, in quibuslibet possessionibus ipsorum existentibus, nonam partem omnium frugum suarum, & vinorum suorum, pro eorum vsibus exigant, & recipiant. PRÆLATI quoque & viri Ecclesiastici Iobagiones habentes, primò decimas, post hæc similiter nonam partem omnium frugum suarum & vinorum ipsorum exigant. Et si qui in exactione prædicta secus fecerint, nos in talium rebellium, & præsentem nostram institutionem alterantium, possessionibus, pro vsu nostro, ipsam nonam partem ipsorum frugum, & vini exigi faciemus, sine diminutione & relaxatione aliqua; vt per hoc honor noster augeatur, & ipsi Regnicolæ nostri nobis fidelius possint famulari. Nonarum exactio Annis iam 233 durat. Quod Prælati, & viri Ecclesiastici similiter à suis colonis, nonas exigant & decimas.

De literarum redemptione, super possessionibus donatis, in Cancellaria. ART. VII.

Vide Alber. Art. 32. & inde Sigism. Anno 1435 secund. Art. 8. 9. 10. 11. 12.
Ferton.

De possessionibus à nobis, & nostris successoribus inueniendis, iuxta earum quantitatem, videlicet de possessione prouentuum decem marcas facientium, Vicecancellarius noster vnam marcam, & scriptor vnum fertonem: Et de maioribus possessionibus, prouentus viginti marcarum facientes, duas marcas, & scriptor similiter vnum fertonem recipere possint & habere: & sic consequenter iuxta excrescentiam possessionum denuò inueniendarum.

De tributis iniustis super terris siccis non exigendis. ART. VIII.

Sigism. maiori Art. 22. 23. Albert. Art. 32.

TRIBVTA omnium iniusta super terris siccis, & fluuijs, ab infra descendentibus, & supra euntibus non exigantur, nisi in pontibus & nauigijs ab vltra transeuntibus soluantur, cum in eis Nobiles, & ignobiles Regni nostri multum & nimium percepimus aggrauari.

De conuictis in iudicio per iudicem captiuandis, & infra triduum, causa pacis, conseruandis. ART. IX

Albert. Art. 27. Huius legis fit mentio Bonfin. Decad. 4. lib. 6. fol. 624.

SI quis Nobilis ordine iudiciario in facto potentiali, aut succubitus duelli, in pœna calumniæ, astationis falsi termini, & exhibitionis falsarum literarum, ac sententiæ capitalis, pro quocunque facto, in præsentia Palatinali, & Iudice curiæ nostræ, aut alterius cuiuscunque iudicis præsentia conuictus fuerit: Iudex illius causæ talem conuictum recaptiuet, & tribus diebus, causa reformationis pacis inter partes fiendæ & ordinandæ, detineat. Et si concordare nequirent, tunc in manus sui aduersarij ad infligendam sibi pœnam, iuxta consuetudinem, & de iure debitam, assignet: & si tali conuicto pars aduersa, siue receptione alicuius pecuniæ, siue grauaminis possessionis suæ complacuerit, erit expeditus.

Filij, fratres, proximi, sorores, & vxores condemnatorum, pro horum excessibus, non debent aggrauari. ART. X.

FILII, fratres, proximi, sorores, & vxores, pro excessu talis perempti hominis, non debent aggrauari, sed in possessionibus, domibus, & bonis ipsorum, pacifici, & quieti permaneant. Si autem cum parte aduersa homo præmisso modo conuictus posset concordare, iudex non vltra, nisi quinquaginta marcas, dando sibi terminum debitum ad easdem persoluendas, recipere posſit. Et si dato sibi termino soluere non curaret, de posſesione sua, expirato ipso termino, recepto homine Regio, & testimonio alicuius Capituli, vel credibilis Conuentus portionem, vel portiones ipsas, quinquaginta marcas valentem, vel valentes, posſit occupare, tam diu posſidendam, vel posſidendas, donec per hos, quorum redemptioni eadem vel eadem magis conuenire dignoscuntur, pro ipsis quinquaginta marcis redimantur.

Nobiles Regni vna & eadem libertate gaudeant. ART. XI.

AD eorundem etiam Nobilium petitionem annuimus, vt vniuersi viri Nobiles, intra terminos Regni nostri constituti, etiam in tenutis Ducalibus, sub inclusione terminorum ipsius Regni nostri existentes, sub vna & eadem libertate gratulentur.

Nobiles inter fluuios Drauæ, Sauæ, ac de Posega, & de Valko, à solutione marturinarum exempti habeantur. ART. XII.

Vide Alber. Art. 7. Bansul mora, id est, vectigal maritimum.

LVCRVM etiam Cameræ nostræ Nobiles, inter fluuios, Draua, Saua, ac de Posega & Valko, cum alijs viris Nobilibus Regni nostri, vnanimiter soluere teneantur, nec ratione collectæ marturinarum Bansul mora vocatarum, à modo & in posterum molestentur, sed ab omni exactione aliarum quarumlibet collectarum, hactenus persolui consuetarum exempti penitus, tanquam cæteri Nobiles nostri aliarum partium, & immunes habeantur.

Nobilium possessiones, in quibus mineræ reperiuntur, Rex absq; æquiualentibus possessionibus non auferat. ART. XIII.

SI quæ verò mineræ auri, vel argenti, cupri vel ferri, aut aliæ fodinæ in possessionibus Nobilium inuenientur, absque competenti concambio non auferantur, sed pro talibus possessionibus mineras auri in se germinantibus, si Regiæ placuerit voluntati, æquales possessiones conferat Nobilibus prænotatis: alioquin si possessiones ipsas minerosas Regia Maiestas pro concambio habere nolit, extunc Ius Regale, seu vrburas Iuri Regio pertinentes, recipere suo nomine faciat, easdem possessiones ipsis Nobilibus, cum cæteris quibuslibet suis vtilitatibus, prouentibus & iuribus relinquens, prout etiam idem Dominus Carolus Rex, genitor noster charissimus, ipsis Regnicolis annuerat literarum suarum per vigorem.

Mineræ. Vrburæ, id est, Census. Vide Sigism. Decret. 2. Art. vltimo.

Regium nomen super factis possessionum donatarum, litigionariæ quæstioni non immisceatur. ART. XIV.

SI autem alicui possessionem, vel possessiones contulerimus, ille possessionem, vel possessiones eidem collatas, pro se recipiat, & non nomine nostro, sed nomine suo proprio, cum contradictoribus in statutione dictę possessionis, à parentibus trahat litem: ita quod nomen nostrum ipsi litigionariæ quæstioni non immisceatur, nec procuratorias literas ad executionem talium causarum à nobis recipere possint, seu impetrare.

Vide Vladis. Anno 1492. Art. 60.

Nobiles ad loca tributorum ire non compellantur. ART. XV.

NOBILES ad loca tributorum ire non compellantur, sed per portus, quo voluerint, libero transitu, absque aliquali impedimento, patiantur.

Sigism. Decr. Sexto, Art. 22. & 23.

Coloni violenter non abducantur. ART. XVI.

IOBAGIONES aliquorum Regnicolarum nostrorum, ad Regiam vel Reginalem Celsitudinem pertinentes, vel ad Ecclesiarum Prælatos, aut potentes Regni nostri attinentes, absque voluntaria permissione dominorum eorundem Iobagionum, potenter non abducantur.

Nobiles tempore nuptiarum ad solutionem vnius marcæ, in locis tributorum non cogantur. ART. XVII.

DENIQUE istam consuetudinem, quòd dum Nobiles Regni nostri, ad conducendas vxores eorum accedunt, & more solito, cum eorum vxoribus ad propria redeunt, in pontibus & tributis vna marca ab eis exigitur, duximus cassandam, & annihilandam.

Pontes, Tributa, Marca.

Coloni pro pristinis excessibus non possint arestari, si migrare velint. ART. XVIII.

IN Ciuitatibus, & liberis Villis Regalibus, & Reginalibus Prælatorum, & Baronum, & aliorum Nobilium tenutis, & possessionibus Iobagiones Regnicolarum nostrorum, pro pristinis factis non possint impediri, prohiberi & arestari, in rebus & personis: sed si ijdem vulnera, læsiones, mortem, incendia, & alia consimilia enormia perpetrarent manifestè, extunc ex parte eorundem, Iudicium & iusticiam, quilibet querulantium, in propriorum dominorum suorum præsentia, prosequatur congruentem.

Filius pro excessibus patris non puniantur. ART. XIX.

PORRO, pro excessibus patris, filius, nec in persona, imò nec in possessionibus, aut in rebus damnificetur, aut condemnetur.

Ecclesiastici viri cum tribus literis Inquisitorijs possessiones acquirere non possint. ART. XX.

EPISCOPI quoq; , Capitula, Abbates, Conuentus, Præpositi, & cæteræ possessionatæ

Math. Reg. vltim. art. 64.

sionatæ personæ Ecclesiasticæ, cum tribus literis Inquisitorijs (nisi Regia Maiestas destinatis probis viris, quos maluerit, experiatur & informetur, inter Nobiles & Ecclesiasticos super possessionibus acquirendis) possessiones, nec requirere, nec retinere possint, nisi cum literis priuilegialibus Regijs, vel Reginalibus, aut Iudicum vicem gerentium Regiæ Maiestatis.

De testimonijs Capitulorum & Conuentuum, & de salarijs eorundem.

ART. XXI.

Sigism. sext. art. 10. Capitularis & Conuentualis hominis salariū.

HOMINES autem Capitulorum, seu Conuentuum, qui ex mandato Regio pro testimonio ducuntur, non possint esse, nisi hi, qui dignitates habent, in eadem Ecclesia: Et si ipsius Capituli, vel Conuentus testimonium in equo suo proprio ductus fuerit, tunc per diem duos grossos: Si verò in equo ipsius Nobilis ducetur tunc per diem vnum grossum ipsi, ijdem Nobiles dare teneantur.

Regius homo fieri non possit, nisi de eodem Comitatu, in quo sit executio.

ART. XXII.

Capituli proximi testimonium, executiones peragit.

HOMO autem Regius, qui ducitur ad citandum, vel ad Inquisitionem faciendam, non posit esse aliunde, nisi de eodem Comitatu, vel districtu, in quo est ille qui citatur, vel contra quem fit Inquisitio: Et Capitulorum testimonium de propinquioribus Capitulis abducatur, ad citandum vel ad inquirendum.

Inquisitiones non possint aliter fieri, nisi Nobilibus simul congregatis.

ART. XXIII.

QVOD inquisitiones non posint fieri per alium modum, nisi mediantibus literis Regalibus, vel Palatini, aut Iudicis curiæ Regiæ: & congregentur Nobiles illius Comitatus vel districtus in vnum, & ab eis inquiratur manifestè.

Pro iudicio pacis tres Marcæ exigantur & non plus. ART. XXIV.

Albert. art. 31. Concordare quibuscunque causantibus licet.

CAVSANTES enim in quacunque maxima & ardua causa, si concordare voluerint, iudex prohibere non posit: & de iudicio pacis ab ipsis non plus, quàm tres marcas exigere valeat quoquomodo.

Vniuersæ causæ in facto possessionum, absq; dilatione, in tertio termino terminentur.

ART. XXV.

VNIVERSÆ causæ in facto possessionum motæ, vel mouendæ, in tertio termino, absq; dilatione & prorogatione aliquali, terminentur.

Et vt præsentis nostræ confirmationis, innouationis, constitutionis, & libertatum largitionis, & concessionis series, robur obtineat perpetuæ firmitatis, nec vllo vnquam tempore per nos, vel nostros successores, in aliqua sui parte quomodolibet valeat in irritum reuocari, præsentes concessimus literas nostras priuilegiales, pendentis & autentici sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus Venerabilis in Christo patris, domini Nicolai, eadem & Apostolicæ sedis gratia Episcopi Ecclesiæ Zagrabiensis, Aulæ nostræ Vicecancellarij, dilecti & fidelis nostri, Anni Domini, Millesimo, Trecentesimo, Quinquagesimo primo, tertio Idus Decembris: Regni autem nostri anno decimo. Venerabilibus in Christo patribus, & Dominis, Nicolao Strigoniense, Locij; eiusdem Comite perpetuo, & Dominico Spalatense, Archiepiscopis, fratre Dionysio archielecto Colocense, Nicolao Agriense, Demetrio Varadiense, Andrea Tininiense, Colomano Iauriense, Nicolao Quinqueecclesiense, Michaele Vaciense, Ioanne Vesprimiense, Thoma Chanadiense, fratribus, Thoma Sermiense, Peregrino Bosnense, Stephano Nittriense, Episcopis, Ecclesias DEI fideliter gubernantibus. Magnificis Baronibus, Nicolao Palatino & Iudice Comanorum, Nicolao filio Laurentij Vayuoda Transyluano, Oliuerio Magistro Tauernicorum nostrorum, & Iudice curiæ dominæ Reginæ, genitricis nostræ charissimæ, Comite Thoma Iudice curiæ, Stephano totius Scla-

uoniæ,

noniæ, & Croatiæ, Dominico de Machow, & Nicolao à Zerrino Banis, Paulo Magistro Tauernicorum Reginalium, Bartholomæo Pincernarum, & Lewkenes Dapiferorum, Dionysio Agazonum & Thewthews Ianitorum nostrorum, nec non Ioanne filio eiusdem Oliuerij Dapiferorum Reginalium Magistris, Simone filio Mauricij Comite Posoniense, & alijs quàm pluribus Regni nostri Comitatus tenentibus, & honores.

FORMA IVRAMENTI TEMPORE HVIVS LVDOVICI REGIS FACTI ET PRÆSTITI, IN LINGVA VNGARICA.

ISTEN teged vgy segellyen, Szűz Maria melleted te veg napodon szent fiánac elötte vgy tamadgyon. ISTENNEÇ mind szenti te erted vgy imadgyanac. ISTEN teste te vég napodon meltan neked vgy meltoztatassec, szörnyű halallal vgy ne vesz el, föld teremedet vgy fogadgya halua, harmad napon vgy hi ne vesse. ISTEN szeniçt te vég napodon vgy lathassad ôröc pokolban vgy ne temetessel, es magul magod vgy ne szakadgyon, hogy Vrunknac Laios királnac es szent Koronaianac valo hiuseg tartasodra, minden oruot, toluait, gyilkost, kaczert, ember êtetöket, bubsoket, baiosokat, hâz égetöket, szentegyhaz törôket, fél hiten valot, es ki Orszag veszedelmére, poganoknaç segetseggel, auagy tanachal volt, ál leuel költöket, al pechet likaztokat, es kic ezekcel élnçnec, es mindeneket azokat, kic vrunc Laios kiralnac es Orszaganac, es szent Koronaianac ellene es veszedelmére törekedöc volnanac, igazan meg mondod, meg neuezed, es ki adod, es meg nem tagadod: es irigységben auagy gyűlölségben senkit el nem vesztesz, es igazat nem hamissitasz, es hamissat nem igazitasz. Ezeket meg nem hagyod sem keduért, sem adomanért, sem gyűlölségért, sem félelemert, sem barat ságért, semmiertis. Es à mi beszed közöttetec lenne, ezt titkon tartod, es oknelkűl senkinec meg nem ielented, meg sem mondod. ISTEN teged vgy segéchen, es ez szent kereszt.

Finis Ludouici Regis Decreti.

MARIA REGINA.

28 MARIA *Ludouici Regis filia, post obitum parentis, per vniuersos Proceres & Optimates ob amorem, quo erga Ludouicum Regem, patrem eius afficiebantur, fuit electa & coronata in Regem Vngariæ. Hæc Sigismundo filio Caroli quarti, Imperatoris Romanorum, & Regis Boëmiæ, nupsit. Quæ regnauit cum matre sua Elisabeth annis ferè quatuor. Contra hanc adhuc sine marito iuuenem Reginam, cum matre regnantem, factionibus quorundam Vngarorum.*

29 CAROLVS *secundus cognomento paruus, Rex Apuliæ, Interrex, Ludouici, ex fratre Andrea, nepos, fuit in Vngariam introductus, & in Regem coronatus, qui in arce Budensi, iubente Elizabetha Regina, occiditur, anno Domini Millesimo, Trecentesimo, Octogesimo quinto.* Literæ huius Caroli parui non habent in iudicijs locum, neq; Reginarum Mariæ & Elizabeth, nisi prout inferius declarabitur, per Sigismundum Regem fuissent posteà confirmatæ.

CONFIRMATIO DECRETORVM ANDREÆ ET LVDOVICI REGVM PER MARIAM REGINAM, SVB PENDENTI SIGILLO DVPLICI FACTA.

MARIA, DEI gratia Regina Vngariæ, &c. Omnibus Christi fidelibus tàm præsentibus, quàm futuris, præsentium noticiam habituris, Salutem in omnium Sal-

um Saluatore. Ea quæ Reipub: seu communis boni grata commoda respiciunt, tenemur aspicere consideratione gratiosa: Quia thronus excellentiæ Regalis culminis, tantò solidatur feliciùs, quantò principatus suos subiectos optatæ pacis præsidio duxerit confouendos. Porinde ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod Serenissimo Principe domino Ludouico, DEI gratiâ inclyto Rege Vngariæ, Poloniæ, Dalmatiæ, &c. genitore nostro charissimo, volente Domino cœli, cuius nutu omnia reguntur & disponuntur, absque prole masculinâ de medio sublato, nobisque successoribus, & ordine genituræ, solium & coronam dicti Regni Vngariæ, ac sceptrum Regni ipsius genitoris nostri, feliciter adeptis, Prælatorum, Baronum, nec non Procerum, ac Nobilium Regni nostri cætus & vniuersitatis idemptitas, missis ad nos, & inclytam Principem dominam Elizabeth, eadem DEI gratia Reginam Vngariæ, Poloniæ, Dalmatiæ, &c. genitricem nostram charissimam, eorum nuntijs, Nobilibus scilicet viris, Paulo literato de Paduersya, & Dionisio filio Dominici de Osztopan, exhibuerunt nobis quasdam literas priuilegiales, eiusdem genitoris nostri, alias literas Illustrissimi Principis domini Andreæ tertij, Belæ Regis filij, olim inclyti Regis Vngariæ, aui & prædecessoris nostri piæ recordationis, super libertatibus ipsorum Baronum, nec non Procerum & Nobilium Regni nostri confectas, iustè, confirmativè continentes, tenoris & continentiæ per omnia infra scriptæ. Supplicantes nostræ Serenitati precibus humillimis & devotis, ut memoratas literas privilegiales ipsius genitoris nostri, de verbo ad verbũ, præsentibus inseri & transcribi facientes, simul cum libertatum Articulis, tàm per ipsum dominum Andream Regem, quàm etiam genitorem nostrum ipsis datis, & concessis, & in tenoribus earundem expressis, acceptare, approbare, ratificare, & innovativè nostro dignaremur privilegio perpetuo confirmare. Quarum tenor talis est. LVDOVICVS DEI gratia Vngariæ, &c. Salutem in eo, qui Regibus dat salutem ac feliciter regnare, &c. Thronus & potentia Regalis dignitatis tumdignoscitur roborari, cùm subditorum quieti & tranquillitati, prouida circumspectione, prouidetur, &c. *Extat hoc Decretum de verbo ad verbum descriptum supra fol. 61.*

IN NOMINE Sanctæ Trinitatis & induiduæ vnitatis. ANDREAS DEI gratia Vngariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex, in perpetuum. Quoniam libertas tàm Nobilium regni nostri, quàm etiam aliorum instituta, à Sancto Stephano Rege, per aliquorum Regum potentiam, &c. *Extat Decretum descriptum supra folio 46.*

ARTICVLI PER LVDOVICVM REGEM ANDREÆ DECRETO ADIECTI.

QVOD si Prælati, vel aliqui viri Ecclesiastici, contra Nobiles Regni nostri in aliqua causa, &c. *Extant descripti supra in Decreto Ludouici anni Millesimi, Trecentesimi, Quinquagesimi primi, folio 64.*

CONCLVSIO LITERARVM MARIÆ REGINÆ *confirmationalium, Decretorum Andreæ & Ludouici Regum.*

NOS itaque præmissis supplicationibus memoratorum Prælatorum, Baronum, Procerum, & Nobilium Regni per dictos eorum nuncios nobis porrectas, fauorabiliter exauditis, memoratas literas priuilegiales paternas, præsentibus de verbo ad verbum insertas, quo ad omnes earum continentias, & clausulas, acceptamus & approbamus, ratificamus, & nostro, prædictis Baronibus, Proceribus, & Nobilibus Regni nostri priuilegio perpetuè confirmamus. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam, præsentes concessimus literas nostras priuilegiales, pendentis & authentici sigilli nostri duplicis munimine roboratas. Datum per manus Reuerendissimi in Christo patris, & domini Demetrij, Diuina miseratione, Tit. Sanctorum quatuor Coronatorum Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri Cardinalis, ac sanctæ Strigoniensis Ecclesiæ Gubernatoris perpetui, locique eiusdem Comitis similiter perpetui, ac Aulæ nostræ fidelis Cancellarij, anno Domi-

Domini Millesimo, Trecentesimo, Octogesimo quarto, decimo Calend. Mensis Iulij, Regni autem nostri anno tertio. Reuerendis & Venerabilibus in Christo patribus, eodem domino Demetrio, dictæ Sanctæ Strigoniensis Ecclesiæ Gubernatore perpetuo, Ludouico Coloceense. Petro Iadrien. Vgulino Spalaten. & Petro Ragusiense, Archiepiscopis: Emerico Agriensis, Paulo Zagrabien. Gublino Transyluanien. Valentino Quinqueecclesien. Decretorum Doctore, Ioanne Varadiensis, Guilelmo Iauriensis. Budino Vesprimien. Ioanne Chanadien. Petro Vaciensis, Ioanne Sirmien. fratre Dominico Nitrien. Paulo Tininien. Demetrio Nouensis, Grisogono Traguriens. Mathæo Sibnicien. Benedicto Pharen. Iacobo Makarien. Michaele Scardonen. & Thoma Segnien. Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus, Corbanien. sede vacante. Magnificis viris Nicolao de Gara Regni nostri Palatino, & Iudice Comanorum, Ladislao Wayuoda Transyluano, & Comite de Zolnok, Comite Nicolao de Zeech Iudice Curiæ nostræ, Stephano de Lindwa, totius Regni Sclauoniæ, Stephano filio Phylpes de Machow, Themplino de sancto Georgio, Dalmatiæ & Croatiæ Banis, Nicolao dicto Zambo Thauernicorum, Blasio Forgach Pincernarum, Nicolao filio Nicolai de Telegd Ianitorum, Ladislao filio Nicolai de Wessen, Dapiferorum, Stephano, filio quondam domini Dionysij Wayuodæ Agazonum nostrorum Magistris, prædicto Nicolao Zambo Comite Posoniense, alijsq; quàm pluribus Regni nostri Comitatus tenentibus & honores.

SIGISMVNDI IMPERATORIS ET REGIS DECRETA.

SIGISMVNDVM *optima indole animi ingenijq; Principem, Marchionem Brandemburgensem, in generum sibi Ludouicus Rex ferè impuberem asciuerat, vt de successore Regno tempestiuè prouideret, filia Maria ei desponsata: quem penes se retinuit, vt sermone, & consuetudine Vngarorum imbueretur. Paulò post Poloniæ Regem nominauit, & in Poloniam dimisit. Mansitq; Sigismundus in Polonia ad obitum vsque Soceri. Mox Ludouici morte accepta, in Vngariam redit, vt cum sponsa Regno potiatur: sed quo minus id fieret, quorundam Procerum factio, quæ non tàm sibi Regem, quàm æmulum Sigismundo quæsijsse visa, Carolum paruum, de quo statim dictum, introduxerat, impediuit. Sigismundo tunc in Marchiam suam diuertente. Vnde in Regnum reuersus Millesimo, Trecentesimo Octogesimo sexto anno, ab Optimatibus Rex succlamatus coronatur. Paucis annis cum Maria vixit. Ad Nicopolim cum Paiasathe Turcorum Imperatore infeliciter pugnat: Capitur in Soklos, sub custodia detinetur, arte liberatur, fugitq; in Morauiam, redit, Infideles gratia prosequitur: Sed Stephanum VVaiuodam Transyluanum hoc hamo capit, & supplicium subire cogit. Ducit Barbaram Hermanni Ciliæ Comitis gnatam: Ex qua Elisabetham suscepit. Hinc Imperator Roman. declaratus: Concilio Constanciensi interfuit triennio: Basiliensi præfuit, sua opera & industria contracto, Ecclesiamq; vniuersalem amplius triginta annos schismate scissam, cum vno tempore tres Pontifices extarent, ad vnitatem reduxit. Pugnauit contra Mahumetem Palasatis filium, cuius copias sæpe in Mysia fudit. Postea Rex in Boëmia coronatus: Bella gessit contra hæreticos acerrima. Imperator fuit, vt humanissimus, liberalissimus, ita prudentissimus: sed meliore in omnia animi promptitudine, & ingenio, quàm fortuna & felicitate vsus est. Edidit subnexa Decreta, & moritur in Morauiæ Marchionatus Znoyma Ciuitate, Anno Domini Millesimo, Quadringentesimo, Trigesimo septimo, in festo Conceptionis Mariæ Virginis, Ætatis suæ Septuagesimo, Regni Quinquagesimo primo.* Verùm literæ & priuilegia eius, ante Millesimum Quadringentesimum sextum annum emanata, non seruantur: *eò quòd de consilio dominorum Prælatorum & Baronum Decreto sanxerat, vt à festo Beati Georgij Martyris, in anno Domini, Quadringentesimo quinto, supra Millesimum,*

Carolus paruus.

Sigismundi Imperat. obitus.

mum,

mum, vsque aliud festum eiusdem Beati Georgij Martyris, in prædicto anno Gratiæ, Millesimo, Quadringentesimo sexto, tunc venturum, iam verò transactum, vniuersæ literæ, Donationales, & aliæ Priuilegiales præfati quondam domini Ludouici Regis, sub ipsius secreto duntaxat sigillo, emanatæ, ac dominarum Elisabeth relictæ, & Mariæ filiæ eiusdem Ludouici Regis Vngariæ, scilicet Reginarum prædictarum, nec non ipsius Sigismundi Regis, ante illa tempora, qualitercunq; confectæ, ad confirmationem importarentur, alioqui inefficaces, viribusq; per omnia destitutæ relinquerentur. Postea literæ eiusdem domini Sigismundi Regis & Imperatoris, vsque in diem obitus sui, annum videlicet Gratiæ Quadringentesimũ, Trigesimum septimum, supra Millesimum editæ, semper valent & obseruantur. *Vt autem huius rei noticia, pro tollendo dubio, cunctis pateat, Exemplum quarundam literarum Donationalium eiusdem Sigismundi Regis, super præmissis confectarum, & in iudicio contradictorio dudum productarum, sensu nulla parte mutato, adijcere placuit huiusmodi sub tenore.*

Exemplum literarum Donationalium Sigism. Imperat.

NOS SIGISMVNDVS DEI gratia, Rex Vngariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Marchioq; Brandeburgensis, &c. Sacri Romani Imperij Vicarius generalis, & Regni Boemiæ Gubernator. Memoriæ commendamus per præsentes: Quòd cum nos Prælatorum, ac Baronum, & Regni nostri Procerum, sana deliberatione exinde subsecuta, pro bono, vtili & tranquillo statu Regnicolarum nostrorum, omnes & singulas literas quondam excellentis Principis, Domini LVDOVICI, DEI gratia inclyti Regis Vngariæ, patris & soceri nostri charissimi, sub ipsius secreto sigillo tantummodo, ac Illustrissimarum Principum, dominarum, Elisabeth matris, & Mariæ contoralis, nostrarum charissimarum, Reginarum dicti Regni Vngariæ felicium recordationum, nec non nostras, sub ipsarum, atque similiter nostris, tàm maioribus, quàm minoribus sigillis, super factis quibusuis, & præsertim possessionarijs, confectas & emanatas, quibuscunque personis, dignitate quauis fungentibus, ad tollendum omne dubium, remouendum scandalum, & ad euitanda mala, atque varia incommoda, quæ propter sigillorum ipsarum dominarum, atque nostrorum deperditionem, ac nostri maioris videlicet duplicis, ex causis & rationibus legitimis, confractionem, multorum iuribus, & præsertim possessionarijs, vti potuissent, derogare, à festo Beati Georgij Martyris, in anno Domini Quadringentesimo quinto, proximè præterito, vsque ad annualem eiusdem reuolutionem, sub pœna reuocationis, annulationis & cassationis earundem (si non producerentur) per nos videndæ & examinandæ, & si opus fuisset, sub præsenti moderno nouo nostro authentico duplici sigillo, confirmandæ & approbandæ, nostræ claritati exhibendas decreuissemus, & præsentandas, tandemq; elapso huiusmodi decreti & statuti nostri termino, pro examinandis & reuidendis huiusmodi literis, coram nobis productis, vel non productis, per nosque, cum præscripto nostro moderno maiori duplici sigillo, confirmatis, & noncõfirmatis, in singulis dicti Regni nostri Comitatibus, per Comites nostros prouinciales, congregationes iussissemus celebrari generales. Demum quia T. & T. Nobiles Comitatus T. literas suas, super Donatione portionis possessionariæ, in possessione T. vocata, in Comitatu T. prædicto existentis habitæ, dudum per Maiestatem nostram, dicto T. filio T. patri ipsorum, & per consequens eisdem T. & T. ipsorumque hæredibus facta, confirmationales, coram nobis, seu homine nostro, in nostra personali præsentia, ad id specialiter deputato, nec non iuratis assessoribus huiusmodi congregationis generalis, prædicti Comitatus T. producere non potuerunt, seu nequiuerunt: Ideò nos præmisso Decreto nostro, iuxta vigorem eiusdem, satisfacere volentes, ipsumq; robur perpetuæ firmitatis obtinere volentes, præmissas literas Donationales, proannotatis T. filio T. & per consequens ipsis T. & T. ipsorumque hæredibus, super Donatione dictæ portionis possessionariæ, per nos, modo, quo supra, datas, per ipsosq; præscripto authentico duplici nostro sigillo, confirmare non procuratas,

Ludouicus primus.

Elisabeth & Maria Reginæ.

Comites celebrant prouinciales congregationes.

tiatim & verbotenus, reuocantes, cassantes, ac suis viribus prorsus carituras decernentes & relinquentes, eandemque portionem possessionariam, rursum nostris Regijs manibus annectentes, memoratis T. & T. ac ipsorum hæredibus & posteritatibus vniuersis, occasione & prætextu præscriptæ portionis possessionariæ, in dicta possessione T. existentis, ac cunctis eiusdem vtilitatum & pertinentiarum, perpetuum & irreuocabile silentium imponendum duximus, & imponimus per præsentes. Nos siquidem, qui ex suscepto Regiæ dignitatis officio, fidelium nostrorum actus virtuosos, & merita (prout Regalem decet dignitatem) æquo libramine ponderantes, vnicuiq; iuxta meritorum qualitatem, Regio fauore occurrere debemus, considerantes, & in memoriam celsitudinis nostræ reuocantes, fidelitatis & fideliũ seruitiorum præclaris meritis, virtuosis gestis, & acceptis complacentijs fidelium nostrorum dilectorum, Magnificorum virorum T. & T. filiorum quondam T. quibus ijdem nobis, & sacræ Regni Coronæ nostræ Regiæ, sub diuersitate locorum & temporum, cum omni sinceritatis zelo, fidelitatis ardore, deuotionis constantia, & solicitudine continua, labores in personis subeuntes, & expensas in rebus, cum adiectione laudabilium operum, se studuerunt coram oculis nostræ Maiestatis reddere gratos, vtiq; & acceptos. Volentes ob hoc eisdem, pro præmissis ipsorum fidelium obsequiorum meritis, ad præsens aliquali nostro Regio occurrere cum fauore, eandem portionem nostram Regiam possessionariam, in dicta possessione T. vocata, in ante fato Comitatu T. existente habitam, simul cum vniuersis vtilitatibus suis & pertinentijs, videlicet, terris arabilibus, cultis & incultis, pratis, fænilibus, syluis, nemoribus, aquis, piscinis, molendinis, aquarumq; decursibus, montibus, vineis, & generaliter quibuslibet eiusdem portionis possessionariæ vtilitatum integritatibus, quouis nominis vocabulo vocitatis, sub eisdem veris metis, & antiquis limitibus, quibus eadem, per suos possessores ritè tenta fuisset & possessa: memoratis T. & T. & per eosdem eorundem hæredibus & posteritatibus vniuersis, ex certa nostra scientia, ac Prælatorum, & Baronum nostrorum consilio, de manibus nostris Regijs, nouæq; nostræ Donationis titulo, & omni eo iure, quo prædicta portio possessionaria, in prætacta T. habita, tàm præuia, quàm alijs quibuscunq; rationibus seu causis, ad nostram legitimè spectat collationem, dedimus, donauimus & contulimus, imò damus, donamus & conferimus, perpetuò & irreuocabiliter possidendam, tenendam, pariter & habendam, saluo iure alieno: assumendo nostro, & nostrorum successorum, Regum scilicet Vngariæ, nominibus & in personis, prælibatos T. & T. ipsorumq; hæredes & quoslibet successores, in pacifico dominio & quieto prædictæ portionis possessionariæ, & quarumlibet eius vtilitatum & pertinentiarum præscriptarum, contra quoslibet impetitores, causidicos & actores, intra, vel extra iudicium, semper & vbiq; proprijs nostris, & eorundem nostrorum successorum laboribus & expensis, indemnes & illæsos, protegere, expedire & conseruare; Harum nostrarum vigore & testimonio literarum mediante. Quas dum nobis in specie reportatæ fuerint, in formã nostri priuilegij redigi faciemus. Datũ &c.

Vtilitatis integritas.

Ex certa scientia ac Prælatorum, & Baronum consilio.

De manibus nostris Regijs. Hæc clausula per Matthiam Regem donationibus deinceps inseri vetita, infr. Decre. maior. Art. 26. Euictio tunc assumitur quando bona inscribuntur plerumque.

GRATIA PER SIGISMVNDVM IMPERATOREM infidelibus & rebellibus suis facta, ratione erectionis banderij æmuli sui: nec non iniuriarum, damnorum, nocumentorum sibi illatorum, Anno Domini M. CCCC. III. post fugam ex arce Soklyos.

NOS SIGISMVNDVS DEI gratia Rex Vngariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Marchioq; Brandeburgensis, &c. Sacri Romani Imperij generalis Vicarius, & Regni Boemiæ Gubernator, memoriæ commendantes, ad vniuersorum notitiam voluimus, serie præsentium peruenire. Quod quia nos, ad instantem & deuotam supplicationem fidelium nostrorum Baronum, Procerum & Nobilium Regni

† Al: præsentialiter.

gni nostri Vngariæ, hîc nobiscum personaliter † existentium, quorum precibus, propter eorum fidelia & gratissima seruitia, atque fidelitates eximias, consensum non possumus denegare: Decreuimus cum omnibus rebellibus, æmulis & aduersarijs nostris, in Regnis nostris, Vngariæ & Sclauoniæ, nec non in partibus Transyluaniæ constitutis & existentibus, veram pacem facere, & concordiam stabilire. Idcirco nos prædictorum fidelium nostrorum supplicationibus fauorabiliter annuentes, ex innata nobis clementia, omnibus & singulis, Prælatis, Baronibus, Nobilibus, militibus, clientibus, nec non cuiusque alterius status & praeminentiæ, vel conditionibus hominibus, in Regnis nostris prælibatis, Vngariæ & Sclauoniæ, nec non partibus Transylvaniæ cōmorantibus, ad eosdemq; pertinentibus, gratiam faciendam duximus, in hunc modum. Primo namque ex Regia pietate concedimus, quòd omnes ipsi Prælati, Barones, Nobiles, milites, clientes, & alij præticulati, ac hæredes eorum, & cuiuslibet eorum, occasione, vel ratione erectionis Banderijalieni, æmuli nostri, & sub ipso, contra nostram Maiestatem, & alios nostros fideles, diuersarum pugnarum & conflictuum, exercituationis, ablationis, etiam receptionis, seu occupationis aliquorum castrorum, districtuum, Villarum & possessionum, siue combustionis & deprædationis illorum, & illarum, nec non dissipationis, & perceptionis bonorum, seu iurium nostrorum Regalium, aut Ecclesiarum, vel Nobilium, & generaliter quorumcunque hominum, ac etiam occasione captiuationis, spoliationis, interfectionis, seu mutilationis quorumcunque hominum, tàm Nobilium, quàm ignobilium, nec non cusionis monetarum, seu denariorum, & generaliter cuiusuis enormis facti, per eos, vel aliquem eorum, simul, vel diuisim, huc vsque, quomodocunque, vel qualitercunque factorum, gestorum & perpetratorum, nullo vnquam tempore, quouis modo per nos, aut alios possint, vel debeant impediri, seu aliqualiter aggrauari: Sed ijdem, à quibusuis causidicis, intra, vel extra iudicium, absoluti, penitusq; supportati habeantur, nec eos quisquam Iudex ordinarius Regni, ratione præuia iudicare valeat, aut damnificare: Imò lites exinde subortæ, vel oriundæ sopiantur, & sedentur, per iudices antefatos. ITEM concedimus, quod si aliqui ex Regnicolis nostris prædictis, quæuis Castra, municiones, seu fortalicia, sponte, vel inuitè manibus aliorum tradidissent, seu etiamsi aliqua assumpta sibi potentia extraneorum, aliqui damna nobis, vel Regnicolis intulissent nostris, aut super Ciuitates liberas, Villas, oppida & possessiones nostras, vel aliorum, census, collectas, vel taxas recepissent, aut ad vrburas Camerasq; salium, & lucrum Cameræ, siue aliorum quorumuis redditDUMuum, & prouentuum nostrorum Regalium, vel Regnicolarum, debitè, vel indebitè se intromittentes, dissipassent: ratione horum, nec per nos, nec per aliquem alium possint impediri, sed penitus habeantur absoluti. præterea, si qua Castra, municiones, seu fortalicia, districtus, aut possessiones ad nostram Regiam Maiestatem cuipiam hominum Regnicolarum prædictorum, forent obligata, ille, vel illa, â nemine recipiantur, nisi prius facta debita solutione, etiamsi ille, cui prius impignorata fuerant, alteri quoq; ea pignoris nomine obligasset. Concedimus quoq;, quod omnes Donationes eis hactenus factæ, maiori sigillo nostro de nouo fiendo, confirmentur pro eisdem. Cæterum si contigerit imposterum, per Regnicolas in Regno aliquam congregationē generalē celebrari, ne eademq; ratione præmissorū, nos, vel aliquis ex Regnicolis nostris, aliquem ex prędictis Baronibus, Nobilibus, militibus, clientibus, vel ad ipsos spectātibus, simul coniunctim, vel diuisim, quocunq; exquisito ingenio condēnare, aut aggrauare vellemus, vel niteremur, id nullo modo nobis, vel eorū cuilibet, in personis possessionib9, reb9, & bonis vniuersis, liceat facere, neq; valeam9 possimusq;. Insuper omnes Episcopat9, dignitates, & beneficia Ecclesiastica quęlibet. Itē Castra Rohôch, Lauriēse, Hrusow, & Podalin in casu, quo Nicolaus, filius Steph. de Liblyo, & ipsum Podalin,

Gratiæ factæ conditiones

Causidicus, id est, Procurator.
Iudex ordinarius.

Census.
Collectæ.
Taxæ.
Vrburæ.
Cameræ Salium.
Lucrnm Cameræ.

Gratiæ effectus, quo ad insontes.
Donationes sub maiori sigillo.

Ne in Comitijs quidem damnentur generabilibus sontes.

Poldin, non in honorem, sed in perpetuum habere dignosceretur, nec non munitiones, & possessiones à viris Ecclesiasticis, vel Sæcularibus, aut Nobilibus quouis modo ablatas, occupatas & receptas, duximus eis, à quibus eædem abalienatæ fuerant, pleno iure remittendas, illis videlicet, pro quibus vterque Nicolaus Waywodæ Transyluan. duxerunt obsides nobis dandos. Demum omnibus & singulis Prælatis, Baronibus, Nobilibus, militibus, clientibus, cæterisque cuiusuis status & conditionis hominibus, & Regnis, & partibus superius nominatis, pro quibus ipsi Waywodæ, ipsos obsides eorum, stare voluerint, vsque ad dies triginta, à die datarum præsentium in antea, memorandos nominando, ipsi nobis in scriptis nominatim intimauerint, gratiam facere ipsis, & eo modo, quo cæteris rebellibus in dulgere. De potioribus autem Proceribus, ac socijs sequacibus, fautoribus, & adhærentibus ipsorum æmulorum nostrorum, & cuiuslibet ipsorum, pro quibus obsides non habebimus, statuimus, quod illi, si vsque ad festum Dominicæ Natiuitatis, nunc venturæ, coram nostra Maiestate, in dicto Regno nostro Vngariæ existentes personaliter comparuerint, debeant, cum consilio tamen Prælatorum, Baronumq; nostrorum consilij nostri, in forma alijs concessa, gratiam obtinere: Si verò venire contempserint, eis præsens gratia nihil suffragetur: De familiaribus verò quorumcunque æmulorum præfatorum nostrorum, nec non de quibuscunq; Nobilibus, in præfatis Regnis nostris, Vngariæ, Sclauoniæ, & partibus Transyluaniæ possessiones habentibus, decernimus, quod in præsens gratia ipsis generaliter † computetur, ita tamen, quod infra anni reuolutionem proximè futuri, à die datarum præsentium inchoando, causa fidelitatis ostendendæ, coram nostra Maiestate se præsentando, literas nostras Regales pro se obtineant superinde. Quod si fortè nonnulli ex rebellibus & æmulis nostris superius designatis, seu ex sequacibus eorum, aliqua spolia, incendia, damna, maleficia, rapinas, cædes, seu alias cuiuslibet generis offensiones deinceps commiserint, vel perpetrauerint, seu quicquam contra Maiestatem nostram attentare præsumpserint, videlicet illi inter partes Transyluanienses, & Drauam commorantes, post dies octo: Illi verò de partibus Transyluaniensibus post dies viginti: Si illi, qui sunt trans Drauam, post dies quindecim, à die datarum præsentium in antea computandos, volumus, quod possint, non obstantibus contentis in literis nostris, secundum formam iuris & iustitiæ condemnari. Postremò donationes vniuersas, per nostram Maiestatem de possessionibus, castris, oppidis, & districtibus dictorum Prælatorum, Baronum, Nobilium, militum, clientum, & ad eos pertinentium præscriptorum, quibusuis, durante præsenti guerra, hactenus factas, simul cum omnibus literis exinde scriptis vel confectis, irritantes atque annullantes à prioribus possessoribus earundem, censemus eo iure, quo antea possederunt, eas teneri, ac etiam gubernari: spondentes atque promittentes omnia præmissa & singula eorum, eis, & quibuslibet eorum, & ad ipsos pertinentibus, hæredibusque ipsorum, purè & sincerè, sine omni dolo & fraude aliquali, bona fide & inuiolabili mediante, firmiter obseruare: ita videlicet, vt vbi aliquis eorum de præmissis quouis modo resiliendo, contra nostram Maiestatem rebellisare niteretur, atque vellet: tunc nos tamen cum Prælatis & Baronibus nostris, qui tunc temporis de consilio nostro fuerint, simul, & coniunctim, non autem diuisim, agnitis suis demeritis, prout qualitas exiget, iuxta Regni nostri antiquam consuetudinem, punire talem valeamus. Datum Budæ feria secunda proxima post festum Sancti Franscisci Confessoris. Anno Domini, Millesimo, Quadringentesimo tertio.

Ecclesijs sua restituatur.

Nicol. waywoda Transyluan. Vayuoda, è Sclauonico Belli Dux redditur.

† Al: suffragetur.

Familiares æmulorum.

SIGISMVNDI IMPERATORIS ET REGIS DECRETVM PRIMVM, SVPER DONATIONIBVS POSSESSIONVM INFIDELium, Anni Domini M. CCCC. IIII.

NOS SIGISMVNDVS DEI gratia, Rex Vngariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Marchioq; Brandenburgensis, &c. Sacri Romani Imperij Vicarius generalis, & Regni Boëmiæ Gubernator, memoriæ commendamus, tenore præsentium significantes, quibus expedit vniuersis. Quod quemadmodum nobis alias, extra Regnum nostrum in partibus Boëmiæ, pro Sacri Romani Imperij honore, & iure nostri patrimonij, pro posse insudantibus & laborantibus, quidam Prælati, Magnates, Proceresque, & Nobiles Regni nostri, malo freti consilio, imò rebellionis calcaneo ducti, & in improbum sensum dati, ingrati, & immemores beneficiorum nostrorum, à Celsitudine nostra susceptorum, in crimen læsæ nostræ Maiest. simul conspirantes: Nos verum Regem, & Dominum Vngariæ diademate & solio ipsius Regni nostri, cui iam DEO propitio ferè à sedecim annis feliciter regnauimus & imperauimus, priuare & destituere, aliumque eis ignotum in Regem, vt puta Ladislaum filium quondam Caroli de Duracio, eligentes in dictum Regnum nostrum introducere satagebant: tandemque assistente nobis Diuini remedij adiutore, nonnullorum fidelium Baronum, & Procerum nostrorum interueniente subsidio, gubernacula dicti Regni nostri votiuè readipiscentibus, plerisq; ex dictis infidelibus nostris, iuxta demeritorum suorum exigentiam, digna correctionis linea feriri, aliosq; castris, tenutis, districtibus, comitatibus, oppidis, possessionibus, & cunctorum bonorum maneriebus priuari disponentes, & destitui, huiusmodi castra, tenutas, districtus, ciuitates, oppida, possessiones & cunctas bonorum maneries, tanquam per notam infidelitatis huiusmodi rebellium, ad manus nostras Regias, deuolutas, & redactas, de dictisq; manibus nostris Regijs, nonnullis prædictis fidelibus, Baronibus, Proceribus & Nobilibus nostris, partem nostram animo constanti, & fidelitate firma tenentibus, fauentibus, & magnificantibus, iuxta laudabilium seruitiorum ipsorum merita, vigore certarum literarum, nostrarum exinde confectarum, iure perennali dedisse, donasse, contulisse & distribuisse perhibemur, & recordamur. Itaque nunc nonnulli forent Regnicolæ nostri, quorum, vt præmittitur, possessiones & iura possessionaria, per Maiestatem nostram, modo præmisso, prætactis nostris fidelibus, donata & distributa existunt, qui his tribus modis infrà scriptis lamentabilibus querelis nostram infestant Maiestatem.

Crimen læsę Maiestatis.

Ladislaus Caroli de Duratio, nō fuit introductus.

PRIMO qualiter nonnulli essent ex ipsis, quorum licet iura possessionaria, propter Notam infidelitatis ipsorum, dictis nostris fidelibus, in æuum contulerimus: tamen tandem moti Regia pietate, qua delinquentibus veniam solemus impartiri ipsis, capitibus quoque, possessionibus, ac rebus & bonis ipsorum vniuersis, gratiam fecissemus specialem.

SECVNDO autem quibusdam ex ipsis, licet iura possessionaria ipsorum, per eandem Notam infidelitatis, alijs infidelibus nostris donauerimus: tamen ipsi iuxta gratiam † per nos, ac dominum Ioannem Archiepiscopum Strigoniensem, nec non vtrosque Nicolaum, aliàs Waywodas nostros Transyluanienses, feliciter factam, initam & motam, à quibusuis malorum generibus, nec non actibus potentionarijs & iniurijs cuipiam inferendis, supersedissent prorsus & cessassent: nec vnquam post prædictam gratiam nobis, aut cuipiam Regnicolarum nostrorum adhærendo, nostris rebellibus & æmulis, aliquam iniuriam, damna, nocumenta, insolentiasque, & opprobria intulissent.

† Al: inter nos.

TERTIO autem essent tales, quorum similiter iura possessionaria, pro præmissa Nota

sa Nota infidelitatis, alijs nostris fidelibus, certarum nostrarum literarum Donationalium vigoribus contulissemus, qui nunquam, & maximè in his elapsis proximis disturbiorum temporibus, aliquam noxij criminis infidelitatis, aut alius cuiuscuis contagionis Notam in se continentem, contra nostram Maiestatem, & sacrum nostrum diadema, aut alios quoscunq; fideles nostros palàm, vel occultè perpetrassent, & commisissent, pariterq; ipsi huiusmodi possessionibus, & iuribus possessionarijs non essent dignè & meritò priuandi, & destituendi: Supplicantes nostræ Maiestati vocibus gemebundis, vt ipsis circa præmissa, de remedio dignaremur prouidere opportuno.

Nos itaque, qui ex suscepti Regiminis officio, causas quorumlibet oppressorum & querulantium, animo metiri debemus, iusticia requirente, auditis & sane intellectis propositionibus præmissis, vnà cum fidelibus Prælatis, Baronibus & Proceribus nostris, maturo exinde Præhabito & digesto consilio, circa præmissos articulos, obiectiones, & querelas præmemoratorum querulantium, modo superius specificato, coram nobis, ac ipsis Prælatis & Baronibus nostris propositos & declaratos, vnà cum eisdem sanximus, decreuimus & instituimus, super hisque statutum fecimus, vt hi omnes & singuli Regnicolæ nostri, quorum, vti superius expressatum est iura possessionaria alijs fidelibus nostris, prætextu præmissæ notæ infidelitatis contulisse dignoscimur, hos nostros fideles, apud quos dicta iura possessionaria existunt, in domibus eorum proprijs, aut alias vbi reperiri potuerint, mediantibus hominibus nostris Regijs, & testimonijs aliquorum credibilium Capitulorum, vel Conuentuum, contra seipsos personaliter, vel per Procuratorem nostræ Maiestatis, vbicunq; tunc (Deo duce) vnà cum eisdem Prælatis, Baronibus & Proceribus nostris fuerimus constituti, euocent in præsentiam, merum, plenum & condignum iudicium, finemq; decisiuum recepturos causa in præmissa. Adueniente autem ipso termino, ipsis partibus coram nobis, pro habendo in eorum causa moderatiuo iudicio, si, & in quantum ipsæ partes vnanimi & concordi voluntate, seipsos in eorum causa, attestatione, seu testimonio aliquorum fidedignorum proborum Nobilium virorum, qui fideles fuerint à principio, & se nostræ Maiestati, sponte submiserint & compromiserint: Extunc ibidem ipsa compromissio, ipsis partibus, per nos, ac ipsos Barones nostros admittatur & consentiatur; inter ipsasq; partes, iuxta formam huiusmodi compromissionis, aut attestationis, iudicium & iustitiam exhibeant indilatè, prout conueniens fuerit & iuri videbitur expedire. In casu verò, quo partes prætactæ, in huiusmodi testium electione discordes fuerint, tunc nos, Prælatos, Barones, aut cæteros Nobiles illius Comitatus, in quo ipsæ possessiones denotatæ, & collocatæ existunt, qui nobis fideles fuere, vel si in ipso Comitatu, tot & tanti nobis fideles in numero, pro tunc non fuissent, quorum testimonium super his sufficiens esset, & acceptandum, tunc alios nostros fideles alterius Comitatus ipsis possessionibus collatis propinquiores, de fidelitate, vel infidelitate partis, quæ inculpatur, per certas literas nostras requirere, & ab ipsis exinde meram certitudinem recipere & experiri teneamur, vt recepta rei veritate, inter ipsas partes finem facere valeamus indilatum. Statutum.

Ad Conclusionem autem horum Articulorum: Primo quicunque Regnicolarum nostrorum, quorum iura possessionaria, modo antelato, cuipiam fidelium nostrorum sunt collata, se annotatam Gratiam per nos ipsis, domino Archiepiscopo & Waywodæ factam, per euidens documentum, aut alia credibilia testimonia, veraciter obseruasse comprobare poterunt; tales rursus in plenum dominium vniuersorum iurium ipsorum possessionariorum debent esse in continenti restituendi. Illis verò nostris fidelibus, apud quos ipsa iura possessionaria extiterint, loco eorundem, alias possessiones dare non † tenebuntur. Illi autem fideles nostri, qui possessiones aliquorum infidelium nostrorum notoriorum, à nobis impetra-

† Al: tenebimur.

petra-

petrauerint,& seipsos ipsi infideles,ab ipsa nota infidelitatis expurgare non valuerint, allegantibus solùm sub ipsis capitibus, possessionibus, & bonis eorum, post ipsam Donationem nostram, per nostram Maiestatem, gratiam fore factam, in pleno dominio ipsarum possessionum ipsis donatarum, in æuum debeant remanere, nec vnquam ipsas possessiones,ab eisdē nostris fidelibus,modo qualicunq; , absque bona eorum annuentia & voluntate,auferre valeamus,nec ipsis infidelibus nostris ipsa gratia nostra,quoad rehabitionem ipsarum possessionum eorum, possit in aliquo suffragari : Quoniam volumus huiusmodi Donationem nostam, semper & vbique,in sui roboris firmitate,inuiolabiter permanere.

ITEM, quicunque fidelium nostrorum aliquas possessiones infidelium nostrorum,à Celsitudine nostra,modo qualicunq; obtinuerit,vel impetrauerit,seipsumq; in dominium huiusmodi possessionum,per nos sibi donatarum, tepiditate, aut aliquali inertia ductus,infra tempus legitimum, vt puta infra anni reuolutionem, per nostrum, aut Capituli, vel Conuentus homines, prout moris est, statui non fecerit, talis vigores literarum suarum Donationalium perdiderit, ipsæque possessiones rursus ad manus nostras Regias sunt deuoluendæ eo facto, aut his Regnicolis nostris, quorum capitibus & possessionibus gratiam fecissemus, in eo casu debeant esse vtique restituendæ.

Statutio infra anni reuolutionem

ILLORVM autem infidelium possessiones, quorum solùm capitibus & non possessionibus gratiam fecisse perhibemur,nobis retinemus, aut si cuicunque ipsas maluerimus donare,id in nostra constat, & constare poterit voluntate. Qui verò modo & consuetudine obseruatis, se vigore Donationis nostræ Regiæ in dominium possessionum sibi datarum, infra tempus legitimum, per nostrum, & Capituli, aut Conuentus homines introduci, ac per ipsos homines fassionem debitam, coram dicto Capitulo, aut Conuentu (prout moris est) fieri procurarunt, occurrentibusq; interim,& imminentibus aliquibus sibi impedimentis, aut obstaculis eorundem Capituli, vel Conuentus, ipsum Capitulum, vel Conuentus ipsas literas Statutorias, ob contradictorum inhibitionem, aut aliam potentiariam resistentiam, aut fauorem, seu formidinem dictorum nostrorum infidelium, vel fratrum eorundem, aut alijs causis expresśis, extradare & emanari facere recusassent: tunc ex eo non debent perdere vigorem literarum suarum Donationalium, dummodo de ea re legitimè doceant, deque, & super his, perhibeant testimonium veritatis.

Ad plenitudinem gratiæ non recepti, bonis non restituuntur.

PRÆTEREA quicunq; fidelium nostrorum in dominium possessionum, ob notam infidelitatis alicuius per nos sibi donatarum, infra anni reuolutionem, hucusque, aut ob metum & potentiam sui aduersarij, vel de nostra commisśione, seu mandato, aut prorogatione se statui facere nequiuisset, & in dominium earundem legitimè introire, & id ritè, & legitimè, cum sufficienti testimonio posset comprobare : Similiter volumus, vt ex eo non perdat vires literarum suarum donationalium.

VOLVMVS etiam, & præsentis scripti nostri patrocinio stabilimus, vt hi omnes, & singuli nostri fideles, qui de possessionibus eorum per nostram Maiestatem eis, prætextu aliquarum infidelitatum donatis, vigore gratiæ nostræ, per nos ipsis infidelibus factæ, aut per ipsos infideles, aut alios quoscunq; potentionaliter exclusi essent, vel qui, vt præmisimus, ob metum dictorum aduersariorum eorum, hucusque dictas possessiones intrare nequiuissent: rursus in plenum dominium earundem, per Comites parochiales illorum Comitatuum, in quibus ipsę possessiones existunt, modis omnibus restituantur, & introducantur.

Comites in bona intromittant.

VOLVMVS etiam, vt numerus eorundem fidelium nostrorum augeatur, & via recludatur delinquentibus: Sanximus, vt quicunq; Regnicolarum nostrorum quibusuis nostris infidelibus facto, aut subsidio, expensarumq; largitione subuenisse, aut ipsis hospitalitatem prabuisse, probare potuerint: Hi omnes similiter perdant

iura ipsorum possessionaria vniuersa. Datum Budæ feria tertia proxima post Dominicam Inuocauit, Anno Domini Millesimo, Quadringentesimo quarto.

SIGISMVNDI IMPERATORIS DECRETVM SECVNDVM: ANNO DOMINI M. CCCC. V. editum, & eius anni primum: Alijs Sigismundi Decretum minus vocatum.

SIGISMVNDVS DEI gratia, Vngariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Seruiæ, Galliciæ, Ladomeriæ, Comaniæ, Bulgariæq; Rex, Marchio Brandeburgensis, Sacri Romani Imperij Archicamerarius, Bohemiæ, & Lucemburgensis hæres. Vniuersis CHRISTI fidelibus præsentibus pariter & futuris, præsentium noticiam habituris, Salutem in omnium Saluatore. Sceptrigera Regalis dignitatis altitudo, eo vigilantiori cura, subditorum conseruationem ac tranquillitatem exquirit, quo felicitatem publicam in sui augmentum & gloriam, calamitatem verò in sui cernit detrimentum, & ignauiam redundare. Neque enim Princeps esse potest inglorius, qui de subditorum pace & securitate semper cogitat, neq; non ignauus, qui futuris malis & periculis non præuidet, quando potest. Hinc est quod conuocatis ex omnibus Regni nostri Comitatibus, ac Districtibus, Ciuitatum, Oppidorum, & liberarum Villarum, Regiæ iurisdictioni pertinentium, nuntijs & legatis auditis & diligenter intellectis, eorum & cuiuslibet ipsorum petitionibus, requisitionibus, informationibus, opinionibus & querelis, de Prælatorum, Baronum, & potiorum Regni nostri Procerum, ipsorum etiam legatorum consilio, matura quoq; superinde deliberatione præhabita, pro bono & pacifico statu, euidentiq; vtilitate totius Regni, quasdam Ciuitates murorum ambitu cingendas, quasdam liberas Villas, seu oppida, Ciuitatis honore sublimandas, quasdam consuetudines, quæ potius abusiones videbantur abolendas, quasdam moderandas, quasdam in melius reformandas, quædam etiam de nouo statuenda decreuimus, sanximus & ordinauimus, prout infra: Ad quam rem vna potissimum consideratio mentem nostram induxit: quod retroactis temporibus, prout in Chronicis legitur Vngarorum, hoc Regnum nostrum, varijs sæpe afflictionibus; interdum per Bissenos, aliquando per Tartaros, non nunquam per alios paganos, nouissime verò per Turcas irrogatis, solummodo ob muratarum Ciuitatum, seu aliarum munitionum carentiam & defectum, cum homines, vbi se, & bona sua recludere, seu reducere possent, loca fortia non haberent: quinimò, cuncta exposita prædis hostium in propatulo subiacerent, miserabiles desolationes, tristissimas populorum abductiones, & generaliter innumerabilia, quæ horror est referre, & inæstimabilia pertulit detrimenta.

Mensura liquidorum & aridorum, per totum Regnum, ad mensuram Ciuitatis Budensis conformanda. ART. I.

PRIMO namq; quorundam subditorum nostrorum precibus inclinati, libertates infra declarandas statuimus. Quod in omnibus Ciuitatibus, Oppidis, Castris, & Villis, & generaliter vbicunq; intra ambitum Regni nostri, tam in nostris, quam aliorum quorumcunq; sint, libra, statera. vlna, mensura vini, frugum, & generaliter omnes res mensurabiles & ponderabiles, ponderentur & mensurentur, secundum mensuram Ciuitatis nostræ Budensis: Demptis, tantummodo mensuris Decimarum & montium tributis, vulgò Hegywam, in Theutonico Pergrecht, ac lucris, censibus, fundis & redditibus Presbyterorum, & virorum Ecclesiasticorum, quos in suis, statu & iusticia, quantitate & valore, volumus permanere. Si quis autem contrarium facere præsumpserit, incidet in pœnam amissionis rei ponderatæ, vel

Mensura veteri & vsitata, quæ mensuranda. Pœna falsi ponderis & mensuræ.

vel menſuratæ, perdendo pro parte ponderata, vel menſurata, totam rem ponderandam, vel menſurandam.

Mercatores forenſes, qualiter pannum vendere intra Regnum poſſint.

ART. II.

Stamen, id eſt, pecia.

SANXIMVS præterea mercatoribus forenſibus in Ciuitatibus quibuslibet pannos incidere, & ad vlnam vendere, imò nec pauciores ſex ſtaminibus ſimul vendere, vllo tempore, etiam diebus nundinarum licere, dummodò ijdem mercatores ſex pannos, vel plures habere dignoſcantur: Si verò pauciores ſex habere, eoſdem integros vendere, vel commutare valeant atque poſſint. Quod ſi ſecus attentatum fuerit, panni quælibet ſtamina, contra huiuſmodi ordinationem noſtram vendita, alienata, vel commutata, nec non pecunia, ſi qua forte ſoluta fuiſſet pro eiſdem, auferantur.

Panni venditio quomodo fieri debeat.

Notarij Publici non valeant procurare inter duos laicos, in iudicio ſeculari.

ART. III.

DECREVIMVS inſuper, quod nullus publicus Notarius, in cauſis, quæ inter duos laicos vertuntur, ſiue coram Iudice Eccleſiaſtico, ſiue ſæculari, procurare audeat, vel vllatenus aduocare, ſed tantum in foro Spirituali, ſeu Vicariorum curijs locum habeat, nec Nobiles, ſeu viri Eccleſiaſtici, inquiſitiones poſſint facere contra eos.

Appellationibus Ciuium, hoſpitum & populorum Ciuitatum, deferendum eſt.

ART. IV.

PORRO, omnibus & ſingulis Ciuibus, hoſpitibus & populis quarumcunque Ciuitatum noſtrarum, & liberarum villarum, alicui ex principalioribus Ciuitatibus annexarum, à quacunque ſententia, per eorum iudices & Ciues lata, ad Magiſtrum Thauernicorum noſtrorum, vel ad iudicium illius Ciuitatis, cuius libertate talis Ciuitas, vel villa, libertate fungitur, liceat appellare, nec ab illorum, ad quos appellatum fuerit iudicatu, vel ſententia ſit vlterius in aliorum iudicum præſentia procedendum, ſed ipſa cauſa debeat coram eiſdem finaliter terminari.

Thauernicorum Magiſter, Iudex appellationis à ſententia Ciuium. Et paulo poſt eodem art. 11.

Malefactores puniendi facultas penes quos ſit. ART. V.

AD hæc, quemadmodum ex antiqua Regni noſtri conſuetudine, per Diuos Reges prædeceſſores noſtros, & nos hactenus obſeruata, Palatinus, Comites parochiales, alijq; honorem, ſeu dignitatem Baronatus tenentes, in congregationibus, ac generalibus iudicijs, quoslibet fures, latrones, ac alios malefactores inibi proſcriptos & extradatos iudicare, condemnare, punire, ſeu proſcribere conſueuerunt. Et inſuper Nobiles, ex ſpeciali gratia Regia ipſis concedi conſueta, in eorum poſſeſſionibus etiam malefactores, quos in maleficijs, & culpis deprehenderint condemnare pœnaliter, & punire facultatem liberam habuerant, ita & nos in præſenti ſanctione duximus ſtatuendum. Quod de cætero, pro conſeruanda pace, proque Ciuitatum & villarum vberiori tranquillitate, pro viarum ſecuritate, pro itinerantium commodo, vt malefactoribus delinquendi materia ſubtrahatur, omnes & ſingulæ Ciuitates, ac liberæ villæ, ſeu Iudices & iurati earundem, huiuſmodi malefactores, qui in eorum tenutis maleficia perpetraſſent, quemadmodum & Nobiles, ex gratia & donatione Regia facere poſſent, condemnandi & debitis puniendi ſupplicijs plenam & liberam habeant facultatem: Saluo, ſi ipſi rei, vel ſupplicijs digni, à Regia Maieſtate veniæ gratiam obtinuiſſent ſuper inde. Sin autem Palatinus, Comites, & alij, qui honorem Baronatus habentes, nec non Ciuitatum rectores, huiuſmodi malefactores extradare, comprehendere & punire non poſſent, ſed nihilominus eos culpabiles iudicando proſcriberent: eo caſu teneantur illi, qui proſcriptionem fecerint, tales malefactores proſcriptos, cunctis iudicibus iu-

Malefactores puniendi modus.

Ciuitatum & villarum liberarum Iudices, malefactores in ſuis tenutis puniant.

Gratia Regiæ Maieſtatis condemnatis ſuffragatur, etiam vinculis detentis.

ſticia-

ſticiarijs Regni noſtri,& etiam omnibus Ciuibus denunctiare,& per eorum literas, maleficij eorum ſeriem continentes,manifeſtare. Qui Iudices & iuſticiarij,ac etiam Ciuitatum rectores,poſtquam huiuſmodi literæ ad manus eorum perueniunt, ipſos malefactores,ſi in ipſorum tenutis & diſtrictibus inuenerint, poſſint & valeant,imò teneantur & debeant areſtare,captiuare, punire,& iuxta eorum demerita, dignis affligere ſupplicijs & tormentis: ſaluo ſemper, ſi à Regia Maieſtate veniæ gratiam impetraſſent. Quod ſi quis iudicium,iuſticiariorum, vel rectorum prædictorum,ipſos malefactores, cum in manus ipſorum inciderint, punire contempſerit,ſciat ſe indignationem Maieſtatis noſtræ grauiſſimam incurſurum, & à noſtra Serenitate,iuxta qualitatem exceſſus exinde dependentis, procul dubio irremiſſibiliter puniendum. Nullus etiam omnino præſumat eoſdem malefactores fouere, protegere, vel aliqualiter defenſare, ſub pœna ſuperius annotata.

Proſcripti denunciādi ſunt.

Gratiā Rex eum facinoroſis hominibus,etiam proſcriptis facere poteſt.

Colonis migrandi libera facultas data. ART. VI.

SANXIMVS præterea,vt à modo in antea,Ciues,hoſpites, ſeu Iobagiones noſtri Regales,de noſtris Ciuitatibus,poſſeſſionibus,oppidis,& liberis Villis, caſtrorumq; noſtrorum tenutis,ad Eccleſiarum, Nobilium,& alterius præeminentiæ hominum poſſeſſiones, & è conuerſo earundem Eccleſiarum, necnon Nobilium,& alterius præeminentiæ hominum Iobagiones,in præfatas noſtras poſſeſſiones, caſtrorumq; noſtrorum tenutas,& generaliter quilibet liberæ conditiones homines, de poſſeſſionibus Nobilium,in Eccleſiarum poſſeſſiones, & de Eccleſiarum poſſeſſionibus, in Nobilium poſſeſſiones,temporibus ſemper ſucceſſiuis,vniuerſis & perpetuis,liberam ,tutam & omnimodam, mandati cauſa & ſe transferendi, habeat facultatem: Harum noſtrarum literarum per vigorem. His moderaminum limitationibus clarè præſentibus expreſſorum,vt quicunq;,& quorumcunq; Iobagionum dominus,aliqua Birſagia ſua,quibus Iobagio ſuus aliquo tempore fuiſſet conuictus, infra vnius menſis ſpacium,non exegiſſet ſuper eundem: extunc Birſagia talia ſuper eundem Iobagionem ſuum,dicto menſe elapſo, recipere, & eundem Iobagionem retinere non valeat,ſed idem Iobagio quo maluerit,modo præhabito, indemnis moraturus accedat. Iobagiones autem vltra Drauæ fluuium reſidentes, huiuſmodi libertatis priuilegio gaudere nolumus: Sed potius in ſuis antiquis conſuetudinibus,eos decreuimus permanere.

Birſagium intra mēſem à colono exigendum, deinceps exigi nequit.

Coloni vltra Drauam cōmorantes non migrant.

Areſtari non poteſt aliquis, niſi prius coram ſuo iudice conueniatur. ART. VII.

DECREVIMVS inſuper & ordinauimus,quòd nullus ex Prælatis,Baronibus, Proceribus, Nobilibus,aut alterius cuiuſcunq; dignitatis, ordinis, ſtatus & conditionis hominibus,Regnicolis & ſubditis noſtris,occaſione debiti,delicti,culpæ,aut maleficij vnius perſonæ, ſeu hominis, cuiuſcunq; ſtatus & conditionis exiſtat,audeat,vel præſumat, Ciuitatem, Oppidum, vel Villam, vbi talis debitor delinquens culpabilis,aut maleficus reſidere conſueuit,ſeu Ciues,Oppidanos, vel Villanos areſtare, detinere,vel modo aliquo impedire: Sed ſi quis contra talem, quicquam actionis habet, vel habuerit,id in præſentia ſui iudicis ordinarij exequatur, prout retroactis temporibus fieri in talibus,ſecundum Regni noſtri iuſticiam,conſueuit: ita quòd innoxij, pro nocentibus,nullo modo aggrauentur.

Iuſti pro iniuſtis non grauentur.

Læſi & damnum paſſi, primo à Iudice loci, de eo, qui vim intulit, iudicium petant. ART. VIII.

STATVIMVS etiam & ordinauimus,quòd quemadmodum antiqua Regni noſtri habet conſuetudo, vt ſi cui in Villa, vel poſſeſſione alicuius domini terreſtris, cuiuſcunque ſtatus & conditionis, tàm Eccleſiaſticus, quàm Sæcularis exiſtat, aliqualis inferretur iniuria,damnum,vel offenſa,talis læſus,ſeu damnum paſſus,primò ad dominum, ſeu iudicem illius poſſeſſionis accedendo, iuſticiam poſtulare tene-

tur.

Appellandũ gradatim, ab inferioribus ad superiores.

tur. Et si talis dominus, vel iudex, sibi iusticiam facere contempserit, ad Comitem provincialem valeat appellare: Et si Comes etiam in reddenda iusticia tepidus fuerit, vel remissus, ad nostram Regiam Maiestatem possit etiam appellare. Ita nunc quoq; volumus, vt si alicui personæ Regnicolæ, vel extraneæ, in aliqua Ciuitatum, Oppidorum, & Villarum liberarum nostrarum, per aliquem, cuiusuis status existat & conditionis, aliqualis iniuria, offensa, vel damnum, fuerint irrogata vel illata: tunc talis læsus, vel damnum passus, primò coram iudice illius Ciuitatis, suam debeat prosequi iusticiam. Et si iudex & iurati illius Ciuitatis iusticiam sibi debitam facere recusauerint, vel exhibere distulerint, tunc ipse læsus, vel damnum passus, ad Mgistrum Thauernicorum nostrorum, suam causam attrahere valeat atque possit. Deinde si etiam ipse Magister Thauernicorum nostrorum, super huiusmodi querela, iusticiam ministrare contempserit, tunc liceat annotato læso, vel damnum passo, ipsius Magistri Thauernicorum iudicio dimisso, suam causam in nostræ Maiestatis præsentiam attrahere, nosque, vti ex regiminis nostri Regalis officio tenemur, vnicuiq; ministrabimus iusticiæ complementum. Quòd si quispiam talis læsus, vel damnum passus, hoc ordine non seruato, authoritate propria se præsumpserit vindicare, & sibi satisfactionem recipere, talis transgressor huius nostri Decreti, in facto potentiæ conuincatur: cum neminem liceat, nulla postulata iusticia, propria se authoritate vindicare.

Vindictæ propriæ pœna.

Nonam & decimam, ex deposita in loco credibili pecunia, conuictus, vel qui causam depositioni dedit, soluere tenetur. ART. IX.

DECREVIMVS etiam, quòd in quibuscunq; causis & processibus, de quibus iudices causarum quarumcunq; Nonam & Decimam, ab illa parte, quæ causam obtinet recipere consueuerunt, de cætero non ab ipsa parte, quæ causam obtinet, sed ab illa parte, quæ in ipsa causa conuincetur, recipere debeant iudices illius causæ & extorquere: cùm non sit æquum, vt qui iustus est, pro iniustis puniatur, & in rebus damnificetur.

Ciues & inhabitatores singuli Ciuitatum, Regi contribuere tenentur.

ART. X.

Statuimus etiam, vt quilibet ciuis, & inhabitator quarumlibet nostrarum Ciuitatum, à modò, & in antea collectas nostras Regales & contributiones, pro rata (non obstantibus quibuscunq; libertatibus ipsis hactenus datis, & inposterum per nos, & nostros successores, concedendis, quas, quo ad præmissa, ipsis non volumus vllatenus suffragari) soluere, & cum illis nostris Ciuibus contribuere teneantur. Si verò per nos, vel nostros successores, aliquos ciues nostros liberare, & exemptos facere contingeret, tunc & eo casu nos, & nostri successores prædicti, quicquid ipsi Ciues liberati, ad collectas soluere deberent, id de communitatis computo defalcando, ad nostram teneamur & debebimus recipere rationem.

Exemptorũ à se ciuium cõtributionem Rex in se recipit.

Mercatores incolæ, res suas deferant quo quò libitum & placitum est.

ART. XI.

ITEM licet Ciues nostri Budenses, inter cæteras eorum libertates, tali libertate per nostros prædecessores ipsis largita, ac per nos confirmata, freti, & vsi hucusque dignoscuntur, vt putà, vt omnes & singuli, tàm Regnicolæ, quàm extranei mercatores, vniuersas & quaslibet res mercimoniales, ac bona venalia, & commutabilia, tàm descendendo, quàm ascendendo, in ipsorum ciuium Budensium medio deponere, ac depositas inibi vendere & commutare, abindeq; nullatenus alias abducere, neque deportari facere debuissent, & fuissent assueti. Tamen quia nunc facta generali congregatione quarumlibet Ciuitatum, Oppidorum, ac liberarum villarum nostrarum Regalium, habito superinde consilio, visum & consultum extitit.

titit, vt pro ampliori fructuositate, & vberiori statu, & communi bono Regni, & Regnicolarum, ac præcipuè Ciuium, & mercatorum nostrorum, ne propter vtilitatem & augmentum vnius Ciuitatis, tota Regni nostri communitas, damnum & incommodum suscipiat, & nociuum recipiat detrimentum, vt omnes & singuli mercatores, nostri videlicet Regnicolæ, de Regno nostro exeuntes, & in Regno nostro commorantes, vniuersas, & quaslibet ipsorum res mercimoniales & bona venalia, seu commutabilia, per totum nostrum Regnum, & extra ipsum Regnum, quocunq;, quotiescunq; & quandocunq; voluerint, liberam, meram, plenam & securam deducendi, deferendi, pellendi, reducendi, deponendi, & depositas vendendi, commutandi, & abinde deferendi, & deduci faciendi, & cum eisdem, iuxta eorum voluntatem & libitum, disponendi habeant facultatem: non obstantibus quibuscunque libertatibus & priuilegijs dictis ciuibus nostris Budensibus, super præmissa rerum depositione † qualibet datis, vel concessis, quas & quæ, quoad præmissa, ex certa scientia reuocamus, exceptis extraneis, qui teneantur in præmissis antiquam cõsuetudinem obseruare.

Depositionum loca, quoad externos, non quoad indigenas seruanda.

† Al: quomodolibet.

Appellatio liberarum Ciuitatum fit ad Magistrum Thauernicorum, inde ad Personalem præsentiam, si opus sit. ART. XII.

INSVPER omnes & singuli Ciues Ciuitatum, quas de nouo creauimus, quibusq; aliarum Ciuitatum, constituimus libertates, si de iudicatu, & sententia iudicum & iuratorum suorum, noluerint contentari, ad illam Ciuitatem, cuius libertate funguntur, aut ad Magistrum Thauernicorum nostrorum, valeant appellare: Ita tamen, quod postquam Magistrum Thauernicorum elegerint, ad iudices & iuratos redire non valeant, nec è contra, ad nullum vlterius, nisi si opus fuerit, ad præsentiam nostram personalem, appellatio possit fieri quouis modo.

Vide infr. eiusd. tertio, art. 11. & sup. art. 4.

Dona à liberis Ciuitatibus Regi & suis Officialibus debita, qualia sint. ART. XIII.

SANXIMVS nihilominus statuentes, vt Ciues & hospites nostri, quarumlibet Ciuitatum nostrarum Regalium, intra ambitum & climata Regni nostri existentium, dona, seu munera ipsorum in quolibet anno, prætextu Strenarum Regiæ Maiestati debita, sic & eodem modo nostræ Maiestati dare & soluere, quemadmodum nouiter conuenimus cum eisdem: & in quarumlibet Ciuitatum, Oppidorum, & Villarum liberarum nostrarum literis, per nos ipsis concessis, inter alias eorum libertates, clarè exprimuntur, debebunt & tenebuntur. Præterea Magistro Ianitorum nostrorum tempore in præfixo, non plus, quàm sex florenos dare, & cum eisdem nostris muneribus, annis singulis soluere teneantur. Dum autem vbi & quando nostram, vel Reginalem claritatem, in aliquam Ciuitatum, Oppidorum & liberarum Villarum Regni nostri, intrare contigerit, extunc Ciues & hospites loci illius, in quem ingressum fecerimus, nostræ ac Reginali Maiestati, victualia opportuna, ad vnum prandium & vnam cœnam, si prandium & cœnam ibidem habere voluerimus; aut prandium, vel cœnam tantummodo: Sin, nisi semel nos ibidem commestionem habere contigerit, abundanter dare & administrare teneantur. Magistro verò Agazonum, Ciuitates, per quas nostram, seu Reginalem Maiestatem transire contigerit, illius scilicet Ciuitatis artifices, cuiuslibet generis, vt puta, omnes pellifices vnum pelliceum, & omnes frenatores vnum frenum, & sic de singulis, vna vice duntaxat in anno, quandocunq; nos inde transire contigerit, & non alteri, dare & administrare teneantur. Demptis tantummodo Ciuitatibus, quæ ad præmissa, ex antiqua consuetudine, nullatenus obligantur: Cæteris verò Officialibus, tàm nostris, quàm Reginalibus, videlicet, Pincernarum & Dapiferorum Magistris, dispensatoribus, hostiarijs, cocis, & alijs quibuscunque, nil penitus dare, seu soluere teneantur.

Strena Regia.

Magister Ianitorum florenos sex accipit, pro strena.

Regi prandium ac cœna à Ciuitatibus, per quas proficiscitur.

Magistro Agazonum Ciuitates, per quas REX transit pellicium dant & quædam alia.

Excipiũtur quædã Ciuitates, à dandis xenijs.

Ecclesiastici profanas, Seculares verò Iudices ecclesiasticas causas non dijudicent, neque cognoscant. ART. XIV.

DISPOSVIMVS etiam de modo & consuetudine, ab antiquo solitis, obseruari: Quòd Prælati & quipiam viri Ecclesiastici, causas aliquas, inter Regnicolas nostros motas, à modoq; & in antea, qualitercunq;, & vbicunq; mouendas & suscitandas, vt puta iudicium sæculare concernentes, iudicare & diffinire minimè valeant, neq; possint. Et è conuerso, Barones, Comites prouinciarum, & alij Regni nostri Nobiles, Ciuesq; & hospites, causas aliquas, lites, seu quæstiones, forum videlicet Ecclesiasticum tangentes, discutere & iudicare non debeat, neque præsumant. Et si inter ipsos dominos Ecclesiasticos ab vna, parte verò ex altera iudices sæculares prætaxatos, super aliquibus causis, in eorum præsentia, vertentibus, circa ipsarum causarum iudicium, cui videlicet ipsorum iudicium pertineat, discordia, seu disceptatio aliqualis exciterit suborta, extunc partes eædem, causas, seu causam huiusmodi, litigiosas, in specialem nostam præsentiam, vbi DEO duce pro tunc fuerimus constituti, cum Prælatis & Baronibus, dirimendas transmittere teneantur: vbi decernentes sanciemus, ad cuius partis iudicium, seu forum spectare debeant & pertinere causæ prænotatæ.

Ad Regem spectat cognoscere causas dubias, ad quod iudicium pertineant, infr. an. 1405 secũd art. 12. Math. tertio art. 17.

Aurum & alia metalla exportari prohibita, & de inspectione, ac exploratione rerum mercatorum, per Tricesimatores Regios. ART. XV.

INSVPER quemadmodum & ab antiquo, iuxta statuta Regia, aurum & argentum, cuprum, & alia metalla de Regno nostro deduci prohibita existunt, ita inter alias cõstitutiones, Ciuitatibus, Oppidis, & liberis Villis, ad præsens editas, sancimus & statuimus, vt in qualibet Ciuitatum, Oppidorum, & liberarum Villarum, duo iurati Ciues ad id idonei, per iudicem & ciues eligantur, qui quibuslibet legationibus & obstrictionibus Ballarum, vasorum, ac aliorum ponderum ligandorum interesse, & easdem conspicere debeant, sine quibus ciuibus ad id deputatis, nulli mercatores, institores, & alij quicunq; commutatores ipsorum Ballas, ac alia pondera ligare, aut concludere præsumant. Quas quidem Ballas & pondera, ijdem duo Ciues eorum sigillorum appositione assignare debeant & munire: & si contra factum fuerit, extunc ipsæ Ballæ, vel mercimonia non inspecta, vel sigillata, vt præmittitur, totaliter amittantur, & fisco nostro Regali penitus applicentur. Quibus quidem Ballis, ac alijs quibusuis ponderibus sic ligatis & consignatis, ad locaq; Tricesimarum nostrarum deductis & portatis, si eo in casu nostri Tricesimatores, aut eorundem officiales, talibus sigillationibus fidem nollent adhibere, sed huiusmodi Ballas prætenderent disligare: Extunc si currus, in quibus huiusmodi Ballæ, & pondera deferuntur, magni onerati, vulgo Masa dicti, exciterint, vnam marcam auri, vel sexaginta florenos, aut monetam eiusdem valoris: Si verò currus medius, modicus, seu paruus foret, tunc mediam marcam, aut florenum, aut monetam æquiualentem, ad temonem ipsius currus, apponendo, easdem Ballas & pondera, disligare, & conspicere valeat atque possit. Et si in huiusmodi Ballis, seu ponderibus, aurum & argentum, & aliæ res prohibitæ non reperirentur, extunc Tricesimator amittat marcam, seu pecuniam appositam, quæ domino earundem rerum, seu mercatori debeant remanere: Si verò aurum, argentum, vel aliquæ res prohibitæ, repertæ fuerint in ipso curru & inuentæ, tunc non solùm eædem res prohibitæ, sed etiam aliæ vniuersæ, & bona quæuis, in ipso curru & Balla, existentia & habita, simul cum marca & pecunijs huiusmodi, per ipsos Tricesimatores, aut eorum officiales auferantur & recipiantur.

Masa, id est, 100. lib. Marca auri floreni sexaginta tunc, nunc marca iudicialis auri talleri 72. auri montana Floren. 96. Nam piset. aurival. flor. 2. Tricesimator amittit marcam auri, si nihil superflui in curru institoris repererit.

Pœnà eorum, qui res extraneorum, vel forensium mercatorum, sub nomine rerum propriarum, penes se tenent & vendunt. ART. XVI.

STATVI-

STATVIMVS etiam, & ex deliberatione decreuimus, vt nullus omnino mercatorum, alterius etiam cuiusuis Regni nostri status, conditionis & præeminentiæ hominum, res mercimoniales, ac bona quæuis venalia, & commutabilia forensium, ac extraneorum, sub nomine rerum & mercanciarum propriarum, prout in talibus astucia aliquorum hactenus facere consueuit, acceptare, recipere, tenere, conseruare, vendere, commutare, seu etiam modo quouis expedire, societatesq; cum ipsis forensibus contrahere, facere, stabilire, ordinare & firmare, ratione atq; causa vt sub colore huiusmodi societatis, præmissa liberè exerceat, dictoq; nostro Decreto contra facere vllatenus, audeat atq; possit. Contrarium verò facientes rerum omnium ac bonorum, sub huiusmodi calculosa collusione, in nostri præsentis edicti contemptum, in Regnum nostrum apportatorum, venditorum, ac vendendorum, commutatorum, & commutandorum irremissibilem perditionem, & fisco nostro Regio applicationem, personasq; ipsas, arbitrariam nostræ Maiestatis pœnam, incurrere volumus eo facto, toties, quoties, in omnium præmissorum, per quempiam contra factum fuerit, seu etiam acceptatum.

Mercator non teneat exterorum res sub suo nomine.

Pœna.

Tricesima soluenda, tàm de rebus efferendis, quàm inducendis in Regnum.

ART. XVII.

PRÆTEREA quia nouiter certis, iustis & rationabilibus causis moti, pro Reipublicæ vtilitate, totiusque Regni conseruatione, pro qua etiam retroactis temporibus, prædecessores nostri Vngariæ Reges, multa statuta, multasque consuetudines inducere curauerunt: vna cum Prælatis, Baronibus, & Regni nostri potioribus Proceribus decreuimus, vt vniuersi mercatores, negotiatores, & alij cuiuscunque status & conditionis homines, extra Regni nostri limites, mercimonia, seu res mercimoniales & venales deferentes, & exportantes, tricesimam partem, quemadmodum de illis, quæ introducuntur in Regnum, soluere & administrare teneantur. Idcirco in præmissi Decreti nostri nouiter constituti, aliqualem alleuiationem, & etiam in recompensam, sanximus & liberalitate Regia concessimus, quòd huiusmodi mercatores & negociatores, & alij prænominati, per quæcunq; loca tributorum, seu teloneorum nostrorum Regalium, cum personis, equis, curribus, ac quibusuis eorum mercimonijs, ac rebus & bonis vniuersis, liberè & expeditè, sine aliqua solutione tributaria, transire valeant, totiens, quotiens magis fuerit opportunum: mandantes tributarijs nostris quibuslibet, tam præsentibus, quàm futuris: Quatenus huiusmodi personas, sub pœna indignationis nostræ grauissimæ, contra formam præmissæ libertatis, nullatenus impedire, neque ab eis tributum aliquod petere & exigere audeant.

Tricesimam soluentes, sunt liberi à tributis Regijs.

Monetarum vsus, & pœna eius, qui in re tali deliquerit. ART. XVIII.

CÆTERVM cum in omnibus Regnis, Reges, quadam prærogatiua præcipua, monetam, tam auream, quàm argenteam, cudi facere liberam habeant facultatem: inhonestum satis & detestabile videtur, quod pecunia cusa, per eandem ditionem, cursum & expositionem debitam non haberet, sed multò detestabilius est, si circumcideretur, vel alleuiaretur, aut modo aliquali viciaretur. Cupientes igitur his enormibus casibus, salubribus remedijs, obuiare, requisito super eo Prælatorum, Baronum, Procerumque nostrorum, nec non vniuersorum Ciuium, Ciuitatum Regalium, præsentialiter constitutorum consilio, pro vtilitate totius Regni & augmento, proque iusticiæ splendore conseruando, ordinamus & etiam statuimus, quod nullus omnino hominum, quiscunque status & conditionis existat, audeat, vel præsumat pecuniam nostram Regalem, siue auream, siue argenteam, dummodo iusta, & nostra sit, reijcere, vel aliquatenus refutare: Item nec circumcidere, graues à leuibus secernere, vel aliquo artificio, seu ingenio viciare, contrarium quidem at-

Moneta Regia non reijcienda, neq; vicianda.

dem at-

dem attemptare præſumentes hoc modo debeant puniri: videlicet, ille, vel illi, qui pecuniam noſtram recipere recuſauerint, cadant in pœnam amiſſionis pecuniæ, quę ſibi debetur, vel rei, pro qua pecuniam ſoluere tenentur: ita quod Iudex & iurati illius loci, pecuniam, vel rem habeant, & debitor à creditore ſuo, ac emptor â venditore, proinde liber ſit & abſolutus, ac ſi eidem dictam pecuniam perſoluiſſet. Illi verò, qui Regiam pecuniam circumcidere, & minuere, ſeligere, vel viciare præſumpſerint, vt præfertur, tanquam falſari & malefactores, non tantum in rebus, ſed etiam in perſonis, iuxta Regni noſtri conſuetudinem antiquam, puniantur. Quòd ſi facere ipſi iudices, & iurati, in quorum manus tales tranſgreſſores inciderint, renuerint, & eos impunè abire permiſerint, pro pecunia, vel re relaxata, in tanta quãtitate pecuniæ, vel valore ipſius rei, fiſco Regio ſubiaceant condemnati: Pro falſarijs verò dimiſſis, illam pœnam incidant, ſiue pecuniariam, ſiue perſonalem, quam noſtra Maieſtas duxerit imponendam, & etiam infligendam.

Pecunia quando cadit in commiſſum.

Pœna minuentis nummos Regios.

De Regijs commutatoribus monetarum. ART. XIX.

VERVM vt ipſa pecunia noſtra in ſua ratitudine conſeruetur, nullusq; præſumat ipſam incidere, vel viciare: Sanximus etiam, quòd in qualibet noſtra Ciuitate ſi campſor Regius, qui ſolus cambiendi, & commutandi pecuniam, videlicet, pro florenis aureis monetam, & pro moneta florenos aureos, habeat facultatem: interdicentes vniuerſis & ſingulis Regnicolis noſtris, & etiam extraneis, cuiuſcunq; ſtatus & conditionis, vt de cætero cambire, ſeu commutationem aliquam de pecunia & florenis aureis, pro pecunia facere non valeant, neque poſſint, ſub pœna amiſſionis pecuniæ campſæ, vel cambiendæ, quæ eidem campſori, Regio nomine fiſci noſtri, debeat apportari.

Campſor permutator.

Sales externi non inferantur, neque ſint in vſu apud Regnicolas.

ART. XX.

DEMVM cum prædeceſſores noſtri Vngariæ Reges, probabili ſanctione ſtatuerunt, vt intra limites Regni noſtri Vngariæ, nulli ſales expeditionem, ſeu curſum habere deberent, ſed tantummodo ſales, qui in hoc Regno noſtro effodiuntur: noſtra quoque Maieſtas, conſiderans hanc ſanctionem fore iuſtiſſimam & honeſtam, cum quodammodo pars ſit magna dementiæ, id quod de ſuo quiſque habere poteſt, ab alijs mutuare: Similiter ſtatuimus ſanciendo, habito tamen prius ſuperinde noſtrorum Prælatorum, Baronum, ac Procerum conſilio & deliberatione præmatura, quatenus de cætero, nullus omnino hominum, cuiuſcunq; ſtatus, dignitatis & conditionis exiſtat, ſiue Regnicola, ſiue aduena, audeat, vel præſumat ſales alicuiuſmodi, præter quam ſolummodo ſales noſtros Regales, in Regno noſtro effoſſos, infra Regnum noſtrum inducere, deferre, vendere, emere, diſtrahere, conſumere, vel aliqualiter habere; ſub pœna inferius annotata: Videlicet, quòd ſi apud quoſpiam cuiuſuis ſtatus, ſiue conditionis exiſtat, reperti fuerint, huiuſmodi ſales, in Regno noſtro non effoſſi, ille, vel illi, apud quos reperti fuerint primo, perdant & amittant, ipſo facto, protinùs ipſos ſales. Si verò quiſpiam venundauerit, antequam apud eum reperiantur, tunc ad reſtitutionem pecuniæ irremiſsibiliter teneatur. Quos ſales, vel quam pecuniam, Camerarius Regius, nomine fiſci Regalis indilatè auferat, & exigat ab eiſdem.

Aurum & argentum in monetam non conuerſum, è Regno non efferatur.

ART. XXI.

DENIQVE pro communi bono, & totius vtilitate Regni prouidere volentes, ne aurum & argentum, quod in ipſo Regno effoditur, extra Regnum per quempiam efferatur, niſi prius conuerſum fuerit in monetam: hoc etiam ſalubri remedio duximus ſtatuendum, videlicet, vt nemo montanus, cuiquam homini, cuiuſcunque ſtatus & conditionis exiſtat, aurum, vel argentum, publicè, vel ſecretè vendere, nemo-

nemoq; omnino montanus cuiusuis status & conditionis existat, à montano, siue laboratore emere audeat, vel præsumat, sed omne totum aurum & argentum, quod & quantum, vbicunq; per Regni nostri climata effoditur, & etiam inuenitur, debeat sine aliquali diminutione Cameræ, & alias Regalis monetæ, tàm aureæ, quàm argenteæ præsidenti præsentari, videlicet, Camerario Regio, pro precio, vel precijs hactenus limitatis. ITEM nec ab aliqua alia persona causa mercationis, seu venditionis, publicè, vel secretè emi, vel vendi liceat aurum, vel argentum, etiamsi de alienis partibus ipsum aurum & argentum, ad hoc Regnum portaretur, sed semper quandocunq; venditur, ille debeat Camerario Regio, monetæ præsidenti vendere, & nulli alteri: ipseq; Camerarius dare sibi precium, non secundum æstimationem montanorum, sed prout in loco, vbi tunc fiet venditio, teneatur. Pro vsu vero proprio, videlicet, pro vasis aureis & argenteis, baltheis, ac alijs ad cultum spectantibus laborandis, vnusquisque vendendi & emendi liberam habeat facultatem. Si quis autem forte contrarium facere præsumpserit, ac vendiderit, aurum, vel argentum, & emptor pecuniam amittat protinus ipso facto: quod aurum vel argentum, quæuè pecunia fisco nostro Regio, pro medietate, & pro reliqua medietate accusanti (si quis accusator extiterit) applicetur. Ob hoc etenim volumus, ne quispiam audeat, vel præsumat, aurum, seu lapidem illum, in quo auri, vel argenti qualitas dignoscitur habere. ITEM neque testam, seu intimam pro argenti effusione, & financia tenere, exceptis duntaxat aurifabris: Insuper nec separandi cum aqua, aurum ab argento, artem exercere, nisi ille, vel illi, quibus huiusmodi officia duximus specialiter committenda. In quorum omnium & singulorum testimonium, firmitatemq; perpetuam, præsentes literas priuilegiales, pendentis & authentici noui sigilli duplicis munimine, iussimus roborari. Datum per manus Reuerendissimi in CHRISTO patris & Domini, Eberhardi, DEI & Apostolicæ sedis gratia Episcopi Zagrabiensis, Aulæ nostræ Regiæ supremi Cancellarij, dilecti nostri & fidelis. Anno Domini Millesimo, Quadringentesimo Quinto: Decimo septimo Kalendarum Mensis Maij: Regni autem nostri anno decimo septimo. Venerabilibus in CHRISTO patribus & Dominis, Valentino T. Sanctæ Sabinæ Sacro Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali, ac Ecclesiæ Quinque Ecclesiensis gubernatore, Ioanne Strigoniense, Colocense sede vacante, Andrea Spalatense, & altero Andrea Ragusiense, Archiepiscopis: Luca Varadiense, Stephano Transsyluaniense, eodem domino Eberhardo Zagrabiense, Agriense sede vacante, Ioanne Bosznense, Wesprimiense sede vacante, Ioanne Iauriense, Nicolao Waciense, Petro Nittriense, Fratre Dosa Electo Chanadiense, Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias DEI feliciter gubernantibus, Syrmense, Traguriense, Scardonense, Tyniniense, Nonense, Sibinicense, Corbaniense & Segniense sedibus vacantibus: Nec non Magnificis viris Nicolao de Gara, Regni nostri Vngariæ prædicti Palatino, Ioanne & Iacobo Waywodis nostris Transsyluanen. Comite Frank filio quondam Koniæ Bani, Iudice Curiæ nostræ, Paulo Bisseno, & altero Paulo de Petth, Dalmatiæ & Croatiæ prædictarum, ac totius Scauoniæ, Ioanne de Marotth Machouiense, Banis, honore Banatus, Zeuriniense vacante, Nicolao Trewel de Newna Thauernicorum, & Comite de Posega, Simone filio quondam dicti Koniæ Bani, Ianitorum, Martino Deis, Dapiferorum, Laurentio de Tharij, Pincenarum, Petro Cheh Agazonum nostrorum Magistris, Sinoslone de Wetaw Comite Posoniensi, alijsq; quam pluribus nostri Regni Comitatus tenentibus & honores.

Aurum, Argentumque omne ad Cameram vendatur.

Nunc florē. computatur pro denarijs centum: Et argenti marca in Cameram redimitur. flor. 6. denar. 50.

Aurum & argentū, pro vsu proprio emere & vendere licet

Lydium lapidem soli auri fabri habeant.

Auri & argenti separatio prohibita.

SIGISMVNDI IMPERATORIS DECRETVM TERTIVM, ANNO Domini M. CCCC. V editum, & eius anni secundum.

SIGISMVNDVS DEI gratia, Vngariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Seruiæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæq; Rex, &c. Marchio Brandeburgensis, Sacri Romani Imperij Archicamerarius, Bohemiæ & Lucemburgen. hæres. Omnibus Christi fidelibus, præsentibus pariter & futuris: Salutem in eo, qui dat Principibus feliciter gubernare, & victoriosè triumphare. Inter cæteras animi nostri solicitudines, vna est nobis cura præcipua, vt quoties grauioribus ab agendis sumus expediti, ad ea etiam, quæ commissorum imperio nostro subditorum vtilitatem commoditatemque concernunt, pia dispositione, operam impendamus. Est enim subditorum tranquilitas, gloria regnantis: & ubi aliquid à principe, modestè, Sanctè, ac prudenter, pro communi vtilitate, decernitur, ejus profectu diligentiæ solicitudo, magnopere collaudatur. Proinde in arcam nostri pectoris perspicaci consideratione pensantes, multa incommoda, multaq; damna, ex diversis consuetudinibus, & sæpè contrarijs, in Regno nostro vigentibus, nostris Regnicolis euenire, celebrato, Prælatorum, Baronum, Procerumq; nostrorum conuentu, de ipsorum consilio, authoritate & consensu, maturâq; discussione præhabitâ, pro totius Regni bono, vtilitate, profectu & augmento, has leges, seu constitutiones, ex authoritate Regia, duximus salubriter statuendas, quas ab omnibus & singulis Regnicolis nostris, tàm Ecclesiasticis, quàm secularibus, nemine excluso, volumus & præcipimus plenè, integrè & inuiolabiliter obseruari, primitus & primariè, vnà cum Prælatis, Baronibus, potioribusq; Regni nostri proceribus, sancientes & stabilientes.

Tranquillitas subditorum est gloria Regis.

Constitutiones fiunt per Reges, cum Prælatis, Baronibus, & potioribus Regni.

Consuetudines contrariæ sibi, & cum utilitate publica pugnantes, uel cum jure naturali, gentium, aut Diuino, contra Ecclesiam inductæ, non ualent. Auth. cassa. C. de sacrosanct. Eccles. Et uocantur uetustas erroris.

Ne per viam transeuntes domini, vel milites, damna inferant quibusuis Regnicolis.

ART. I.

STATVIMVS & statui fecimus, hoc modo, & ordine isto, quòd Prælati, Barones, Nobiles, ac alterius cujusuis status & dignitatis, ac conditionis homines, in Regno nostro, ad instar exercituantium procedendo, aut aliquibus ipsorum negotijs, seu causis, versus nostram Maiestatem, aut cum eadem, vel aliàs vbicunque, & in quibuscunque partibus Regni nostri procedentes, fidelibus Regnicolis nostris quibuscunque, damna, spolia, iniurias, læsiones, aut aliqua malorum genera, contra DEVM, & eius iustitiam, absque iuris tramite, facere & inferre nullatenus præsumant: Etsi quispiam, contra huiusmodi nostra statuta, quicquam genus maleficij perpetrauerit, exindeq; Maiestati nostræ, aut alij iudici ordinario, per quempiam querimonia porrecta extiterit, & conquerens huiusmodi suam querimoniam, euidenti documento comprobare ualuerit, extunc dictorum actuum potentiariorum perpetratores, in facto potentiæ, eo facto conuincantur. Læsis autem & damnum passis, nos, aut judex ordinarius, indilatè, summariè, & de plano, ac sine strepitu, & figura judicij exhibebimus, & exhiberi curabimus satisfactionem.

Actus potentiæ patratus per transeuntes in bonis alicujus, est causa summaria, id est, comperta rei ueritate, de plano, sine figura judicij & strepitu, cognosci debet.

Arestum quarumcumq; rerum, nullus propria authoritate faciat, sub pœna potentiæ.

ART. II.

PORRO

PORRO nullus omnino hominum cuiusuis præeminentiæ, dignitatis & conditionis existat, in nostris Regalibus, & Reginalibus, seu ecclesiarum, vel Nobilium possessionibus, pignora, seu vadia, pro quibuscunque factis aliquorum incolarum, seu plebicolarum, nostrorum scilicet, & aliorum quorumcunque, eorum autoritate mediante, aufferre, aut recipi facere valeat, neque possit: Horum contrarium facientes, in facto potentiæ conuincantur. Pignus Vadium

Factum potentiæ est pœna serui, id est, patrator actus potentiæ, capitalem subit sententiam. Verùm paulò post actus potentiæ distincti sunt, in maiorem & minorem. De pœna serui. Institut. Quibus modis soluatur patr. potest. ¶ Pœnæ seruus, sicut capitis diminutio est maxima, minor, & minima.

Mutilationes membrorum prohibentur, exceptis, quibus facultas à Rege facta est.

ART. III.

PRÆTEREA nullus omnino iudicum & iusticiariorum, aut alij quipiam procerum Regni nostri, mutilationes, seu demembrationes, quibusuis plebicolis, & Regnicolis nostris facere præsumant, neque valeant, nisi hi solummodo, quibus per nos potestas nostra Regia ritè fuerit attributa. Contrarium facientes, pœnam præmissi facti potentiæ incursuri eo facto. Mutilatio pœna facti potentiæ

Potentibus prohibetur, ne vim inferant minoribus ART. IIII.

DECREVIMVS etiam, vt Prælati, Palatinus Regni nostri, Iudex curiæ nostræ Magister Tauernicorum nostrorum, & alij Barones, nec non Comites Parochiales, & generaliter quiuis iudices & iusticiarij Regni nostri, Ecclesiastici & Sæculares, Proceres & Nobiles, Castellani & Ciuitatenses, per climata Regni nostri, spolia, direptiones rerum, & bonorum ablationes, sanguinis effusiones, & alia actuum potentiariorum genera, nostris fidelibus Regnicolis, cuiusuis status & conditionis existant, facere, inferre, seu committere, nullatenus audeant. Vi ab inferenda minoribus, omnes caueant.

Arestationes ne fiant in proprijs locis & bonis, sed necessariæ fieri possunt in alienis, iuxta veterem morem ART. V.

SANXIMVS nihilominus, vt Castellani & Officiales nostri Regales, in nostris Regijs proprijs possessionibus, districtibus, & tenutis, iudicesq; & iurati Ciues nostri Regales, in eorum medio: item Prælati, Barones & Nobiles ac alterius dignitatis homines possessiones habentes, in eorum proprijs possessionibus, res & bona fidelium incolarum, seu plebicolarum nostrorum, quouis quæsito colore, aut causa arestare, vel prohiberi facere non sint ausi, modo aliquali, nisi in possessionibus aliorum, vel loco communi, prout Regni nostri consuetudo id requirit: & volumus hos omnes tales, qui in contrarium huiusmodi nostri Decreti facere, (quod non credimus) præsumpserint, facto potentiæ subiacere. Facto potētiæ pœna capitalis.

Pondus, mensura & vlna Buden. seruentur per totum Regnum.

ART. VI.

STATVIMVS præterea vt vniuersæ annonæ, vina, blada, panni, & aliorum bonorum, seu victualium genera, & aliæ res venales, cuiusuis speciei & maneriei existant, illis & eisdem, iustis, æquis & veris ponderibus, mensuris & vlnis, in vniuersis, nostris scilicet, & aliorum quorumlibet Regnicolarum nostrorum, Ciuitatibus, oppidis & villis, mensurari, vendi, seu venditioni exponi, nec non emi, & commutari, solui & administrari debeant, quæ in Ciuitate nostra Budensi, ab antiquo inuenta sunt, & stabilita habentur de præsenti. Contrarium facientes, pœnam ablationum huiusmodi suarum rerum venalium, patiantur eo facto.

Aurei valor, & eius reductio ad florenum. ART. VII.

COMPVTATIONEM autem, seu numerationem florenorū in Regno nostro curren-

currentium, hoc modo duximus limitandam. Quòd omnibus numeris dictorum florenorum minoribus, in nonnullis Regni nostri partibus, vti agnouimus, abusiuè adinuentis, prorsus abolitis, in quarumlibet rerum & bonorum emptionibus & venditionibus, alter numerus ipsorum florenorum non dicatur, nec computetur, nisi florenus aureus, veri, boni & iusti ponderis, vel alter florenus, per centum nouos denarios computatus. Huiusmodi nostri statuti transgressores, bonorum & rerum ipsarum venalium & emptionalium ablationes, patiantur indilatè.

Florenus minor primum denariorum 40. vt Bisantius Belæ Regis. Postea den. 60. Tum Caroli circa annum Domini 1342. denariorum 90: quod tamen de maiori floreno intelligitur. Deinde Ludouici primi tempore Octoginta quatuor, id est, grosː maioris monetæ 14. Sigism. huius denariorum nouorum centum.

Salium externorum prohibitio. ART. VIII.

INTEREA quidem non improuidè, sed deliberata mente, præsenti nostro Decreto, seriò duximus stabiliendum. Quod nullus hominum incolarum scilicet, aut extraneorum mercatorum, aut commutatorum, sales extraneos, seu alienorum Regnorum, in hoc Regnum, venundationis, vel alia qualibet de causa, importare, aut eis vti, vel in quibusuis partibus Regni nostri, cum eis procedere, quouis modo, audeat, vel præsumat. Nam vbicunque, & in quorumcunque possessionibus ipsi sales extranei venditi, vel vendendi, empti, aut emendi, per quospiam reperiri poterunt, volumus, vt dominus terræ possessionum illarum, in quibus dicti sales, vt præmittitur, reperti fuerint, eosdem, ab eorum venditoribus, emptoribusue, aut commutatoribus auferre teneatur; vel si forsitan, fauore, aut precio allectus, seu circumuentus, dictos sales auferre renuerit, extunc similiter volumus, vt huiusmodi possessiones Nobilium, in quibus, vti præmisimus, memorati sales reperirentur per Comites nostros, tàm prouinciales, quàm parochiales, pro nostra vtique occupare debeant Maiestate.

Mercator & cõmutator.

Comites sales externos auferre, sicubi reperiantur posśint.

Proscriptos, aut per duelles, nemo ad se recipere ausit, sub pœna criminis nota. ART. IX.

INSVPER edicimus statuendo cunctis fidelibus Regnicolis nostris, vt à modo, inposterum, & per amplius; ac in antea, nullus eorum, ac nullo penitus dempto, quospiam infideles nostros, aut proscriptos, vel alias quauis labe, seu nota crimineque, aut contagio scrupuli offuscatos & denigratos, palàm, vel occultè, publicè, seu manifestè, directè, vel indirectè apud se retinere, conseruare, aut ipsis fauorem, auxilium & hospitalitatam præbere, vel largiri præsumant, quouis modo temporum in euentu: Quoniam contrarium facientes, illa & eadem pœna, qua huiusmodi nostri infideles proscripti, aut alia nota denigrati forent cruciandi, foueri debeant & puniri incompassibiliter, ipso facto.

De iudicio, ex parte colonorum à dominis terrestribus, in prima instantia, petendo. ART. X.

STABILIMVS denique, vt si aliqui ex nostris Regnicolis, cuiusuis status & dignitatis existant, quicquam iuris, seu quæstionis, contra & aduersus Villicos, seu rusticos Prælatorum, Baronum, Nobilium, aut alterius status hominum, habeant, vel habuerint - id primitus & primariè, in præsentia ipsorum dominorum terrestrium legitimè prosequi debeant. Et si domini ipsorum Villanorum, seu rusticorum, iusticiam facere denegarent, aut in reddenda eadem, essent remissi, extunc huiusmodi domini terrestres, prætextu abnegatæ ipsius iusticiæ, in præsentiam Comitis parochialis, vel Vicecomitis eiusdem, aut Iudicum nobilium illius Comitatus, in quo ipsa iusticia extitisset abnegata, legitimè euocentur: Qui quidem Comes parochialis, Vicecomes, & Iudices nobilium, sub priuationis honorum suorum, & nostræ indigna-

Colonos iudicant domini eorum terrestres.

Comites de illis, qui iusticiam de colonis suis administrare neglexe-

indignationis pœnis, iudicium & iusticiam, ac omnis Iuris complementum, ex parte ipsorum indilatè, absq; strepitu & figura iudicij, summariè & de plano, fauore etiam, odio & amore, quibusuis relegatis, debebunt & tenebuntur exhibere.

runt, iudicium faciant petentibus, summariè & sine strepitu ac figura iudicij.

Ciues Ciuitatum Regiarum in prima instantia, coram suis iudicibus conuenire debent.

ART. XI.

SIC quoque decreuimus, vt quicunq; Regnicolarum nostrorum, similiter cuiusuis dignitatis vel ordinis existerent, aduersus Ciues nostros Regales, quicquam actionis habent, vel habuerint, id ipsi in præsentia Iudicum & iuratorum Ciuium nostrorum Regalium, vbi, & in quo loco, ipsi ciues nostri inculparentur, aut etiam officialium, seu iudicum, quibus Regia nostra Maiestas gubernationem officiolatuum, seu iudicatuum huiusmodi nostrarum Regalium Ciuitatum, duxisset committendam, ritè & legitimè prosequantur, qui ex parte ipsorum, iudicium & iusticiam exhibere teneantur. Et si ipsi iudices & iurati Ciues nostri Regales, aut alij officiales, seu iudices, modo prænotato, inibi deputati, in faciendo cuipiam iudicio & iusticia, extiterint remissi: Extunc huiusmodi nostri iudices, & iurati Ciues, vel alij officiales, seu iudices, exhibendam ipsam iusticiam, Magistri Thauernicorum nostrorum autoritate, astringantur & compellantur. In casu verò, quo ipsi querulantes, de iudicio ipsorum iudicium & iuratorum Ciuium nostrorum, contentari noluerint, tunc in huiusmodi agendis ipsorum, ad præsentiam Magistri Thauernicorum nostrorum, secundum antiquam consuetudinem, possint appellare. Qui ipsis ibidem nouum iudicium & iusticiæ complementum exhibere, & ipsum iudicium suum, per annotatos iudices & iuratos Ciues, efficaciter tenebitur facere obseruari. Et si memorati querulantes, tàm de ipsorum iudicum & iuratorum Ciuium, quàm Magistri Thauernicorum iudicio, contenti non fuerint, tunc huiusmodi causas eorum, coram nostra Maiestate, more alias consueto, prosequi valebunt, quibus nos iudicium & iusticiam faciemus, prout postulabit ordo iuris.

Appellatio à Iudice Ciuitatis Regiæ, fit ad Magistrum Tauernicorũ, inde ad Personalẽ præsentiam. Supple. E. primo 1405. art. 4.

Ecclesiasticus Iudex, causas prophanas: & sæcularis Spirituales non iudicet.

ART. XII.

DISPOSVIMVS etiam de modo & consuetudine, ab antiquo solitis obseruari: Quòd Prælati & quipiam viri Ecclesiastici, causas aliquas, inter Regnicolas nostros motas, à modoq; & in antea, qualitercunque, quandocunque & vbicunque mouendas & suscitandas, vt puta, iudicium sæculare concernentes, iudicare & diffinire minimè valeant, neque possint. Et è conuerso Barones, Comites prouinciales, & alij Regni nostri Nobiles, ciuesq; & hospites, causas aliquas, lites, seu quæstiones, forum videlicet Ecclesiasticum tangentes, discutere, & iudicare, non debeant, neq; præsumant. Et si inter ipsos viros Ecclesiasticos ab vna, parte verò ex altera iudices sæculares prætactos, super aliquibus causis, in eorum præsentia, vertentibus, circa ipsarum causarum iudicium, cuius videlicet ipsorum iudicio pertineant, discordia, seu disceptatio aliqualis extiterit suborta: Extunc partes eædem, causam, seu causas huiusmodi litigiosas, in specialem nostram præsentiam, vbi DEO duce fuerimus constituti, cum Prælatis & Baronibus nostris, dirimendam traducere teneantur, vbi decernendo sanciemus, ad cuius partis iudicium, seu forum, spectare debeant & pertineant causæ prænotatæ.

Supple. E. secundo, anni 1405. art. 14.

Quęstionem de fori competentia, inter Ecclesiasticum & sæcularem Regni Iudices Rex dirimit. Sup. Decr. secund. art. 14. Et Math. an. 1471. art. 17.

Possessiones, in quarum metis mineræ sunt, Rex à Nobilibus non auferat: Dimidietatem verò vrburarum cultoribus, propter auctos fodinarum labores, relaxat.

ART. XIII.

SPECIFICE nihilominus condigna præmeditatione annuentes, statuimus, vt vniuersi Regnicolæ, personæ Ecclesiasticæ videlicet & Sæculares, cuiusuis dignitatis &

tis & præeminentiæ existant, qui in faciebus possesionum ipsorum, mineras auri, vel argenti, vel alterius cuiuscunq; metalli, ad nos, & Cameram nostram Regiam de iure & consuetudine pertinentes, à modo in antea inuenire & reperire possent, (non obstante, si Regiam gratiam in eo non haberent, vt Maiestas Regia huiusmodi possesiones ipsorum, mineras supradictas habentes, in concambium aliorum iurium Regalium, ab ipsis aufferre non valeat) possesiones easdem, ab ipsis, absq; eorum spontanea & libera voluntate, de plenitudine nostræ pietatis, & præsenti nostra gratia speciali, per nos ipsis regaliter attributa, non auferemus: nec easdem ab ipsis alienabimus, contra formam præsentis nostræ gratiæ supradictæ. Sed tamen volumus, vt rectam & æqualem medietatem vrburarum, mineris de eisdem prouenire solitarum, ijdem viri Ecclesiastici, & Nobiles, nostro fisco Regio asignent, & administrari faciant. Aliam verò medietatem earum, ex præsenti nostro indulto, pro se ipsis valeant reseruare: Nec ijdem viri Ecclesiastici, Nobiles, ac laboratores minerarum prædictarum, ex ipsis mineris prouenientia, extra Regnum nostrum deferre, aut alijs quibusuis hominum personis, venditioni exponere debeant: Sed huiusmodi aurum & argentum, sicut de alijs mineris, & montanis nostris, ad Cameram nostram venire est consuetum, ad vendendum, in Cameram nostræ Maiestatis, teneantur apportare & exponere huiusmodi venditioni. In casu verò quo ijdem Nobiles, vel viri Ecclesiastici, nec non laboratores prædicti, in huiusmodi auro & argento, scyphos, coclearia, aut alia clenodia, seu argenteria, pro vsu ipsorum reseruantes, præparari facere, aut ipsum aurum & argentum, in specie, erga se ipsos, pro vsu & commodo suo retinere maluerint, in his eisdem etiam plenè concesimus, & harum serie, concedimus facultatem. Horum autem contrarium facientes, & huiusmodi nostri Decreti transgressores, huiusmodi gratia nostra Regia, per nos ipsis, quo ad præsens, circa conseruationem, gubernationem & adeptionem, ac limitationem, iam dictorum metallorum, minerarum, & vrburarum, modo quo supra, regaliter indulta & attributa destituantur illicò, & priuentur ipso facto.

Metalli cuiuscunque. Minerarum possesiones Rex inuitis Regnicolis non auferat. Vrburarum dimidium cultoribus relaxatur. Argẽtum & aurũ ad Cameram venũ portetur. Argentum pro vsu suo cultores reseruare possunt. Peccantes in prædicta, ius per hanc cõstitutionem ipsis concessum amittunt.

Migratio colonis libera facta. ART. XIV.

SANXIMVS præterea & statuimus, ac super his statutum fecimus, vt à modo in antea, Ciues, seu hospites, siue Iobagiones nostri Regales, de nostris Ciuitatibus, possesionibus, Oppidis, & liberis Villis, Castrorumq; nostrorum tenutis, in Ecclesiarum, nec non Nobilium, & alterius præeminentiæ hominum, possesiones: Et è conuerso earundem Ecclesiarum, & ipsorum Nobilium, ac alterius status hominum Iobagiones, in præfatas nostras Ciuitates, oppida, possesiones castrorum, tenutas, & generaliter quilibet liberę conditionis homines, de possesionibus Ecclesiarum, in Nobilium: & de Nobilium possesionibus, in earundem Ecclesiarum possesiones, temporibus semper succesiuis, vniuersis & perpetuis, habita licentia, iustoq; terragio, & alijs debitis eorum solutis & expeditis, liberam, tutam & omnimodam moraturos se transferendi, habeant facultatem. Harum nostrarum literarum per vigorem, his moderaminum limitationibus, clarè præsentibus expressatis, vt quicunque, & quorumcunq; Iobagionum dominus, aliqua birsagia, quibus Iobagio suus aliquo tempore fuisset conuictus, infra vnius mensis spacium non exegisset super eundem: Extunc birsagia talia, super ipsum Iobagionem suum, dicto vno mense elapso, recipere, & eundem Iobagionem retinere non valeat: Sed idem Iobagio, quo maluerit, modo præhabito, indemnis & illæsus, moraturus accedat.

Colonus migret, terragio & debitis persolutis. Ius hoc multipliciter correctũ est, per constitutiones. Ferdinandi Imperatoris Mulctę intra mensem à colonis exigantur: alioquin post mẽsem à migrare volente exigi non posint. Idẽ S. eiusdem primo. 1405 art. 6.

Censum quoq; dominus colono soluendum, intra mensem commissum, intra dies quindecim exigat, quibus elapsis à migrare volente petere non valeat. ART. XV.

PRÆTEREA quicunque, vel quorumcunq; Iobagionem dominus, collectam, seu dationem aliquam, super suum imposuerit Iobagionem, termino vnius mensis

ad hoc

ad hoc sibi assignato, dationem eandem, expirato ipso termino vnius mensis, infra quindecim dies, super eundem recipere protelasset: Extunc ipse dationem huiusmodi protelatam, super eundem Iobagionem suum, ipsis quindecim diebus expiratis, extorquere, & Iobagionem eundem retinere non queat, neque possit, sed idem Iobagio, superius limpidè nominatus, quo voluerit, quietus & pacificus, liberè moraturus discedat.

Colonus post acceptam licentiam, à dominis terræ non vexetur calumnijs.

ART. XVI.

CÆTERVM si alicuius terræ dominus, suum Iobagionem, aut aliquem de Villa, ante tempus licentiæ receptionis eiusdem, in facto aliquo non inculpauerit, & calumniatus non extiterit; Extunc ipse Iobagionem talem, post tempus receptionis illius suę licentiæ, calumnia quauis relegata, liberum à se abire permittendo, in nullo queat damnificare, aut disturbare, præsentis scripti & Decreti nostri patrocinio mediante.

ET vt huiusmodi sanctionis nostræ Decretum, saluum semper habeatur & solidum, volumus, & præsentibus firmissimo Regio edicto præcipimus, & mandamus vniuersis & singulis, Comitibus, vel Vicecomitibus, & Iudicibus Nobilium illorum Comitatuum, in quibus in euetu temporis, præticulata disceptatio fortassis fuerit exorta, vt ipsi nostros Regios, & earundem Ecclesiarum, nec non Baronum, Nobilium, & alterius status, ac præeminentiæ homines, Castellanos, officiales, Iudices & Villicos, ipsarumq; Ecclesiarum rectores, nec non Nobiles, & alterius Regni nostri status, homines, ac officiales eorundem, ad præmissi nostri Decreti Regalis obseruationem, cum eorum damnis & grauaminibus compellant semper & coerceant, teneant & astringant, mera nostra Regia autoritate, per nos eis attributa, mediante. Datum Budæ in festo Sancti Dominici Confessoris. Anno Domini, Millesimo, Quadringentesimo quinto.

Comites curent ab omnibus statibus & ordinibus Regni decreta obseruari.

SIGISMVNDI IMPERATORIS DECRETVM QVARTVM, ANNO Domini, M. CCCC. XI. editum.

SIGISMVNDVS DEI gratia Romanorum Rex, semper Augustus, ac Vngariæ, &c. Rex, &c. Fidelibus nostris vniuersis, Dicatoribus & exactoribus, tàm lucri Cameræ nostræ Regiæ, quàm decimarum Archiepiscopalium, vel Episcopalium, in Comitatu N. constitutis, vel quocunque temporis in euentu constituendis, præsentes literas inspecturis, Salutem & gratiam. Cum nos pridem, vna cum Prælatis & Baronibus nostris, ad instantiam & querimoniam nonnullorum Regnicolarum nostrorum, contra & aduersus vos, nostræ Maiestati, porrectam, super dicatione & exactione dictorum lucri Cameræ nostræ, nec non decimarum, huiusmodi Decretum PERPETVO duraturum, per vosq; firmiter obseruandum, duximus instituendum.

Dicatores vltra duos denarios à Iudicibus, ratione quietantiarum, non accipiant.

ART. I.

QVOD Dicatores, seu exactores dicti lucri Cameræ nostræ, tempore importationis & solutionis pecuniarum, per eos dicatarum, ab vnoquoq; Villico ipsas importante, seu soluente, nil plus, neq; pintam vini, vel valorem eius, neq; aliud quodcunque, præter quàm duos denarios, pro tempore currentes, pro redemptione literarū, prout solitum extitit tempore Illustrissimi Principis, domini Ludouici, similiter Regis Vngariæ, patris & soceri nostri charissimi, recipere possint, atq; valeant.

Villicus, id est officialis.

Ludouicus primus.

Portæ maiores ad denarios triginta, & minores ad quindecim dicentur.
ART. II.

Lucri Cameræ quantitas: Porta integra. Dica est ius. Dica den. 30. VVeroeze.

ITEM decreuimus, vt ijdem Dicatores, in huiusmodi dicatione ipsorum, vnam portam integram, per quam currus intrare & exire potest, si etiam in eadem curia plures habitarent domestici, quàm vnus, in triginta denarijs nouis, & vnam valuam, seu paruam portam, vulgò Werocze, dictam, non magis nisi in quindecim denarijs, seu pro media porta. Vbi verò aliquem Iobagionem, seu incolam, se à solutione dicti lucri Cameræ nostræ fraudulosè præcauere satagentem, ab anteriori parte curiæ suæ paruam portam, seu ostium, à retro verò magnam portam habere conspexerint, huiusmodi curiam similiter pro vna porta dicare teneantur.

Familiares dominorum terræ non dicentur. ART. III.

ITEM statuimus, vt præfati Dicatores antedicti lucri Cameræ nostræ Regalis, tempore dicationis huiusmodi, Villicos, & operarios, nec non tales familiares, qui de curia dominorum suorum, victibus & amictibus sustentantur: & hoc domini ipsorum ad suam humanitatem duntaxat, villici autem & officiales eorundem, dominis absentibus, cum iuramento, dicere præsumpserint, quod ita sit, dicare non debeant.

Restantiæ contributionum per Comites & Vicecomites exigantur.
ART. IV.

Restantia dicæ Comitis auxilio exigantur.

ITEM sancimus, vt elapso termino solutionis præscripti lucri Cameræ nostræ Regalis, illud, quod in eo remaneret insolutum, idem Comes lucri Cameræ nostræ Regalis, vel sui officiales, seu exactores, propria eorum authoritate exigere & extorquere, aut pro eo pignus recipere nequaquam præsumant, nisi auxilio Comitis, vel Vicecomitis, & Iudicis Nobilium huiusmodi Comitatus, in quo lucrum Cameræ nostræ exigitur prænotatum.

Decimatores, iuramento rusticorum, credere & stare debent. ART. V.

ITEM disposuimus etiam, quòd Dicatores decimarum, capetias, seu aceruos frugum, secundum proprias eorum considerationes & æstimationes dicare non præsumant, sed domesticus ille, cuius fruges dicantur, super hoc iuramento solito (tacto Dominicæ crucis signo) præstito, fateri teneatur, quot, & quantas illo anno capetias habuisset: Et super hoc prædicti Dicatores contentari teneantur.

Decimæ, per censuram Ecclesiasticam, extorquendæ sunt. ART. VI.

VOLVMVS nihilominus, vt Decimator decimas non solutas, vigore seu subsidio Comitis, vel Vicecomitis, parochialium, exigere seu extorquere non possit, nisi per censuram Ecclesiasticam, Canonica tamen admonitione præcedente. In casu verò, vbi ipsi Dicatores, & exactores, tàm præscripti lucri Cameræ nostræ, quàm etiam decimarum iam dictarum, contra præmissum nostrum Decretum, in aliquo, vltra modũ iam limitatum, facere, vel procedere attentarent: Extunc idem Comes parochialis, ac Iudices nobilium, cum nobilibus illius Comitatus, in quo hoc agitur, admittere non debeant & consentire. Et vt præmissum nostrum Decretum, vim perpetuæ firmitatis, roburq; perennale, ac debitum effectum semper futuris temporibus obtineat: Volumus omnino, & eisdem vestris fidelitatibus firmissimo nostro Regio sub edicto districtè præcipimus & mandamus, quatenus præmissum nostrũ generale Decretum, dum ad possessiones, nec non bona & iura possessionaria, fidelium nostrorum N. N. in dicto N. vel in alijs quibuscunq; Comitatibus habitas & existentes, dictum lucrum Cameræ nostræ, nec non decimas prænotatas, dicaturi accesseritis & profecti fueritis, firmiter & in solidum, inconcus-

teque ac inuiolabiliter, quo ad omnes suas clausulas, continentias & articulos obseruantes, populos & iobagiones ipsorum, in quibuscunque possessionibus eorum commorantes, tàm ratione dicti lucri Cameræ nostræ, quàm decimarum prædictarum, iuxta modum superiùs in Decreto limitatum, & non vltra, dicare debeatis: Aliud contra formam præmissi nostri generalis Decreti, gratiæ nostræ sub obtentu, facere nullatenus præsumatis: Præsentes quoque perlectas semper reddi edicimus præsentanti. Datum Posonij, in festo beati Francisci Confessoris, Anno Domini Millesimo, Quadringentesimò vndecimo: Regnorum nostrorum Anno Vngariæ Vigesimo quarto: Romanorum verò Secundo.

SIGISMVNDI IMPERATORIS DECRETVM QVINTVM, SVPER MODO EXercituandi, editum Anno Domini M. CCCC. XXXV. & eius anni primum.

NOS SIGISMVNDVS Diuina fauente clementia, Romanorum Imperator semper Augustus, ac Vngariæ, Boëmiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex. Notum facimus tenore præsentium, significantes, quibus incumbit, vniuersis. Quod nos cuius Regiæ celsitudinis prouidentia, subditorum suorum & terrarum, ac Regnorum suorum ditionis, tuitioni & illæsæ conseruationi, nedum introrsus, verùm potius ab extraneis inuasoribus, officio suæ dignitatis exigente, se obligatam profiteatur: volentes fines Regni nostri prædicti, à partibus Boëmiæ, & Morauiæ, à quibus propter ingruentiam præsentis temporis, ab aliquibus elapsis annis, huc vsque frequentiores, feruentioresq; ipsum Regnum pertulit hostilitates, vi nostra Regia reddere securiores, onus infrascriptum spontè, imò ex debito Regali, in nostras Regias curas & expeditiones duximus assumendum, videlicet, vt ciuitates & castra subscripta, ciuitatem & castrum Posoniense, ciuitates, Tirnauiensem, Zakolcza, castrum Threnchiniense, & alia castra ac munitiones, & fortalitia in confinio Morauiæ, & iuxta fluuium Wagh situata, quemadmodum tàm in ipso ex parte Boëmiæ, quàm in alijs omnibus confinijs & metis Regni nostri, ex quacunque parte, apud nostras Regias manus habita, & in futurum quouis euentu & casu eisdem nostris manibus applicari contingentia, nostris sumptibus Regalibus, contra quempiam Boëmorum, & alias vndecunq; malorum emergentium, muniemus, & tutabimur sufficientibus gentibus, armis & victualibus, alijsq; necessarijs, tàm pro conseruatione, vel defensione castrorum & munitionum in se, quàm ad tuendos campos, & defendenda circumiacentia campestria, contra quosuis insultus hostiles occurrentes.

Decretum hoc præpositum est sequenti, quod illud in quibusdam libris reperiretur editũ, in festo Georgij Martyris, Anno salutis 1434. post reportatas propositiones missas tunc per Sigismundum Imperator, ad omnes Comitatus Regni quæ etiamnum extant. Munendarum ciuitatum solicitudinem Imper. in se recipit.

Regis penes gentes, etiam procerum insurgere debent. ART. I.

SI autem tanta potentia inimicorum irrepserit, quòd maior foret viribus gentium nostrarum Imperialium, nec ab inuasione finium Regni arceri & prohiberi, per easdem gentes nostras imperiales, posse verisimiliter videretur: Ex tunc Prælati deputati, pro defensione illarum partium, cum suis Banderijs & militibus, iuxta dispositionem de ipsis factam, & obseruari consuetam, nec non Comites singulorum Comitatuum, pro earundem partium, vel aliarum guerras habere contingentium, defensione, modo simili deputatorum, sub Banderio Regali, cum Baronibus Proceribus, & Nobilibus dictorum Comitatuum, & eorum gentibus, per modum generalis expeditionis exercitualis, viribus coniunctis & adunatis, succurrere debebunt, ad repellendum insultus hostiles supradictos.

De triginta colonis, vnus eques armis benè instructus mitti in expeditionem debet. ART. II.

Decretum anni 1454. Ladisl. Posthumi Art: 4. vide.

CONCLVSVM est insuper ac statutum per nostrã Maiestatem, cum Prælatis & Baronibus, ac Regnicolis nostris prænotatis, quòd tempore vniuersalis exercitus generaliter proclamati, singuli Barones, Proceres, & Nobiles possessionati, secundum quantitatem dominiorum ipsorum, videlicet, de singulis triginta tribus iobagionibus, proprias sessiones & terras, more aliorum iobagionum, in possessionibus, quibus resident, habentibus, & census collectas, munera, seu alia seruitia dominorum, cum alijs iobagionibus supportantibus, vnum de centum verò, tres, & sic consequenter de alijs quotquot habuerint, de singulis centum, singulos tres pharetrarios equestres, ad minus videlicet arcus, pharetras, gladios, & biccellos habentes, & ad bellandum aptos & vtiles, ipsimet personaliter accedendo, ad quoslibet exercitus Regni generales conducere teneantur. Hi verò, qui minus, quàm triginta tres habent iobagiones, suos iobagiones, quos habuerint, cum iobagionibus aliorum taliter coniungere, & connumerare teneantur, quòd semper de triginta tribus iobagionibus quorumcunq; vnus pharetrarius, modo præmisso, armatus & dispositus, ad exercitus generales ab illis transmittatur.

Equites pharetrati tres à Centum colonis in expeditionem mittendi.

Nobiles inpossessionati, seu colonos non habentes, in proprijs personis in bellum ire tenentur. ART. III.

CÆTERI deniq; Nobiles iobagionibus carentes, singulariter proprijs in personis, hi videlicet, qui dominos habere dignoscuntur, sub quorum nominibus & expensis exercituare solent, cum eorum dominis, ac gentibus seu Banderijs, alij autem huiusmodi dominos non habentes, de proprijs eorum possessionibus, domibus & in expensis suis, cum eorum Comite parochiali, illis tãtùm exceptis, qui decrepitæ ætatis, viduitatis, aut orphanitatis, & alterius consimiliter impotentiæ causa necessariò viderentur excusari, similiter pro sua facultate condecenter armati & dispositi, exercitualiter proficisci teneantur.

Vnius sessionis Nobiles.

A militia excipiuntur qui.

Nobiles fratres indiuisi, vnum eorum: apud dominos autem seruientes, alios pro se in bellum mittere cum Comite tenentur. ART. IIII.

VBI autem duo, vel plures fratres indiuisi, & in vno victu manentes extiterint, vno eorum ad huiusmodi generales exercitus proficiscente, alius, vel alij remanere debent excusati. Illi verò, qui proprijs in personis, vel sub Banderio, vel stipendio Regali & Baronum procedere habebunt, præter & vltra gentes suas, de honoribus, aut stipendijs Regalibus, vel Baronum secum seruientium & exercituare debentium, nihilominus prætactum numerum exercituantium, de suis proprijs possessionibus, cum Comite suo parochiali, seu Comitibus, sub quo, vel sub quibus possessiones suæ existunt, expediant & transmittant ad illas partes, & pro illo tempore, quibus ijdem Comites parochiales singulorum Comitatuum debebunt exercituare.

Proceres cum coniugibus suis, pro Magistris curiæ, aliquos domi relinquere Nobiles possunt. ART. V.

PRÆTEREA Prælati, Barones, & Nobiles Regni nostri, Castra, fortalicia, & munitiones habentes, eorum Castellanos, seu alios Nobiles, pro custodia huiusmodi fortaliciorum necessarios, similiter ipsi Barones, Nobiles, & maiores personæ sæculares, † coram coniugibus & domesticis suis, personas Nobiles, pro Magistro curiæ, & alios, ad conseruandum honorem Curiarum suarum, deputandi & relinquendi habeant facultatem, moderatè tantummodo, & ineuitabiliter necessarias personas, in huiusmodi seruitijs occupando & relinquendo.

Idem Ladisl: Posthũ: Anni 1454. Art. 5. & 6. : Al: cum. Castellani, Prouisores, Magistri curiæ domi relinquendi in domibus maiorum.

Iudex nobilium regestum colonorum omnium, in Comitatu existentium, Comiti exhibere tenetur. ART. VI.

ET pro-

Et propterea commissum est, quòd in quolibet Comitatu vniuersitas Nobilium eiusdem Comitatus conueniendo, certum ex eis eligere debeant, de mediocri statu Nobilium, non ex potentioribus, qui cum Iudice Nobilium ipsius Comitatus, numerum iobagionum quorumlibet Regalium, Reginalium, & Baronum, ac Nobilium, in ipso Comitatu possessiones habentium, tempore proclamationis exercitus generalis, fideliter computet, & conscribi faciat & registrari, par seu copiam huiusmodi registri tradendo suo Comiti parochiali.

Non veniens, aut tardè in expeditionem profectus, aut inde clam, aut temerè se subducens, bona amittit. ART. VII.

Item quòd quilibet, tàm in generali exercitu Regnicolarum, quàm ad stipendia exercituare debentium, die & termino expeditioni generali, cui interesse debebit, assignatis, absq; omni procrastinatione in loco deputato, cum omni gente sua, cum qua ad exercitum ire tenetur, constituatur. Quicunq; autem ad huiusmodi generales exercitus proficisci debens, tempore proclamationis & instaurationis eorundem, contumaciter ire & proficisci neglexerint, aut multum tardè, terminum & locum vniuersalis conuentionis ipsius exercitus, studiosè prætermittentes, cæteris exercituantibus fatigatis, aut dispersis, seu conflictu bellico iam commisso & habito, superuenerint, aut in tempore venientes & comparentes, ante debitam & finalem expeditionem belli, occasione qualibet, etiam conflictu non habito, nostra, vel capitaneorum ipsius exercitus, absq; licentia, de eodem exercitu temerariè recesserint, tales expediti minimè reputentur, sed eorum possessiones pro huiusmodi non ventientia, vel tarditate, aut temerario discessu occupentur, & de huiusmodi possessionibus occupatis, per nostram Maiestatem, de consilio Prælatorum, & Baronum nostrorum, quid agendum sit, deliberetur. Ladisl. Anni 1454. Art. 13.

Milites damna nemini inferant, & præter herbas, ligna & aquam, à colonis nihil accipiant. ART. VIII.

Item quòd exercituantes, tempore æstiuo, in villis & segetibus descensus facere non debeant, sed in campis vacuis, segetes pedibus equorum non conculcent, neque destruant, nullaque damna & nocumenta inferre præsumant, nihil omnino, præter herbas non falcatas, ligna & aquam, absque debito precio capientes seu auferentes. Precia verò victualium cuiuslibet generis, tàm pro hominibus, quàm equis necessariorum in quolibet Comitatu, ante aduentum exercituantium, per communitatem Nobilium eiusdem Comitatus, secundum fertiliorem, vel infertilem euentum temporis & anni limitentur, moderentur & taliter ordinentur, vt intuitu ipsorum exercituantium, precia victualium in nullo excrescant vltra priorem & communem cursum, in foris communibus vsitatum, prout cupiditate hominum, fieri consueuit. Ladisl. Anni 1454. Art. 8. Herbas non falcatas depascere. Victualia in Comitatibus per Comites & Vicecom: limitentur.

Modus recuperandi damna per milites illata. ART. IX.

Si qui verò contra præmissam ordinationē in villis, aut alijs locis, modo prætacto, prohibitis descensus facere, aut victualia cuiuscunque maneriei, absq; precio ordinato, auferre præsumpserint, homines damnificati, siue Nobiles sint, siue ignobiles, ad præsentiam Comitis parochialis, & Iudicis nobilium Comitatus illius, in quo huiusmodi descensus & damna facta, ac illata extiterint accedendo, super quātitate damnorum, quæ sibi illata fore conquesti fuerint, si Nobiles per se, si verò ignobiles fuerint, cum suo villico, & duobus vicinis suis, domui suæ, ex vtraq; parte proximè coniunctis, iuramentum præstent: ipsiq; Comites & Iudices Nobilium, super huiusmodi damno & iuramento, ipsi conquerenti, literas eorum testimoniales tradant, vigore quarum quàm primum ad curiam Regiam, in præsentiam iudicum

 & iusti-

& iusticiariorum, ipsam curiam iudicantium, accesserit, mox absque vlteriori probatione & litium protractione eisdem conquerentibus & damnificatis, iuxta contenta literarum prædictarum Comitum, & Iudicum Nobilium, illius videlicet Comitatus, in quo huiusmodi damna, per quoscunq; exercituantes illata fuerint, (Sic nimirum, vt his literis, absq; vlterioris probationis requisitione, ex vigore præsentis constitutionis, plena fides adhibeatur) ex parte cuiuslibet damna inferentis, omnimoda satisfactio damnorum, nec non expensarum, pro ipsis damnis exquirẽdis factarum, sententialiter fieri decernatur: & cum exequutione debita finaliter & effectiuè, per sententiam iudiciariam, quam Palatinus, aut Iudex curiæ, pro tempore constituti, vel eorum vices gerentes, & sigilliferi literatoriè dare & proferre teneantur, Comitibus, vel Vicecomitibus, & Iudicibus nobilium illorum Comitatuum, in quibus ipsi exercituantes, qui præmissa damna irrogasse, modo antelato, comprobati fuerint, possesiones & bona habere dignoscuntur, per huiusmodi literas sententionales scribatur, & demandetur, quaten⁹ ipsi mox receptis dictis literis sentencionalibus, huiusmodi læsis & damnum passis, ex parte ipsorum damna inferentium, per ablationes rerum & bonorum eorundem, & si necesse fuerit, possessionum occupationes, super omnibus, in huiusmodi literis sententionalibus contẽtis, coram testimonio alicuius Capituli, vel Conuentus, omnimodam & indilatam satisfactionem teneantur exhibere. Quicunq; autem ex huiusmodi exercituantibus potentiarie seu voluntariè, succensiones & combustiones, aut deprædationes villarum & possessionum, vexationes Ecclesiarum, Nobilium, & virorũ Ecclesiasticorum, curiarum propriarum, & domorum inuasiones & deprædationes, mulierum, vel virginum spoliationes, raptus & dehonestationes, hominum verberationes & vulnerationes, & alios similes maiores & enormes actus potentiarios committere præsumpserint: Extunc contra tales, præmisso modo & ordine, in illis Comitatibus, in quibus huiusmodi facta potentiaria patrata fuerint, inquisita & comperta veritate, in facto potentiæ conuincãtur. Et ex parte eorum indilata satisfactio, modo superius declarato, per sententiã iudiciariam, impendenda, declaretur & demãdetur, ac per Comites parochiales, & Iudices nobilium ipsius delinquentis, & in facto potentiæ conuicti, ad exequutionem earundem literarum, per occupationes possessionum, rerum & bonorum ablationes, & alia in talibus fieri solita, per Palatinum, & iudicem curiæ finaliter & effectiuè procedi literatoriè committatur & demandetur. In cuius rei memoriam firmitatemq; perpetuam, præsentes concessimus literas nostras, pendentis & autentici sigilli nostri noui duplicis, quo vt Rex Vngariæ vtimur, munimine roboratas. Datum Budæ in festo beati Gregorij Papæ, anno Domini Millesimo, Quadringentesimo, Trigesimo quinto: Regnorum nostrorum Vngariæ, &c. anno Quadragesimo octauo, Romanorum vigesimo quinto, Bohemiæ decimo quinto, Imperij verò secundo.

Milites in quibus casibus in facto potentiæ conuincantur.

SIGISMVNDI IMPERATORIS DECRETVM SEXTVM, ANNO DOMINI M. CCCC. XXXV. editum, & eius anni secundum:

Alias Sigismundi Decretum maius vocatum.

SIGISMVNDVS Diuinâ fauente clementiâ, Romanorum Imperator semper Augustus, ac Vngariæ, Boëmiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Seruiæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæq; Rex: Vniuersis Christi fidelibus, præsentibus pariter & futuris, præsentiam noticiam habituris. Salutem in omnium Saluatore. Inter cuncta, quæ pro subiectorum salute conseruanda nostræ meditationis perpẽdit acumen, ad ea præsertim cordis nostri curas, innata nobis inclinatione naturæ, solemus diuertere, quibus humanæ temeritatis audacia effrenata, nõnunquam iuncta poten-

ctâ potentiâ reprimantur, & iuris integritas, abutentium præuaricatione, deprauata, nunc, apertiori priorum consuetudinum declaratione, nunc nouarum vtili constitutione legum, principantis prouidentiâ reformetur. Proinde ad vniuersorum, tàm præsentium, quàm futurorum noticiam, harum serie, volumus peruenire; Quòd cum nos pro Imperialis fastigij honore finaliter adipiscendo, post electionem nostram, in Regem Romanorum factam, & primæ Coronæ Regiæ Romanæ Aquisgrani susceptionem, nouissimè sacri Romani Imperij principibus electoribus nobis consulentibus, in partes Lombardiæ descendendo, in Ciuitate Mediolani, secundam Coronam Regiam Romani Imperij recepissemus; & demum, in Vrbem Romanam profecti fuissemus, infulasque nostras Imperiales de manibus Sanctissimi Domini nostri, Domini Eugenij Papæ quarti, cum debita solennitate suscepissemus, & deinde nonnullis partibus Italiæ, & Germaniæ perlustratis, rebusq; tàm Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quàm nostris Imperialibus, nobis interim occurrentibus votiuè dispositis exonerati, tandem in peculiare Regnum nostrum Vngariæ, medio tempore, præsentiâ nostrâ Regali viduatum, iniurijsq; & damnificationibus potentialibus, in suo statu, & suæ quietis & pacis amœnitate, disturbatum regressi, in hac ciuitate nostra Posoniensi, primam residentiam fecissemus personalem, & vna cum fidelibus nostris, Prælatis videlicet & Baronibus eiusdem Regni nostri, ad nostram Maiestatem confluentibus, certam conuentionem Nobilium, de singulis ipsius Regni Comitatibus conuocari fecissemus. Tandem ipsorum congregatione adunata, de eorundem Prælatorum, & Baronum nostrorum, nec non Nobilium Regni nostri, totum corpus eiusdem Regni, cum plena facultate absentium, repræsentantium, vnanimi voto, consilio, deliberatione & consensu, pro debita, ordinata, & conformi iusticiæ administratione, incolis eiusdem Regni æqualiter omnibus de cætero exhibenda, nec non quieto & tranquillo statu eorundem Regnicolarum, infrascriptas constitutiones, statuta & leges in perpetuum duraturas, & inuiolabiliter obseruandas, disposuimus, decreuimus, & duximus ordinandas, declarandas & firmandas.

Sigismudus Rex Romanorū electus anno 1410. Bonfin. Decad. 3 lib. 3. Lombardia, Mediolanū, Roma. Eugenius Papa IIII.

Posoniensia Comitia

Prælati, Barones, Electi nobil. Comitatuū, in conuentibus & dictis Regni totū Regnū repræsentāt.

De Iudicibus ordinarijs Regni & eorum iuramento. ART. I.

PRIMO quidem, vt omnis scrupulosa suspicio, quæ contra iudices & iusticiarios ipsius Regni nostri, de fauore vel odio, aut quoquomodo concipi posset, de cordibus quorumlibet penitus remoueatur & tollatur; Statuimus, vt semper successiuis temporibus, omnes & singuli iudices & iusticiarij dicti Regni nostri, tàm Ecclesiastici, quàm sæculares, qui videlicet in Palatinum, Iudicem curiæ Regiæ, Magistrum Thauernicorum Regalium, Cancellarium, aut Vicecancellarium Regaleni, in Protonotarium, & vicegerentem iudicum prætactorum, ac etiam assessores eorundem in iudicio, in Vaywodam partium Transyluaniensium, Comitem Siculorum, Banum Regnorum, Dalmatiæ & Croatiæ, Banum Sclauoniæ, Banum Machouien. ac in Comites quorumlibet Comitatuum, & Iudices Nobilium, eligentur & assumentur, eorumque in iudicatu vicegerentes substituti, & assessores, temqore receptionis eorundem, ad huiusmodi honores & officia administrationis iudicij & iusticiæ, in manibus nostris Regijs, vel deputatorum à nobis, iuramentum præstare teneantur, per formam verborum infra scriptorum, videlicet sic.

EGO N. IVRO PER DEVM, & per gloriosam DEI genitricem virginem Mariam, & per omnes Sanctos, & electos DEI, quod omnibus & singulis coram me causantibus, absque cuiusuis personæ, diuitis scilicet & pauperis acceptione, omnibusq;, prece, præmio, fauore, amore & odio, postpositis & remotis, prout scilicet secundum DEVM, & eius iusticiam faciendum cognouero, iustum & verum iudicium & iusticiam faciam meo pro posse. Sic me DEVS adiuuet & Beata virgo Maria, & hoc signum viuificæ crucis Domini nostri IESV CHRISTI.

Suspitione fauor: odijq; iudices euitabunt, præstito iuramēto. Supple Math. sext. art. 6. 8. 73. ubi & iusiurandū iudicum. Vlad. primi. art. 10. 33. 42. Secund. art. 8. Tert. art. 2. 3. 4. Quart. art. 2. 8. 10. Sext. art. 1. 3 Sept. art. 5 5

Iuramentū Iudices præstant coram Rege, & alijs

Iuramentū iudicum.

currentium, hoc modo duximus limitandam. Quod omnibus numeris dictorum florenorum minoribus, in nonnullis Regni nostri partibus, vti agnouimus, abusiuè adinuentis, prorsus abolitis, in quarumlibet rerum & bonorum emptionibus & venditionibus, alter numerus ipsorum florenorum non dicatur, nec computetur, nisi florenus aureus, veri, boni & iusti ponderis, vel alter florenus, per centum nouos denarios computatus. Huiusmodi nostri statuti transgressores, bonorum & rerum ipsarum venalium & emptionalium ablationes, patiantur indilatè.

Florenus minor primum denariorum 40. vt Bisantius Belæ Regis. Postea den. 60. Tum Caroli circa annum Domini 1342. denariorum 90: quod tamen de maiori floreno intelligitur. Deinde Ludouici primi tempore Octoginta quatuor, id est, grosi: maioris monetæ 14. Sigism. huius denariorum nouorum centum.

Salium externorum prohibitio. ART. VIII.

INTEREA quidem non improuidè, sed deliberata mente, præsenti nostro Decreto, seriò duximus stabiliendum. Quod nullus hominum incolarum scilicet, aut extraneorum mercatorum, aut commutatorum, sales extraneos, seu alienorum Regnorum, in hoc Regnum, venundationis, vel alia qualibet de causa, importare, aut eis vti, vel in quibusuis partibus Regni nostri, cum eis procedere, quouis modo, audeat, vel præsumat. Nam vbicunque, & in quorumcunque possessionibus ipsi sales extranei venditi, vel vendendi, empti, aut emendi, per quospiam reperiri poterunt, volumus, vt dominus terræ possessionum illarum, in quibus dicti sales, vt præmittitur, reperti fuerint, eosdem, ab eorum venditoribus, emptoribusue, aut commutatoribus auferre teneatur; vel si forsitan, fauore, aut precio allectus, seu circumuentus, dictos sales auferre renuerit, extunc similiter volumus, vt huiusmodi possessiones Nobilium, in quibus, vti præmisimus, memorati sales reperirentur per Comites nostros, tàm prouinciales, quàm parochiales, pro nostra vtique occupare debeant Maiestate.

Mercator & cōmutator.

Comites sales externos auferre, sicubi reperiantur posśint.

Proscriptos, aut per duelles, nemo ad se recipere ausit, sub pœna criminis notæ. ART. IX.

INSVPER edicimus statuendo cunctis fidelibus Regnicolis nostris, vt à modo, inposterum, & per amplius, ac in antea, nullus eorum, ac nullo penitus dempto, quospiam infideles nostros, aut proscriptos, vel alias quauis labe, seu nota criminéque, aut contagio scrupuli offuscatos & denigratos, palàm, vel occultè, publicè, seu manifestè, directè, vel indirectè apud se retinere, conseruare, aut ipsis fauorem, auxilium & hospitalitatam præbere, vel largiri præsumant, quouis modo temporum in euentu: Quoniam contrarium facientes, illa & eadem pœna, qua huiusmodi nostri infideles proscripti, aut alia nota denigrati forent cruciandi, foueri debeant & puniri incompassibiliter, ipso facto.

De iudicio, ex parte colonorum à dominis terrestribus, in prima instantia, petendo. ART. X.

STABILIMVS denique, vt si aliqui ex nostris Regnicolis, cuiusuis status & dignitatis existant, quicquam iuris, seu quæstionis, contra & aduersus Villicos, seu rusticos Prælatorum, Baronum, Nobilium, aut alterius status hominum, habeant, vel habuerint, id primitùs & primariè, in præsentia ipsorum dominorum terrestrium legitimè prosequi debeant. Et si domini ipsorum Villanorum, seu rusticorum, iusticiam facere denegarent, aut in reddenda eadem, essent remissi, extunc huiusmodi domini terrestres, prætextu abnegatæ ipsius iusticiæ, in præsentiam Comitis parochialis, vel Vicecomitis eiusdem, aut Iudicum nobilium illius Comitatus, in quibus ipsa iusticia extitisset abnegata, legitimè euocentur: Qui quidem Comes parochialis, Vicecomes, & Iudices nobilium, sub priuationis honorum suorum, & nostræ indigna-

Colonos iudicant domini eorum terrestres.

Comites de illis, qui iusticiam de colonis suis administrare neglexe-

Indignationis pœnis, iudicium & iusticiam, ac omnis Iuris complementum, ex parte ipsorum indilatè, absq; strepitu & figura iudicij, summariè & de plano, fauore etiam, odio & amore, quibusuis relegatis, debebunt & tenebuntur exhibere.

runt, iudicium faciant petentibus, summariè & sine strepitu ac figura iudicij.

Ciues Ciuitatum Regiarum in prima instantia, coram suis iudicibus conuenire debent.

ART. XI.

SIC quoque decreuimus, vt quicunq; Regnicolarum nostrorum, similiter cuiusuis dignitatis vel ordinis existerent, aduersus Ciues nostros Regales; quicquam actionis habent, vel habuerint, id ipsi in præsentia Iudicum & iuratorum Ciuium nostrorum Regalium, vbi, & in quo loco, ipsi ciues nostri inculparentur, aut etiam officialium, seu iudicum, quibus Regia nostra Maiestas gubernationem officiolatuum, seu iudicatuum huiusmodi nostrarum Regalium Ciuitatum, duxisset committendam, ritè & legitimè prosequantur, qui ex parte ipsorum, iudicium & iusticiam exhibere teneantur. Et si ipsi iudices & iurati Ciues nostri Regales; aut alij officiales, seu iudices, modo prænotato, inibi deputati, in faciendo cuipiam iudicio & iusticia, extiterint remissi: Extunc huiusmodi nostri iudices, & iurati Ciues, vel alij officiales, seu iudices, exhibendam ipsam iusticiam, Magistri Thauernicorum nostrorum autoritate, astringantur & compellantur. In casu verò, quo ipsi querulantes, de iudicio ipsorum iudicium & iuratorum Ciuium nostrorum, contentari noluerint, tunc in huiusmodi agendis ipsorum, ad præsentiam Magistri Thauernicorum nostrorum, secundum antiquam consuetudinem, possint appellare. Qui ipsis ibidem nouum iudicium & iusticiæ complementum exhibere, & ipsum iudicium suum, per annotatos iudices & iuratos Ciues, efficaciter tenebitur facere obseruari. Et si memorati querulantes, tàm de ipsorum iudicum & iuratorum Ciuium, quàm Magistri Thauernicorum iudicio, contenti non fuerint, tunc huiusmodi causas eorum, coram nostra Maiestate, more alias consueto, prosequi valebunt, quibus nos iudicium & iusticiam faciemus, prout postulabit ordo iuris.

Appellatio à Iudice Ciuitatis Regiæ, fit ad Magistrum Tauernicorũ, inde ad Personalé præsentiam. Supple. E. primo 1405. art. 4.

Ecclesiasticus Iudex, causas prophanas: & sæcularis Spirituales non iudicet.

ART. XII.

DISPOSVIMVS etiam de modo & consuetudine, ab antiquo solitis obseruari: Quòd Prælati & quipiam viri Ecclesiastici, causas aliquas, inter Regnicolas nostros motas, à modoq; & in antea, qualitercunque, quandocunque & vbicunque mouendas & suscitandas, vt puta, iudicium sæculare concernentes, iudicare & diffinire minimè valeant, neque possint. Et è conuerso Barones, Comites prouinciales, & alij Regni nostri Nobiles, ciuesq; & hospites, causas aliquas, lites, seu quæstiones, forum videlicet Ecclesiasticum tangentes, discutere, & iudicare, non debeant, neq; præsumant. Et si inter ipsos viros Ecclesiasticos ab vna, parte verò ex altera iudices sæculares prætactos, super aliquibus causis, in eorum præsentia, vertentibus, circa ipsarum causarum iudicium, cuius videlicet ipsorum iudicio pertineant, discordia, seu disceptatio aliqualis extiterit suborta: Extunc partes eædem, causam, seu causas huiusmodi litigiosas, in specialem nostram præsentiam, vbi DEO duce fuerimus constituti, cum Prælatis & Baronibus nostris, dirimendam traducere teneantur, vbi decernendo sanciemus, ad cuius partis iudicium, seu forum, spectare debeant & pertineant causæ prænotatæ.

Supple. E. secundo, anni 1405. art. 14.

Quęstionem de fori competentia, inter Ecclesiasticum & sæcularem Regni Iudices Rex dirimit. Sup. Decr. secund. art. 14. Et Math. an. 1471. art. 17.

Possessiones, in quarum metis mineræ sunt, Rex à Nobilibus non auferat: Dimidietatem verò vrburarum cultoribus, propter auctos fodinarum labores, relaxat.

ART. XIII.

SPECIFICE nihilominus condigna præmeditatione annuentes, statuimus, vt vniuersi Regnicolæ, personæ Ecclesiasticæ videlicet & Sæculares, cuiusuis dignitatis &

Metalli cuiuscunque.

tis & præeminentiæ existant, qui in faciebus possessionum ipsorum, mineras auri, vel argenti, vel alterius cuiuscunq; metalli, ad nos, & Cameram nostram Regiam, de iure & consuetudine pertinentes, à modo in antea inuenire & reperire possent, (non obstante, si Regiam gratiam in eo non haberent, vt Maiestas Regia huiusmodi possessiones ipsorum, mineras supradictas habentes, in concambium aliorum iurium Regalium, ab ipsis aufferre non valeat) possessiones easdem, ab ipsis, absq; eorum spontanea & libera voluntate, de plenitudine nostræ pietatis, & præsenti nostra gratia speciali, per nos ipsis regaliter attributa, non auferemus: nec easdem ab ipsis alienabimus, contra formam præsentis nostræ gratiæ supradictæ. Sed tamen volumus, vt rectam & æqualem medietatem vrburarum, mineris de eisdem prouenire solitarum, ijdem viri Ecclesiastici, & Nobiles, nostro fisco Regio assignent, & administrari faciant. Aliam verò medietatem earum, ex præsenti nostro indulto, pro se ipsis valeant reseruare: Nec ijdem viri Ecclesiastici, Nobiles, ac laboratores minerarum prædictarum, ex ipsis mineris prouenientia, extra Regnum nostrum deferre, aut alijs quibusuis hominum personis, venditioni exponere debeant: Sed huiusmodi aurum & argentum, sicut de alijs mineris, & montanis nostris, ad Cameram nostram venire est consuetum, ad vendendum, in Cameram nostræ Maiestatis; teneantur apportare & exponere huiusmodi venditioni. In casu verò quo ijdem Nobiles, vel viri Ecclesiastici, nec non laboratores prædicti, in huiusmodi auro & argento, scyphos, coclearia, aut alia clenodia, seu argenteria, pro vsu ipsorum reseruantes, præparari facere, aut ipsum aurum & argentum, in specie, erga se ipsos, pro vsu & commodo suo retinere maluerint, in his eisdem etiam plenè concessimus, & harum serie, concedimus facultatem. Horum autem contrarium facientes, & huiusmodi nostri Decreti transgressores, huiusmodi gratia nostra Regia, per nos ipsis, quo ad præsens, circa conseruationem, gubernationem & adeptionem, ac limitationem, iam dictorum metallorum, minerarum, & vrburarum, modo quo supra, regaliter indulta & attributa destituantur illicò, & priuentur ipso facto.

Minerarum possessiones Rex inuitis Regnicolis non auferat. Vrburarum dimidium cultoribus relaxatur. Argẽtum & aurũ ad Cameram venũ portetur. Argentum pro vsu suo cultores reseruare possunt. Peccantes in prædicta, ius per hanc cõstitutionem ipsis concessum amittunt.

Migratio colonis libera facta. ART. XIV.

SANXIMVS præterea & statuimus, ac super his statutum fecimus, vt â modo in antea, Ciues, seu hospites, siue Iobagiones nostri Regales, de nostris Ciuitatibus, possessionibus, Oppidis, & liberis Villis, Castrorumq; nostrorum tenutis, in Ecclesiarum, nec non Nobilium, & alterius præeminentiæ hominum, possessiones: Et è conuerso earundem Ecclesiarum, & ipsorum Nobilium, ac alterius status hominum Iobagiones, in præfatas nostras Ciuitates, oppida, possessiones castrorum, tenutas, & generaliter quilibet liberę conditionis homines, de possessionibus Ecclesiarum, in Nobilium: & de Nobilium possessionibus, in earundem Ecclesiarum possessiones, temporibus semper successiuis, vniuersis & perpetuis, habita licentia, iustoq; terragio, & alijs debitis eorum solutis & expeditis, liberam, tutam & omnimodam moraturos se transferendi, habeant facultatem. Harum nostrarum literarum per vigorem, his moderaminum limitationibus, clarè præsentibus expressatis, vt quicunque, & quorumcunq; Iobagionum dominus, aliqua birsagia, quibus Iobagio suus aliquo tempore fuisset conuictus, infra vnius mensis spacium non exegisset super eundem: Extunc birsagia talia, super ipsum Iobagionem suum, dicto vno mense elapso, recipere, & eundem Iobagionem retinere non valeat: Sed idem Iobagio, quo maluerit, modo præhabito, indemnis & illæsus, moraturus accedat.

Colonus migret, terragio & debitis persolutis. Ius hoc multipliciter correctũ est, per constitutiones. Ferdinandi Imperatoris Mulctę intra mensem à colonis exigantur: alioquin post mẽsem à migrare volente exigi non possint. Idẽ S. eiusdem primo. 1405 art. 6.

Censum quoq; dominus colono soluendum, intra mensem commissum, intra dies quindecim exigat, quibus elapsis à migrare volente petere non valeat. ART. XV.

PRÆTEREA quicunque, vel quorumcunq; Iobagionem dominus, collectam, seu dationem aliquam, super suum imposuerit Iobagionem, termino vnius mensis

ad hoc sibi assignato, dationem eandem, expirato ipso termino vnius mensis, infra quindecim dies, super eundem recipere protelasset: Extunc ipse dationem huiusmodi protelatam, super eundem Iobagionem suum, ipsis quindecim diebus expiratis, extorquere, & Iobagionem eundem retinere non queat, neque possit, sed idem Iobagio, superius limpidè nominatus, quo voluerit, quietus & pacificus, liberè moraturus discedat.

Colonus post acceptam licentiam, à dominis terræ non vexetur calumnijs.

ART. XVI.

CÆTERVM si alicuius terræ dominus, suum Iobagionem, aut aliquem de Villa, ante tempus licentiæ receptionis eiusdem, in facto aliquo non inculpauerit, & calumniatus non extiterit; Extunc ipse Iobagionem talem, post tempus receptionis illius suę licentiæ, calumnia quauis relegata, liberum à se abire permittendo, in nullo queat damnificare, aut disturbare, præsentis scripti & Decreti nostri patrocinio mediante.

ET vt huiusmodi sanctionis nostræ Decretum, saluum semper habeatur & solidum, volumus, & præsentibus firmissimo Regio edicto præcipimus, & mandamus vniuersis & singulis, Comitibus, vel Vicecomitibus, & Iudicibus Nobilium illorum Comitatuum, in quibus in euentu temporis, præticulata disceptatio fortassis fuerit exorta, vt ipsi nostros Regios, & earundem Ecclesiarum, nec non Baronum, Nobilium, & alterius status, ac præeminentiæ homines, Castellanos, officiales, Iudices & Villicos, ipsarumq; Ecclesiarum rectores, nec non Nobiles, & alterius Regni nostri status, homines, ac officiales eorundem, ad præmissi nostri Decreti Regalis obseruationem, cum eorum damnis & grauaminibus compellant semper & coerceant, teneant & astringant, mera nostra Regia autoritate, per nos eis attributa, mediante. Datum Budæ in festo Sancti Dominici Confessoris. Anno Domini, Millesimo, Quadringentesimo quinto. Comites curent ab omnibus statibus & ordinibus Regni decreta obseruari.

SIGISMVNDI IMPERATORIS
DECRETVM QVARTVM, ANNO Domini, M. CCCC. XI. editum.

SIGISMVNDVS DEI gratia Romanorum Rex, semper Augustus, ac Vngariæ, &c. Rex, &c. Fidelibus nostris vniuersis, Dicatoribus & exactoribus, tàm lucri Cameræ nostræ Regiæ, quàm decimarum Archiepiscopalium, vel Episcopalium, in Comitatu N. constitutis, vel quocunque temporis in euentu constituendis, præsentes literas inspecturis, Salutem & gratiam. Cum nos pridem, vna cum Prælatis & Baronibus nostris, ad instantiam & querimoniam nonnullorum Regnicolarum nostrorum, contra & aduersus vos, nostræ Maiestati, porrectam, super dicatione & exactione dictorum lucri Cameræ nostræ, nec non decimarum, huiusmodi Decretum PERPETVO duraturum, per vosq; firmiter obseruandum, duximus instituendum.

Dicatores vltra duos denarios à Iudicibus, ratione quietantiarum, non accipiant.

ART. I.

QVOD Dicatores, seu exactores dicti lucri Cameræ nostræ, tempore importationis & solutionis pecuniarum, per eos dicatarum, ab vnoquoq; Villico ipsas importante, seu soluente, nil plus, neq; pintam vini, vel valorem eius, neq; aliud quodcunque, præter quàm duos denarios, pro tempore currentes, pro redemptione literarū, prout solitum extitit tempore Illustrissimi Principis, domini Ludouici, similiter Regis Vngariæ, patris & soceri nostri charissimi, recipere possint, atq; valeant. Villicus, id est officialis. Ludouicus primus.

Porta

Portæ maiores ad denarios triginta, & minores ad quindecim dicentur.

ART. II.

LucriCameræ quantitas: Porta integra. Dica est ius. Dica den. 30. VVeröeze.

ITEM decreuimus, vt ijdem Dicatores, in huiusmodi dicatione ipsorum, vnam portam integram, per quam currus intrare & exire potest, si etiam in eadem curia plures habitarent domestici, quàm vnus, in triginta denarijs nouis, & vnam valuam, seu paruam portam, vulgò Weröcze, dictam, non magis nisi in quindecim denarijs, seu pro media porta. Vbi verò aliquem Iobagionem, seu incolam, seà solutione dicti lucri Cameræ nostræ fraudulose præcauere satagentem, ab anteriori parte curiæ suæ paruam portam, seu ostium, à retro verò magnam portam habere conspexerint, huiusmodi curiam similiter pro vna porta dicare teneantur.

Familiares dominorum terræ non dicentur. ART. III.

ITEM statuimus, vt præfati Dicatores antedicti lucri Cameræ nostræ Regalis, tempore dicationis huiusmodi, Villicos, & operarios, nec non tales familiares, qui de curia dominorum suorum, victibus & amictibus sustentantur: & hoc domini ipsorum ad suam humanitatem duntaxat, villici autem & officiales eorundem, dominis absentibus, cum iuramento, dicere præsumpserint, quod ita sit, dicare non debeant.

Restantiæ contributionum per Comites & Vicecomites exigantur.

ART. IV.

Restantia dicæ Comitis auxilio exigantur.

ITEM sancimus, vt elapso termino solutionis præscripti lucri Cameræ nostræ Regalis, illud, quod in eo remaneret insolutum, idem Comes lucri Cameræ nostræ Regalis, vel sui officiales, seu exactores, propria eorum authoritate exigere & extorquere, aut pro eo pignus recipere nequaquam præsumant, nisi auxilio Comitis, vel Vicecomitis, & Iudicis Nobilium huiusmodi Comitatus, in quo lucrum Cameræ nostræ exigitur prænotatum.

Decimatores, iuramento rusticorum, credere & stare debent. ART. V.

ITEM disposuimus etiam, quòd Dicatores decimarum, capetias, seu aceruos frugum, secundum proprias eorum considerationes & æstimationes dicare non præsumant, sed domesticus ille, cuius fruges dicantur, super hoc iuramento solito (tacto Dominicæ crucis signo) præstito, fateri teneatur, quot, & quantas illo anno capetias habuisset: Et super hoc prædicti Dicatores contentari teneantur.

Decimæ, per censuram Ecclesiasticam, extorquendæ sunt. ART. VI.

VOLVMVS nihilominus, vt Decimator decimas non solutas, vigore seu subsidio Comitis, vel Vicecomitis, parochialium, exigere seu extorquere non possit, nisi per censuram Ecclesiasticam, Canonica tamen admonitione præcedente. In casu verò, vbi ipsi Dicatores, & exactores, tàm præscripti lucri Cameræ nostræ, quàm etiam decimarum iam dictarum, contra præmissum nostrum Decretum, in aliquo, vltra modũ iam limitatum, facere, vel procedere attentarent: Extunc idem Comes parochialis, ac Iudices nobilium, cum nobilibus illius Comitatus, in quo hoc agitur, admittere non debeant & consentire. Et vt præmissum nostrum Decretum, vim perpetuæ firmitatis, roburq; perennale, ac debitum effectum semper futuris temporibus obtineat: Volumus omnino, & eisdem vestris fidelitatibus firmissimo nostro Regio sub edicto districtè præcipimus & mandamus, quatenus præmissum nostrũ generale Decretum, dum ad possessiones, nec non bona & iura possessionaria, fidelium nostrorum N. N. in dicto N. vel in alijs quibuscunq; Comitatibus habitas & existentes, dictum lucrum Cameræ nostræ, nec non decimas prænotatas, dicaturi accesseritis & profecti fueritis, firmiter & in solidum, inconcus-

sequ

teque ac inuiolabiliter, quo ad omnes suas clausulas, continentias & articulos obseruantes, populos & iobagiones ipsorum, in quibuscunque possessionibus eorum commorantes, tàm ratione dicti lucri Cameræ nostræ, quàm decimarum prædictarum, iuxta modum superiùs in Decreto limitatum, & non vltra, dicare debeatis: Aliud contra formam præmissi nostri generalis Decreti, gratiæ nostræ sub obtentu, facere nullatenus præsumatis: Præsentes quoque perlectas semper reddi edicimus præsentanti. Datum Posonij, in festo beati Francisci Confessoris, Anno Domini Millesimo, Quadringentesimó vndecimo: Regnorum nostrorum Anno Vngariæ Vigesimo quarto: Romanorum verò Secundo.

SIGISMVNDI IMPERATORIS DECRETVM QVINTVM, SVPER MODO EXercituandi, editum Anno Domini M. CCCC. XXXV. & eius anni primum.

Decretum hoc præpositum est sequenti, quod illud in quibusdam libris reperiretur editū, in festo Georgij Martyris, Anno salutis 1434. post reportatas propositiones missas tunc per Sigismundum Imperator, ad omnes Comitatus Regni quæ etiamnum extant.

NOS SIGISMVNDVS Diuina fauente clementia, Romanorum Imperator semper Augustus, ac Vngariæ, Boemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex. Notum facimus tenore præsentium, significantes, quibus incumbit, vniuersis. Quod nos cuius Regiæ celsitudinis prouidentia, subditorum suorum & terrarum, ac Regnorum suorum ditionis, tuitioni & illæsæ conseruationi, nedum introrsus, verùm potius ab extraneis inuasoribus, officio suæ dignitatis exigente, se obligatam profiteatur: volentes fines Regni nostri prædicti, à partibus Boemiæ, & Morauiæ, à quibus propter ingruentiam præsentis temporis, ab aliquibus elapsis annis, hucusque frequentiores, feruentioresq; ipsum Regnum pertulit hostilitates, vi nostra Regia reddere securiores, onus infrascriptum spontè, imò ex debito Regali, in nostras Regias curas & expeditiones duximus assumendum, videlicet, vt ciuitates & castra subscripta, ciuitatem & castrum Posoniense, ciuitates, Tirnauiensem, Zakolcza, castrum Threnchiniense, & alia castra ac munitiones, & fortalitia in confinio Morauiæ, & iuxta fluuium Wagh situata, quemadmodum tàm in ipso ex parte Boemiæ, quàm in alijs omnibus confinijs & metis Regni nostri, ex quacunque parte, apud nostras Regias manus habita, & in futurum quouis euentu & casu eisdem nostris manibus applicari contingentia, nostris sumptibus Regalibus, contra quempiam Boemorum, & alias vndecunq; malorum emergentium, muniemus, & tutabimur sufficientib9 gētib9, armis & victualib9, alijsq; necessarijs, tàm pro cōseruatione, vel defensione castrorum & munitionum in se, quàm ad tuendos campos, & defendenda circūiacentia campestria, contra quosuis insult9 hostiles occurrētes.

Munienda rum ciuitatum solicitudinem Imper. in se recipit.

Regis penes gentes, etiam procerum insurgere debent. ART. I.

SI autem tanta potentia inimicorum irrepserit, quòd maior foret viribus gentium nostrarum Imperialium, nec ab inuasione finium Regni arceri & prohiberi, per easdem gentes nostras imperiales, posse verisimiliter videretur: Ex tunc Prælati deputati, pro defensione illarum partium, cum suis Banderijs & militibus, iuxta dispositionem de ipsis factam, & obseruari consuetam, nec non Comites singulorum Comitatuum, pro earundem partium, vel aliarum guerras habere contingentium, defensione, modo simili deputatorum, sub Banderio Regali, cum Baronibus Proceribus, & Nobilibus dictorum Comitatuum, & eorum gentibus, per modum generalis expeditionis exercitualis, viribus coniunctis & adunatis, succurrere debebunt, ad repellendum insultus hostiles supradictos.

De triginta colonis, vnus eques armis benè instructus mitti in expeditionem debet. ART. II.

Decretum anni 1454. Ladisl. Posthumi Art:4. vide.

CONCLVSVM est insuper ac statutum per nostrā Maiestatem, cum Prælatis & Baronibus, ac Regnicolis nostris prænotatis, quòd tempore vniuersalis exercitus generaliter proclamati, singuli Barones, Proceres, & Nobiles possessionati, secundum quantitatem dominiorum ipsorum, videlicet, de singulis triginta tribus iobagionibus, proprias sessiones & terras, more aliorum iobagionum, in possessionibus, quibus resident, habentibus, & census collectas, munera, seu alia seruitia dominorum, cum alijs iobagionibus supportantibus, vnum de centum verò, tres, & sic consequenter de alijs quotquot habuerint, de singulis centum, singulos tres pharetrarios equestres, ad minus videlicet arcus, pharetras, gladios, & bicellos habentes, & ad bellandum aptos & vtiles, ipsimet personaliter accedendo, ad quoslibet exercitus Regni generales conducere teneantur. Hi verò, qui minus, quàm triginta tres habent iobagiones, suos iobagiones, quos habuerint, cum iobagionibus aliorum taliter coniungere, & connumerare teneantur, quòd semper de triginta tribus iobagionibus quorumcunq; vnus pharetrarius, modo præmisso, armatus & dispositus, ad exercitus generales ab illis transmittatur.

Equites pharetrati tres à Centum colonis in expeditionem mittendi.

Nobiles inpossessionati, seu colonos non habentes, in proprijs personis in bellum ire tenentur. ART. III.

CÆTERI deniq; Nobiles iobagionibus carentes, singulariter proprijs in personis, hi videlicet, qui dominos habere dignoscuntur, sub quorum nominibus & expensis exercituare solent, cum eorum dominis, ac gentibus seu Banderijs, alij autem huiusmodi dominos non habentes, de proprijs eorum possessionibus, domibus & in expensis suis, cum eorum Comite parochiali, illis tātùm exceptis, qui decrepitæ ætatis, viduitatis, aut orphanitatis, & alterius consimi liter impotentiæ causa necessariò viderentur excusari, similiter pro sua facultate condecenter armati & dispositi, exercitualiter proficisci teneantur.

Vnius sessionis Nobiles.

A militia excipiuntur qui.

Nobiles fratres indiuisi, vnum eorum: apud dominos autem seruientes, alios pro se in bellum mittere cum Comite tenentur. ART. IIII.

VBI autem duo, vel plures fratres indiuisi, & in vno victu manentes extiterint, vno eorum ad huiusmodi generales exercitus proficiscente, alius, vel alij remanere debent excusati. Illi verò, qui proprijs in personis, vel sub Banderio, vel stipendio Regali & Baronum procedere habebunt, præter & vltra gentes suas, de honoribus, aut stipendijs Regalibus, vel Baronum secum seruientium & exercituare debentium, nihilominus prætactum numerum exercituantium, de suis proprijs possessionibus, cum Comite suo parochiali, seu Comitibus, sub quo, vel sub quibus possessiones suæ existunt, expediant & transmittant ad illas partes, & pro illo tempore, quibus ijdem Comites parochiales singulorum Comitatuum debebunt exercituare.

Proceres cum coniugibus suis, pro Magistris curiæ, aliquos domi relinquere Nobiles possunt. ART. V.

PRÆTEREA Prælati, Barones, & Nobiles Regni nostri, Castra, fortalicia, & munitiones habentes, eorum Castellanos, seu alios Nobiles, pro custodia huiusmodi fortaliciorum necessarios, similiter ipsi Barones, Nobiles, & maiores personæ sæculares, † coram coniugibus & domesticis suis, personas Nobiles, pro Magistro curiæ, & alios, ad conseruandum honorem Curiarum suarum, deputandi & relinquendi habeant facultatem, moderatè tantummodo, & ineuitabiliter necessarias personas, in huiusmodi seruitijs occupando & relinquendo.

Idem Ladisl: Posthū: Anni 1454. Art. 5. & 6. : Al: cum. Castellani, Pronisores, Magistri curiæ domi relinquendi in domibus maiorum.

Iudex nobilium regestum colonorum omnium, in Comitatu existentium, Comiti exhibere tenetur. ART. VI.

ET pro-

Et propterea commissum est, quòd in quolibet Comitatu vniuersitas Nobilium eiusdem Comitatus conueniendo, certum ex eis eligere debeant, de mediocri statu Nobilium, non ex potentioribus, qui cum Iudice Nobilium ipsius Comitatus, numerum iobagionum quorumlibet Regalium, Reginalium, & Baronum, ac Nobilium, in ipso Comitatu possessiones habentium, tempore proclamationis exercitus generalis, fideliter computet, & conscribi faciat & registrari, par seu copiam huiusmodi registri tradendo suo Comiti parochiali.

Non veniens, aut tardè in expeditionem profectus, aut inde clam, aut temerè se subducens, bona amittit. Art. VII.

Item quòd quilibet, tàm in generali exercitu Regnicolarum, quàm ad stipendia exercituare debentium, die & termino expeditioni generali, cui interesse debebit, assignatis, absq; omni procrastinatione in loco deputato, cum omni gentesua, cum qua ad exercitum ire tenetur, constituatur. Quicunq; autem ad huiusmodi generales exercitus proficisci debens, tempore proclamationis & instaurationis eorundem, contumaciter ire & proficisci neglexerint, aut multum tardè, terminum & locum vniuersalis conuentionis ipsius exercitus, studiosè prætermittentes, cæteris exercituantibus fatigatis, aut dispersis, seu conflictu bellico iam commisso & habito, superuenerint, aut in tempore venientes & comparentes, ante debitam & finalem expeditionem belli, occasione qualibet, etiam conflictu non habito, nostra, vel capitaneorum ipsius exercitus, absq; licentia, de eodem exercitu temerariè recesserint, tales expediti minimè reputentur, sed eorum possessiones pro huiusmodi non venientia, vel tarditate, aut temerario discessu occupentur, & de huiusmodi possessionibus occupatis, per nostram Maiestatem, de consilio Prælatorum, & Baronum nostrorum, quid agendum sit, deliberetur. Ladisl. Anni 1454. Art. 13.

Milites damna nemini inferant, & præter herbas, ligna & aquam, à colonis nihil accipiant. Art. VIII.

Item quòd exercituantes, tempore æstiuo, in villis & segetibus descensus facere non debeant, sed in campis vacuis, segetes pedibus equorum non conculcent, neque destruant, nullaque damna & nocumenta inferre præsumant, nihil omnino, præter herbas non falcatas, ligna & aquam, absque debito precio capientes seu auferentes. Precia verò victualium cuiuslibet generis, tàm pro hominibus, quàm equis necessariorum in quolibet Comitatu, ante aduentum exercituantium, per communitatem Nobilium eiusdem Comitatus, secundum fertiliorem, vel infertilem euentum temporis & anni limitentur, moderentur & taliter ordinentur, vt intuitu ipsorum exercituantium, precia victualium in nullo excrescant vltra priorem & communem cursum, in foris communibus vsitatum, prout cupiditate hominum, fieri consueuit. Ladisl. Anni 1454. Art. 8. Herbas non falcatas depascere. Victualia in Comitatibus per Comites & Vicecom: limitentur.

Modus recuperandi damna per milites illata. Art. IX.

Si qui verò contra præmissam ordinationē in villis, aut alijs locis, modo prætacto, prohibitis descensus facere, aut victualia cuiuscunque maneriei, absq; precio ordinato, auferre præsumpserint, homines damnificati, siue Nobiles sint, siue ignobiles, ad præsentiam Comitis parochialis, & Iudicis nobilium Comitatus illius, in quo huiusmodi descensus & damna facta, ac illata extiterint accedendo, super quātitate damnorum, quæ sibi illata fore conquesti fuerint, si Nobiles per se, si verò ignobiles fuerint, cum suo villico, & duobus vicinis suis, domui suæ, ex vtraq; parte proximè coniunctis, iuramentum præstent: ipsiq; Comites & Iudices Nobilium, super huiusmodi damno & iuramento, ipsi conquerēti, literas eorum testimoniales tradant, vigore quarum quàm primum ad curiam Regiam, in præsentiam iudicum

 & iusti-

& iusticiariorum, ipsam curiam iudicantium, accesserit, mox absque vlteriori probatione & litium protractione eisdem conquerentibus & damnificatis, iuxta contenta literarum prædictarum Comitum, & Iudicum Nobilium, illius videlicet Comitatus, in quo huiusmodi damna, per quoscunq; exercituantes illata fuerint, (Sic nimirum, vt his literis, absq; vlterioris probationis requisitione, ex vigore præsentis constitutionis, plena fides adhibeatur) ex parte cuiuslibet damna inferentis, omnimoda satisfactio damnorum, nec non expensarum, pro ipsis damnis exquirendis factarum, sententialiter fieri decernatur: & cum exequutione debita finaliter & effectiuè, per sententiam iudiciariam, quam Palatinus, aut Iudex curiæ, pro tempore constituti, vel eorum vices gerentes, & sigilliferi literatoriè dare & proferre teneantur, Comitibus, vel Vicecomitibus, & Iudicibus nobilium illorum Comitatuum, in quibus ipsi exercituantes, qui præmissa damna irrogasse, modo antelato, comprobati fuerint, possesiones & bona habere dignoscuntur, per huiusmodi literas sententionales scribatur, & demandetur, quatenus ipsi mox receptis dictis literis sententionalibus, huiusmodi læsis & damnum passis, ex parte ipsorum damna inferentium, per ablationes rerum & bonorum eorundem, & si necesse fuerit, possessionum occupationes, super omnibus, in huiusmodi literis sententionalibus contentis, coram testimonio alicuius Capituli, vel Conuentus, omnimodam & indilatam satisfactionem teneantur exhibere. Quicunq; autem ex huiusmodi exercituantibus potentiariè seu voluntariè, succensiones & combustiones, aut deprædationes villarum & possesionum, vexationes Ecclesiarum, Nobilium, & virorũ Ecclesiasticorum, curiarum propriarum, & domorum inuasiones & deprædationes, mulierum, vel virginum spoliationes, raptus & dehonestationes, hominum verberationes & vulnerationes, & alios similes maiores & enormes actus potentiarios committere præsumpserint: Extunc contra tales, præmisso modo & ordine, in illis Comitatibus, in quibus huiusmodi facta potentiaria patrata fuerint, inquisita & comperta veritate, in facto potentiæ conuincãtur. Et ex parte eorum indilata satisfactio, modo superius declarato, per sententiã iudiciariam, impendenda, declaretur & demãdetur, ac per Comites parochiales, & Iudices nobilium ipsius delinquentis, & in facto potentiæ conuicti, ad exequutionem earundem literarum, per occupationes possessionum, rerum & bonorum ablationes, & alia in talibus fieri solita, per Palatinum, & iudicem curiæ finaliter & effectiuè procedi literatoriè committatur & demandetur. In cuius rei memoriam firmitatemq; perpetuam, præsentes concessimus literas nostras, pendentis & autentici sigilli nostri noui duplicis, quo vt Rex Vngariæ vtimur, munimine roboratas. Datum Budæ in festo beati Gregorij Papæ, anno Domini Millesimo, Quadringentesimo, Trigesimo quinto: Regnorum nostrorum Vngariæ, &c. anno Quadragesimo octauo, Romanorum vigesimo quinto, Bohemiæ decimo quinto, Imperij verò secundo.

Milites in quibus casibus in facto potentiæ conuincantur.

SIGISMVNDI IMPERATORIS DECRETVM SEXTVM, ANNO DOMINI

M. CCCC. XXXV. editum, & eius anni secundum: Alias Sigismundi Decretum maius vocatum.

SIGISMVNDVS Diuinâ fauente clementiâ, Romanorum Imperator semper Augustus, ac Vngariæ, Boëmiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Seruiæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæq; Rex: Vniuersis Christi fidelibus, præsentibus pariter & futuris, præsentiam noticiam habituris. Salutem in omnium Saluatore. Inter cuncta, quæ pro subiectorum salute conseruanda nostræ, meditationis perpẽditacumen, ad ea præsertim cordis nostri curas, innata nobis inclinatione naturæ, solemus diuertere, quibus humanæ temeritatis audacia effrenata, nõnunquam iuncta poten-

stâ potentiâ reprimantur,& iuris integritas,abutentium præuaricatione, deprauata, nunc, apertiori priorum consuetudinum declaratione, nunc nouarum vtili constitutione legum, principantis prouidentiâ reformetur. Proinde ad vniuersorum, tàm præsentium, quàm futurorum notitiam, harum serie, volumus peruenire; Quòd cum nos pro Imperialis fastigij honore finaliter adipiscendo, post electionem nostram, in Regem Romanorum factam, & primæ Coronæ Regiæ Romanæ Aquisgrani susceptionem, nouissimè Sacri Romani Imperij principibus electoribus nobis consulentibus, in partes Lombardiæ descendendo, in Ciuitate Mediolani, secundam Coronam Regiam Romani Imperij recepissemus, & demum, in Vrbem Romanam profecti fuissemus, infulasque nostras Imperiales de manibus Sanctissimi Domini nostri, Domini Eugenij Papæ quarti, cum debita solennitate suscepissemus, & deinde nonnullis partibus Italiæ, & Germaniæ perlustratis, rebusq; tàm Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quàm nostris Imperialibus, nobis interim occurrentibus votiuè dispositis exonerati, tandem in peculiare Regnum nostrum Vngariæ, medio tempore, præsentiâ nostrâ Regali viduatum, iniurijsq; & damnificationibus potentialibus, in suo statu, & suæ quietis & pacis amœnitate, disturbatum regressi, in hac ciuitate nostra Posoniensi, primam residentiam fecissemus personalem, & vna cum fidelibus nostris, Prælatis videlicet & Baronibus ejusdem Regni nostri, ad nostram Maiestatem confluentibus, certam conuentionem Nobilium, de singulis ipsius Regni Comitatibus conuocari fecissemus. Tandem ipsorum congregatione adunata, de eorundem Prælatorum, & Baronum nostrorum, nec non Nobilium Regni nostri, totum corpus eiusdem Regni, cum plena facultate absentium, repræsentantium, vnanimi voto, consilio, deliberatione & consensu, pro debita, ordinata, & conformi iustitiæ administratione, incolis eiusdem Regni æqualiter omnibus de cætero exhibenda, nec non quieto & tranquillo statu eorundem Regnicolarum, infrascriptas constitutiones, statuta & leges in perpetuum duraturas, & inuiolabiliter obseruandas, disposuimus, decreuimus, & duximus ordinandas, declarandas & firmandas.

Sigismudus Rex Romanorū electus anno 1410. Bonfin. Decad. 3 lib. 3. Lombardia, Mediolanū, Roma. Eugenius Papa IIII.

Posoniensia Comitia

Prælati, Barones, Electi nobil. Comitatuū, in conuentibus & dictis Regni totū Regnū repræsentāt.

De Iudicibus ordinarijs Regni & eorum iuramento. ART. I.

PRIMO quidem, vt omnis scrupulosa suspicio, quæ contra iudices & iusticiarios ipsius Regni nostri, de fauore vel odio, aut quoquomodo concipi posset, de cordibus quorumlibet penitus remoueatur & tollatur; Statuimus, vt semper successiuis temporibus, omnes & singuli iudices & iusticiarij dicti Regni nostri, tàm Ecclesiastici, quàm sæculares, qui videlicet in Palatinum, Iudicem curiæ Regiæ, Magistrum Thauernicorum Regalium, Cancellarium, aut Vicecancellarium Regalem, in Protonotarium, & vicegerentem iudicum prætactorum, ac etiam assessores eorundem in iudicio, in Vaywodam partium Transyluaniensium, Comitem Siculorum, Banum Regnorum, Dalmatiæ & Croatiæ, Banum Sclauoniæ, Banum Machouien. ac in Comites quorumlibet Comitatuum, & Iudices Nobilium, eligentur & assumentur, eorumque in iudicatu vicegerentes substituti, & assessores, temqore receptionis eorundem, ad huiusmodi honores & officia administrationis iudicij & iusticiæ, in manibus nostris Regijs, vel deputatorum à nobis, iuramentum præstare teneantur, per formam verborum infra scriptorum, videlicet sic.

EGO T. IVRO PER DEVM, & per gloriosam DEI genitricem virginem Mariam, & per omnes Sanctos, & electos DEI, quòd omnibus & singulis coram me causantibus, absque cuiusuis personæ, diuitis scilicet & pauperis acceptione, omnibusq;, prece, præmio, fauore, amore & odio, postpositis & remotis, prout scilicet secundum DEVM, & eius iusticiam faciendum cognouero, iustum & verum iudicium & iusticiam faciam meo pro posse. Sic me DEVS adiuuet & Beata virgo Maria, & hoc signum viuificæ crucis Domini nostri IESV CHRISTI.

Suspitione fauor: odijq; iudices euitabunt, præstito iuramēto. Supple Math. sext. art. 68. 73. ubi & iusiurandū iudicum, Vlad. prim. art. 10. 33. 42. Secund. art. 8. Tert. art. 2. 3. 4. Quart. art. 2. 8. 10. Sext. art. 1. 3 Sept. art. 55.

Iuramentū Iudices præstant coram Rege, & alijs

Iuramentū iudicum.

De Iudicum Nobilium electione. ART. II.

Adde Matt. sext. art. 9.

Pœna officiũ non suscipientis in Comitatu, Marc. 25.

Qui excipiuntur ab assumendo officio iudicatus in Comitatu.

Comitis vel Vicecomitis sigillum.

Officiũ quo quis functus est in comitatu per quinquennium suscipere non tenetur.

IVDICES Nobilium autem, in quolibet Comitatu, eligantur & præficiantur ex Nobilibus potioribus, & benè possessionatis illius Comitatus, communiter omnibus Nobilibus eiusdem Comitatus concorditer visi, & merito acceptandi, & ipsi electi teneantur non refutare, sed suscipere officium iudicatus, sub pœna viginti quinque Marcarum, per ipsam communitatem, si secus fecerint, irremissibiliter exigendarum, exceptis tamen, officiolatus & honores Regios, Reginales, Prælatorum, Baronum, vel aliorum tenentibus, vel stipendia ratione exercituationis habentibus, vel alijs rationabilibus ex causis in ipso Comitatu continuam residentiam non facientibus: & huiusmodi officium ad minus, per annum exercere, habendo sigillum cognoscibile, ad dandum cum sigillis aliorum Iudicum Nobilium, & Comitis, vel Vicecomitis literas fidedignas: Si verò elapso anno voluerint, habeant recusandi facultatem. Quòd si resignauerint, aut per communitatem Nobilium, comprouincialiter remoti, vel mutati fuerint, ante annum quintum futurum ad idem officium assumendum inuiti non coarctentur.

Birsagia inter Comites, & Iudices Nobilium diuidantur.
ART. III.

Quomodo & quando exigantur Matth. sext. art. 52. infra Sigism. art. 7

† Al: æqualiter.

DE birsagijs autem sedium Comitum parochialium, ad portionem iudiciariam cedentibus, Comites Parochiales & Iudices nobilium † æquam inter se diuisionem facere teneantur, in duas partes.

Occupata bona spoliatis, quomodo per Comites restituantur. ART. IIII.

Occupata restituendi facultas data Comitib. Hoc ius correctum est Nouozol: anno 1542. artic. 2. Et an. 1543 art. 1. 2. 3. Poson: anno 1542. art: 4. 5.

Inquirendi de actibus potentiarijs modus.

Iuramentũ deponendi modus.

VERVM quia frequenti querelâ Regnicolarum nostrorum, imò quadam palpabili experientiâ teste, nostra percipit celsitudo, per nonnullas nouas possessionum occupationes, & potentiariorum actuum illationes, eosdem Regnicolas, inferiores videlicet à potentioribus, multipliciter opprimi & grauari, ideo volentes insolentijs, & nouis attentationibus, per remedia opportuna, viam præcludere: Statuimus & ordinauimus, quod quandocunque & vbicunque fuerint factæ nouæ, possessionum, aut terrarum, occupationes, potentialiter vadiationes, seu rerum & bonorum ablationes, succisiones Syluarum, interemptiones, verberationes, & vulnerationes hominum, domorum, & possessionum inuasiones & deprædationes, ac alij similes noui actus potentiarij maiores: extunc læsi, damnum & iniuriam passi, impetratis literis nostris Regalibus querimonialibus & præceptorijs, Comites parochiales, & Iudices nobilium Comitatus illius, in quo facta huiusmodi patrata extiterint, accedant, & inquirant. Qui quidem Comites, Iudices nobilium, cum testimonio Capituli, vel Conuentus illi Comitatui deseruire soliti, à vicinis & commetaneis, ac Nobilibus comprouincialibus, sub certis pœnis, in huiusmodi literis nostris Regalibus declarandis, in sedem eorum iudiciariam, per modum proclamatæ congregationis, partibus quoque litem habentibus conuocatis, ad fidem eorum DEO debitam, fidelitatemq; nobis, & Sacræ Coronæ nostræ obseruandam, tactis Sanctorum reliquijs, præstitam, super huiusmodi nouis occupationibus possessionarijs, & etiam actibus potentiarijs, plenam & indilatam requirant veritatem: quâ rescitâ & inuentâ, possessiones occupatas, authoritate eis in hac parte attributa mediante, restituant eisdem, à quibus fuerant indebite occupatæ, ipsosq; in dominium earundem protegant & conseruent: alia verò bona, & vadia potentialiter ablata, absque defectu, reddant & restituant.

Inquisitione sufficienti habitâ, & satisfactione impensâ, factum potentiæ ad Regiam curiam decidendum, transmittatur, ART. V.

Bonorum occupatorũ post restitu-

Super facto autem potentiæ, in talibus commissæ, partes vtrasq; discussionem & sententiam finalem recepturas, ad certum terminum, mediantibus eorum, & dicti Capituli, vel Conuentus literis, seriem totius facti exprimentibus, ac propria

& pos-

& possessionum, factum huiusmodi attestantium nomina, continentium, in personalem nostram præsentiam Regiam, aut Palatinalem, seu Iudicis curiæ nostræ transmittant, vbi absque vlterioris termini, & litigionarij processus obseruatione, & contumaciâ, etiam partis non venientis non obstante, nos, vel Iudex alius, ad quem causa transmissa fuerit, iuramentum capitis decernendo, tandem finalem sententiam proferemus, & proferre tenebimur. Partes tamen litigantes, quandocunq; voluerint, absque requisitione iudicis, & onere solutionis Birsagiorum, liberam concordandi habeant facultatem, quemadmodum antiqua & laudabilis Regni nostri consuetudo huiusmodi concordiam, in quibuscunque factis potentialibus, & alijs, liberè fiendam dictat & consentit. Ne autem Barones, iudices, & alij honores Regios. & officiolatus à Regia Maiestate tenentes, seu Comites parochiales, honori & iudicatui ipsorum subiectos, quibus ipsi etiam ab alijs iustitiam tenerentur ministrare, per se ipsos, quauis cupiditate, vel propria voluntate allecti, aliqua occasione indebitè grauent, opprimant, seu damnificent, aut per eorum vicegerentes talia fieri permittant: Statuimus, vt à talibus, læsi, damnificati & iniuriati, impetratis literis nostris, ipsorum querelam continentibus, præceptorijs, quæ, modo prætacto, coram Iudice nobilium, ac testimonio Capituli, vel Conuentus eiusdem Comitatus, per modum similis proclamatæ congregationis, veritatem inquiri facere, & sua damna ac grauamina comprobare valeant, & per ipsos Iudices nobilium, vnà cum Nobilibus comprouincialibus Comitatus eiusdem, iudicium & iustitiam, ex parte huiusmodi officialium, impendatur, aut nostræ Maiestati, seu Iudicibus & iustitiarijs Curiæ nostræ prænotatis, modo præscripto, per literas Iudicis nobilium, seu Capituli, vel Conuentus, seriem totius facti continentem, causa discutienda, ad certum terminum transportetur, vt huiusmodi causa, modo præmisso, sine dilatione terminetur. Si verò ijdem Barones, seu officiales Regales, aut Comites debitum moderamen sui officij in tantum excesserint, vt ex parte totius communitatis officiolatui suo subiectæ, generalis vociferatio querulosa contra eos emerserit: extunc nos ad fidelem & literatoriam assertionem Iudicum nobilium, comprouincialiumque nobilium, & Capituli, aut Conuentus comprouincialis, personaliter, vel per idoneum hominem ad hæc specialiter deputatum, volumus & tenebimur, ex parte talium, condignam iustitiam ministrare.

tionem, actus potentiæ in sede Regia cognosci debet, ad infligendam patratori pœnam capitis.

Concordatio partibus libera.

Comes, si cuius bona vi occupauerit, quid fiat.

Castellani damna aliis inferentes cui pœnæ subiaceant.

ART. VI.

STATVIMVS itaque, & ad reprimendum potentiariorum actuum effrenatum abusum, præsenti ordinatione sancimus, quòd si qui Castellanorum aut cæterorum officialium nostrorum, aut Reginalium, nec non Prælatorum, & Baronum, ac Nobilium & Regnicolarum nostrorum, de Castris & officiolatibus ipsorum, & cum potentijs dominorum suorum, â quibus huiusmodi Castra, possessiones, & officiolatus, pro honore obtinent, aliquos actus potentiarios, damnificationes, iniurias, & quæcunque mala perpetrauerint & commiserint, talium domini, qui eisdem huiusmodi Castra, officiolatus & honores contulerunt, super omnibus damnis & nocumentis, per se, & de bonis suis, plenam satisfactionem exhibere sint obligati, & teneantur effectiuè, seipsosq; in huiusmodi actibus potentiarijs, per suos castellanos, seu officiales, perpetratis, inscios, innocentes & immunes fore debito iuramento purgare; suum autem damnum in huiusmodi satisfactione perceptum, si voluerint à suis familiaribus, castellanis, seu officialibus, qui ipsi satisfactioni causam dederunt, per ablationes rerum & bonorum ipsorum, ac possessionum occupationes, seu rebus & bonis, ac possessionibus minus sufficientibus, personarum eorum detentionem, & in captiuitatem redactionem, & conseruationem, vsque ad recuperationem damnorum suorum prædictorum, fiendam, non obstante Nobilitatis, libertatis, condi-

Damnum cuipiam per officialem illatum dominus restituat.

Innocentiã suam dominus iuramẽto purget.

Nobiles officiales detineri ad satisfactio-

nem usque possunt.

conditionis, & alterius cuiuslibet dignitatis priuilegio, liberam habeant facultatē: Quantitatem tamen sui damni, in solutione huiusmodi percepti, non excedendo.

Birsagia moderata, per quos, & quando exigenda. ART. VII.

VT autem officiales & Comites nostri prætacti, Nobiles & incolas Regni nostri, sub suo honore & iudicatu constitutos, indebitis birsagiorum exactionibus grauandi occasionem non habeant, antiquam in hac parte consuetudinem Regni nostri imitando declarauimus, quòd nullus iudicum sæcularium, iudicia, seu Birsagia extorquere possit, nisi tempore congregationis Palatinalis, vel alterius, per Regiam Maiestatem, ad congregationes generales celebrandas, deputati, in singulis Comitatibus celebrandas, secundùm consuetudinem ab antiquo obseruatam, exceptis casibus infra scriptis, quibus etiam extra tempus dictarum congregationum generalium, birsagia debitè exigi possint.

Birsagia siue multas Comes quando exigedi habet facultatem.

Primus Casus.

PRIMO videlicet, propter violentam retentionem, aut damnificationem iobagionum, petitâ licentiâ, iusto terragio deposito, alijsq; suis debitis persolutis, ad alterius possessionem se transferre volentium: quo casu Comes parochialis, cum suis Iudicibus nobilium, absque quibus nullum in talibus processum facere debet, ab his, qui in hoc casu culpabiles legitimè inuenti fuerint, iudicium, seu Birsagium trium marcarum, toties, quoties, & quandocunque culpabiles inuenti fuerint, sine expectatione extorquere potest iobagionem detentum, seu damnificatum, cum omnibus bonis suis, damnis etiam recuperatis, liberum abire permitti faciendo.

Propter detentionem coloni licétiati.

Secundus Casus.

Colonū, nō obtéta licétia abducentis pœna.

ITEM, si quis iobagionem alterius, non petitâ, nec obtentâ, vel petita, sed non obtentâ licentia, ante dies quindecim, huiusmodi petitæ licētiæ, potentialiter abduxerit, talis pro abductione violenta iobagionis huiusmodi, birsagia trium marcarū soluet, & eundem iobagionem retentum, seu damnificatum, cum alijs tribus marcis birsagialibus, per Comitem parochialem, coram Iudice Nobilium, restituere compellatur. Si verò iobagio aliquis non obtentâ licentiâ, se furtiuè ad possessionem alterius receperit, & idem ad cuius possessionem accesserit, requisitus, reddere recusauerit: extunc ad restitutionem ipsius iobagionis fugitiui, Comes parochialis talem, cum Birsagio trium marcarum, compellere debeat & teneatur.

Violationis sedis pœna.

Tertius Casus.

ITEM violator sedis iudiciariè, Birsagium viginti quinq; marcarū persoluat.

Malefactorē dimittentis pœna

Quartus Casus.

ITEM quicunque furem, vel latronem, aut aliquem publicum malefactorem captiuauerit, & eundem de captiuitate sua voluntariè abire permiserit, soluere debet Comiti parochiali homagium malefactoris prænotati.

Lucrum Cameræ in termino nō solutum, cum Birsagio trium marc. exigentur.

Quintus Casus.

ITEM, vbicunq; lucrum Cameræ debito tempore persolutum non fuerit, Comes parochialis, cum iudice nobilium, de qualibet villa non persoluente, post emanationem literarum Birsagialium, per Iudices Nobilium, contra tales dari solitarum, exigere debeat ipsum lucrum Cameræ, cum Birsagio trium marcarum.

Sextus Casus.

CONSIMILITER, quia certâ scientiâ meminimus prædecessorum literis, & per nostram Maiestatem frequenter literatoriè, ex laudabili consuetudine Regni nostri, præcipi solitum esse & vsitatum, decimas Ecclesiarum, de singulis villis persoluere, post interdictum Ecclesiasticum, certo consueto tempore obseruari commissum, recusantibus, per Comites parochiales, aut vices suas gerentes exigi debere, cum sin-

cum singulis tribus marcis: Ideò præsentis ordinationis & statuti vigore, eandem consuetudinem ratam habendam, innouandam, imitandam committimus, quòd post interdictum Ecclesiasticum, in singulis Diœcæsibus & locis, temporibus hucusque solitis, impositum, de singulis villis, quæ per vnius mensis spacium huiusmodi interdictum Ecclesiasticum animo indurato tolerantes, easdem decimas persoluere recusauerint, seu nō curauerint, mox elapso ipsius mensis spacio, Comites, vel Vicecomites parochiales, per decimatores requisiti, decimas easdem, cum singulis tribus marcis Birsagialibus pro se indilatè exigendis, eis, quibus solui debent, absq; dilatione & defectu, persolui facere teneantur.

Decimæ cū birsagio exiguntur non curato per mensem Ecclesiastico interdicto.

Septimus Casus.

ITEM quandocunq; Nobiles alicuius Comitatus, vigore literarum Regalium, per modum proclamatæ congregationis, sub pœna trium marcarum, in eisdem literis Regalibus expressa, conuocati fuerint, quicunq; ad illam congregationem non venerint, nisi ægritudine, senio, viduitate, orphanitate, paupertatis impotentia remorati, vel eorum arduis negocijs rationabiliter se excusare poterint. Comes Parochialis, & Iudex Nobilium, prædictas tres marcas, in dictis literis nostris expressas, indilatè exigere possint.

Mulctæ non venientis ad congregationem Nobilium Comitatus.

Casus octauus.

ITEM Palatinus, & Iudex curiæ, ac cæteri Iudices ordinarij, Ecclesiastici, & Sæculares, vniuersa iudicia, in causis coram eis vertentibus aggregata, statim ipsis causis finitis, ac per sententiam finalem conclusis, primò parti aduersæ, de sua portione, satisfactionem impendere teneantur, & ad partem suam iudiciariam cedentem, exigendi liberam habeant facultatem.

Birsagia in Iudicio aggregata.

Capituli & Conuentus, pro testimonio, quales personæ emitti debeant,

ART. VIII.

ITEM statuimus, quòd ad faciendas Statutiones, Inquisitiones, ac Euocationes, & alios quoscuuq; processus, cum hominibus & testimonijs Capitularibus, & Conuentualibus fieri solitis, quæ communiter fidedignates vocantur, de Capitulis, & Conuentibus personæ, seu homines simplices non mittantur: Sed de ipsis Capitulis Canonici, ad minus autem personæ in beneficijs vel officijs, cōstitutæ: De Conuentibus verò, Monachi Conuentuales, Sacerdotes destinentur, qui quidem pro huiusmodi testimonijs Capitularibus, & Conuentualibus deputati, priusquam ad faciendas aliquas possessionarias Statutiones, metarum reambulationes, reuisiones possessionarias, & communes inquisitiones, transmittantur & procedant, iurare teneantur, vt in eisdem factis fideliter & rectè procedant, & veram relationem, seu fassionem faciant. Homines autem Regij in præmissis procedentes, tempore reuersionis eorum, ac fassionis seu relationis, coram ipsis Capitulis, & Conuentibus fiendis, similiter iuramentum præstare teneantur. Quicunq; autem contra suum iuramentum, falsum processum, vel falsam relationem fecisse, repertus fuerit, talis, tanquam falsarius & periurus, pœna amissionis beneficij sui, si quod habuerit, puniatur, & insuper, siue beneficatus, siue non beneficatus existat, perpetuis carceribus mancipetur: Homo verò Regius, si in præmissis possessionarijs statutionibus, metarum reambulationibus, & reuisionibus sinistrè, vel falsè processerit, in facto periurij pœna capitis, & amissionis omnium bonorum suorum, conuincatur. Quicunque verò Nobilis, per alium, seu alios quoscunque, mediantibus nostris Regijs, vel alijs consuetis literis, nomen suum continentibus, pro homine Regio, cum testimonio alicuius Capituli, vel Conuentus, requisitus, onus huiusmodi processus assumere & exequi recusauerit, in birsagio consueto trium marcarum, per Comitem parochialem indilatè exigendarum, conuincatur eo facto.

Fide dignitates Capitulorum & Conuentuū.

Matth. sext. art. 75.

Regij homines exequutionem refe- rentes iurēt.

Fidedignitatis & hominis Regij iniquè in executione procedentis, pœna.

Hominis Regij ad executionem procedere nolentis pœna.

Vicinorum & Cometaneorum nomina, in literis relatoriis Capituli, conscribantur.

ART. IX.

ART. IX.

STATVTIONES autem possessionariæ, metarum reambulationes & reuisiones, aliter fieri non debeant, nisi vicinis & commetaneis huiusmodi possessionum inibi legitimè conuocatis: Et ut fraus & dolus in talibus melius euitetur, nomina singulorum vicinorum & cometaneorum, tempore præmissorum processuum, illuc principaliter conuenientium, in literis Capitularibus, & Conuentualibus superinde emanandis, seriatim conscribantur.

Literarum taxa, & salarium fidedignitatum. ART. X.

Vide Math. sext. art. 74 Vlad. Prim. art. 95.

Et vt materia discordiæ, super facto redemptionis literarum Capitularium & Conuentualium, nec non super satisfactione viarum seu laborum, testimonijs Capitularibus, & Conuentualibus fienda, hactenus sæpius suboriri consueta, de cætero cesset, & succidatur præsenti ordinatione, antiquam tamen & laudabilem consuetudinem imitando: Statuimus, vt omnibus in locis, tàm Capitularibus, quàm Conuentualibus, pro qualibet litera Euocatoria per se, videlicet, Euocatoria prima, secunda & tertia, in Capitulo, aut Conuentu, simul cum eorum Notario & scriptore, pro redemptione literæ recipiantur, seu soluantur singuli denarij viginti quatuor maioris monetæ. Item pro qualibet litera Proclamatoria, denarij centum. Item pro qualibet litera Procuratoria, denarij viginti quatuor. Item pro qualibet litera Prohibitoria, Protestatoria, & alijs similibus, si patenter emanatur, denarij viginti quatuor, si verò clausè denarij duodecim. Item pro qualibet litera Fassionali emanata priuilegialiter, denarij centum, patenter verò denarij viginti quatuor, clausè autem denarij duodecim. Item pro qualibet litera Inquisitoria, siue patenti, siue clausa, denarij viginti quatuor. Item de paribus antiquarum literarum in conseruatorio requisitarum, custodi seu requisitori per se denarij centum, & pro redemptione literæ requisitæ, si non habuerit multum de scriptura, & patenter confecta fuerit, denarij viginti quatuor: Si verò labor scribendi fuerit magnus, & litera priuilegialiter confecta, denarij centum. Item de simplicibus transcriptis, seu transumptionalibus literis patenter emanatis, vbi labor scribendi magnus non fuerit, denarij viginti quatuor, vbi autem litera fuerit prolixa, aut priuilegialiter emanata, denarij centum. Item de litera Statutoria, in qua contradictio facta fuerit, denarij viginti quatuor. De literis verò statutionalibus perpetuis, in quibus contradictio facta non fuerit, recipiatur redéptio literarum, secundum quantitatem possessionis, & numerum sessionis modo subscripto: Videlicet, de sessione vna, duabus, aut tribus, aut quatuor, in toto denarij centum. Vbi autem fuerint vltra quatuor sessiones, usque ad decem, pro qualibet sessione, denarij viginti quatuor. Vbi verò fuerint vltra decem, vsque ad viginti, de qualibet sessione, denarij duodecim. Vbi verò fuerint vltra viginti, vsque ad centum, vsque quaque, de qualibet sessione, denarij octo. Item de literis Reambulatorijs metalibus, in quibus contradictio & euocatio facta non fuerit, denarij viginti quatuor. In reambulationibus autem metalibus, in quibus simplex consignatio, vel cum hominibus Regijs, de curia Regia, transmissis, similis consignatio, vel finalis metarum erectio, cum iuramento super terram, in forma iudiciaria, aut partibus concordantibus, facta fuerit, pro redemptione literæ, denarij quadringenti. Vbi autem partibus in huiusmodi reambulationibus & demonstrationibus metalibus discordantibus, causa ad curiam Regiam deducta fuerit, tunc pro redemptione literarum talium, denarij ducenti. Item de communi inquisitione, ordine iudicario, commissa denarij centum. Item de occupationibus possessionum, hominum in sententia capitali conuictorum, & rerum ablationibus, iudiciariâ commissione mediante, fiendis, de rebus ablatis, ex antiqua consuetudine, Capitulum habebit decimam partem, pro redemptione autem literæ denarij centū. Item de reuisione possessionaria occupationis, denarij centū. Item de æstimationib9 possessionarijs iudiciaria commissione, fiendis, denarij centum,

Literæ Euocatoriæ.

Proclamat: Procurator. Próhibitoriæ. Protestator. Fassionales. Inquisitoriæ

Requisitoriæ.

Transumptionales.

Statutoriæ.

Reambulatoriæ.

Communis inquisitionis capitali sententia damnati ex bonis, decima debetur Capitulo. Reuisionalis occupat:

tum. Item de possessionarijs diuisonalibus, de singulis possessionibus diuisis, singuli denarij centũ. Item de expeditorijs iuramentalibus, denarij viginti quatuor. Item de expeditorijs iuramentalibus continentibus nomina coniuratorum, denarij centum. Item de solutionibus pecunialibus, coram Capitulis, vel Conuentibus, vel eorum testimonijs fieri solitis, Capitulum, seu Conuentus decimam & nonam partem exigere non possint, nisi quando propter discordiam partium, in eorum Sacristijs, seu conseruatorio huiusmodi pecuniæ depositæ fuerint, de talibus nempe de iure, decimam & nonam partes recipere possunt, ad illius tamen partis rationem, quæ causam dederit, pecuniæ huiusmodi in conseruatorio reponendæ. Personis autem testimonialibus Capitulorum & Conuentuum, pro singulis diebus, quibus in itinere fidedignitatis processerint, soluantur singuli duodecim denarij maiores, siue in proprijs equis, siue in equis causantium ambulent, & ducantur: ita tamen, quòd in victualibus & expensis causantium, & ipsos ad facta sua conducentium, simul cum equis, & familia eorum, de domo, iterum in domum, semper duci debeant, & reduci.

Aestimatiõ. Diuisional: Expeditoriæ. Iuramentales. Nona & decima quãdo possit exigi de pecunijs in Capitulis depositis. Testimoniorum Capituli salaria.

Taxa literarum minoris Cancellariæ. ART. XI.

Vladisl. prim. art. 98 Math. 1485 art. 76.

PRÆTEREA, ex quo in iudicijs, in curia nostra Regia fieri consuetis, coram iudicibus ordinarijs eiusdem curiæ, ac eorum notarijs supradictis, literæ & redemptiones earum necessariò occurrũt. Ideò ad tollendam cuiuslibet altercationis occasionem, quæ inter ipsos Notarios & causantes emergi posset, antiquam consuetudinem redemptionis literarum earundem, modo subscripto, duximus similiter declarandum: Videlicet, quod in ipsa curia nostra, Notarijs ipsius curiæ nostræ iudiciariæ, de vna litera Prorogatoria communi, soluantur denarij duodecim. De litera iudiciali seu Birsagiali, similiter denarij duodecim. De simplici litera Inquisitoria, similiter denarij duodecim. De secunda Euocatoria, denarij viginti quatuor. De tertia Euocatoria, denarij centum. De Proclamatoria, denarij centum. De litera iuramentali, tertio, vel sexto se, alicui adiudicata, denarij viginti quatór. De eo, qui iurabit, duodecimo, vel vigesimo quinto, aut quinquagesimo se, denarij centum. De communi inquisitione, denarij centum. De litera duellarij, denarij ducenti. De iuramentali super caput, denarij ducenti. De prima instrumentorum exhibitione, denarij viginti quatuor. De secundaria & tertiaria instrumentorum exhibitione, cum grauamine assumpto, similiter denarij viginti quatuor. De Prorogatoria respondentis cum tribus marcis, denarij viginti quatuor. De litera Prorogatoria patenti, denarij viginti quatuor. De litera Fassionali communi, denarij viginti quatuor. De alijs literis generalibus, videlicet Prohibitorijs, & similibus, denarij viginti quatuor. De Prohibitorijs facie ad faciem, denarij centum. De litera Sententionali facti potentialis, conseruatori sigilli, floreni decem, per centum denarios. Scriptori autem, denarij ducenti. De literis statutorijs, & reambulatorijs simplicibus, denarij viginti quatuor. De literis autem Adiudicatorijs reobtentionis possessionum, seu aliarum rerum, iuxta quantitatem possessionis, seu rei obtentæ habitâ concordiâ inter causantes, & Protonotarium, fiet solutio.

Prorogator. Iudiciales. Inquisitor. Simplices. Euocator. 2 Euocator. 3 Proclamator Iuramentales. Inquisit: cõ. Duellar. Iuram. ad caput. Exhibition. Prorogat: cũ tribus marcis. Proro: patẽ. Fassiõ. com. Prohibitor. Sent: facti poten. Statut: & Reamb. Adiudicat.

Taxa literarum maioris Cancellariæ. ART. XII.

Vlad. prim. art. 99.

IN Cancellaria autem nostra Regia, quo ad redemptiones literarum iuridicarũ & consuetarum, seruetur antiqua consuetudo eiusdem Cancellariæ. Similiter de donationibus & confirmatorijs, pensata quantitate rei donatæ vel confirmatæ, erit concordandum cum Cancellario, modo hactenus obseruato. Quia verò in omnibus præmissis redemptionibus literarum, & alijs quibuscunque solutionibus ac Birsagiorum exactionibus, de numero & quantitate denariorum pro tempore currentium, sæpenumero mentio facta est, gratia remouendi dubij, præsentium serie, declara-

Denarij quales intelligãtur in Birsagijs & literarum redẽption.

declaramus, vt denarij tales intelligantur, quorum singuli centum, vnum florenum auri valeant, & repræsentent, & si denarios minores pro aliquo tempore cursum habere contigerit, ad eandem rationem, cum ampliori & æquiualenti numero, suppleantur.

Arestatio in proprijs terris & officiolatibus fieri nequit, sub pœna marcarum sex.
ART. XIII.

Sigism. ter. art. 5. Math: Sext. art. 29 Vlad: Primo, art. 89. 90. 91. 92. Idem secun. art. 21. Pœna indebiti aresti.

ITEM de arestationibus mercatorum, & aliorum hincinde proficiscentium, quæ pro debitis & alijs excessibus proprijs, aut alienis, in possessionibus, seu locis communibus, tàm per Ecclesiasticos, quàm per Sæculares, Nobiles & ignobiles, satis frequenter fieri solent, in quibus etiam hactenus nonnulla impedimenta & damna, ac iniuriæ, extra consuetudinem huiusmodi arestationis, commissa sunt & patrata, eandem antiquam Regni nostri consuetudinem approbandam declaramus. Quòd nullus arestare volens, in suis proprijs, aut fratrum suorum condiuisionalium possessionibus, terris, aut officiolatibus, pro quacunque causa, arestationem aliquam facere possit: alioquin pro indebito aresto suo, in pœna trium marcarum conuincatur, & arestum huiusmodi indebitè factum, cum altero birsagio trium marcarum, relaxare & liberum permittere, per Comitem parochialem compellatur. Cum autem in loco communi quispiam arestationem facere voluerit, iudex ipsius loci communis eandem arestationem, coram se, sic, & non aliter fieri patiatur & acceptet, si videlicet arestans, prius se à domino, vel villico possessionis, in qua arestatus residentiam habuit, iustitiam postulasse, & huiusmodi iustitiam, aut sibi temerariè denegatam, aut finaliter exhibitam fore, sed satisfactionem debitam non impensam extitisse, literis Comitis, vel Vicecomitis parochialis, aut Iudicis Nobilium, vel alijs credibilibus, poterit comprobare. Dum autem hæc præmissa, modo prætacto, euidenter poterit comprobare: extunc dominus vel Iudex, aut villicus ipsius loci seu possessionis communis, arestum retinere, & inter partes, more in talibus consueto, iudicium & iustitiam faciendo, super debitis, aut alijs excessibus, vel rebus coram eo rationabiliter obtentis, debitæ satisfactionis complementum, de rebus & bonis iudicialiter obtentis condemnati, aut rebus & bonis ipsius minus sufficientibus, per detentionem personalem, impendere teneatur.

Arestatio in communi loco, quo casu fiat.

Aresti, Iudicis fauentis parti pœna. ART. XIIII.

IN casu etiam, quo ipse Iudex aresti, pro fauore, aut timore cuiuscunq; vel ex qualibet alia causa, rationem non habente, arestum coram eo legitimè factum, seu fiendum, retinere, iudiciumq; & iustitiam, ac satisfactionis complementum, modo superius descripto exhibere recusauerit: extunc ipse arestatori, cuius ipse aduersarium liberè abire permiserit, pro damno, quod per huiusmodi arestum requirere, & immediatè obtinere poterat, & pro toto interesse, teneatur & existat obligatus, nisi arestandus, vel arestatus, tantam potentiam & vim habuerit, propter quam dominus, seu Iudex loci communis eisdem resistere, & eos retinere non valebit, aut alia potentia superueniente arestatus, contra voluntatem iudicis, arestum violenter abduxerit: Quo casu eueniente, ad sui excusationem, super eo, quanto citius poterit, suis vicinis & cometaneis publicè protestetur.

Arestantium Ciuium pœna in proprijs terris. ART. XV.

VOLVMVS autem, quòd in nostris & in Reginalibus liberis Ciuitatibus, oppidis & villis, & possessionibus, mediantibus eorum Iudicibus, officialibus, & præsidentibus quibuscunque, per Ciues, mercatores, hospites, & incolas eorundem, pro suis debitis, rebus & acquisitionibus quibuscunq;, arestationes huiusmodi, modo suprascripto, & sub pœnis antedictis, per Magistrum Thauernicorum, aut alios eorum superiores, indilatè exigendis, fieri nullatenus debeant, neq; possint, sed in

locis communibus; & coram iudice communi, cum necesse fuerit, fiant arestationes per eosdem, modo superius declarato.

Aresti Iudicis salarium. ART. XVI.

IVDEX autem communis arestationes huiusmodi, coram eo débitè & legitimè factas, discernens & iudicans, pro suo labore & honore, si fuerit iudex per dominum possessionis constitutus, aut dominus ipsemet, quadraginta denarios: Si verò villicus, duodecim denarios, ab homine iudicialiter condemnato, pro se exigendi habet facultatem.

De defectu seminis, donationibus, & sequestro. ART. XVII.

PORRO æquitatem, & iuris obseruantiam, quam inter Regnicolas nostros vigere peroptamus, à nostra Regia Maiestate exordium habere demonstrari volentes, præsenti decreto stabilimus, quòd in quocunque Comitatu, aliqua iura, per defectum seminis quorumcunque decedentium deuoluta fuerint, & de huiusmodi possessionibus manifestè non constat, an ad ius Regium pertineant, vel aliquos fratres generationales, seu hæredes fæminei sexus concernant, sed inter ista duo, videlicet, ius Regium, & ius aliorum scilicet generationalium, vel fæmineum dubium interuenerit: extunc homo communis nobilis, & idoneus, in quolibet Comitatu, ad idem per Comitem Parochialem, cum Iudice nobilium, & alijs Nobilibus comprouincialibus, in vnum locum congregatis, non tamen ex Baronibus, nec de potentioribus, sed de mediocribus Nobilibus, electus, huiusmodi iura deuoluta & dubiosa, & etiam alia similia, si quæ contigerint, tàm diu conseruet & manu teneat, absque damnificatione qualibet: excepto solùm, quòd de prouentibus consuetis huiusmodi possessionum, donec in manibus suis remanebunt, expensas moderatas capere & facere possit: De quibus tandem rationem reddere debeat & teneatur, quousque huiusmodi reuolutio iurium, sine hæredibus decedentium, in sede iudiciaria curiæ nostræ Regiæ, publicata fuerit. Ipsaq; publicatione facta, quicunque easdem possessiones, & iura sibi pertinere allegauerit, in † certis octauis subsequentibus, quantò citius rationabiliter poterit, iura sua producendo, easdem ad se pertinere comprobet. Quod si facere poterit, Iudices curiæ Regiæ Maiestatis, eundem statui & introduci mandent & faciant, cum effectu. Si verò in comprobatione defecerint, iuri Regio relinquantur. Et si qui vlterius ad easdem ius habere sperauerint, eas de manibus Regijs requirant legitimè.

Bona dubia. Supple. Matth. sexto artic. 26. Ex mediocribus nobilibus. Expensæ moderatæ. Ratio reddenda. † Al: tertijs. In defectu probationis, fisco applicentur.

De vxoribus & filiabus, in domibus Nobilium decedentium, remanentibus. ART. XVIII.

VBI autem vxores, vel filiæ huiusmodi hominum, absque hæredibus masculinis, decedentium, in talibus possessionibus & iuribus remanserint: extunc possessiones eædem, & Iura possessionaria, à manibus eorum occupari & auferri non debeant, priusquam de eorum iuribus, videlicet, an hæreditariè & perpetuò ad ius fœmineum pertineat, an ne, veritas inquiratur: Quòd si repertum fuerit eadem iura, iuri fœmineo non competere: extunc dictis vxoribus talium decedentium, antequam de dominio dictarum possessionum excludantur, per Regiam Maiestatem, vel alios, ad quos repertæ fuerint esse deuolutæ, de eorum dotibus & iuribus paraphernalibus plena satisfactio impendatur.

Vxores & filiæ sine masculis hæredibus deceden. non excludantur ex eorum bonis, ante iuridicam reuisionem. Matth. sext. art. 27.

De quarta filiarum & domo paterna. ART. XIX.

FILIABVS verò, vsque tempus emaritationis earum, domus paterna, cum quarta parte possessionum paternarum, pro quarta filiali, secundùm consuetudinem Regni nostri, sequestretur, & possidenda relinquatur.

Quarta, puellis assignatur in bonis,

De filiabus Nobilium, homini rustico nubentibus. ART. XX.

Quarta, maritatis pecunia exoluitur.
Filia nobilis, nubens de consensu consanguineorum, ignobili, manet perpetuo in quarta bonorũ: alias non. Tripart. part. I. tit. 29.

POSTQVAM verò maritatæ & traductæ fuerint, de earum iure quartalitio, pecuniarum solutione mediante, satisfiat. Vbi autem aliqua ex ipsis filiabus homini impossessionato maritata fuerit, dictante eadem Regni nostri consuetudine, in perpetuo iure & dominio, huiusmodi quartæ filialis possessionariæ, succedere debet, & remanere. Ita tamen, quòd si ipsa de voluntate & consensu fratrum, seu consanguineorum suorum, in quos, post ipsius matrimonium, huiusmodi iura, seu quartalitia reuerti & redundari deberent, homini, vt præfertur impossessionato nupserit: alioquin siue de domo paternali, siue de curijs & seruitijs bonorum, seu maiorum nobilium, dictis suis fratribus seu consanguineis, aut parentibus irrequisitis & nolentibus, seu non consentientibus, id fecerit, ius suum quartalitium, non cum possessione, sed cum satisfactione pecuniaria, requirendi habebit facultatem.

Ecclesiarum res & bona, sæculares non occupent. ART. XXI.

ADIICIENTES statutis superioribus statuimus, quòd nullus Comes, Banus, Waywoda, seu alius officialis Regius, cuiuscunque conditionis, denominationis & dignitatis existat, Ecclesias Episcopales, Archiepiscopales, Abbatiales, Præpositales, & alias quascunque Regio iure patronatus disponendas, earundemque tenutas, pertinentias, decimas, & possessiones, intra terminos & limites sui honoris, seu officiolatus, absque speciali mandato Regio, occupare, aut se de eisdem partialiter, vel totaliter ingerere præsumat.

Tributorum superflua exactio vetatur. ART. XXII.

Tributorũ verorum loca cognoscantur.

VERVM quia ex immoderata & superflua exactione tributorum, per diuturni temporis abusum & inaduertentiam, ac negligentiam dispositionis superinde necessariæ, multa grauamina, damna & incommoda Regnicolis, & extraneis hominibus, cum eorum rebus & mercibus, in Regno nostro hinc inde proficiscentibus, per tributarios tàm nostros Regales, & Reginales, quàm Regnicolarum & aliorum, propria cupiditate, nullo ad DEI timorem, aut æquitatem habito respectu allectos, illata fore hactenus, feruentioriq; auiditate dietenus irrogari, experientia teste, nostra cognouit celsitudo. Ideo præsenti sanctione decreuimus, quòd in singulis Comitatibus Regni nostri, tempore celebrationis generalium congregationum palatinalium, per Palatinos, pro tempore, constitutos, vel aliâs ex Regia deputatione celebrandarum, inquiratur à iuratis assessoribus, huiusmodi congregationum numerus & locus, verorum tributorum, in ipso Comitatu exigi solitorum, & à dominis, seu possessoribus eorundem tributorum, petantur exhiberi literæ primariæ institutionis tributorum eorundem, in quibus, si inuenta fuerit quantitas soluendi tributi de singulis rebus solui consuetis, talis solutio moderetur & reducatur ad rationem præsentis monetæ, taliter, quòd tributariorum, seu tributa habentium iusti prouentus non decrescant, nec è contrario solutionis modus, in onus tributa soluere debentium, supercrescat.

De moderandis tributorum, siue Teloniorum solutionibus: Et viarum falsarum prohibitio. ART. XXIII.

Tributorũ moderatio.

VBICVNQVE autem huiusmodi literæ primariæ institutionis tributorum reperiri, & exhiberi non poterint, aut repertæ forsitan & exhibitæ, quantitatem tributi soluendi non expresserint, tunc à prædictis iuratis assessoribus dictæ congregationis similiter inquiratur, & resciatur quantitas solutionis tributorum, in quibusuis tributis ipsius Comitatus, de singulis rebus tributari solitis, tempore antiquiori, quod humana memoria comprehendere potest, fieri consuetæ, & retrahantur ad consuetudinem antiquam, compensata qualitate, quantum iustius fieri poterit, pecuniæ tunc currentis, semper absque damno & detrimento tributa exigere & soluere debentium, æquitate videlicet vtriusq; partis semper salua. Similiter

militer inquiratur, discutiatur, & moderetur, quæ, & vbi sint falsæ viæ, & indirectæ quorumlibet tributorum, & quantum longè, vel propè huiusmodi vias falsas singuli tributarij obsidendi, ac itinerantes in eisdem prohibendi, vel impediendi, iustam & consuetudinariam habuerint, vel habere debeant, facultatem. Vias autem nouas in locis, quibus viæ ab olim nunquam haberi consueuerunt, nemo, pro communi & vniuersali transitu itinerantium, in detrimentum & damnum tributorum vicinorum, in faciebus suarum terrarum adinuenire præsumat: Alioquin de huiusmodi vijs nouiter adinuentis, in prædictis congregationibus generalibus, iuxta affirmationem iuratorum assessorum huiusmodi congregationum, decernatur, an pro falsis vijs reputandæ sint, vel aliter restringendæ & moderandæ. Habentes insuper & exigentes tributa ratione pontis, vel nauium, pontes huiusmodi, aut naues, sub debita reformatione semper studeant conseruare, taliter, quòd viatores, & tributa soluentes, absque impedimento per pontes, & naues eorum transitum liberum, & non impeditum facere possint. Id verò facere negligentes, pœnis & grauaminibus opportunis, ad debitam reformationem & conseruationem ipsorum pontium & nauium, in dictis congregationibus promulgandam, per Comites eorum parochiales astringantur, toties, quoties, eorum negligentia exigente, fuerit opportunum.

Viæ falsæ Vlad. tertio art. 36.

Viæ nouæ in tributorum detrimentū prohibentur.

Pontes & naues bonas teneant tributarij.

Comes ad reparationē pontium, & nauium, cū birsagio, cogat.

Infideles ad Castra dominorum non accepientur, officiales finitimi, fures & latrones recipere poterunt. ART. XXIV.

POSTREMO, antiquam Regni nostri consuetudinem, præsenti edicto confirmantes, de Prælatorum, Baronum, & Nobilium Regni nostri approbatione, communiter stabilimus & ordinamus, quòd nullus Prælatorum, Baronum, Nobilium, & Regnicolarum nostrorum, cuiuscunque status, dignitatis & conditionis existat, quoscunque infideles manifestos nostros, & Coronæ nostræ, ac Regni nostri, nec non publicos fures, latrones & malefactores, præsertim in congregationibus generalibus proscriptos, in suis castris, domibus, bonis & possessionibus retinere, hospitare, & conseruare, aut eis auxilium, hospitalitatem, & fauorem impendere præsumant: sub pœna consimilis infidelitatis, aut furum & latronum hospitalitatis. Excepto, quòd fures, latrones, & alios malefactores in congregationibus generalibus proscriptos, demptis infidelibus, Barones & Castellani nostri, in confinijs Regni, Castra & fortalitia, ac officiolatus & honores, pro defensione confiniorum tenentes, vsque tempus acquirendæ gratiæ, poterunt in huiusmodi Castris & fortalicijs metalibus receptare & retinere. In cuius rei memoriam, firmitatemq; perpetuam, præsentes concessimus literas nostras priuilegiales, pendentis autentici sigilli nostri duplicis, quo pro nunc, vti Rex Vngariæ vtimur, munimine roboratas. Datum Posonij per manus Venerabilis domini Matthiæ de Gatholocz, Præpositi Ecclesiæ Quinqueecclesię. aulæ nostræ summi Cancellarij, fidelis nostri dilecti, Anno Domini, Millesimo, Quadringentesimo, Trigesimo quinto, Octauo Idus Martij: Regnorum nostrorum Anno Vngariæ, &c. Quadragesimo octauo, Romanorum vigesimo quinto, Bohemiæ decimo quinto, Imperij verò secundo. Venerabilibus in CHRISTO patribus dominis, Georgio Strigonien. Ioanne Colocensi & Bachiensi, Canonicè vnitarum, Dionisio Spalatensi, Archiepiscopis, Zadiense sede vacante, Petro de Rozgon Agriensi, Varadiense sede vacante, Georgio Lepes Transyluaniensi, Zagrabiense sede vacante, Georgio Nittriensi, Chanadiense sede vacante, Emerico Quinqueecclesiensi, Simone de iam dicta Rozgon, Vesprimiensi, Clemente Iauriensi, Vaciense sede vacante, Iacobo Sirmiensi, Ioseph Bosnensi, Ioanne Tininiensi, Vito Corbaniensi, Ioanne de dominis Segniensi, Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias DEI fæliciter gubernantibus: Sibinicense, Nonense, Scardonense, Traguriense, Makarense & Pharense, sedibus vacantibus,

Pœna infidelitatis.

Conclusio,

cantibus. ITEM MAGNIFICIS, Matthijws de Palocz prædicti Regni nostri Vngariæ Palatino, Spectabili & Magnifico Hermano Ciliæ & Zagoriæ Comite, socero nostro charissimo, totius Regni nostri Sclauoniæ Bano, Comite Stephano de Bathor, Iudice curiæ nostræ, Ladislao de Chak, Waywoda nostro Transyluaniensi, Ioanne & Stephano Weghle, Segniæ & Modrusæ Comitibus, Regnorum nostrorum Dalmatiæ & Croatiæ prædictorum, Descw & Ladislao de Gara, Machouien. Nicolao de Radnijch Crucifero ordinis Prutenorum Zeurinien. Banis, Ioanne de sæpedicta Rozgon Thauernicorum, Emerico filio Nicolai Waywodæ de Marczalij Ianitorum, Ioanne & Stephano de Peren, Dapiferorum, Paulo & Ioanne Kompolth de Naua, Pincernarum, Laurentio de Hederuara, Agazonum nostrorum Magistris, ac Stephano & Georgio de antelata Rozgon, Comitibus nostris Posoniensibus, alijsque quàm pluribus, Regni nostri Comitatus tenentibus & honores.

Vltra præscripta Sigismundi Imperatoris sex Decreta, Propositiones de modo exercituandi, sine die, anno & loco scriptæ: Donatio Ioanni de Maroth Bano Machouien. in Ecclesia Nittriensi sepulto, facta: & oppignoratio Ciuitatum tredecim Comitatus Scepusiensis, sub nomine Sigismundi Imperatoris, extant, quæ cum ad constitutiones Regni nihil faciant, hic inserere non fuit operæ precium.

ALBERTI REGIS DECRETVM EDITVM ANNO DOMINI M. CCCC. XXXIX.

ALBERTVS Dux Austriæ, secundùm Sigismundi Soceri sui obitum, cum Elisabetha vxore, Sigismundi filia, Regnum adipiscitur: Rituq; solenni coronatus, in Regem quoque Boëmiæ à potiori parte Regni eligitur, & contra factionem, quæ Casimirum introducere in Regis Vngariæ inuidiam frustra conata est, more veteri coronatur. Hinc Imperator Roman. creatus: Et vno anno par socero factus. Erat optimus Princeps, sed tardè regnare cœpit, vt qui vno anno & mensibus decem in Vngaria regnauit duntaxat. Nam prima die Ianuarij, Anno Millesimo, Quadringentesimo Trigesimo octauo, coronatus: Moritur dissenteria, esu melonum sibi accersito malo, Anno Millesimo, Quadringentesimo, Trigesimo nono, in fine Octobris, relicta vxore vidua, eaq; grauida, quæ Ladislaum posthumum enixa est.
Priuilegia Alberti Regis valida sunt & seruantur.

ALBERTI REGIS DECRETVM.

ALBERTVS DEI gratia Romanorum Rex, semper Augustus, ac Vngariæ, Boëmiæ, Dalmatiæ, Croaciæ, &c. Rex, & Dux Austriæ, &c. Memoriæ commendamus, tenore præsentium significantes, quibus expedit vniuersis, quòd excellentissimo Principe, domino Sigismundo Romanorum Imperatore, ac præfati Regni Vngariæ, &c. Rege, patre nostro charissimo, laudandæ memoriæ, tempore nouiter præterito, DEO cœli, cuius nutui humana fragilitas nequit obuiare, volente, viam vniuersæ carnis ingrediente, nobisque fauente diuina clementia, in regimen & solium ipsius Regni Vngariæ votiuè succedentibus, Prælatorum & Baronum, nec non Procerum, & Nobilium Regni nostri Vngariæ, cætus & vniuersitatis identitas, nostrum Regium conspectum adeundo, & libertates ipsius Regni nostri, quibus ipsi Prælati, & Barones, ac Nobiles, eorumq; prædecessores, temporibus diuorum Regum, præsertim quondam Serenissimi Principis, Domini Ludouici Regis, fœlicis recordationis, prædecessoris nostri, freti fuère & gauisi, in quàm plurimis suis articulis, diminutas esse recitantes, & nostram Regiam Sere- Ludouicus Rex.
nitatem

nitatem, super reformatione status dicti Regni nostri, precibus & instantijs propulsantes, infrascriptos articulos, & in eis contenta, nostris literis inseri, & conscribi facere, approbare, & in eisdem se, per nos illibatè conseruari, humilimè supplicarunt: Nos quoque promisimus, immò promittimus bona fide, quòd articulos infrascriptos tenere & implere volumus, & debemus. **Bona fide.**

De reformatione consuetudinum Regni. ART. I.

PRIMO, quòd antiquas leges, & consuetudines huius Regni, & libertates Regnicolarum, Ecclesiasticorum & sæcularium, cuiuslibet status, ad priorem suum modum & statum, quantum de iure, & cum honore, eorundemque Prælatorum, & Baronum, ac Regni Nobilium consilio & auxilio possumus, reducemus, redintegrabimus, reformabimus, & de cætero in eisdem manu tenebimus, & conseruabimus.

Palatinus per Regem & Regnicolas eligatur. ART. II.

INSUPER, quòd Regia Maiestas Palatinum Regni, antiquâ consuetudine Regni ipsius requirente, eo quòd idem Palatinus ex parte Regnicolarum Regiæ Serenitati, & ex parte ipsius Regiæ Maiestatis Regnicolis, Iudicium & iustitiam facere potest, & tenetur, ex consilio Prælatorum, & Baronum, ac Regni Nobilium, pari voluntate, eligat. Adde Andr. 2. art. 8.

De stipendiatis, & exercitu generali. ART. III.

QUOD Regia dignitas, pro tuitione Regni, & confiniorum ipsius conseruatione, hominibus suis exercitualibus, de stipendio Regali, dispositiones faciat, sic, quòd Regnicolas, ipsi stipendiati exercituantes, non prædentur. Exercitus verò generalis Regnicolis tàm diu, donec huiusmodi stipendiati exercituantes, aduersarijs resistere poterunt, non proclametur. Vbi autem ipsi exercituantes Regnicolas prædati fuerint, tunc tales pronuncientur, ad instar aliorum patratorum actuum potentiariorum. Dùm verò necessitate vrgente, exercitum generalem proclamari contigerit, tunc Nobiles Regni, vltra metas & confinia Regni, ex quacunq; parte eiusdem Regni, inuiti, more exercituantium, non ducantur, antiqua eorum libertate requirente. Andr. 2. art. 7. Exercitus generalis, quando proclamandus. Militum prędantium pœna.

Nociuæ consuetudines aboleantur. ART. IV.

NOVITATES, & nociuæ consuetudines introductæ, aboleantur, & destruantur.

Exteris officia non conferantur: & quòd domini Prælati, & Barones, homines forenses non conseruent. ART. V.

ITEM alienigenis & forensibus hominibus, cuiuscunque nationis, & linguagij existant, officia in ipso Regno nostro, non committemus: nec castra, fortalitia, metas, possessiones, honores, Prælaturas, Baronatus, Comitatus, vel quascunque Ecclesiasticas, vel sæculares dignitates, ad tempus, vel in perpetuum, extraneis & forensibus, sed hominibus Vngaris conferemus. Quodque Prælati & Barones, homines extraneos & forenses non conseruent. Supple. 8. Steph. lib. 1. c. 6. Andr. 2. art. 11.

Prouentus Regales, solis incolis Regni, in arendam conferantur. ART. VI.

ITEM de tricesimis, lucro Cameræ, montanis, vrburis, cusionibus monetarum, cameris salium, earundemq; Comitatibus, nec non mardurinis, quinquagesimis, & quibuscunque officiolatibus, in arendam administratiuè, seu aliter quouis modo, similiter hominibus idoneis, Coronæ Vngariæ suppositis, & non extraneis, Liberam disponendi facultatem, modo consueto, habeamus. Vrburæ.

De lucro Cameræ, quinquagesima & Mardurinis. ART. VII.

LVCRVM Cameræ, in Regno Vngariæ: quinquagesimam in partibus Transyluanien, ac mardurinas in Regno Sclauoniæ, exigi consuetas, more aliâs ab antiquo Ludouici 1. Decret. art. 12. huc re-

Fer. Item. E. art. 5. quo consueto, exigi faciemus: reducentes ad statum, tempore præfati quondam domini Ludouici Regis, obseruatum.

Prælati & Barones duas dignitates tenere non possint. ART. VIII.

Adde Andr. 2, art. 30. PRÆLATI & Barones, duas dignitates, honores, Baronatus, scilicet sæculares, & Ecclesiasticas, simul tenere non valeant: nec homo sæcularis, siue vir Ecclesiasticus, dignitates Ecclesiasticas occupatiuè seruare possit.

De cambiis forensium mercatorum. ART. IX.

Depositionum loca instituta obseruentur. NVLLVS mercatorum forensium, & extraneorum, cuiuscunque nationis existat, ad mercandum, seu forisandum, in medium Regni, sed ad loca, tempore præfacti quondam domini Ludouici Regis, ad forisandum, & emendum, & cambiendum, deputata, negotiationes suas peracturus, more consueto, accedat.

Moneta non immutanda: & de cusione obulorum. ART. X.

Obuli. QVOD monetam auri & argenti, in valore & cursu, quibus pro nunc existit, sine consilio Prælatorum, Baronum, & Regni Nobilium non immutabimus: sed cudantur obuli, in eadem liga, qua ipsi maiores denarij cuduntur, quorum obulorum duo, vnum integrum denarium valeant: Et quòd per dominum Archiepiscopum Strigoniensem, & Magistrum Thauernicorum, vnus fidelis & idoneus vir, in probatorem huiusmodi cusionis monetæ, auri scilicet & argenti, deputetur.

De extraneis monetis, & salibus. ART. XI.

MONETÆ, & pecuniæ extraneæ, atque sales forenses, in regnum non introducantur, & nec acceptentur, & de hoc fiat prouisio celerius, quantum potest.

Regina officiolatus, solis incolis Regni, conferat. ART. XII.

Supra. E. art. 5. QVOD dispositio pro Serenissima Principe, domina Elisabeth Regina, & eius status honoris conseruatione, ex quo est hæres huius Regni, fiat, vbicunque vult in Regno: Sic tamen, quod ipsa domina Regina, honores & officiolatus suos, non extraneis & alienigenis, sed incolis huius Regni, quibuscunque maluerit, conferendi, & collatos, dum sibi placuerit, ab eisdem, secundùm suum arbitrium, habeat facultatem auferendi.

Capti in bello ex hostibus, & manubiæ, militibus non adimantur.

ART. XIII.

Mancipium notabile bello captũ, ad Regem pertinet. DVM in exercitibus, & pugnis, seu quibuscunque rixis, cum inimicis Regni committendis, Vngaros aliquos de hostibus captiuare, vel aliquid aliud lucrari contigerit: tunc ipsi Vngari huiusmodi captiuos, & lucrum, (exceptis notabilibus personis, vel capitaneis ipsorum exercituum inimicorum, Regiæ Maiestati, in captiuos pertinentes, quos nos ab ipsis captiuantibus, pro donis condignis recipere valeamus) pro se retinendi, vel vendendi, aut Ecclesijs perpetuæ seruitutis iugo tradendi & donandi habeant facultatem.

Rex in defensionibus metarum Regni, consilio Regnicolarum vtetur.

ART. XIV.

IN defensionibus, & conseruationibus metarum, & confiniorum huius Regni, consilijs Regnicolarum vtemur.

Rex potest, absque consilio honores sæculares, incolis huius Regni conferre, & auferre.

ART. XV.

Supra E. art. 5. HONORES sæculares, absque quolibet consilio, hominibus istius Regni Vngariæ, & non aduenis, liberum arbitrium conferendi, & ab eisdem auferendi habeamus facultatem.

Possessiones forensibus non conferantur: incolis etiam pro seruitiis, & non pro pecuniis, donentur. ART. XVI.

Bona Rex pecunijs incolis Regni POSSESSIONES, & iura possessionaria, non forensibus, sed benemeritis inco-

incolis tantum Regni & Coronæ Vngariæ subiectis, iuxta eorum merita & obsequia, & non pro pecunia, conferemus. Perpetuas verò venditiones, vel impignorationes iurium Regalium & Coronæ, nec cum consilio, neque sine consilio quorumcunque faciemus. non dat, sed pro seruitijs confert. Regalia iura perpetuò non alienandæ.

De metis Regni Vngariæ, & Austriæ, ac Morauiæ. ART. XVII.

PRÆSCRIPTIONES, seu dispositiones, super metis & graniciebus, inter Vngariam, & Austriam prius factæ, in suo robore perdurent: de metis verò & graniciebus, inter Vngariam, & Morauiam, quicquid de consilio eorundem Prælatorum, Baronum, & Regni Nobilium, de iure facere debemus, libenter faciemus.

Hospitalitas, & victualium procuratio, pro Rege à Regnicolis, an fieri debeat. ART. XVIII.

ITEM, quòd in possessionibus, & bonis nobilium, & Ecclesiarum, seu quarumcunque sæcularium, & Ecclesiasticarum personarum, violentas exactiones victualium, procurationes hospitalitatum, & alias quascunque aggrauationes, præter voluntatem inuitantium non faciemus, nec fieri permittemus: nec in domibus, & in locis Prælatorum, Baronum, & aliorum quorumcunque sæcularium, & Ecclesiasticarum personarum, pro tractatibus habendis, & alijs quibuscunque negotijs disponendis, ipsis inuitis morabimur, aut eos expensis, victualibus, curruum & sarcinarum vecturis, nunciorum & familiarium, & quorumcunque ad nos pertinentium procuratione, vltra eorum spontaneam voluntatem, in aliquo grauabimus, sicut abusiuè, & contra voluntatem eorum, ab antiquo tempore retroacto fieri erat inchoatum.

Ecclesiasticæ personæ non taxantur, sed exercituent. ART. XIX.

ECCLESIÆ, & Ecclesiasticæ personæ, à taxis non diu abusiuè introductis, liberæ & absolutæ relinquantur: Seruitia tamen exercitualia, more aliâs consueto facere teneantur.

De maritationibus filiarum Regis. ART. XX.

DE maritatione filiarum nostrarum, agemus cum consilio Prælatorum, & Baronum, ac Nobilium Regni nostri Vngariæ, nec non cognatorum & proximorum, atque subditorum Regnorum, ac Ducatuum nostrorum.

Ecclesiastica beneficia, Sæculares non occupent. ART. XXI.

ITEM quòd Ecclesiastica beneficia vacatura non faciemus, neque permittemus per Sæculares occupari personas.

Rex in Vngaria manebit. ART. XXII.

ITEM quòd habitationem nostram hic in Vngaria, more aliorum Regum, faciemus, & continuabimus.

Procuratores Regij & Reginales, dum suarum Maiestatum causæ tractantur, in sede iudiciaria sedere non possint. ART. XXIII.

PROCVRATORES Regiæ, & Reginalis Maiestatum, in sede iudiciaria, vna cum iudicantibus, sedere non possint, sed inter causantes, tempore, quo, videlicet, causa ipsorum, Regiæ, & Reginalis Maiestatum agitur, stare debeant: Literas etiam per causidicos, in ipsa sede exhibendas, per se non conspiciant, nec tractent suis manibus, nisi Magistri iudicantes. Director causarum.

Quòd Regia, & Reginalis Maiestates, ratione indebitæ recaptiuationis iurium possessionariorum, in æstimatione bonorum conuincantur: & de impetratoribus iurium Regalium. ART. XXIV.

IN facto possessionum, per Regiam, vel Reginalem Maiestatem, aut eorum procuratores, à talibus, qui prius in dominijs earundem extiterint, recaptiuandarum, & iuri Regio acquirendarum, quas Regalis, seu Reginalis Maiestas, iure mediante, vigo- Rex ob recaptiuationem bonorum, in eorũ

æstimatione conuincitur

vigore huiusmodi recaptiuationis, sibi appropiare non possint: contra tales, qui sic indebitè, & absque iure impediti, & expensis fatigati fuerint, ipsæ Maiestates iure mediante, in æstimatione talium possessionum, ad instar aliorum similia facientium Regnicolarum, conuincantur. Et similiter, si quipiam aliqua iura possessionaria, nomine iuris Regij, pro se impetrarent, & eadem ipsi iuri Regio pertinere, cōprobare non valerent, in æstimatione eorundem: Si verò tales impetrantes, ante decisionem causæ, in facto huiusmodi iurium impetratorum motæ, se de dominio ipsorum iurium, ac de prouentuum eorum perceptione occupatiuè, siue alio quouis modo, intromitterent, nec tandem iuridicè sibi appropriare possent: contra partem læsam, seu litigantem, & expensis fatigatam, in facto potentiæ, prout ordo Iuris requirit, conuincantur.

Regij Iuris titulo bona impetrantis & succumbentis pęna. Donatarij statim occupantis bona donata, & succumbentis pœna.

Despotus, & Comes Ciliæ, Officiolatus Vngaris conferant. ART. XXV.

Supra art. 5. 12. & 15.

IVXTA requisitionem Regnicolarum nostrorum, nos vnà cum eisdem operabimur, quòd Despotus Rasciæ, & Comes Ciliæ, cæteriq; Magnates, dominia vel possessiones, castra, fortalicia, ciuitates, oppida, & alia bona, in hoc Regno Vngariæ habentes, & tenentes, huiusmodi castra, fortalicia, oppida, ciuitates & possessiones, non aduenis & forensibus, sed Vngaris hominibus, pro honore, dare debeant.

Honores, Vngaris quibus vult, Rex confert. ART. XXVI.

ITEM, honores & officia nostra illis Vngaris, Regnicolis nostris, quibus voluerimus, more ab antiquo consueto, iuxta huius Regni nostri Vngarici consuetudinem, conferemus.

Nobiles non captiuentur, nisi sententiâ Capitali conuincantur. ART. XXVII.

ITEM, quòd nullus Nobilium Regni, pro quibuscunque factis, per quemcunq; præter talem, contra quem sententia capitalis iuridicè lata fuerit, possit detineri, seu quoquomodo captiuari.

Nobiles decimas soluere non teneantur. ART. XXVIII.

NOBILES tàm Iobagiones habentes, quàm non habentes, decimas dare non teneantur, antiquâ eorum libertate requirente.

In proclamata congregatione modus institutus, tempore Sigismundi Imperatoris, per Albertum Regem renouatus est. ART. XXIX.

Vide Decret. Sigismundi Imp. prim. anno 1435. art. 5.

VERVM quia frequenti querela Regnicolarum nostrorum, imò quadam palpabili experientia teste, nostra percepit celsitudo, per nonnullas nouas possessionum occupationes, & potentiarium actuum illationes, eosdem Regnicolas, inferiores videlicet à potentioribus, multipliciter opprimi & grauari. Ideò volentes insolentijs & nouis attentationibus, per media opportuna, viam præcludere: Statuimus, & ordinauimus, sicut etiam in Decreto maiori, antefati quondam domini Sigismundi Imperatoris, aliàs Posonij, de vnanimi Prælatorum, & Baronum, ac Procerum huius Regni nostri & Nobilium consilio, assensuq; & voluntate edito, apertè continetur, quòd quandocunque, & vbicunque fuerint factæ nouæ possessionariæ, aut terrarum occupationes, potentiariæ vadiationes, seu rerum & bonorum ablationes, succisiones syluarum, interemptiones, vulnerationes, & verberationes hominum, domorum & possessionum inuasiones, & deprædationes, ac alij similes noui actus potentiarij maiores: extunc læsi, ac damna & iniuriam passi, impetratis literis nostris Regalibus querimonialibus, & præceptorijs, Comites parochiales, & Iudices Nobilium Comitatus illius, in quo facta huiusmodi patrata extiterint, accedant, & requirant: Qui quidem Comites, & Iudices Nobilium, cum testimonio Capituli, vel Conuentus, illi Comitatui deseruire soliti, à vicinis & commetaneis, ac Nobilibus comprouincialibus, sub certis pœnis, in huiusmodi literis nostris

Occupata bona, damna, & Vadia, in proclamata congregatione, recuperandi modus. Comites.

nostris Regalibus declarandis, in sedem eorum iudiciariam, per modum proclamatæ congregationis, partibus quoque litem habentibus conuocatis, ad fidem eorum DEO debitam, fidelitatemq; nobis, & sacræ Coronæ obseruandam, tactis sanctorum reliquijs præstitam, super huiusmodi nouis occupationibus possessionarijs, & alijs actibus potentiarijs, plenam & indilatam requirant veritatem: Qua requisita & inuenta, possessiones occupatas, authoritate in hac parte eis attributa mediante, restituant eisdem, à quibus fuerant indebitè occupatæ, ipsosque dominio in earundem protegant, & conseruent. Alia verò bona & vada potentialiter ablata, absque defectu reddant, & restitui faciant. Super facto autem potentiæ, in talibus commissæ, partes vtrasque discussionem, & sententiam finalem recepturas, ad certum terminum, mediantibus eorum, & dicti Capituli, vel Conuentus literis, seriem totius facti exprimentibus, ac propria, & possessionum, factum huiusmodi attestantium nomina continentibus, in Personalem præsentiam nostram Regiam, aut Palatinalem, seu Iudicis curiæ nostræ transmittant: vbi absq; vlterioris termini & litigionarij processus obseruatione, & continuatione, etiam partis non venientis absentia non obstante, nos, vel iudex alius, ad quem causa transmissa fuerit, iuramentum capitis decernentes, tandem finalem sententiam proferemus, & proferre tenebimur.

QVICVNQVE autem huiusmodi vicinorum, & commetaneorum, ac aliorum Nobilium comprouincialium attestationes fieri, de damnisque & ablatis, læsis, & damnificatis satisfactionem impendi non permitteret, eisdem omnino resistendo: extunc talis in illo termino, ad quem factum, seu causa huiusmodi, per Comitem, aut Capitulum, seu Conuentum rescribetur, in facto potentiæ conuictus pronuncietur, seu decernatur eo facto.

VOLVMVS etiam, & præsentibus decernimus, vt talis modi præmissorum executio, seu causa, per modum proclamatæ congregationis exinde mota, siue vertenti: nec nostris Regalibus, seu Reginalibus, neque Prælatorum, seu Baronum quorumcunque, etiam confinia Regni nostri tenentium literis, nec videlicet ratione exercitualis expeditionis, neque conseruationis Castri cuiuscunque possit quoquomodo prorogari, sed eadem causa in vno termino, ad hoc deputato, finaliter concludatur. In proclamatæ congregationis causa, nemini prorogatio fiat.

Potentiariorum nouorum actuum patrator, personaliter coram Rege, aut Iudice ordinario statim respondere tenetur. ART. XXX.

QVILIBET patrator nouorum actuum potentiariorum, qui coram Regia Maiestate, aut Palatino, seu Iudice curiæ nostræ Regiæ, per querulantes personaliter reperietur: in continenti, sine vlla prorogatione, vllaq; cautela adinuenta, super omnibus sibi obijciendis, ipsi querulanti debeat respondere: alioquin contra tales, tanquam absentes, ipsa congregatio generalis detur.

Concordandi libera facultas data litigantibus. ART. XXXI.

PARTES tamen litigantes, quandocunque voluerint, absq; requisitione iudicis, & onere solutionis birsagiorum, liberam concordandi habeant facultatē, quemadmodum antiqua & laudabilis Regni nostri consuetudo, huiusmodi concordiam, in quibuscunque factis potentiarijs, & alijs, liberè faciendam dictat & consentit. Libera concordia, Sigismund. I. Anno 1435. & Colom.

Redemptio literarum, fidedignitatum eductio, tributa, falsæ viæ. ART. XXXII.

REDEMPTIONES autem literarum, & abductiones testimoniorum Capitularium, seu Conuentualium, & qualiter, aut quomodo falsæ viæ tributorum custodiantur, in eodem statu, quo in ipso Decreto Domini SIGISMVNDI Imperatoris & Regis continentur, relinquantur.

De processibus per exhibitiones literalium instrumentorum; quis modus fuit olim institutus, & obseruatus. ART. XXXIII.

ITEM,

æstimatione conuincitur vigore huiusmodi recaptiuationis, sibi appropiare non possint: contra tales, qui sic indebitè,& absque iure impediti,& expensis fatigati fuerint,ipsæ Maiestates iure mediante,in æstimatione talium possessionum, ad instar aliorum similia facientium Regnicolarum,conuincantur. Et similiter, si quipiam aliqua iura possessionaria,nomine iuris Regij,pro se impetrarent,& eadem ipsi iuri Regio pertinere, cōprobare non valerent, in æstimatione eorundem: Si verò tales impetrantes, ante decisionem causæ, in facto huiusmodi iurium impetratorum motæ, se de dominio ipsorum iurium,ac de prouentuum eorum perceptione occupatiuè, siue alio quouis modo,intromitterent,nec tandem iuridicè sibi appropriare possent: contra partem læsam, seu litigantem, & expensis fatigatam, in facto potentiæ, prout ordo Iuris requirit, conuincantur.

Regij Iuris titulo bona impetrantis & succumbentis pœna. Donatarij statim occupantis bona donata, & succumbentis pœna.

Despotus, & Comes Ciliæ, Officiolatus Vngaris conferant. ART. XXV.

Supra art. 5. 12. & 15.

IVXTA requisitionem Regnicolarum nostrorum,nos vnà cum eisdem operabimur, quòd Despotus Rasciæ, & Comes Ciliæ, cæteriq; Magnates, dominia vel possessiones, castra, fortalicia, ciuitates, oppida, & alia bona, in hoc Regno Vngariæ habentes,& tenentes, huiusmodi castra, fortalicia, oppida, ciuitates & possessiones, non aduenis & forensibus, sed Vngaris hominibus, pro honore, dare debeant.

Honores, Vngaris quibus vult, Rex confert. ART. XXVI.

ITEM, honores & officia nostra illis Vngaris, Regnicolis nostris, quibus voluerimus, more ab antiquo consueto, iuxta huius Regni nostri Vngarici consuetudinem, conferemus.

Nobiles non captiuentur, nisi sententiâ Capitali conuincantur. ART. XXVII.

ITEM, quòd nullus Nobilium Regni,pro quibuscunque factis, per quemcunq; præter talem, contra quem sententia capitalis iuridicè lata fuerit, possit detineri, seu quoquomodo captiuari.

Nobiles decimas soluere non teneantur. ART. XXVIII.

NOBILES tàm Iobagiones habentes, quàm non habentes, decimas dare non teneantur, antiquâ eorum libertate requirente.

In proclamata congregatione modus institutus, tempore Sigismundi Imperatoris, per Albertum Regem renouatus est. ART. XXIX.

Vide Decret. Sigismundi Imp. prim. anno 1435. art. 5.

VERVM quia frequenti querela Regnicolarum nostrorum, imò quadam palpabili experientia teste, nostra percepit celsitudo, per nonnullas nouas possessionum occupationes,& potentiarium actuum illationes, eosdem Regnicolas, inferiores videlicet à potentioribus, multipliciter opprimi & grauari. Ideò volentes insolentijs & nouis attentationibus, per media opportuna, viam præcludere: Statuimus,& ordinauimus, sicut etiam in Decreto maiori, antefati quondam domini Sigismundi Imperatoris, aliàs Posonij, de vnanimi Prælatorum,& Baronum, ac Procerum huius Regni nostri & Nobilium consilio, assensuq; & voluntate edito, apertè continetur, quòd quandocunque, & vbicunque fuerint factæ nouæ possessionariæ, aut terrarum occupationes, potentiariæ vadiationes, seu rerum & bonorum ablationes, succisiones syluarum, interemptiones, vulnerationes, & verberationes hominum, domorum & possessionum inuasiones, & deprædationes, ac alij similes noui actus potentiarij maiores; extunc læsi, ac damna & iniuriam passi, impetratis literis nostris Regalibus querimonialibus, & præceptorijs. Comites parochiales, & Iudices Nobilium Comitatus illius, in quo facta huiusmodi patrata extiterint, accedant, & requirant: Qui quidem Comites,& Iudices Nobilium, cum testimonio Capituli, vel Conuentus, illi Comitatui deseruire soliti, à vicinis & commetaneis, ac Nobilibus comprouincialibus, sub certis pœnis, in huiusmodi literis nostris

Occupata bona, damna,& Vadia, in proclamata congregatione, recuperandi modus. Comites.

nostris Regalibus declarandis, in sedem eorum iudiciariam, per modum proclamatæ congregationis, partibus quoque litem habentibus conuocatis, ad fidem eorum DEO debitam, fidelitatemq; nobis, & sacræ Coronæ obseruandam, tactis sanctorum reliquijs præstitam, super huiusmodi nouis occupationibus possessionarijs, & alijs actibus potentiarijs, plenam & indilatam requirant veritatem: Qua requisita & inuenta, possessiones occupatas, authoritate in hac parte eis attributa mediante, restituant eisdem, à quibus fuerant indebitè occupatæ, ipsosque dominio in earundem protegant, & conseruent. Alia verò bona & vada potentialiter ablata, absque defectu reddant, & restitui faciant. Super facto autem potentiæ, in talibus commissæ, partes vtrasque discussionem, & sententiam finalem recepturas, ad certum terminum, mediantibus eorum, & dicti Capituli, vel Conuentus literis, seriem totius facti exprimentibus, ac propria, & possessionum, factum huiusmodi attestantium nomina continentibus, in Personalem præsentiam nostram Regiam, aut Palatinalem, seu Iudicis curiæ nostræ transmittant: vbi absq; vlterioris termini & litigionarij processus obseruatione, & continuatione, etiam partis non venientis absentia non obstante, nos, vel iudex alius, ad quem causa transmissa fuerit, iuramentum capitis decernentes, tandem finalem sententiam proferemus, & proferre tenebimur.

QVICVNQVE autem huiusmodi vicinorum, & commetaneorum, ac aliorum Nobilium comprouincialium attestationes fieri, de damnisque & ablatis, læsis, & damnificatis satisfactionem impendi non permitteret, eisdem omnino resistendo: extunc talis in illo termino, ad quem factum, seu causa huiusmodi, per Comitem, aut Capitulum, seu Conuentum rescribetur, in facto potentiæ conuictus pronuncietur, seu decernatur eo facto.

VOLVMVS etiam, & præsentibus decernimus, vt talis modi præmissorum executio, seu causa, per modum proclamatæ congregationis exinde mota, siue vertenti: nec nostris Regalibus, seu Reginalibus, neque Prælatorum, seu Baronum quorumcunque, etiam confinia Regni nostri tenentium literis, nec videlicet ratione exercitualis expeditionis, neque conseruationis Castri cuiuscunque possit quoquomodo prorogari, sed eadem causa in vno termino, ad hoc deputato, finaliter concludatur. In proclamatæ congregationis causa, nemini prorogatio fiat.

Potentiariorum nouorum actuum patrator, personaliter coram Rege, aut Iudice ordinario statim respondere tenetur. ART. XXX.

QVILIBET patrator nouorum actuum potentiariorum, qui coram Regia Maiestate, aut Palatino, seu Iudice curiæ nostræ Regiæ, per querulantes personaliter reperietur: incontinenti, sine vlla prorogatione, vllaq; cautela adinuenta, super omnibus sibi obijciendis, ipsi querulanti debeat respondere: alioquin contra tales, tanquam absentes, ipsa congregatio generalis detur.

Concordandi libera facultas data litigantibus. ART. XXXI.

PARTES tamen litigantes, quandocunque voluerint, absq; requisitione iudicis, & onere solutionis birsagiorum, liberam concordandi habeant facultatē, quemadmodum antiqua & laudabilis Regni nostri consuetudo, huiusmodi concordiam, in quibuscunque factis potentiarijs, & alijs, liberè faciendam dictat & consentit. Libera concordia, Sigismund. I. Anno 1435. & Colom.

Redemptio literarum, fidedignitatum eductio, tributa, falsæ viæ. ART. XXXII.

REDEMPTIONES autem literarum, & abductiones testimoniorum Capitularium, seu Conuentualium, & qualiter, aut quomodo falsæ viæ tributorum custodiantur, in eodem statu, quo in ipso Decreto Domini SIGISMVNDI Imperatoris & Regis continentur, relinquantur.

De processibus per exhibitiones literalium instrumentorum; quis modus fuit olim institutus, & obseruatus. ART. XXXIII.

ITEM,

Mathias Rex longũ hunc processum ad breuiores terminos reduxit.

ITEM, alia facta potentiaria minora, pro quibus videlicet proclamata congregatio non datur, in tribus terminis, seu octauis, finaliter in iudicio concludantur, sic, videlicet, quòd duas euocationes præcedentes, trina forensis proclamatio subsequatur.

Bina euocatione, & trina forensi proclamatione præmissis, reus actori respondere tenetur. ART. XXXIV.

IN factis autem seu acquisitionibus quarumcunque possessionum, similiter duabus euocationibus, & trina forensi proclamatione præcedenti, pars aduersa respondere teneatur, tali modo: Quòd si aliqua literalia instrumenta apud se haberi asseruerit, tunc semel sine onere, binis autem vicibus, cum oneribus iudiciorum, absque confidentia vlterioris prorogationis, exhibere teneatur: aut si ad primum terminum exhibitionis non venerit, tunc etiam duo termini: & si ad secundum non venerit, tunc vnus terminus compleatur, causaque in facto possessionario mota, finem sortiatur effectiuum.

Instrumentorum editio.

Quid si dixerit instrumenta apud manus alienas existere? ART. XXXV.

SI verò pars aduersa sua literalia instrumenta, apud manus alienas haberi asseruerit, tandem pro requisitione huiusmodi suorum literalium instrumentorum, vnus annus assignetur, vt contra aduersarium, in facto ipsorum instrumentorum terminus compleatur: sic, quòd elapso ipso anno, in primo termino iuridicè assignato, dicta instrumenta sua exhibeat: vel si exhibere nollet, aut non posset, tunc absque vlteriori prorogatione, ipsa causa similiter finem sortiatur effectiuum.

Quid si plures fuerint in causam attracti, & quidam ex eis absentes fuerint? ART. XXXVI.

SI verò in accusatione alicuius possessionis, tres, vel quatuor, aut quinque, siue plures personæ, vnius tamen & eiusdem generationis in causam fuerint attractæ, non obstante absentia, & non venientia vnius, vel duorum, aut plurium, aut si ex ipsis vnus, vel duo, aut plures in exercitu, siue in conseruatione confiniorum, seu Castri, vel alijs quibuscunque seruitijs Regalibus fuerint constituti: tunc ratione horum, causa in facto talis possessionis mota, nullatenus prorogari possit, sed in eadem causa, cum vno, vel pluribus eorundem, in proprijs residentibus, termini legitimi similiter compleantur.

Quid si omnes in exercitu fuerint? ART. XXXVII.

VBI autem omnes huiusmodi in causam attractos, nullo penitus eorum in proprijs remanente, in notabilibus Regni, vel Regijs seruitijs occupari contigerit: extunc causa ipsa, dempto facto proclamatæ congregationis generalis, ad vlteriorem terminum, more alias consueto, poterit prorogari.

De pœnis, inter Ecclesiasticos & Sæculares impositis. ART. XXXVIII.

Ecclesiastici & Sæculares inter se litigantes, pari pœnæ subiacent.

ITEM, quæcunque Ecclesiastica persona aliquem Nobilem, in præsentiam cuiuscunque iudicis ordinarij citauerit, vel euocauerit: Et si idem Nobilis contra ipsam personam Ecclesiasticam, ordine iudiciario, in sententia conuictus fuerit, tunc grauamina maiora incurrere non possit idem Nobilis, nisi homagium suum, scilicet emendam capitis sui preciosi, eo modo, sicuti ipsa Ecclesiastica persona: Et de damnis, tàm ex parte Ecclesiasticarum, quàm Sæcularium personarum, iudex damnum patienti satisfactionem impendere teneatur.

De funeribus interfectorum, quòd Archidiaconi nullam solutionem recipere valeant. ART. XXXIX.

†Al: cæteros

ITEM decreuimus, prout etiam per † cæteros prædecessores nostros Reges decretum fuisse intelleximus, quòd pro funeribus hominum, per aliquem, vel aliquos

quos interemptorum, Archidiaconi, seu plebani parochiales, prout huc vsque, de mala consuetudine fuit obseruatum, nullam solutionem pecuniariam recipere valeant, neque possint.

CONFIRMATIO PRÆMISSORVM.

NOS itaque huiusmodi petitionibus Prælatorum, Baronum, Nobilium, ac Regnicolarum nostrorum aures exaudibiles, Regio cum fauore, inclinantes, supradictos articulos, quo ad omnes suas continentias, & clausulas, mera nostra authoritate, & potestatis plenitudine, ex certa nostræ Maiestatis sententia, nec non de consensu & beneplacito præfatæ dominæ Elisabeth Reginæ, consortis nostræ prædilectæ, præsentibus literis nostris inseri fecimus, ipsos Prælatos, Barones, Nobiles, & Regnicolas nostros, præmissis libertatibus, in eisdem articulis superius expressis, perenniter fruituros, & gauisuros committent. Adijcimus præterea, ac nostro, ac prædictæ dominæ Reginæ consortis nostræ nominibus spondemus, quòd memoratos Regnicolas nostros, & totum Regnum nostrum, in quibuscunque eorum necessitatibus non deseremus, sed fideliter, & toto posse nostro, pariter cum eisdem, ipsum Regnum, ac præassertos omnes Regnicolas nostros, ab omnibus æmulis defensabimus, ac in cunctis tàm præmissis, quàm etiam in alijs singulis bonis, & laudabilibus, ac iustis antiquis consuetudinibus eorum, & Regni nostri Vngariæ prædicti, inuiolabiliter semper & vbiq; tenebimus, & conseruabimus effectiuè. Quicunque autem hominum, cuiuscunque status & conditionis existant, hæc ipsa, quæ in superioribus continentur, quauis scilicet occasione, impugnare molirentur: Contra omnes, & quoslibet tales, ad eorum proteruiam domandam & compescendam, pariter cum eisdem Regnicolis nostris, prout & ipsi omnes vniuersaliter id ipsum se facturos spoponderunt, operabimur toto posse. Præsentium literarum nostrarum, quibus Secretum sigillum nostrum, quo, vt Rex Vngariæ vtimur, est appensum, vigore & testimonio mediante. Datum Budæ feria sexta proxima ante festum Sanctæ Trinitatis, Anno Domini, Millesimo, Quadringentesimo, Trigesimo nono.

DECRETVM DOMINORVM PRÆLATORVM ET BARONVM, STATVVMQVE ET ORDINVM REGNI, IN CONGREGAtione generali, in qua D. IOANNES HVNYADI, in Gubernatorem electus est, per ipsos editum, & iuramento firmatum. Anno Domin, M. CCCC. XLVI.

IOANNES *Hunyadi Coruinus, Mathiæ Regis pater, post cæsum ad Varnam Vladislaum, cui etiam ipse comes & collega non ignauus fuerat, Ladislao posthumo pupillo, secundum parentis suæ decessum, apud Fridericum Imperatorem tutorem, existente, fuit in Gubernatorem Regni Vngariæ, Anno Domini Millesimo, Quadringentesimo, Quadragesimo sexto, ad festum Pentecostes (quo anno Ladislaus annum quintum egit) electus, Gubernatoris officio, non sine laude, annis integris septem, ad Annum Domini Millesimum, Quadringentesimum, Quinquagesimum tertium perfunctus est, quo, circa festum Purificationis Mariæ, Ladislaus Rex adolescens Viennâ, Budam venit. Coruinus Mahumetem Turcarum Imperatorem Albam Græcam, cum validissimo exercitu, qui ex quadringentis millibus hominum constasse dictus est, obsidentem, direptis castris, machinis, & insignibus bellicis magnanimè ademptis, fudit & fugauit. Fuit Ioannis Capistrani ordinis fratrum minorum hominis miræ eloquentiæ amantissimus, à quo in illa obsidione non medio-*

mediocriter adiutus est. Hunyadi vicies cum Turca feliciter pugnasse scribitur, bis, præ inopia militum, retrocedere coactus. VNIVERSÆ literæ Donationum, ipsius Gubernationis officio durante, ad numerum triginta duarum sessionum colonicarum obseruantur. Donationes autem & aliæ literæ confirmatoriæ, vel consensus, vltra eum numerum colonorum factæ, non valent: Sic, neque præfectionis alicuius, si intra Gubernationis tempus, præfectio effectum non sit sortita. *Quemadmodum manifestè declarat articulus, quo authoritas à Regno, Gubernatori data fuit. Is ita habet.* DOMINVS Gubernator, ijs, qui fideliter Sacræ Regni Coronæ seruierint, de illis possessionibus, quæ deinceps ad sacram Coronam, purè, legitimèq́; sine cuiuspiam alterius iure, per defectum seminis. ITEM propter delationem falsarum literarum, propter cusionem falsarum monetarum, & fabricationem falsi sigilli, nec non propter inductionem extraneæ potentiæ in hoc Regnum, ac positionem ignis in eodem, fuerint deuolutæ, in quibus scilicet possessionibus, triginta duæ Sessiones, & non plures fuerint, vel fieri poterint, facere valeat donationes. Si verò Ciuitates, oppida & possessiones, vltra numerum præscriptarum triginta duarum Sessionum, etiam præscriptis modis, ad sacram Coronam fuerint deuolutæ, illas partiri seu diuidere in triginta duas Sessiones non valeat, & sub nomine triginta duarum Sessionum, de illis cuipiam facere donationem, sed huiusmodi omnes Ciuitates, oppida & possessiones indiuisæ, ipsi Coronæ reseruentur. ITEM dominus Gubernator, si cui donationem, præmisso modo, semel fecerit, amplius eidem dare non valeat: Et cum donationes Castrorum, Ciuitatum, oppidorum & possessionum, & similium, ad ius Regium duntaxat spectare dignoscantur. Igitur ipse, quibuscunque donationem fecerit, illi tempore suo teneantur accedere ad dominum Regem, pro confirmatione obtinenda. ITEM possessiones eorundem, quorum propter donationem falsarum literarum, aut cusionem falsarum monetarum, aut aliquo modo superius expresso, ad Coronam fuerint deuolutæ, quousque illi per iudices suos competentes, iudicialiter, secundùm antiquam & approbatam Regni consuetudinem, sententiati fuerint, occupare, & de his donationem facere non valeat quouis modo.

IVRAMENTVM, initio Gubernationis IOANNIS HVNYADI, in congregatione generali Regni conceptum, è vulgari in Latinum translatum.

DEVS TE ITA ADIVVET, Beata virgo Maria tibi ita misericordiam impetret, omnes Sancti sic pro te intercedant, DEI Sanctissimum corpus in extremo tuo die, ita saluti tuæ conducat, terra ossa tua ita suscipiat, & sic die tertio non eijciat, in vniuersum semen tuum sic non deficiat, in die iudicij sanctum DEI vultum ita conspicere valeas, in æterno inferno ita non sepeliaris, sicut vniuersa hoc Regesto contenta, in profectum & vtilitatem Regni conscripta, toto conatu, determinatè retinebis, nihil in contrarium eorum facies, neque fieri procurabis.

DECRETVM.

Eligatur Gubernator. ART. I.

QVOD eligent, & deputabunt vnum Gubernatorem.

Occupata bona per quoscunque remittentur, & suis possessoribus restituentur. Castra nuper erecta demolientur. ART. II.

QVOD vniuersi domini Prælati, & Barones, & quiuis alij, Castra, castella, fortalitia, ciuitates, oppida, possessiones, & quæque iura possessionaria, nec non Episcopatus, Abbatias, Præposituras, decimasq́; ac quæuis beneficia, & iura Ecclesiastica per ipsos his guerrarum temporibus occupata, & vsurpata, remittent & resignabunt. Ciuitates etiam, quas hactenus Capitanei tenuissent, pristino earum statui, dispositioni, custodiæq́; ac conseruationi propriæ remittent, ipsiq́; Capitanei exci-

excipient manus, gentes, ac familiares eorum. Quiq; etiam ex huiusmodi occupatoribus, ac Capitaneis, in hac congregatione præsentes forent, interim non recedent ab eadem, donec huiusmodi remissionem, & resignationem efficient suo modo. Quodq; vniuersa Castra, castella, fortalitia, his disturbiorum temporibus erecta, durante præsente congregatione, diruantur & deleantur, his demptis, quæ in confinibus Regni, pro defensione sunt erecta. Quodq; vniuersitas Comitatuum, in quibus eadem sunt erecta, qui scilicet hic præsentes forent, non recedent, donec eadem deponere facient, & delere.

Honores & officiolatus resignentur. ART. III.

QVOD omnes domini Barones, honores & officiolatus eorum, quos habent, in præsenti conuentione deponant, manibusq; & dispositioni, ac distributioni aliorum dominorum Prælatorum, Baronum, & Regnicolarum libere, & sine contradictione committent, & assignabunt.

Constitutiones huius Conuentus obseruentur. ART. IIII.

QVOD alia vniuersa, quæ in hac Conuentione, pro pace, vtilitate & commodo Regni statuentur, concludentur, ac disponentur, firmiter obseruabunt, in eisdemq; persistent, ac eis obedient & parebunt.

Confœderationes seu conspirationes, in detrimentum Regni à quibusuis facta, dissoluantur & cessent. ART. V.

QVOD omnes contractus, confœderationes & vincula, inter quoscunque Prælatos, Barones, & Regnicolas, in alterutrum, & mutuò, fide mediante, vel alia re, qualitercunq; factæ, & ordinatæ, quæ scilicet vtilitatem Regni, & Rempub. impedirent, cassæ, annulatæ, & inanes habeantur. Et quòd ipsi domini Prælati, & Barones, in omnibus, pro vtilitate Regni, & Reipublicæ, Regnicolis assistent, ac contra omnes, statuta & ordinationes Regni infringentes, insurgent toto eorum posse.

Extat etiamnum articuli, Statuum & Ordinum Regni exemplum, in anno Domini Millesimo, Quadringentesimo, Quadragesimo quinto scripti, de sigillo Regni, ad forum duntaxat pertinenti, Qui ita habet. Item, quod nunc disponatur vnum Sigillum, in quo sit signum crucis, sicut signum Regni Vngariæ, & illud Sigillum seruetur in Ciuitate Budensi, & querulantes habeant, sub eo sigillo literas necessarias & commemoriales; & procedant, iustitia mediante, secundum quod decet, vsque coronationem Regis. *Iste est articulus. Itaque sigillum id nullius vsus, præter ea, fuit. Hoc memoriæ causa, quo ad sigilli validitatem hic adiectum est.*

LADISLAI POSTHVMI REGIS DECRETVM, EDITVM ANNO DOMINI M. CCCC. LIIII.

LADISLAVS POSTHVMVS, alij puerum vocant, Alberto Romanorum Electo Imperatore è viuis decedente, natus. Nam Elisabeth vtero gestans, ignara cuius sexus prolem paritura esset, noui mariti auida, antequam hunc ederet. Proceres de eligendo sibi Rege intempestiuè submonuit: qui Reginæ consensu capto, opinione celerius, oratores in Poloniam mittunt, Vladislaumq; Vladislai Iagelli, ex tertia coniuge natum, in Regem optant. Nec dum erant in conspectum Regis Cracouiæ oratores admissi, cum nunciatum eis est, peperisse Reginam iucundum filium Ladislaum, & amplius in electionem Regis Poloniæ non consentire. Nihilominus prima mandata ipsi peragunt. Sed antequam optatus Dux in Regnum veniret, Elisabeth trimestrem infantem Ladislaum, pro quo Comes Ciliæ, infantuli auunculus,

Iusiurandum veteri consuetudine Regibus præstare, coronationis tempore solitum, præstitit, coronari procurat. Aduentante iam in Regnum Polono, Elisabeth cum infante, ablata secum Regni corona, in Austriam migrat.

VLADISLAVS porro interrex, omine infelici, in Vngariam venit, Anno supra Millesimo, Quadringentesimo, Quadragesimo: Regnatq; annis ferè quatuor, in summa Ciuium discordia, & maximo belli intestini æstu. Qui cum Amurate Turcarum Imperatore, maiori animo, imparibus viribus, ad Varnam Bulgariæ oppidum in die S. Martini, Anno Domini Millesimo, Quadringentesimo, Quadragesimo quarto, ætatis verò suæ Vigesimo primo, fractis, hortatu quorundam, pactis antea cum Tyranno induciis, conflixit, ampliusque in terris nec viuus, nec mortuus, vllis mortalibus visus, sempiterna laude, memoriaq; dignus Princeps. Huius Priuilegia non seruantur. Quemadmodum, neque Reginæ Elisabethæ, excepta Donatione, per ipsam Reginam Ecclesiæ Albæ Regalis, facta.

LADISLAVS POSTHVMVS, *hoc Decretum edidit, cum esset annorum quatuordecim.* PRIVILEGIA ab anno Domini Millesimo, Quadringentesimo, Quinquagesimo tertio, ad obitum vsque eius emanata valida sunt, & locum in Iudicijs habent.

Lege plura de validitate Priuilegiorum huius Ladislai Regis infra, in Mathiæ Regis Decreto Secundo. Artic. 23.

LADISLAI POSTHVMI
DECRETVM SECVNDVM.

LADISLAVS DEI gratia Vngariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex, Austriæq;, & Stiriæ Dux, nec non Marchio Morauiæ, &c. Fidelibus nostris vniuersis, Prælatis, Baronibus, Nobilibus, & alterius cuiusuis status, & conditionis hominibus possessionatis, in Comitatu N. N. constitutis & existentibus, Salutem, & gratiam. Crebrarum, ac dudum innalescentium nouitatum notabilium, omnium fide dignorum huius Regni nostri Vngariæ pericula formidantium patefactione, edocti sumus luculenter: quomodo perfidissimus Imperator Turcarum, potentissima paganorum coadunatione solitò multiplicata, magis in finale exterminium, firma intentione, machinetur hoc Regnum nostrum Vngariæ subintrare. Proinde nos, vigili aduertentia, in animo reuoluentes, ne velut olim hoc Regnum nostrum Vngariæ, ex Tartarorum inuasione improuisa, inaduertentia Regnicolarum, in flebilem ruinam fuerat positum, & in præsentiarum, ineuitabili cursu dicti Imperatoris Turcarum, & campestri conflictu indispositos (quòd DEVS auertat) nos contingat periclitari, & totius huius Regni machina, sacra Religione Christiana imbuta, penitus diruatur, quemadmodum etiam in proximis diebus euolutis, exemplari intuitu, ciuitati Constantinopolitanæ, per eundem Imperatorem Turcarum illatum fore, iam experti sumus manifestè: Ea propter, prædicti fideles nostri Prælati, Barones, Nobiles, & Proceres dicti Regni nostri Vngariæ, vnà cum certis electis Nobilibus hominibus, singulorum Comitatuum eiusdem Regni nostri, quibus per alias literas nostras, nuper superinde dederamus in mandatis, in hac Ciuitate nostra Budensi, vndecim his diebus congregati, super eo, qualiter huiusmodi ipsius Imperatoris Turcarum inuasio præstolanda, valeret tutius euitari: Vniformem habentes tractatum, & deliberationem, nos cum eisdem validam expeditionem exercitualem, ad natalem patriam nostram, Altissimo propitio defendendam, aduersus paganorum insultus, exercitum decreuimus instaurandum, præsentibus literis nostris, sub certorum articulorum inclusionibus subnotandis, vestris fidelitatibus notificandum duximus, videlicet.

Ioannes de Hunyad in generalem Capitaneum eligitur.

ART. I.

QVOD primum Spectabilem & Magnificum Ioannem de Hunyad, perpetuum Comi-

Comitem Bistriciensem, infra præsentis integri reuolutionem anni, Capitaneum generalem instituimus huius exercitus nostri instaurandi. Ioan. Hunyadi generalis Capitaneus.

Vt homines ad cognoscendum de Regiis prouentibus, & eorum erogatione, deputentur.

ART. II.

ITEM disposuimus, quod è medio dictorum Prælatorum, & Baronum, nec non etiam nobilium, & Procerum Regni nostri, certi eligantur, qui videre debeat, quot Banderia nostra Regalia, de prouentibus nostris Regalibus poterunt eleuari. Qui & vlterius prouideant, qualiter ipsi prouentus nostri Regales, ad Cameram nostram Regalem administrentur: & qualiter è Camera nostra, iidem prouentus dispensentur: quodq; honores Baronatuum tenentes, qui scilicet, more alias consueto, ipsorum Banderia, exercitualiter soliti fuerunt eleuare, de eisdem nostris prouentibus Regalibus, eorum stipendia extra dentur, & cum eorum Banderijs prompti sint exercituare.

Prælati, ratione prouentuum, antiquo more militare tenentur, & quorum prouentus imminuti sunt, onus quoq; eorum militiæ minuatur.

ART. III.

ITEM, domini Archiepiscopi, Episcopi, Præpositi, & Capitula, ac Abbates, & alias dignitates & honores Ecclesiasticos maiores tenentes, quemadmodum tempore quondam domini Sigismundi Imperatoris & Regis, aui nostri, consueti fuerunt, cum ipsorum Banderijs, ac numero lancearum exercituare teneantur: ita videlicet, quòd quantumcunq; Ecclesiarum, seu personarum Ecclesiasticarum prouentus, per inimicos extitissent minorati, iuxta limitationem electorum hominum prædictorum, etiam huiusmodi exercituatio earundem Ecclesiarum, seu personarum Ecclesiasticarum, cum tanto defectu minoretur: Quòd etiam aliæ personæ Ecclesiasticæ, dignitates & honores Ecclesiasticos minores tenentes, quorum nomina, in regesto nostro exercituationis, scripta non existunt, secundùm conscientiosam limitationum electorum hominum prædictorum, iuxta quantitatem prouentuum earundem personarum Ecclesiasticarum, exercere teneantur. De exercituatione, post Sigism. Decr. anni 1435. prim. & hoc: legere poterit Ferdinand. Imp. Decre. Annorum 1545. ferè per totum de his omnibus. †

† Item ann. 1552. art. 3. 1553. art. 4. 1555. art. 4. 5. 1556. art. 19. 20. 21. 22. 1557. art. 2. 1559. art. 13. 14. Maximilian. Imp. Ann. 1566. art. 16. 1556. art. 18.

Equites quatuor, pedites duo, à portis centum, conscribantur: Nobiles vnius sessionis singuli in bellum proficiscantur. ART. IIII.

ITEM, in quibuslibet Comitatibus, tot probi & fide digni homines potiores, per Communitatem Nobilium eorundem Comitatuum eligantur, quot in eisdem Comitatibus Iudices Nobilium habentur, qui vnà cum eisdem Iudicibus Nobilium Comitatus, in quo connumeratio fieri debebit, præstitis iuramentis per eosdem, connumeratisq; portis Iobagionalibus, ad rationem & numerum lucri Cameræ faciendum, de centum portis Iobagionalibus, tam Ecclesiasticarum, quàm sæcularium personarum, quatuor equites pharetrarij, & duo pedites similiter pharetras, ac clypeos, & cuspides habentes, ad exercituandum hac vice tantùm, & vsq; ad metas & terminos Regni nostri Vngariæ, & non vlterius disponant, ac in quolibet Comitatu, per eandem vniuersitatem Nobilium, è medio ipsorum, vnus idoneus conductor belli illius Comitatus eligatur, qui cum eisdem hominibus exercituantium connumerati, penes Capitaneum exercitus, tempore debito, accedere teneantur. Vniuersi etiam Nobiles Regni nostri, Iobagiones non habentes, per singula capita, aut cum dominis ipsorum, iuxta limitationem dictorum electorum hominum, teneantur exercituare. Et qui equestres, vel pedestres proficisci debeant, vel qui propter paupertatem, senium, vel infirmitatem exercituare non possent, iidem electi homines discernant, & disponant. Pro personis verò filiorum Magnatum paruulorum, homines armati: Pro alijs verò pueris, & orphanis, iuxta eorum facultatem, consimiliter homines exercituantes transmittantur.

Sigism. Imp. ann. 1435. prim. art. 3. è centum tres pharetras tantū.

Nobiles impossessionati.

Magnates, Barones, Nobiles, personaliter hac vice in bellum eant: Castellanus vnus in arce manere possit. ART. V.

Sigism.Imp. 1435.prim. art.4.

VNIVERSI autem Magnates, Barones, Milites, Nobiles, & Proceres dicti Regni nostri, maiores scilicet, & minores, ab inuicem diuisi, per singula capita propria, hac vice exercituare teneantur. In castris autem, ex pluribus Castellanis, sufficiat vnum remanere, cum tot personis, quot pro conseruatione talis castri sufficientes fore iudicauerint electi homines deputati: alij personaliter debebunt exercituare.

In maiorum Nobilium domibus, pro Prouisore, vnus Nobilis remaneat, sed pro se hominem mittere debeat. ART. VI.

Sigism.Imp. 1435.prim. art.5.

ITEM in domibus notabilium Nobilium, vnus Nobilis, pro Prouisore curiæ possit remanere: ita tamen, quòd quicunq; modo præmisso remanserunt, teneantur homines suos exercituantes connumeratos transmittere. Ex Nobilibus verò, & alijs minoribus, filios, aut fratres indiuisos habentes, sufficiat vnum ad exercitum proficisci, antiqua consuetudine obseruata.

Coloni, in pluribus Comitatibus, ad vnum Nobilem pertinentes, penes dominum suum exercituare possunt. ART. VII.

ITEM quòd Iobagiones exercituantes, Nobilium in pluribus Comitatibus possessiones habentium, electi homines connumeratores talium Comitatuum, erga, & penes dominos ipsorum, in illum Comitatum, vbi tales domini eorum residentiam fecerint personalem, transmittant: Qui quidem Nobiles, seu domini, cum talibus hominibus eorum exercituare, si voluerint, sub Banderio dominorum ipsorum accedant, & proficiscantur, qui etiam rationem de numero, & personis talium suorum exercituantium, generali Capitaneo dare, & de eisdem respondere tenebuntur.

Omnes in suis expensis militare, sine damno aliorum tenentur, & pœna in dissolutos milites statuta. ART. VIII.

ITEM quilibet exercituans, tam maior, quàm minor, teneatur in proprijs expensis, tam in eundo, quàm stando, & redeundo proficisci, nullusq; audeat aliquas res, vel victualia, absque competenti solutione recipere: Si qui autem violenter in aliquibus locis, aliquas res, vel victualia receperint, ductor exercitus talis Comitatus, ex parte damnificantis, teneatur impendere satisfactionem indilatam. Et si ipse damnificans, vnde satisfaceret, non haberet, caput eiusdem in manus damnificati debeat assignari, per ductorem belli Comitatus prænotati: Quòd si talis ductor belli facere non posset, propter personæ talis damnificantis maioritatem, auisetsuperinde Capitaneum generalem, qui teneatur damnificato satisfacere, alioquin damnum passus, valeat damna sua, iure mediante acquirere, secundùm contenta Decreti dominorum Prælatorum, & Baronum.

Regnum Sclauoniæ, & aliæ prouinciæ, ac ciuitates Regiæ, ad instar aliorum Regnicolarum Regni Vngariæ, militare teneantur. ART. IX.

ITEM omnes liberæ ciuitates, tam nostræ Regales, & Reginales, quàm dominorum Despoti, & Comitis Ciliæ, aut aliorum Magnatum, nec non totum Regnum nostrum Sclauoniæ, de quibus lucrum Cameræ nostræ solui non consueuisset, modo præmisso, connumerari debeant, & similiter Philistæi, Comani, Valachi, & Tartari connumerati, debeant exercituare.

Iudicia tempore belli cessent. ART. X.

ITEM omnes celebrationes Octauarum & iudiciorum, tam Ecclesiastici, quàm Sæcularis fori, vsque descensum exercitus nostri, in proximo consurgentis, cessare debeant. Post descensum verò præsentis exercitus, aut si huiusmodi exercitus

leuari

leuari non debuerit, omnes Octauæ, signanter festi beati Georgij immediatè sequentis, vsque finem celebrentur: Quodq; Iobagiones quorumcunque, vsque ad festum Sancti Martini proximè affuturi, nullo modo hinc inde deducantur moraturi.

Defectus equitis vnius aureis quindecim, peditis decem compensetur, ad rationemq; huius mulctæ possessiones occupari, & iure impignoratitio teneri possint. ART. XI.

DISPOSVIMVS insuper, quod quicunque, tam Prælatorum, ac Baronum, virorumq; Ecclesiasticorum, & Magnatum, nec non Nobilium, & possessionatorum hominum, prædictam dispositionem & ordinationem, in toto, vel in parte obseruare, vel implere nollet, aut non curaret: Extunc tales dicti electi connumeratores, in eo mox illos admonere debeant, vt propter defectum huiusmodi non profectionis, dispositionis & ordinationis prædictorum, pro quolibet equite sedecim florenos auri, & pro quolibet pedite decem florenos auri, vsque quintum decimum diem, à die admonitionis eorundem computando, dicto Capitaneo nostro generali dare & soluere debeant & teneantur: Qui si non soluerint, extunc ductor exercitus talis Comitatus, vnà cum electis hominibus & Iudicibus Nobilium ipsius Comitatus, vbi talismodi dispositiones infringerentur, seu non perficerentur, illas possessiones possessionarias, de quibus ipsæ dispositiones perfectæ non fuerint, occupare, occupatasq; tam diu, donec per hos, quibus redemptiones earundem magis competunt, pro dictorum summa & quantitate florenorum redimantur, conseruare valeant atque possint. Sigism. Imp. 1435. prim. art. 8.

Milites, in solutionem pecuniariam non conuertantur, sub pœna capitis. ART. XII.

QVODQVE præmissa dispositio exercitualis, ad aliquam pecuniariam solutionem nullatenus, & per nullum modum, per quempiam conuertatur: Quòd si per aliquem factum fuerit, pœnam sententiæ capitalis incurrat ipso facto.

Nobiles de bello clam se subducentes, possessiones: ignobiles caput amittant. ART. XIII.

ITEM exercituantes illi, qui scilicet de exercitu furtiuè recedunt, si Nobiles fuerint, possessiones ipsorum amittant: Si verò ignobiles, pœnæ capitali subiaceant. Et similiter illi, qui à dominis illorum dispositionem habuerunt, vel pecuniam eorum leuauerunt, cum eisdemque proficisci noluerint, eandem sustineant capitalem pœnam.

Aliter Sigis. Imp. in Decreto iam citato, art. 8. Miles inauctoratus militiam deserens capite mulctatur.

Rex, nunquam talem inconsuctam exercituationem inposterum se promulgaturum recipit. ART. XIV.

PRÆTEREA, quia præmissam dispositionem exercitualem, contra antiquam consuetudinem & libertatem, tàm Ecclesiasticarum personarum, quàm etiam aliorum Regnicolarum nostrorum, maiorum & minorum, propter præsentis validissimi belli apparatus, dicti Imperatoris Turcarum, in huius Regni inuasionem (quòd Deus auertat) faciendam, pro eiusdem Regni Nobilium, atque solij nostri Regij, & patriæ paternæ defensione & conseruatione, in præsentiarum leuare oportuit & promulgare. Ideò nos, & ipsi Prælati, Barones, cæterique Proceres & Nobiles dicti Regni nostri spondemus, & fide nostra Christiana præstita, etiam cum nostri, & ipsorum Prælatorũ, & Baronum sigillorum impressionis roboratione promittimus & pollicemur: quòd à modo & deinceps, nullo vnquam tempore, talem inconsuetam exercituationem promulgabimus & faciemus, neque ipsi facient & promulgabunt. Sed tàm nos, quàm ipsi Prælati, Barones, & Proceres Regni nostri, penes dictam antiquam consuetudinem exercituationis semper permanebimus, & ipsi permanebunt:

Comes, & Iudices Nobilium, super omnibus actibus potentiariis, & possessionum occupationibus, iudicium & executionem facere possint, sub pœna.

ART. XV.

ITEM pro compescendis quarumcunq; nociturnitatum generibus, disposuimus, vt prætacti electi homines, in singulis Comitatibus, vnà cum Iudicibus Nobilium, omnibus querulantibus teneantur, super quibuscunque factis potentiarijs, & etiam possessionum occupationibus, ex parte in causam attractorum, habita prius superinde diligenti inquisitione, compertaque sufficienti rei veritate, absque dilatione & terminorum prorogatione, iudicium & iusticiam exhibere: Comesque parochialis, post huiusmodi iudicium, modo præmisso, faciendum, teneatur satisfactionem indilatam & plenariam, ex parte huiusmodi in causam attractorum, læsis ministrare. Quòd si ipse Comes parochialis, ex quacunque causa, facere nollet, ex tunc talis Comes parochialis honore suo priuetur, causaque huiusmodi, modo prætacto, adiudicata, in curiam nostram Regiam, per eosdem Iudices, transmittatur: vbi in primis Octauis celebrandis, fine cõclusiuo, absq; vlla prorogatione vlteriori terminetur. Vbi ipse Comes, vel Vicecomes præmissa patrans, in eo, vt ipsi in prima die sedis iudiciariæ, super talismodi nouis actibus potentiarijs, damnis atque iniurijs, læsis & damnificatis omnimodam impendere debeant satisfactionem, admoneantur. Qui si id facere recusauerint, tunc ipsi electi, & Iudices Nobilium, seriem huiusmodi non satisfactionis, in literis eorum conscribi facere, & ad primas Octauas tunc celebrandas transmittere, iudicesque ordinarij Octauis in eisdem, contra tales Comites, & Vicecomites, literas sententionales, læsis & damnificatis dare, & eandem executionem facere debeant & teneantur.

Acceptis literis generalis Capitanei, omnes insurgere debeant. ART. XVI.

QVOCIRCA fidelitati vestræ præcipimus & mandamus, quatenus mox, postquam prætacti homines electi dicti Comitatus N. hic Budæ in præsentiarum constituti, hinc vestri in medium cum præsentibus reuertentur, & peruenerint ad locum sedis vestræ iudiciariæ vniuersaliter congregati, iuxta contenta præsentium dispositionum nostrarum, vnà cum dictis Prælatis, & Baronibus, & electis hominibus, per vos deputatis, cæterisque Proceribus & Nobilibus dicti Regni nostri, in superioribus articulatim conscriptarum, vos cum celeritate, more exercituantium, tam expeditè disponatis & appromptuetis, vt dum, & quàm primùm annotatus Comes Ioannes, generalis Capitaneus exercitus nostri prænominati, vobis scripserit: incontinenti cum apparatu exercituali fulciti, præuio ductore belli ipsius comitatus vestri è medio, modo prætacto, eligendo, ad loca, quæ idem Capitaneus noster generalis duxerit notificanda, ad resistendum prædictorum inimicorum nostrorum insultibus, proficisci valeatis: Aliud sub pœnis prædictis, & nostræ indignationis facere non ausuri in præmissis. Datum Budæ in festo Conuersionis Beati Pauli Apostoli, Anno Domini Millesimo, Quadringentesimo, Quinquagesimo quarto.

MICHAELIS SZILAGY DE HOROGSZEG GVBERNATORIS REGNI VNGARIÆ DECRETVM, ANNO Domini M. CCCC. LVIII. editum.

D*ederat MICHAEL SZILAGY sororem Elisabetham Ioanni Coruino in coniugem, ex qua Ladislaum & Mathiam, elegantes & animo fortes susceperat nepotes.*

Qui-

Quorum natu maior Ladislaus, post obitum patris, propter necem Vdalrici Comitis Ciliæ, iussu Regis capite plectitur: Mathias verò in carceres Regios conijcitur. Szilagy nepotum casum iniquo ferens animo, rei indignitate commotus & vehementer perturbatus, arma in Transyluanos primum rapit. His breui in potestatem redactis, dum passim per Regnum in sontes, & in insontes debacchatur, tantam armis, sororis denique suæ opibus potentiam, autoritatemque sibi vndiquaque comparat, vt secundùm Ladislai Regis Posthumi interitum, ipse in Gubernatorem Regni, in quinquennium, suoque arbitratu, (nam sibi Regnum ab optimatibus delatum erat) Mathias, qui tunc in captiuitate Georgij Podebradij Boëmiæ Regis, asseruabatur, in Regem Vngariæ eligeretur. Electum Regem in Regnum Szilagy introduxit, & in Regiam collocauit. Verùm postea ob suspicionem quandam in carceres arcis Huszth, à Rege coniectus est, & penè morte mulctatus. Vnde euadens à nepote suo, in gratiam receptus, fines inferioris Pannoniæ, vti antea strenuè aduersus Turcas tutatus est: quos sæpe coërcuit, fudit, varijsque afflixit cladibus. Tandem dum ad quintum lapidem à Synderouia, ad oppidum, cui nomen Posafin, longè inferiori numero, cum Alibeco & Skanderbeco infeliciter pugnam conserit, capitur, & Bisantium deductus, nimia hostis affectatione, capite plexus est, Anno Millesimo, Quadringentesimo, Sexagesimo sexto. De huius Gubernatoris literis, hactenus nusquam disputatum est. Manifestum est autem Mathiam Regem non diu esse passum se ab alio gubernari. Sicque creditur nullas huius Gubernatoris literas extare.

DECRETVM.

NOS MICHAEL SZILAGY de Horogszeg, nomine & in persona Serenissimi Principis & Domini, Domini MATHIAE, DEI gratia, Vngariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. electi Regis, Gubernator in eisdem Regnis constitutus, memoriæ commendamus præsentibus, Quòd nobis, vnà cum Dominis Prælatis, Baronibus, Proceribus & Nobilibus Regni Vngariæ vniuersis, circa festum Circumcisionis Domini proximè præteritum, in hanc Ciuitatem nostram Pesthiensem conuenientibus & proficiscentibus, & pro faciendis ordinationibus, quæ pro conseruanda pace & statu, vtilitateque; & commodo prætactorum Regnorum, & partium eis subiectarum, opportunæ & perutiles videbantur tractandæ, relictis sopitisque, & sedatis omnibus & singulis guerris & dissensionibus in alterutrum, præuijs rationibus exortis & suscitatis, inter alia, quæ hinc inde concorditer expedita sunt, præfati domini Prælati, Barones, Proceres & Nobiles vniuersi, exhibuerunt nobis concorditer & præsentarunt articulos infrascriptos, petentes & desiderantes, vt eos, & in eisdem contenta, rata habere, admittere, ac per nos, ac præfatum dominum nostrum Mathiam electum Regem obseruaturos promittere dignaremur: Quorum quidem articulorum tenor sequitur in hæc verba.

Bona tàm Ecclesiastica, quàm Sæcularia à tribus annis anteactis occupata, vsque quindecimum diem, sub pœna facti potentiarij, remittantur. ART. I.

PRIMO, quòd omnes Ecclesiæ occupatæ, & possessiones & bona earundem, ac Prælatorum, & Baronum, & Nobilium possessiones & portiones possessionariæ similiter occupatæ, tempore scilicet, quo non fuerunt Octauæ iudicialiter celebratæ, hoc est, à tribus annis, vel citra, remittantur vsque ad quindecim dies: ita quòd occupatio talis probetur per attestationes vicinorum & commetaneorum, ac Nobilium comprouincialium, prout consuetum est in proclamata congregatione. Et si occupata remittere noluerint, extunc, sine vlteriori processu, conuincantur in facto potentiæ, & dominus Gubernator possit occupari facere possessiones & bona talis conuicti, & propriam personam eiusdem captiuare.

Rex de suis prouentibus exercituare teneatur, alioquin etiam banderiati, & demum Nobiles insurgant. ART. II.

ITEM quòd dominus Rex, contra omnes & quoslibet inimicos, & huius Re-

gni deuastatores, hoc Regnum Vngariæ, de prouentibus suis Regalibus protegere & defensare teneatur: ita videlicet, quòd si idem dominus Rex, ab insultibus ipsorum inimicorum huius Regni, cum ipsis prouentibus protegere non posset, seu non valeret: extunc Prælati, & Barones, cæteriq; viri Ecclesiastici huius Regni, Banderia seu gentes ipsorum, iuxta limitationes diuorum Regum huius Regni, in hac parte factas, leuare & insurgere debeant & teneantur: Si autem cum eisdem etiam ipsis inimicis resistere non possent, extunc vniuersi Nobiles, & alterius cuiusuis status possessionati homines, exercituantium more, prout aliorum Regum Vngariæ temporibus fuit, procedere & exercituare teneantur.

De damnis & iniuriis ab anno Millesimo, Quadringentesimo, Quinquagesimo sexto illatis, in Comitatibus iudicium celebrari possit. ART. III.

ITEM quòd de omnibus illationibus damnorum & iniuriarum, & aliorum malorum generibus, à festo beatæ Catherinæ virginis, in Anno Domini Millesimo, Quadringentesimo, Quinquagesimo sexto præterito, vsque hæc tempora, per quoscunque patratorum & commissorum, iuxta ordinationem & conclusionem Prælatorum, & Baronum, ac Regnicolarum huius Regni Vngariæ, pridem in generali congregatione hic Budæ facta, in Comitatu quolibet, iudicium & iustitia celebrari teneatur.

* Hæc addit. reperitur in omnibus exemplaribus, tamen articulus in vsum per posteriora iura receptus est.

* *Hoc esset contra libertatem Regiam, & Palatinale officium. Igitur id ipsum permaneat in antiqua consuetudine.*

Quòd quatuor octauæ singulis annis celebrentur. ART. IV.

ITEM quòd ipsæ quatuor Octauæ, singulis annis celebrari debeant, & nunquam pro aliqua ardua causa prætermittantur, excepto, quando erit generalis exercitus, & nulla alia causa, prorogentur.

Quòd nunquam aliqua taxa petatur. ART. V.

ITEM quòd nunquam dominus noster Rex, & neque dominus Michaël Szilagy Gubernator huius Regni, pro quacunque causa, seu negotijs quibusuis arduissimis, aliquam taxam, seu solutionem pecuniarum, per iobagiones Regnicolarum, seu alios Nobiles petere valeat atque possit.

Vniuersa fortalitia ad monitionem Nobilium, infra quindecim dies diruantur, sub nota Infidelitatis. ART. VI.

ITEM quòd vniuersa fortalitia seu Castella per quoscunque, in quibusuis Comitatibus erecta & constructa, ex quibus spolia & deprædationes committuntur, diruantur, exceptis, quæ ad vtilitatem ipsius Comitatus sunt: ita quòd si aliqui moniti per Nobiles illius Comitatus in sede iudiciaria, infra quindecim dies non diruerent, extunc tales notam infidelitatis incurrant eo facto, & dominus Rex, vel Gubernator, tales, vt infideles, punire valeat. Et quodcunque fortalitium in aliquo Comitatu remanere debebit, extunc tale fortalitium vigore, & testimonio literarum Capituli, vel Conuentus, ac Iudicis Nobilium illius Comitatus, in quo tale fortalitium esset erectum, remanere valeat.

Dignitates Ecclesiasticæ, ac Officiolatus, & perpetuitates extraneis non conferantur. ART. VII.

ITEM quòd ipse dominus Rex, neque dignitates Ecclesiasticas, neque alios honores, officiolatus, vel perpetuitates, hominibus extraneis dare & conferre valeat.

Bona extraneis collata recuperentur. ART. VIII.

ITEM de castris & alijs bonis, extraneis hominibus donatis, Rex faciat recuperandi diligentiam.

Quales causas Ecclesiastici possint iudicare. ART. IX.

ITEM quòd Iudices Ecclesiastici, neque Archiepiscopi, & Episcopi, vel eorum Vicarij iudicare valeant, nisi dotes & res paraphernales, iura quartalitia, factum decimarum, effusiones sanguinum, & verberationes Ecclesiasticorum & mulierum, nec non testamenta, & matrimoniales causas, ac de periurio, prout in canonibus expressum est. Causæ fori spiritualis.

Quòd Sacerdotes, Scholares, & Nobiles telonia & decimas non soluant. ART. X.

ITEM quòd nullus omnino hominum de Sacerdotibus, Scholaribus, Nobilibus, neq; telonia, neq; decimas, prout vetus Regni requirit consuetudo, exigere debeat. Sacerdotes, Scholares, Nobiles, Telonia nō soluant.

Rex ex parte omnium fratrum & familiarium, debitam iustitiam impendere teneatur. ART. XI.

ITEM quòd dominus noster Rex, & ipse dominus Michael Gubernator, ex parte omnium, & quorumlibet fratrum, & familiarium ipsorum, omnibus querulantibus, absq; omni fauore debitam iustitiam, ac omnimodam satisfactionem impendere teneantur, & ne per aliquos fratres, vel familiares ipsorum, aliqui Regnicolæ huius Regni, quouis modo, opprimantur.

Quòd nouæ pecuniæ cudantur, & nunquam mutentur. ART. XII.

ITEM quòd pecuniæ nouæ cudantur, quorum ducenti pro floreno, & obuli eorundem quadringenti habeantur, & nunquam mutentur. 200. denar. vel 400. obuli pro vno floreno.

Quòd singulis annis ad festum Pentecostes fiet dieta in Pesth. ART. XIII.

ITEM quòd vniuersi Regnicolæ & homines possessionati, singulis annis ad festum Pentecostes ad oppidum Pesthiense, per singula capita, congregari teneantur. Et si qui rationabiliter se excusare non potuerint, talium possessiones, per dominum Gubernatorem, vel dominum Regem occupentur. Ad comitiā generalia non veniēs, amittit bona.

Quòd vniuersæ Ciuitates & castra Regalia, ad manus domini Gubernatoris tradantur. ART. XIV.

ITEM quòd vniuersæ Ciuitates muratæ, ac castra Regalia, ad manus præfati domini Michaëlis Gubernatoris, statim resignentur.

Quòd omnes Iobagiones liberè dimittantur, sub pœna occupationis bonorum, & solutionis duodecim marcarum. ART. XV.

ITEM quòd vniuersi possessionati homines, de eorum possessionibus, ad possessiones aliorum, obtenta licentia, iustoq; terragio deposito, & alijs solitis debitis persolutis, iuxta antiquam consuetudinem huius Regni, absque omni litigionario processu, Iobagiones pacificè & tutè, securéque permittere debeant. Si autem aliqui permittere nollent, extunc Comites, vel Vicecomites, & Iudices Nobilium illius Comitatus, huiusmodi Iobagionem cum sex marcis eliberare teneantur, prout antiqua consuetudo requirit. Si autem aliqui hominum Comitibus obedire noluerint, tunc Regia Maiestas, vel eius Gubernator, possessiones talium occupet, & tam diu tenere valeat, donec huiusmodi Iabogio cum duodecim marcis eliberabitur. Comes.

CONCLVSIO ET CONFIRMATIO.

NOS itaque petitionibus, dictorum dominorum Prælatorum, Baronum, Procerum & Nobilium Regni vniuersorum, iuri consonis inclinati, articulos præscriptos, & singulum eorum, inuiolabiliter obseruare, complere & exequi, per nos, vel per præfatum Dominum Mathiam Regem electum promittimus, & volumus cum effectu. In quorum omnium præmissorum testimonium, præsentes literas nostras, eidem vniuersitati dominorum Prælatorum, Baronum & Nobilium Regni Vngariæ prædicti duximus concedendas, Datum in Pesth vigesima quarta die congregationis supradictæ, Anno Domini Millesimo, Quadringentesimo, Quinquagesimo octauo.

MATHIÆ

MATHIÆ REGIS DECRETA.

MATHIAS CORVINVS, tres de viginti annos natus, & aduersa quadam sorte, in carceribus apud Regem Boëmiæ constitutus, in Regem Vngariæ, anno post partum Virginis Millesimo, Quadringentesimo, Quinquagesimo octauo, postquam Michaël Szilagy eius auunculus, sanctè promisisset, necem Ladislai Coruini, nepotis sui, generi verò Ladislai de Gara Palatini, qui tamen ex sorore Vdalrici Comitis Ciliæ natus erat, Mathiam non ulturum, esse, ab vniuersis statibus & ordinibus Regni eligitur, tantò omnium desiderio, vt ante in Ecclesiis Hymnus gratulatorius in laudem DEI decantatus sit, quàm in consessu purpuratorum Rex pronunciatus. Hunc Georgius Bodebradius Boëmiæ Rex non prius à se dimisit, quàm filiam eius vxorem duceret. Rex adductus in Regnum, domi forisq; egregia edit facinora: Et redempta Sexaginta millibus florenis à Friderico Imperatore Regni corona, quam per annos viginti quatuor apud se habuit Imperator, sexto quàm regnare cœperat anno, Millesimo, Quadringentesimo, Sexagesimo quarto, in die Cœnæ Domini coronatus est. Et cum post mortem consortis Catharinæ Boëmiæ, socero in Morauia & Boëmia bellum indixisset, septem annis illud continuauit. Hic Lusatiæ & Silesiæ prouinciis potitus, Boëmiæ Rex, & Marchio Morauiæ Olomucij in publico Conuentu declaratus est & salutatus: quo titulo ad obitum vsq; gauisus est. Cæterum Mathias fortunatissimus semper est habitus, sæpius Amuratem Turcarum Imperatorem bello superauit, ditiones illi ademit. Sic Fridericum Romanorum Imperatorem aliquot prælijs vicit, magnam partem Austriæ imperio suo subiecit. Vno eodemq; tempore cum ambobus Imperatoribus dimicare non formidans, triumphum ex eis reportauit. Casimirum Poloniæ Regem, Regnum Vngariæ factione optimatum ambientem, & Nittriam vsq; perductum, expulit. Eidem Casimiro, & Vladislao filio Boëmiæ Regi, parua acie occurrit, & rem ex animi sententia, post aliquot belli simulachra ad Vratislauiam edita composuit. Poloniam vastauit. Boëmos è Regno, prius per Reginam Elisabetam, Alberti Imperatoris & Regis viduam, inductos & firmatos, expulit: Et raro quicquam adortus est, quod non prosperè confecisset. Ad hoc corpore erat laborioso, frigoris, sudoris inediæq; tolerantissimo, vtq; nihil reputauit facilius militari labore, ita ocium domesticum abhorruit valde. Putant Vngari se cum Coruino veterem virtutem, robur, audaciam, fortitudinem, nomenq; ipsum Vngaricum amisisse, quòd post eius obitum, iam in peius semper inclinassent vniuersa Ioco an serio dictent. Ne reliquias iam ipsis Mathiæ, quibus fines Regni lustrari possint, superesse ad hostes à se arcendos. Ipse se fortunæ ludum esse dicebat. Fortunæ varietatem animum semper sibi addidisse maiorem. E malorum se experientia didicisse secunda ferre. Plus gloriæ sibi vendicare, quòd in humili domo, ac è Christianissimo patre natus, Regiam dignitatem virtute adeptus fuisset, quàm si infideli patre Rege natus, desidiosius iam imperitaret, dicere solitus erat. Mathiæ laudes & gesta, Rusticus sub hædera, Miles vtriusq; ordinis sub hasta, Citharœdus in singulis conuiuiis canit, & conuentus hominum celebrat, per pagos, vicos & compita. Pulchrè, salsè, argutè, sapienterq; dicta, vni Coruino tribuuntur, etiam aliunde petita. Sed humanis decessit inuictissimus Princeps Viennæ, Beatrice Aragonia Ferdinandi Regis Siciliæ filia, vidua, & Ioanne Coruino filio naturali, relictis, nonis Aprilis ætatis anno Quadragesimo septimo, Domini, Millesimo, Quadringentesimo, Nonagesimo, cum perpetuo sui desiderio: Et sicut Bonfinius scribit, mense Martio natum fuisse: Sic Martis die, cum vita functum fato esse. Literæ & priuilegia eius, à tempore Coronationis edita, aut confirmata, seruantur.

MATHIÆ REGIS DECRETVM PRIMVM ANNO DOMINI M. CCCC. LXII. EDITVM.

NOS MATHIAS DEI gratia, Rex Vngariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Significamus per præsentes: Quòd cum his diebus, in præsenti scilicet generali congre-

congregatione vniuersorum Prælatorum, Baronum & Procerum, Nobiliumq; Regni nostri, in hac Ciuitate nostra Budensi, quinto decimo die festi beati Marci Euangelistæ, celebrata, vnà cum eisdem multa & magna disponeremus, ad meliorandum statum Regni nostri prædicti, opportuna, inter alia ijdem Prælati, Barones, Proceres & Nobiles, vnanimi omnium consensu & voto, obtulerunt & præsentauerunt nobis quosdam articulos, antiquam legem & consuetudinem ipsius Regni nostri innouantes & declarantes, ordine infrascripto, in hæc verba. Antiquæ leges hic per Mathiam Regem innouatæ.

Articuli, in quibus iuxta antiquam consuetudinem Regni, euocatio sine procrastinatione, extra octauas fieri potest, in præsentiam personalem Regis, vbicunq; intra ambitum Regni fuerit.

ART. I.

INVASORES Castrorum & domorum, seu habitationum Nobilium, in quibus personaliter resident, si verbera sine vulneratione, aut cædes, siue spolia rerum, in talibus domibus fecerint.

ITEM violenti ablatores literarum, aut literalium instrumentorum.

ITEM incendiarij, & inductores exterorum hominum spoliatorum & erigentium se contra reuerentiam Regis, & literas iuridicas, aut fidei publicæ, quas saluum conductum vulgariter Gléeth, appellamus. ITEM interfectores Nobilium, & qui Nobiles capiunt, & captos detinent, vulneratoresq; ipsorum Nobilium, præsertim euntium ad congregationem Regnicolarum, vel Octauas, aut sedem Iudiciariam, vel ibi existentium. ITEM deprædatores totalis possessionis alicuius, cum effractione Ecclesiæ. ITEM violenti stupratores virginum, aut corruptores honestarum mulierum: hi omnes euocari possunt in personalem præsentiam Regis, ad terminum longiorem, vel breuiorem, secundum distantiam locorum, à quibus huiusmodi euocatio fieri debet. Ita tamen, quòd longior terminus, triginta duos dies non excedat: Breuior verò terminus infra quindecim dies non descendat. Et talismodi euocatio fiat solummodo per testimonium Capituli, vel Conuentus illius Comitatus, aut vicini, vnde prædicta euocatio fieri debet: Et quia firmius est iudicium, quod plurimorum sententijs roboratur: interesse debent iudicio huius † euocationis, Prælati & Barones, qui tunc in Curia domini Regis fuerint constituti. Et dilationem habeant sine prorogatione, solummodo illi, qui occupati erunt in exercitu generali, aut particulari, pro vtilitate Regni restauranda. ITEM qui erunt occupati in ambasiata Regis, vel Regni, pro communi bono: Veruntamen, qui sub confidentia talis modi prorogationis, aliquod ex prætactis fecerit actibus, & se absentauerit à iudicio, huiusmodi prorogatione se defendere non valeat: Et talismodi Euocatio fiat solùm deinceps pro actibus præmissis, à prima die præsentis congregationis generalis, inposterum patrandis. In occupationibus verò, à tempore electionis domini nostri MATHIÆ Regis factis, fiat restitutio: Cui si occupator non obedierit, aut impedierit, quominus fieri valeat & perficiatur, euocetur, vt supra declaratur. Item proclamata congregatio detur secundum formam Decreti quondam Domini Sigismundi Imperatoris & Regis. Item quatuor Octauæ annuatim sine intermissione, celebrentur.

Erigentes se contra reuerentiam Regis, citantur.

Citationes fiant secundùm distantiam loci.

Citatio fiat tantùm, per testimonium Capituli seu Conuentus, aut Vicini.

† Al. huiusmodi causarum.

Prorogationem quis habeat.

Ambasiata, id est, legatio.

Occupata à tempore electionis Mathiæ Regis restituantur.

Proclamatæ congregationis vsus; Sigism. sext. art. 4. & 5.

Articuli, qui concernunt Notam infidelitatis, & in quibus, & non alijs possint, per Dominum Regem, possessiones & bona delinquentium alicui donari seu conferri. ART. II.

EVIDENTER se erigens contra statum publicum Regis & Coronæ.

ITEM qui conficit falsas literas, & eis euidenter vtitur in iudicio.

ITEM qui sculpit falsum sigillum, & eo vtitur.

ITEM cusores falsarum monetarum, vel scienter & publicè in magna quantitate eisdem, negotiationes exercendo, vtitur.

Notæ infidelitatis casus. Adde Vladis. An. 1492. art. 13. An. 1495. Art. 4.

ITEM

ITEM occiſor conſanguinei ſui, vſque ad quartum gradum conſanguinitatis incluſiuè.

ITEM incendiarij publici villarum & poſſeſſionum.

ITEM inductores externorum hominum ſpoliatorum, aut ſtipendiariorum, ad diſturbandum ſtatum internum Regni.

Repulſio binaria per proceſſum ſubſecuta, notam infert.

ITEM erigentes ſe & opponentes ſua potentia, contra literas iuridicas, & ſententias iudicum ordinariorum, poſt Euocationem & probationem.

ITEM violatores literarum fidei publicæ vel ſalui conductus, dum euidenter fuerint conuicti.

ITEM occiſores vel vulneratores Iudicum ordinariorum Regni, præſertim, dum ſunt in officio publico.

ITEM traditores Caſtrorum, vel propriorum dominorum, dum euidenter fuerint conuicti.

ITEM occiſores aduerſariorum, in locis Iudiciorum publicorum, vel Palatinalium.

ITEM publicæ & damnatæ hæreſi adhærentes.

ITEM inceſtuoſi & corruptores cōſanguinearum ſuarum, vſque ad quartum gradum conſanguinitatis, † dum euidenter fuerint conuicti & proſcripti.

† Al. incluſiuè.

Cauſæ forum Spirituale concernentes. ART. III.

Adde Sigiſmun. ſecun. Art 14. E. quart art. 12. Micha. Szila. Art. 9. Matth. infra, Secund. Art. 17. E. tert. Art. 17. E. ſexto, art. 44. & 45. Vlad. prim. Art. 45. & 46. E. tert. Art. 60. 61. 62. 63. E. quart. Art. 33. 35. E. quint. Art. 25.

OMNES cauſæ circa Myſteria, & defectus Sacramentorum.

ITEM cauſæ in facto fidei, & cauſæ hæreſum, ſeu ſuſpectorum de hæreſi.

ITEM cauſæ Teſtamentariæ, & earundem acceſſoria.

ITEM cauſæ matrimoniales & acceſſoria earundem: Specialiter autem, dotis & rerum paraphernalium, donationum propter nuptias, & iuris quartalicij, ſi non intentetur pro hæreditate poſſeſſionaria adipiſcenda.

ITEM cauſæ decimarum realium & perſonalium, & acceſſoria earundem.

ITEM cauſæ vſurarum.

ITEM cauſæ viduarum, & miſerabilium perſonarum, ſi non agitur pro poſſeſſionibus & prædijs adipiſcendis.

ITEM cauſæ fidei violatæ, & omnium periuriorum, & cauſæ, quarum finis tendit ad correctionem pro peccato.

ITEM omnes cauſæ in quibus quis incidit in ſententiam excommunicationis, hominis, vel Canonum.

QVIBVS quidem articulis præmiſſis, modo præmiſſo nobis præſentatis, ſupplicauerunt nobis dicti Prælati, Barones, Proceres & Nobiles Regni noſtri, vt eoſdem articulos Regio conſenſu approbantes, dignaremur deinceps facere obſeruari. Nos itaque ſupplicationibus eorundem Prælatorum, Baronum, Procerum & Nobilium dicti Regni noſtri inclinati, prædictos articulos & quemlibet eorum, acceptantes & approbantes, decreuimus deinceps inuiolabiliter obſeruandos, obſeruabimuſq; & obſeruari faciemus cum effectu. In quorum omnium præmiſſorum teſtimonium, præſentes literas noſtras, ſecreti ſigilli noſtri, quo vt Rex Vngariæ vtimur, munimine roboratas, vniuerſitati dictorum Prælatorum, Baronum, Procerum & Nobilium prædicti Regni noſtri, duximus concedendas. Datum Budæ, Vigeſima die congregationis generalis ſupradictæ, Anno Domini, Milleſimo, Quadringenteſimo, Sexageſimo ſecundo.

CONFIRMATIO DECRETORVM LVDOVICI, ANDREÆ & Sigiſmundi Imperatoris, & Regum Vngariæ, per Mathiam Regem facta, Anno Domini M. CCCC. LXIV.

MATHIAS DEI gratia, Vngariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Seruiæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæq; Rex, &c. Omnibus Chriſti fidelibus præſenti-

ſentibus pariter & futuris, præſentium noticiam habituris, Salutem in omnium Saluatore. Cum laudabilis fœlixq; ſit Reſpublica illa, in qua benè inſtitutæ leges dominantur: Decet igitur reges & principes, in quorum manibus populorum vrbiumq; iùs eſt, non modo armis populum ſibi creditum fortiter tueri, ſed etiam in iuribus, libertatibus & conſtitutionibus vtilibus conſeruare. Proinde ad vniuerſorum notitiam harum ſerie volumus peruenire: Quòd Prælati & Barones Regni noſtri, ac Nobiles potiores, qui ad concludendum in negotijs Regni noſtri, in congregatione generali, quam his diebus, pro felici coronatione noſtra, in Alba Regali celebrauimus, deputati fuerant, accedentes noſtrum Regium in conſpectum, neceſſitatibus illis, quibus hoc Regnum noſtrum nunc vrgetur, per omnia declaratis, exhibuerunt nobis quædam priuilegia quondam excellentiſſimorum principum, dominorum Ludouici Regis, ac Sigiſmundi Imperatoris Romanorum, &c. & ſimiliter Regis Vngariæ, &c. prædeceſſorum noſtrorum felicium recordationum, decreta & inſtituta eorundem, & dicti Regni noſtri continentia, ac inſuper quoſdam articulos, quos ipſi Prælati, Barones, & Nobiles Regni noſtri antea, & in præſenti congregatione, pro communi vtilitate & pace denuo feciſſent. Supplicantes vnanimiter Maieſtati noſtræ, vt eadem, & eoſdem, acceptare & approbare, ac de verbo ad verbum tranſumi facere, & ſimul cum libertatibus & immunitatibus, ac inſtitutionibus in eiſdem conſcriptis, ac etiam ſimul cum Decreto quondam potentiſſimi Domini Andreæ Regis, per ipſum Dominum Ludouicum, in huiuſmodi ſuo priuilegio confirmato, authoritate noſtra Regia innouando, pro vtilitate Regni noſtri perpetuò duratura & valitura, ſtabilire & confirmare, & confirmata obſeruare dignaremur: Quorùm quidem, vnius ſcilicet dicti Domini Ludouici Regis, tenor talis eſt. Felix Mathiæ Regis Coronatio.

LVDOVICVS, DEI GRATIA VNGARIÆ, &c. omnibus Chriſti fidelibus, præſentibus pariter & futuris, præſentium noticiam habituris, &c. Thronus & potentia Regalis dignitatis, tunc dignoſcitur roborari, &c. *Reperitur hoc Decretum Ludouici primi Regis, ſupra in ſua ſerie, folio 61.*

IN NOMINE SANCTÆ, TRINITATIS ET INDIVIDVÆ VNITATIS. ANDREAS DEI GRATIA, Vngariæ, Dalmatiæ, &c. Quoniam libertas, tàm Nobilium Regni noſtri, quàm etiam aliorum inſtituta, &c. *Habetur hoc Decretum Andreæ Regis ſuo loco, ſupra folio 46.*

SIGISMVNDVS Diuina fauente clementia, Imperator Romanorum ſemper Auguſtus, ac Vngariæ, Boemiæ, &c. Rex. Vniuerſis Chriſti fidelibus, &c. Salutem in omnium Saluatore. Inter cuncta, quæ pro ſubiectorum ſalute conſeruanda noſtræ meditationis perpendit acumen, &c.

Habetur hoc Sigiſmundi Imperatoris Decretum, in ordine Sextum ſuorum Decretorum ſupra, folio 103.

MATHIAE REGIS DECRETVM SECVNDVM ANNO DOMINI M. CCCC. LXIV. EDITVM.

SEV

ADDITIONES MATHIÆ REGIS AD DEcreta, Andreæ, Ludouici & Sigiſmundi, &c. Regum.

Decreta prædeceſſorum Vngariæ Regum ſeruentur, per Mathiam Regem iam confirmata. ART. I.

PRIMO, Quòd nos hoc Regnum noſtrum Vngariæ, & omnes eius ad idem pertinentes incolas, in omnibus & ſingulis bonis, & antiquis libertatibus, con-

suetudinibus,& iuribus, quibus hoc Regnum vtebatur temporibus prædecessorum nostrorum, conseruabimus & tenebimus: Et quòd Decreta quondam dominorum Ludouici & Sigismundi, Regum, simul cum Decreto olim Domini Andreæ similiter Regis, per ipsum Dominum Ludouicum Regem confirmato, confirmabimus,& cum his infrascriptis articulis obseruabimus.

De conseruatione Sacræ Coronæ. ART. II.

ITEM, quia nouimus nos,& nouerunt omnes domini Prælati,& Barones nostri, nouit etiam tota communitas Regni, quomodo & qualiter, propter indebitam custodiam & prouisionem sacræ Coronæ, ipsa Corona fuit ab hoc Regno alienata. In cuius alienatione irrecuperabilia damna, & indicibilia spolia,& multas incommoditates hoc Regnum passum est, & tandem post multos labores & fatigas,& graues expensas, ipsa Corona ex pecunijs communitatis Regni nouissimè est redempta. Nos ergo volumus, vt debemus, de pari consensu & voluntate dominorum Prælatorum, & Baronum, ac Regni nostri Nobilium, hoc in loco prouidere, circa debitam custodiam & conseruationem ipsius Coronæ sacræ, locum aliàs consuetum, & personas ad id idoneas, ne (quòd DEVS auertat) ipsa Corona iterato ab hoc Regno alienetur.

Corona Vngariæ pecunia à Friderico Imperatore redempta.

Nota infidelitatis nemo, sine Prælatorum & Baronum consilio, damnetur.

ART. III.

PRÆTEREA quòd nos aliquem, vel aliquos ex Regnicolis, sine Prælatorum & Baronum Regni consilio, nota seu crimine infidelitatis, damnare non valeamus.

Adde Vlad. prim. Art. 13 Eius. Sec. Art. 3.

Abolitio breuium Euocationum. ART. IIII.

BREVES etiam Euocationes de cætero, pro nullis actibus & commissis fiant: Ex parte autem iam euocatorum, fiet iudicium secundùm contenta literarum Euocatoriarum.

De celebratione quatuor Octauarum, & Euocationes cum insinuatione, sub sigillo omnium Iudicum Regni, expediantur. ART. V.

CÆTERVM omnes quatuor Octauæ annuatim celebrentur, excepto casu, quo contingeret fieri exercitum generalem per omnes Regnicolas,& si etiam nos in factis & negotijs Regni particularibus extra Budam occuparemur, Octauæ non prorogentur. Iudices etiam maiores siue ordinarij, pariter cum eorum vicegerentibus, in celebratione huiusmodi Octauarum interesse semper teneantur. Deinceps quoque Euocationes cum insinuatione, ad ipsas Octauas fiant, in quibuscunq; negotijs & factis, post obitum quondam domini Alberti Regis illatis & perpetratis. Quæ etiam Euocationes cum insinuatione, possint emanari sub sigillo omnium iudicum ordinariorum Regni nostri.

Iudices ordinarij cum suis vicegerentibus in celebratione Octauarũ intersint.

De prorogationibus, & pœnis vtentium falsis prorogationibus. ART. VI.

PROROGATIONES autem nostræ, temporibus ipsarum Octauarum, nemini suffragari valeant, nisi solùm illis, qui Castra in confinibus Regni, & signanter in Regno Bosznæ tenent, vel qui essent eo tunc in bello occupati, aut qui progrederentur in legationibus nostris,& Regni nostri, per prouincias extraneas. Et si aliqui sub forma alterius istorum trium articulorum † limitatorum prorogationes sibi acquirerent, & ita non occuparentur, in pœnis aliàs in talibus fieri solitis, hoc est, in emenda linguæ, conuincerentur.

Adde. Albert. Art. 35 36. 37. Et infr. Math. E Art. 8. E. ter. Art. 12. E. Sex. Art. 7. Vlad. prim. Art. 71. 72. E. Secun: Art. 14.
† Al: nominatorum.

De quatuor factis potentiariis, quæ in tertia Octaua finaliter terminentur, nec vlterius eiusmodi causæ possint prorogari & differri. ART. VII.

IN facto verò interemptionis Nobilium, ac occupationis possessionum, ablationis literarum & literalium instrumentorum, domorumq; & Curiarum Nobilium, vbi personaliter resident, inuasiones, nulla amplior in istis tribus articulis limitatis, nisi à tempore Euocationis primæ Octauæ, in tertiam Octauam fieri

possset

posset prorogatio: Nec ipsi occupati, infra huiusmodi eis datam prorogationem, cum aliquibus litigare valeant.

De prorogationibus fratrum indiuisorum, vt qui in publicis muniis non sunt occupati, prorogationes eis non seruentur. ART. VIII.

SI occupatus duos, vel tres, vel plures fratres indiuisos haberet, quorum nomina in prorogatione exprimerentur, & non occuparentur in rebus, in dictis articulis expressatis, talibus non occupatis non obseruetur prorogatio: Exceptis rebus, factum possessionum, & exhibitionem literarum concernentibus. Ille vero, qui occupatus fuerit in negotijs prædictis, cum eis condemnari non possit, qui in talibus occupati non essent. E. Supr. Art. 6.

Sales extranei in Regno non vendantur. ART. IX.

SALES extranei in Regno nostro, & confinibus Regni nostri non vendantur, sub pœna ablationis eorundem: sed vbiq; sales nostri Regales transitum habere debeant. Illorum autem possessiones & bona, qui ablationem huiusmodi salium extraneorum non paterentur, occupari debeant & teneantur, infra satisfactionem de damnis nostris exinde sequutis.

Distrahenda Castella, post obitum Alberti Regis erecta, sub pœna perduellij: & quæ fortalicia salua manere debeant. ART. X.

OMNIA Castella, post obitum quondam domini Alberti Regis, in hoc Regno nostro constructa, vsq; festum Pentecostes proximè venturum, sub pœna perpetuæ infidelitatis, distrahantur, exceptis solummodo Castellis illis, quæ in partibus inferioribus contra incursiones Turcarum, ac quæ in Comitatibus Bachiensi, & de Bodrogh, & in alijs Comitatibus Regni nostri confinia tenentibus, constructa essent, & etiam dempto Castello Ioannis Thwz, ac illis, quæ antiquis temporibus, & etiam tempore quondam domini Sigismundi Imperatoris fuerunt Castella, & tandem rupta, & iterum in alio loco constructa essent, quæ remaneant pro vtilitate Regni.

Quòd hi, qui cum Iure Regio, vel alio processu, alios in suis iuribus iniustè vexant, in æstimatione bonorum eorundem conuincantur. ART. XI.

ITEM quicunq; à nobis donationem Iurijs Regij, super aliqua vel aliquibus possessionibus impetrauerint in bonis aliorum, si bona impetrata, iuri Regio pertinere debere comprobare non possint, ac etiam illi litigantes, si qui aliquo iure super bonis aliorum litigarent, & bona eiusmodi suo iuri, ordine iudiciario, applicare non possent, propter indebitam inquietationem possessoris, contra eundem possessorem, in communi æstimatione ipsorum bonorum, conuincantur. Ius Regium impetrantis & non probantis pœna.

Bona post obitum Alberti Regis occupata remittantur, alioquin occupatores ipsi euocentur. ART. XII.

OMNIVM & singulorum bona, quæ à tempore obitus dicti quondam domini Alberti Regis, per quoscunq; minus iustè occupata essent, per eorum detentores, infra octauum diem festi Natiuitatis Beati Ioannis Baptistæ nunc venturi, illis, quorum sunt, remittantur: Et detentores illi, vigore literarum nostrarum, vel aliorum iudicum ordinariorum, per nostrum hominem, & Capituli, aut Conuentus testimonium, ad remittendum occupata bona, admoneantur. Et si admoniti non remittent, euocentur cum insinuatione, ad proximè futuras Octauas, ex parte quorum fiet iudicium & iustitia, sine prorogatione.

Regnum Sclauoniæ & partes Transyluaniæ, in libertatibus suis conseruentur. ART. XIII.

REGNVM nostrum Sclauoniæ, & partes Transyluaniæ, in omnibus antiquis bonis libertatibus, consuetudinibus & iuribus suis conseruentur.

Ecclesiasticarum personarum & Sæcularium, contra sese inuicem agentium, æqualis mulcta. ART. XIV.

VIRI Sæculares, contra viros Ecclesiasticos, in nullo facto, in lite Sæculari possunt magis aggrauari, quàm viri Ecclesiastici aggrauarentur, contra Sæculares.

Tributum in vna villa, in pluribus locis exigi non possit: Viæ falsæ in aliorum terris non obseruentur, & nemo extra metas possessionis tributi molestari possit.

ART. XV.

TRIBVTVM in vna & eadem possessione, in pluribus locis exigi non possit, sed in vno tantum loco, etiam possessoribus tributi quantumcunque inter se discordantibus. Et quòd in omnibus locis tributorum, tributum secundùm antiquum modum exigatur. Facientes autem contrarium, amittant donum tributi. Tributarij etiam vias falsas, nec in terris aliorum, nec extra antiquam consuetudinem custodire valeant, nec propter non solutionem tributi quisquam impediri possit extra metas possessionis, vbi tributum exigeretur: Nullum tamen tributum possit esse, vel vadum, contra antiquam consuetudinem & legem Regni nostri.

Conuictorum in iudicio bona, more veteri, conferantur. ART. XVI.

CONVICTORVM hominum bona, quo ad porciones iudiciarias, tàm nos, quàm iudices nostri ordinarij, non aliter, nisi more aliâs consueto, conferre valeamus, aut valeant.

De causis forum Ecclesiasticum concernentibus. ART. XVII.

Causæ sacri fori.

ITEM præter factum testamenti, matrimonij, dotum & rerum paraphernalium, periurij, verberationis & spoliationis clericorum & mulierum, ac præter illas alias causas, quæ prophanæ non essent, in foro Spirituali nulla causa tractetur.

Rex ad simplicem querelam, bona aliquorum non occupet, & causam propriam ordine Iuris prosequatur. ART. XVIII.

ET quòd nos, ad simplicem querimoniam aliquorum, vel etiam in proprijs factis nostris, bona aliquorum occupare non faciamus, nisi præcederet sufficiens cognitio causæ, secundùm antiquam consuetudinem in talibus fieri solitam. Et quòd nos etiam factum nostrum Regium, ordine Iuris prosequemur.

Iudices ordinarios Regni verberantis, pœna notæ infidelitatis.

ART. XIX.

Comitis vel Vicecomitis verberatio per duelliũ.

SI quis Protonotarium, Vicepalatinum, Banum, Vicebanum, Comitem, vel Vicecomitem, vel alios iudices ordinarios Regni nostri, tempore sedis iudiciariæ, aut etiam aliâs sine causa verberarent, interficerent, aut captiuarent, habita superinde probatione legitima, in nota & pœna perpetuæ infidelitatis, conuincentur.

De his, quorum literalia instrumenta perirent, vt bona eorum noua donatione à Rege impetrata, præuia attestatione, roborentur & confirmentur.

ART. XX.

ET quia nonnulli essent ex Regnicolis, quorum iura & literalia instrumenta, per inimicos, & potentes ablata fuissent. Igitur si tales ablationem huiusmodi iurium, & literalium instrumentorum, ac id, quod ipsi & prædecessores eorum, in dominio bonorum & possessionum, quas tangerent literæ ablatæ, pacificè perstitissent, & ipsos concernerent, per vicinorum & commetaneorum suorum, ac Nobilium comprouincialium attestationes comprobare possent: Talibus nos huiusmodi bona sua, titulo nouæ nostræ donationis, vt daremus & conferremus.

Iudicium generale in omnibus Comitatibus celebretur more veteri.

ART. XXI.

ITEM quòd per omnes Comitatus Regni nostri fiat iudicium generale, more alias, à tempore scilicet antiquo, consueto.

De noua moneta cudenda. ART. XXII.

ITEM quòd nos faceremus cudere vnam bonam monetam, in liga & pondere monetæ

re monetæ quondam domini Sigismundi Imperatoris, quæ curreret per totum dominium nostrum, vita nobis comite, sine aliqua permutatione, & haberet duos obulos, & huiusmodi moneta nostra, in cunctis censibus lucri Cameræ nostræ & decimis, vbiq; recipiatur.

Moneta cudatur ad ligam monetæ Sigism. Imperatoris

De confirmatione donationum Ladislai & Mathiæ Regum, vt infra annum ad confirmandam afferantur. ART. XXIII.

QVOD nos omnes donationes prædecessorum nostrorum Regum, & nostras proprias, super quibusuis bonis & possessionibus factas, exceptis donationibus quondam domini Ladislai Regis, & etiam nostris, quas de lucro Cameræ, Quinquagesima, Tricesimis, & prouentibus Mardurinalibus cuiq; fecissemus, aut fecissent, confirmare debeamus. Teneatur autem quilibet omnes literas donationales quondam domini Ladislai Regis, immediatè prædecessoris nostri, & etiam nostras, à prima die Aprilis, infra reuolutionem vnius integri anni, ad confirmationem reportare: Si qui verò non reportarent, literæ eorum non maneant in vigore.

Donationes & priuilegia Ladislai Regis, super lucro Cameræ & alijs, non confirmātur Ladislai Regis literæ ad confirmandum portentur.

De modo soluendi decimas, ac aceruorum examinatione. ART. XXIIII.

DECIMÆ soluantur in omnibus & singulis Comitatibus, secundum modum, quo vnusquisque cum Prælato suo superinde haberet, vel fecisset, aut deinceps faceret dispositionem. In quarum exactione & solutione, teneatur dispositio & Decretum annotati Domini Sigismundi Imperatoris & Regis: Ita tamen, quòd si ad requisitionem Dicatorum & decimatorum rusticus iuraret, & Dicator huiusmodi iurato crederet, non amplius, nisi iuxta iuramentum iurantis, dicare valeat. Et vbi Dicator iurato rustico non crederet, liberum aceruum examinandi habeat facultatem: Qui si plus inueneric, superfluitatem auferre valeat. Si autem iuxta verbum rustici repertum fuerit, pro indebita reuisione aceruì, vnus florenus auri per Dicatorem rustico soluatur, quem si dicator soluere recusaret, rusticus auferre valeat equum dicatoris, seu decimatoris.

Aceruus frugum etiam post iuramentum rustici examinari potest. Decimator equū quando amittit.

Dominicis diebus & festis Beatæ Virginis forum non celebretur. ART. XXV.

DIEBVS Dominicis, & in festiuitate Beatæ Mariæ Virginis, in hoc Regno nostro & eius partibus, nullum forum celebretur: exceptis duntaxat, propter binas causas, foris dominorum Archiepiscopi Colocensis, & Episcopi Varadiensis, qui in bonis eorum celebrantur.

Monetarum falsarum cusores puniantur. ART. XXVI.

CVSORES falsarum monetarum & florenorum, ac falsificatores eorundem publicè infamati, habita prius superinde debita reuisione, per Barones Regni nostri puniantur condigna pœna.

Saluum conductum violantium pæna. ART. XXVII.

QVICVNQVE ex Regnicolis nostris saluum conductum nostrum infringeret, prius recognita causa, tales, & non domini talium, in nota & pœna perpetuæ infidelitatis, conuincantur.

De violatione Ecclesiarum, ac immunitate domorum Nobilium, ac Ecclesiasticarum personarum. ART. XXVIII.

POSTREMO, si tempore exercitus, vel aliâs quandocunq; aliqui in domibus & curijs Nobilium, aut personarum Ecclesiasticarum, præter voluntatem eorum descenderent, aut Ecclesias confringerent, tales euocentur ad Octauas cum insinuatione, ex parte quorum, si agens voluerit, non aliter, nisi mediante via communis inquisitionis impendatur iudicium & iusticia. Similiter ex parte illorum, qui tempore exercitus facerent damna, pro ablatione rerum tale † iudicium impendatur.

† Al: tali

 CONCLV-

CONCLVSIO.

VNDE nos ad supplicationem præfatorum Prælatorum, & Baronum, ac Nobilium Regni nostri, annotatis priuilegijs & Decretis iam fatorum dominorum, Ludouici Regis, ac Sigismundi Imperatoris, ac similiter Regis, nec non articulis præmissis, quos ijdem Prælati, Barones & Nobiles denuò fecissent, acceptis & susceptis, eadem, & eosdem, præsentibus literis nostris, de verbo ad verbum transsumpta, & insertos, quia in vtilitatem Regni nostri, & pro totius eiusdem Reipublicæ tranquillitate facta, & dispositi esse videntur, simul cum omnibus libertatibus, & institutionibus in eisdem conscriptis, ac simul cum Decreto prænotati domini Andreæ Regis, per dictum dominum Ludouicum Regem confirmato, approbamus & ratificamus, atque innouantes perpetuò duratura & valitura, confirmamus: Nos quoque omnia in eis contenta, cum moderatione articulorum prætactorum, obseruaturos obligamus, præsentis scripti nostri patrocinio mediante. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, præsentes literas nostras pendentis & authentici duplicis sigilli nostri munimine roboratas, duximus concedendas. Datū per manus Reuerendissimi in Christo patris domini Stephani Colocensis & Bachiensis Ecclesiarum Canonicè vnitarum Archiepiscopi, lociq; eiusdem Colocensis Comitis perpetui, Aulæ nostræ summi Cancellarij, fidelis nostri dilecti, Anno Domini Millesimo, Quadringentesimo, Sexagesimo quarto, octauo Idus Aprilis, Regni nostri, anno septimo, Coronationis verò primo. Venerabilibus in Christo patribus dominis Dionisio de Zech, Cardinali Strigoniensi, eodem domino Stephano Colocensi, Archiepiscopis, Ladislao Agriensi, Ioanne Varadiensi, Nicolao Transyluaniensi, Zagrabiense sede vacante, Ioanne Quinqueecclesiensi, Alberto Vesprimiensi, Augustino Iauriensi, Vincentio Vaciensi, Alberto Chanadiensi, Thoma Nitriensi, Bosnense sede vacante, Vrbano Sirmiensi, Marco Tininiensi, Segniense sede vacante, & Nicolao Modrusiensi, Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias DEI feliciter gubernantibus. ITEM Magnifico Michaële Orszagh de Gwth, Regni nostri Vngariæ prædicti Palatino, Emerico de Zapolya, Regni nostri Bosznæ Gubernatore, Nicolao de Wylak & Ioanne Ponghracz de Dengelegh, Waiwodis Transyluaniensibus, Comite Ladislao de Palocz Iudice curiæ nostræ, eodem Emerico de Zapolya, Dalmatiæ, Croatiæ & Sclauoniæ Regnorum nostrorum, & præfato Nicolao de Wylak Machouien. Banis, honore Banatus Sirmiensis vacante, Ioanne de Rozgon, Tauernicorum, Benedicto de Thwrocz, Ianitorum, Andrea Panghracz de præfata Dengelegh, Pincernarum, Stephano de Peren, & Ladislao de Bathor Dapiferorum, Paulo de Dombo & Ladislao de Wessen, Agazonum nostrorum Regalium Magistris, Andrea Pankyrher, Comite Posoniensi, alijsq; quàm pluribus Regni nostri Comitatus tenentibus & honores.

MATHIÆ REGIS DECRETVM TERTIVM, ANNO DOMINI M. CCCC. LXXI. editum.

NOS MATHIAS DEI gratia, Rex Vngariæ, Boëmiæ, &c. Notum facimus tenore præsentium, vniuersis, quibus expedit: Quòd cum nos, occurrentibus varijs vndiq; negotijs, hanc conuentionem generalem, omnibus Prælatis, Baronibus, ac Nobilibus de Regno nostro, ediceremus, tractaremusq; maturius cum eis, super ipsis, ijdem Prælati, Barones & Nobiles, cupientes se certis libertatibus & priuilegijs fulciri, siue quòd in Decretis præteritis, ita sufficienter expressè non habebantur, exhibuerunt & præsentauerunt nobis, articulos infrascriptos.

Comitia singulis annis celebrentur. ART. I.

ARTICVLVS primus est, Quòd nos singulis annis, circa festum Ascensionis Domi-

Domini, de consilio Prælatorum & Baronum nostrorum, edicamus generalem Conuentum, omnibus Regnicolis nostris, & hoc si exigat necessitas.

Nobiles Regni nemo capiat, nisi quis sit fallor, & seruitio non completo aufugiat.

ART. II.

ITEM quòd nec nos, nec iudices curiæ nostræ, aut Prælati & Barones, absque ordine iudiciario, Nobiles Regni detineamus, siue detineant, dempto eo: Si aliqui Nobilium factores fuerint, & aliàs seruitio suo non completo, ab eorum dominis recesserint, quia tunc detineri possunt. Ex parte verò officialium, teneatur modus in Decreto quondam Sigismundi Regis expressus. Seruitor Nobilis. Seruitoris apud dominos cōditio. Sigism. maiori art. 6.

In decimando seruetur modus præcedentis immediati Decreti. ART. III.

ITEM quòd in facto Decimarum, teneatur modus ille, qui exprimitur in Decreto nostro, Albæ, tempore Coronationis nostræ edito, dempto illo: Quòd si in aliquo Comitatuum Nobiles voluerint adiungere vnum Nobilem, & plebanum similiter vnum de illo Comitatu, Dicatori decimarum, tempore dicationis, eundem, de mala dicatione, si faceret suo Episcopo accusaturos, id eis liceat. Qui si non fecerint, nihilominus Dicator procedere possit. Anni 1464. art. 24.

Sal Regis teneatur in locis priscis. ART. IV.

ITEM quòd Cameræ Salium nostrorum Regalium, teneantur in illis locis in quibus tempore Domini Sigismundi Regis tenebantur, & sub modo & libertatibus tunc solitis, quæ etiam in meis, in illis locis fiant, vnde commodum percipi possit. Sigism. tertio art. 8.

Iudicium generale sublatum. ART. V.

ITEM quòd deinceps iudicium generale non celebretur, nisi secundùm consuetudinem Regni nostri.

Castra Regis & aliorum non aliis, quàm Vngaris conseruanda assignentur.

ART. VI.

ITEM quòd tàm Regalia, quàm Baronum & aliorum omnium Nobilium Regni nostri Castra finitima, in partibus scilicet superioribus, & inferioribus, siue in Regnis Sclauoniæ, Dalmatiæ, Croatiæ, & in partibus Transyluanis habita, ad conseruandum Vngaris, personis scilicet dignis & idoneis, & non forensibus, collocentur.

Exercituandi modus Mathiæ Regis, similis Sigismundi. ART. VII.

ITEM quòd in exercituatione & leuatione Banderiorum, Prælatorum & Baronum nostrorum, ac exercitus generalis Regnicolarum, teneatur idem modus, qui fuit tempore quondam dicti Domini Sigismundi Regis, & qui in bonis destructi haberentur, agatur cum eis iuxta exigentiam bonorum suorum. Sigism. Decr. Quinto per totum. Ladisl. Posthumi per totum.

Sigilla Regis quinque. ART. VIII.

ITEM quòd nos vtamur, quatuor aut quinque sigillis, videlicet Bulla aurea, & duplici, secreto, iuridico, & annulari. Sigilla Regis

Damna inferentes Ecclesiasticis personis euocentur, & facta communi inquisitione statim condemnentur. ART. IX.

ITEM quòd si tempore exercitus, vel aliàs quocunque tempore, aliqui, in domibus & Curijs Nobilium, aut personarum Ecclesiasticarum, præter voluntatem eorum descenderent, & damna committerent, vel iam commisissent, aut Cimiteria, vel Ecclesias confringerent, aut iam confregissent, tales euocentur ad Octauas cum insinuatione, ex parte quorum, si agens voluerit, non aliter, nisi per viam communis inquisitionis concludatur iudicium & iustitia, quæ etiam circa finem, præfati Decreti nostri, tempore Coronationis nostræ editi, in parte tacta sunt. Ecclesiarum Causæ Summariæ. Ann. 1464. art. 28.

Bona nullius, ad supplicationem cuiuscunq; Rex occupare potest. ART. X.

ITEM quòd nos, ad simplicem querimoniam nostrorum, non faciamus occupare bona aliquorum, sed in occupatione agatur semper, iuxta consuetudinem Regni nostri, ordine iudiciario, nec etiam occupentur donata bona à manibus possidentium, donec ordo iuris decernat de dominio rei donatæ, ad quem pertinere debebit, & simpliciter, malè hactenus occupata bona, remittantur.

Dicam nullam exiget Rex, præter voluntatem Regnicolarum.
ART. XI.

ITEM quòd nos de cætero, nullam dicam siue taxam, præter quam lucrum Cameræ, generaliter à Regnicolis, propter aliquam causam, exigamus, aut exigere faciamus, præter voluntatem eorum & consensum.

Rex processum iuris non impediat, & mandata in contrarium, ad impediendum data, non seruentur. ART. XII.

ITEM quòd nos nullas literas adiudicatorias, in sede Regni emanatas cassemus, sed data gratia agentibus, in primis Octauis tunc occurrentibus, huiusmodi literas adiudicatorias ad inualidandum, vel roborandum, iubeamus exhibere, vt in talibus moris est: possessionibus & alijs bonis, interim apud manus, vigore literarum ipsarum adiudicatoriarum, possessorum remanentibus. Et si in contrarium huius hucusque aliquid actum fuisset, reuocemus, nec etiam tales literæ nostræ, si quæ contra leges & antiquam consuetudinem Regni nostri emanatæ essent, vires habeant. Præterea non imputetur Iudicibus Regni nostri, si tales literæ non obseruabuntur in iudicio.

Beneficia duo, vni personæ non conferantur. ART. XIII.

ITEM quòd nos, duo beneficia Ecclesiastica, vni personæ non conferamus, & si contulerimus, de eisdem beneficijs duobus, aut pluribus, personarum eandem habentem tempore exercitus, secundùm antiquum modum, exercituari faciamus iuxta posse ipsius.

Iudices, causas iudicent, non procuratores aut aduocatos agant: clamor contra eos excitatus, à Rege examinetur, & sontes puniantur.
ART. XIIII.

ITEM quòd Magistri Protonotarij, vnicuiq; faciant iustitiam, sub pœna consueta, & nec ipsi, nec eorum assessores, procuratores esse possint. Vbi autem aduersus eos & eorum iudicium, Regiæ Maiestati, aut Baronibus, per aliquos acclamatum fieret, Regia Maiestas cum Baronibus suis, iudicium examinet. Et si acclamatio contra veritatem facta reperietur: Acclamantes puniantur præmissa pœna consueta.

Honorem Comitatus Nobilis accipiat. ART. XV.

ITEM quòd honorem Comitatus, nullus, nisi Nobilis, tenere possit.

Migratio colonorum fiat, vt tempore Sigismundi Imperatoris.
ART. XVI.

ITEM nullorum Iobagiones indebitè abducantur, sub pœnis in Decreto, dicti quondam Sigismundi Regis contentis. Et si Comites, aut Vicecomites, & Iudices Nobilium Comitatus alicuius, indebitè abductos Iobagiones, ad requisitionem querulantis, non reducerent, grauamine consueto, honore suo priuentur. Vbi autem aliqui Iobagiones suos liberè non dimitterent, teneantur omnes Nobiles, contra tales insurgere in adiutorium Comitis: maximè, si idem ad compellendum tantam non haberet facultatem. Præterea si solus Comes parochianus, contra ius legesque Regni abduceret Iobagiones, modo simili, honore suo Comitatus priuetur.

Comes cum adiutorio Nobilium sui Comitatus colonos restituit. Sigism. tertio art. 14.

In foro spirituali, non iudicentur aliæ causæ, præter illas, quæ expressæ sunt in secundo Mathiæ Decreto. ART. XVII.

QVOD illæ causæ in foro & sede spirituali tractentur & iudicentur, quæ in dicto Decreto nostro, tempore Coronationis nostræ edito continentur, & aliæ non: Et vbi contrarium acceptaretur, pro habendo superinde remedio, petatur Regia deliberatio. Math. Anni 1464. art. 17.

Monasteria quæ sigillorum vsum habent, nullius præterquam Regis Iuri patronatui subsint. ART. XVIII.

ITEM quòd nos ius patronatus omnium Ecclesiarum, vel Monasteriorum sigilla habentium, auferamus ab omnibus, & pro nobis retineamus: Quia multæ incommoditates eueniunt ab eis Regno, & Regnicolis, quòd suas portiones fouent, & sigillo suo, in fauorem illorum, liberè vti non possunt. Monasteria sigilla habentia Rex confert.

Romam conquestum nemo vadat, sed causam coram suo Diocæsano inchoët: hinc per viam appellationis Romam deducat, sub pœna capitis. ART. XIX.

ITEM quòd nullus penitus Regnicolarum, siue sint clerici, siue sæculares, contra libertatem Regni, qua à tempore quondam Sanctissimi Stephani Regis illibatè vtitur, directè omisso medio, conquestum à Curia Romana, contra quempiam impetrare possit. Sed quilibet priùs hic in Regno, coràm suis iudicibus ordinarijs, ius suum prosequatur: Et ita tandem si voluerit, per viam appellationis, causam suam introducat. Quibus contra facientes, beneficiati suo beneficio priuentur, non beneficiati autem, pœnam capitis luant.

Regis factores nihil à quoquam sine pecuniis auferant. ART. XX.

ITEM quòd in bonis, ac nundinis & foris Regnicolarum, factores nostri, quascunque res ab aliquo, sine solutione & competenti precio, occupare & auferre non valeant.

Milites Regij damna nemini inferant, alioquin Rex de Capitaneis illorum satisfactionem impendat. ART. XXI.

ITEM quòd pedites & equites nostri, siue tempore exercitus, siue aliâs in eorum processibus, victualia sine precio auferre non possint: Et si in huius contrarium fieret attentatum, extunc Capitanei eorundem peditum, vel equitum, debita pœna puniantur: Vbi autem nobis, pro damno per ipsos illato, querimonia porrigeretur, per eos satisfactionem impendere faciamus de damno præmisso.

Redemptiones literarum, & Executiones fide dignitatum fiant secundùm Decretum Sigismundi. ART. XXII.

CAPITVLA & Conuentus, in redemptione literarum & executionibus viarum, obseruent illum modum, qui in præfato Decreto quondam domini Sigismundi Regis continetur. Vbi si ille modus non obseruaretur, & superinde comprobatio per attestationes Nobilium illius Comitatus, per modum communis inquisitionis, siue congregationis generalis facta dari possit: Contra facientes sua amittant beneficia. Sigism. sext. Art. 10. Communis inquisitio, & congregatio generalis idem est.

Bona perperam occupata suis dominis restituantur. ART. XXIII.

ITEM quòd nos bona indebitè occupata, reddi & restitui faciamus, illis, quorum sunt.

Ecclesiasticæ personæ non dicentur, sed tamen onera expeditionum ferant. ART. XXIIII.

ITEM quòd viri Ecclesiastici, neque maiores, neque minores deinceps dicentur, aut aliqua taxa grauentur, tamen illi ex eis, qui exercituare tenentur, id faciant secundùm antiquum modum.

Tribu-

Tributa in suis locis exigantur. ART. XXV.

Sigism. sext. art. 22. & 23

ITEM quòd tributa in locis suis exigantur, secundùm antiquum modum, tempore dicti scilicet domini Sigismundi Regis obseruatum.

Fassio inuitè per aliquem facta, nullius sit vigoris. ART. XXVI.

ITEM quòd nulla fassio, inuitè facta, vel facienda, vires habeat, postquam veritas ostenderit siue docuerit, eam inuitè fuisse factam.

Bona à tempore Coronationis suæ occupata, intra dies triginta restituantur, sub pœna maioris actus. ART. XXVII.

ITEM quòd bona post Coronationem nostram, per quempiam occupata, infra tricesimum diem, à die datarum præsentis Decreti computando, remittantur. Et si aliqui non remiserint, tales in facto potentiæ conuincantur, & in primis Octauis, contra tales sententia diffinitiua, per iudices ordinarios decernatur, absque vlteriori prorogatione.

Homicidiorum in causa breuis processus Mathiæ Regis. ART. XXVIII.

Cum Regio homine ad citandum procedat. Nobilem à Comitatu pro testimonio in vim citationis petat. Citatus infra 25. diem compareat. Reus innocentiam nō iuramento, sed communi inquisitione aut duello purget. Conuictus homicidij, pœna mortis, non bonis mulctetur. Homicidii in causa succumbens actor, in emēda capitis cōuincatur.

ITEM quòd omnes illi, qui per se Nobiles Regni nostri, maiores vel minores, sine iusta causa interfecerint, aut per alios interfici fecerint, breui Euocatione in præsentiam nostram euocentur, ordine infrascripto. Quòd videlicet Actor, extrahens literas Euocatorias à nobis, cum Capituli, aut Conuentus, & nostro hominibus, contra illum, contra quem huiusmodi literæ Euocatoriæ extractæ sunt, procedere non valeat, nisi prius huiusmodi literas, vna die, tempore sedis iudiciariæ illius Comitatus, vbi id fieri debebit, more consueto, in ipso loco sedis, Nobilibus illius Comitatus inuicem constitutis, publicè præsentare debeat. Ab eis quoque petat vnum Nobilem, coram quo fiat ipsa Euocatio. Et facta executione, superinde literas Capituli, vel Conuentus, ac Comitatus, pro sui parte extrahat. Qui quidem in causam attractus, à die Euocationis, infra Vigesimum quintum diem, coram nobis, vbi eo tunc in Regno nostro Vngariæ, DEO duce, constitueremur, constitui teneatur, secundùm formam & vim insinuationis, iudicium & iustitiam accepturus. Ita tamen, quòd in causam attractus suam innocentiam, nunquam iuramento, sed communi inquisitione, aut duellari certamine, expurgare valeat. Tandem ipse in causam attractus, si conuictus fuerit pro ipso homicidio, non possessionem aut possessiones, & portiones possessionarias amittat, sed pœna mortis sui proprij capitis puniatur, & præter voluntatem agentis, nulla redemptio capitis fieri valeat. Vbi autem contra ipsum in causam attractum, minus iustè & sine causa, dicto ordine Iuris processum fuerit, & ipse communi inquisitione, aut duellari certamine suam innocentiam purgauerit, agens, contra eundem in causam atractum, in emenda capitis, pro indebita inquietatione conuincatur, & Iudex super ipsa emenda capitis, de iuribus possessionarijs ipsius agentis, in causam attracto satisfacere valeat, vbi nulla sit portio iudiciaria.

Castella demoliantur, sub pœna perpetuæ infidelitatis. ART. XXIX.

ITEM quòd Castella infrascripta, videlicet, in Comitatu Simigiensi Castellum Szenyer, & Castellum Sztropko in Maromarusiensi, Castellum Dolha in de Beregh, Castellum Gellyenes Ladislai Wporij, in Zempliniensi, Castellum Abara eiusdem Ladislai Wporij, in eodem Zempliniensi, Castellum Czeeke, in de Posega, Castella Knesyewcz & Farklewcz Blasij Hwzar, in de Walko Comitatibus, & Castellum Lanka, sub nota perpetuæ infidelitatis, infra viginti quinque dierum spacia, à die datarum huius Decreti computando, distrahantur, & penitus aboleantur.

Tributum in Chorgho, oppido Comitatus Simigiensis, distrahi passum. ART. XXX.

ITEM quòd nos ad supplicationem Comitatus Simigiensis, tributum in Chorgo,

Chorgo, in eodem Comitatu Simigiensi habito, exigi solitum, distrahi debere concessimus, ita vt per amplius illic tributum non exigatur.

Decretum præsens ab omnibus obseruetur. ART. XXXI.

ITEM quòd præsens Decretum, ab omnibus, sub pœnis in eodem articulariter specificatis, obseruetur, & quòd ad singulos Comitatus scribatur & deferatur idem Decretum, ad locum sedis iudiciariæ singulorum Comitatuum, quod in singulis Conuentibus Nobilium intersit. Et Comites, vel Vicecomites, ac Iudices Nobilium ipsorum Comitatuum, omnes & singulos articulos in eodem expressos, in illis rebus, in quibus ipsos tangunt, inuiolabiliter obseruent, & per alios obseruari faciant. Omnes autem contrarium facientes, ijdem Comites vel Vicecomites, & Iudices Nobilium, tanquam communis iustitiæ defensores, puniant pœnis in ipso Decreto expressis. Et si qui à nobis in contrarium Decreti, pro eorum partibus literas extraxerint, eædem non obseruentur. Cæterùm si ipsi Comites vel Vicecomites, & Iudices Nobilium in aliquo contrarium Decreto facerent, pro tali eorum facto, & perpetratione malorum, & illatione damnorum, euocentur in Curiam nostram cum insinuatione, vbi vigore literarum nostrarum, in contrarium Decreti à nobis ipsis transmissarum, nunquam se defendere valeant, sed conuincantur in facto potentiæ.

Comites articulos obseruent, & per alios obseruari faciant.

Comes communis iustitiæ defensor

Literæ contra Decreta concessæ nõ seruentur.

Comites si non fungantur suo officio in his strenuè, euocentur.

QVIBVS expeditis, ijdem Prælati, Barones & Nobiles Regni nostri, supplicarunt nobis, vt eosdem articulos gratos habentes, admittere & approbare dignaremur. Vnde nos ad humilem supplicationem eorum, huiusmodi articulos, quia ijdem non mediocriter communi vtilitati Regni nostri, conferre cernebantur, præsentibus literis nostris, de verbo ad verbum inscriptos, ratos & gratos habentes, admittimus & approbamus, ac ab omnibus, pro vero Decreto Regni, teneri volumus. Nos etiam similiter tenebimus, harum literarum nostrarum vigore & testimonio mediante. Datum Budæ feria quarta proxima ante festum Beati Mathæi Apostoli & Euangelistæ. Anno Domini Millesimo, Quadringentesimo, Septuagesimo primo: Regnorum nostrorum, Anno Vngariæ, &c. quarto decimo: Coronationis Octauo: Bohemiæ verò tertio.

Verum Decretum Regni.

CONSTITVTIONES STATVVM ET ORDINVM REGNI VNGARIÆ, IN PVBLICO eorum, in absentia Regis à Regno, Conuentu factæ, Anno Domini M. CCCC. LXXIIII.

NOS Prælati & Barones, nec non electi Nobiles Regni Vngariæ, in præsenti Conuentione Budensi congregati, totum idem Regnum Vngariæ repræsentantes, significamus tenore præsentium, quibus expedit vniuersis: Quòd cum nos his diebus, de voluntate & mandato Serenissimi Principis & Domini, Domini Mathiæ, DEI gratia Regis Vngariæ, Bohemiæ, &c. Domini nostri naturalis, in hanc Ciuitatem Budensem ad tractandum diuersas res Regni, & præsertim factum defensionis contra Turcas, qui idem Regnum Vngariæ, diuersis prælijs & spolijs affecerunt, & in futurum fortiùs, quàm aliâs vnquam, dilacerare prætendunt, conuenissemus, factaq; & negotia, atque necessitatem præfati Regni Vngariæ diutius inter nos pertractassemus, deuenimus tandem in infrascriptos articulos communiter, quos sicuti nunc pro vtilitatis statu, commoditate, & necessitate totius Regni Vngariæ, ac Incolarum eiusdem vtiliter conuenire cognouimus: Ita communi voluntate, & parili consensu conclusimus, & finaliter determinauimus.

Subsidium vnius floreni. ART. I.

PRIMO, Quòd subsidium vnius floreni aurei, pro defensione Regni Vngariæ,

Mathiæ Regis mater hoc tempore adhuc vixit.

riæ,contra Turcas,de singulis portis,per totum Regnum, modo infrascripto detur: Quod per nos Prælatos & Barones, ac Regnicolas conclusum & determinatum est; Vt de omnibus bonis, tàm Domini nostri Regis, & dominæ genitricis suæ, quàm etiam nostris, & aliorum quorumcunq; possessionatorum hominum, etiam exemptorum,ac etiam per Ciuitates Regales irremissibiliter persoluatur,& nemini relaxetur. Si qui autem exempti illud subsidium non redderent, extunc neq; alij soluere teneantur.

Sales omnibus persoluantur. ART. II.

SECVNDO, quòd sales pro huiusmodi subsidio, modo infrascripto, omnibus nobis verissimè persoluantur.

Eligantur duo Nobiles, ad distribuendos sales Regios in portas. ART. III.

TERTIO, quòd eligantur per nos duo notabiles viri vel plures, ad Cameras salium, in Transyluaniam & Maromarusiam, ad quorum manus dominus Thesaurarius omnes sales,qui in Cameris sunt, sine omni difficultate assignari faciat & assignet,quos quidem sales idem dominus Thesaurarius teneatur deduci facere, tàm in aquis, quàm per terras, in expensis Regijs, ad Cameras filiales, vbi dicti electi viri teneantur distribuere Comitatibus,secundùm numerum portarum.Qui autem ire voluerint per se in curribus proprijs ad Cameras Transyluaniensem, vel Maramarusiensem,habeant liberam facultatem, & illis soluantur sales, tàm pro expensis, quàm etiam laboribus, & numero portarum. Postquam autem isti viri electi certos reddiderint Comitatus, quòd sales in manibus eorum sunt,eo facto incipiatur exactio præsentis subsidij, priùs tamen fiat connumeratio, iuxta modum inferius specificandum.

Sales, etiam pro expensis & vectura, accipiantur.

Duo dicatores in singulis Comitatibus eligantur. ART. IIII.

QVARTO, quòd de quolibet Comitatu, ad dispositionem præsentis subsidij, eligantur duo Nobiles potiores, ad computandum & connumerandum vniuersas & singulas portas,omnium possessionatorum hominum, prout moris erat temporibus Diuorum Regum,secundùm consuetudinem lucri Cameræ: ita vt portæ connumerentur, & non fumus neque sessiones desertæ. Isto declarato: Quòd si ob metum huius subsidij, ad aliorum domos,post congregationem præsentem,se contulissent, per hoc non sint supportati, nisi illi, quibus facultates ad soluendum non suppeterent; quæ videant, secundùm conscientias eorum connumeratores deputandi.

Portæ connumerentur in solutionem dicę, & non fumus.

Dicatores stipendium à Rege accipiant. ART. V.

QVINTO quòd ipsi Nobiles electi connumeratores, stipendia sua habeant à domino Thesaurario, ad rationem Regiæ Maiestatis.

Lucrum Cameræ duobus annis relaxatum. ART. VI.

SEXTO quòd quamuis lucrum Cameræ anni futuri sit relaxatum, etiam modo ex nouo relaxetur.

Regnicolæ intra annum in expeditionem, nisi contra Turcas, ire non teneantur. ART. VII.

SEPTIMO siue Regia Maiestas, vel hoc Regnum, à Sanctissimo domino nostro Papa, vel ab alijs principibus Christianis, pro facto fidei, subsidium habeat, siue non, vsque ad annum integrum, nulla exercituatione, vel alio grauamine quocunq; impediantur Regnicolæ. Si autem contigerit Imperatorem Turcarum, cum sua potentia aduenire, obligentur Regnicolæ, more ab antiquo consueto, exercituare.

Subsidium hoc contra Turcas expendatur. ART. VIII.

OCTAVO quòd istud subsidium non aliâs, nisi contra Turcas exponatur.

Dena-

Denarij viginti quinq; soluti computentur ad hoc subsidium. ART. IX.

NONO, quod illi Comitatus, qui singulos viginti quinque denarios soluerunt, præsens subsidium, ad numerum illorum denariorum exactorum, soluant.

Iudicia non celebrentur. ART. X.

DECIMO, quod octauæ infra annum integrum non celebrentur, maximè ex eo, quia maior pars Regni, vel quasi totum Regnum erit in exercituatione contra Turcas, & etiam propter labores præsentis subsidij.

Bona occupata restituantur. ART. XI.

VNDECIMO quod bona quorumcunq;, post recessum dicti domini nostri Regis occupata per quoscunque, remittantur. Si autem aliquis talium occupantium rebellaret in hac parte, tunc persona Regiæ Maiestatis, bona talis præsentem dispositionem contemnentis occupare possit: Bonaq; occupata illis reddantur, à quibus fuerunt occupata.

Locumtenens Regis iudicet casus & actus maiores, iuxta informationem Regis. ART. XII.

DVODECIMO, quod super inuasione domorum & possessionum, ac interemptione & verberatione Nobilium, post recessum dicti domini nostri Regis commissis & perpetratis, vel etiam in futurum fiendis, persona Regiæ Maiestatis faciat iustitiam, prout informata est à domino Rege.

Subsidium per connumerationem salium amplius non fiat. ART. XIII.

TREDECIMO, conclusum est vniuersaliter per nos, quod tale subsidium per connumerationem salium Regaliũ, vel aliæ exactiones amplius nullo modo fiant.

Migratio colonis vsque ad annum interdicta. ART. XIV.

DECIMOQVARTO, quod Iobagiones quorumcunque, vsque ad annum integrum non dimittantur. Si autem aliqui eorum fugientes recesserint, vel non habita licentia, & iusto terragio eorum minimè deposito, aliqui eosdem reduxerint, tales reddantur suo domino, iuxta antiquam Regni consuetudinem, cum grauaminibus consuetis.

Milites in expensis suis viuant. ART. XV.

DECIMOQVINTO, quod exercituantes descendentes contra Turcas, vel etiam aliâs, viuant in expensis proprijs, & non cum spolijs, sicuti vsque modo fecerunt, neq; etiam in domibus Nobilium descensum facere audeant: Ita tamen, quod si aliqui contra hunc articulum fecerint, euocentur breui euocatione coram Regia Maiestate, vel in absentia Regis coram persona sua.

Decimæ exigentur more veteri secundùm colonorum iuramentum. ART. XVI.

DECIMOSEXTO, conclusum est per nos, vt nos Prælati, Barones, faciamus dicari decimas, iuxta antiquam consuetudinem Regni. Ita videlicet, quod recipiatur iuramentum à quocunque homine, & vltra non dicetur aliquid, & huiusmodi decimæ exigantur, iuxta contenta Decretorum quondam Serenissimorum Regum Vngariæ, Ludouici & Sigismundi. Sigismund. quarto, art. 5. & 6.

QVOS quidem articulos, & omnia in eis contenta, per nos, vt præmissum est, vnanimi voluntate conclusos, tanquam vtiles, & pro præsenti necessitate dicti Regni Vngariæ, & Reipublicæ ipsius conuenientes acceptauimus & approbauimus: Imò nominibus & in personis vniuersorum Regnicolarum dicti Regni Vngariæ, acceptamus & approbamus, obseruabimusq;, & quantum in nobis est, per omnes incolas Regni cuiuscunque status, conditionis & linguagij existant, obseruari, faciemus. Harum literarum nostrarum, quibus sigilla nostra sunt apposita, vigore & testimonio mediante. Datum Budæ die Dominica proxima ante festum beati Francisci Confessoris, Anno Domini, Millesimo, Quadringentesimo, Septuagesimo quarto.

MATHIAE REGIS DECRETVM QVARTVM ANNO DOMINI M. CCCC. LXXVIII. EDITVM.

NOs MATHIAS, DEI gratia, Rex Vngariæ, Boëmiæ, &c. Memoriæ commendamus per præsentes, quòd redeuntibus iam pridem nobis, † concesso diuinitus nobili triumpho & felici victoria de bello Austriæ, in hanc Vrbem nostram Budensem, conuenientibus ibidem tunc in Dieta generali fidelibus nostris vniuersis Prælatis, Baronibus, ac Proceribus, & electis omnium Comitatuum Regni nostri Nobilibus, tractantibusque eisdem de ijs, quæ vtilitatem, bonam pacem, & tranquillum statum ipsius Regni concernerent præcisè. Quibus sic diutius laborantibus, voluentibus & reuoluentibus rebus, & negotijs, defensionem & conseruationem Regni respicientibus, ijdem domini Prælati, ac Barones & Nobiles ante dicti, inter cæteras eorum laudabiles ordinationes, præsentarunt nobis certos articulos, vtpote infrascriptos: Supplicantes humiliter nostræ Maiestati, vt eosdem articulos acceptare & ratificare, eosdemq; & eorum quemlibet, ex innata nostra benignitate confirmare dignaremur. Quorum quidem articulorum, primus talis est.

† Al: adepto.

Subsidium vnius floreni à singulis portis offertur. ART. I.

SERENISSIME Princeps, quamuis à magno tempore satis simus grauati, tamen considerata opportuna necessitate, attenta etiam petitione Maiestatis vestræ, nuper per fideles oratores, in præsenti congregatione facta, confisi insuper benignitati eiusdem, vt deinceps in antea nos beneuolentia sua Regia prosequatur, nobisque dominus gratiosissimus & benignissimus existat, in omnibus consuetudinibus antiquis nos gratiosè conseruabit: Contribuimus hoc anno præsenti Maiestati vestræ, de singulis portis Iobagionum nostrorum, florenum vnum, cum lucro Cameræ computando.

Subsidium floreni offertur in subsequentes annos quinq;. ART. II.

ITEM vt Maiestas vestra eo melius necessitati suæ, ac libertati, & restaurationi Regnorum suorum prouidere, defensionique contra insultus Turcorum magis intendere possit, pollicemur in sequentibus quinque annis, scilicet à futuro festo Circumcisionis Domini, anni videlicet eiusdem Millesimi, Quadringentesimi, Septuagesimi noni, similiter contribuere vestræ Maiestati, de singulis portis Iobagionum nostrorum, prout infra notabitur, simul cum lucro Cameræ Maiestatis vestræ computando florenum vnum. Hoc tamen declarato, quòd prima contributio exigatur in festo Circumcisionis Domini proximè affuturo: reliquæ autem vsque ad completionem quinq; annorum integrorum, semper in festiuitatibus beati Martini exigantur, ita quod Maiestas vestra dignetur acceptare articulos infrascriptos.

Intra quinq; annos Regnicolæ in expeditionem ire non teneantur, nisi necessitate introscripta exigente. ART. III.

PRIMO, quòd istis annis sequentibus, Prælati, Barones, Proceres, Nobiles, & quicunque Regnicolæ huius Regni, sub quacunque occasione, contra quoscunque inimicos vestræ Serenissimæ Maiestatis & Regni sui, exercituare non teneantur: Excepto duntaxat, si Romanorum & Turcarum Imperatores, & Poloniæ, Boëmiæq; Reges, ac Bassa Romaniæ, cum exercitu, hoc Regnum Maiestatis vestræ personaliter inuadere contingeret. Quod si aliquo casu accideret, tunc quilibet Regnicolarum, iuxta antiquam consuetudinem Regni, exercituare teneatur: & nec aliquis se ab ingressu exercitus huiusmodi pecunijs exonerare, vel eximere & redimere possit.

A contributione qui eximantur. ART. IIII.

ITEM dicatio præsens, & futura, hoc modo fiat: Quòd Nobiles vnius sessionis,

nis, domus allodiales Nobilium, ac familiarium eorundem, qui expensis dominorum suorum nutrirentur, villici quoq; & nimium pauperes non dicentur, neq; loca deserta, & molendina: De capitibus dicarum duo denarij, & non plures recipiantur: Et neq; villicus, neq; villa expensas dicatoribus dare teneantur: Pro vno floreno denarij centum recipiantur, & non vltra. Inquilini autem illi dicentur, qui terras arabiles, sessionem, vel vineas proprias colunt: alij autem non dicentur.

Nobiles ex Comitatu dicatori adiungatur. ART. V.

PRÆTEREA in omni Comitatu adiungatur semper dicatori vnus idoneus Nobilis, qui cum iuramento teneatur videre & facere, secundum contenta præsentis Decreti, ea, quæ & Serenissimo domino Regi, ac ipsi Comitatui iusta sunt. Et insuper in vna sede iudiciaria ad hanc rem deputanda, teneantur in quolibet Comitatu omnes villici importare capita dicarum, à tribus integris annis, & cum iuramento, & etiam in regesto ipsi Comitatui præsentare, & ea domino Regi, Comitatus ipse fideliter rescribere debeat.

Comitatus de restantijs cótributionum Regi rescribat.

A militibus Nobiles & pauperes coloni non opprimantur. ART. VI.

ITEM quia hoc Regnum Serenitatis vestræ, super omnia alia grauamina, propter oppressiones per exercituantes equites & pedites, ad vltimam desolationem & exacerbationem magnam in tantum deuenit, quòd iam pauperes incolæ Regni huius, vix vitæ necessaria habere possint: humillimis & deuotis precibus supplicamus Maiestati vestræ, vt eadem, consideratis nostris, obsequiosis fidelitatibus, attentis etiam desolationibus Regni sui, vt idem aliqualiter respiret, & vires suas pristinas recuperet, dignetur tenere talem modum & viam, ne deinceps incolæ ipsi huius Regni, per ipsos exercituantes equites, quemadmodum hactenus, oppressionem & desolationem patiantur, neque per labores finitimorum castrorum, & exactiones victualium opprimantur, demptis ædificationibus Castrorum Kewy, Posazin, & Haram, quæ si reparabuntur, Comitatibus illis propinquiores, adiumento esse debebunt, & quòd exercituantes in domibus Nobilium & allodijs non descendant.

Iudicia generalia non celebrentur, nisi in certis Comitatibus. ART. VII.

ITEM quòd infra istos præscriptos quinque annos, per omnes Comitatus huius Regni, congregationes generales, seu iudicia vniuersalia, in Comitatibus fieri solita, non celebrentur, propter inopiam ipsius Regni: Demptis Comitatibus Posega, Walko, Sirmiensi, Baronya, Chanadiensi, Themesiensi, Zarand, & Orodiensi, in quibus diuersa furticinia, latrocinia, mutilationes, hominum venditiones, decollationes, aliaq; multiplicia malorum genera committi dicuntur. Propter quæ iudicia generalia ibi non omittantur, sed celebrentur, ita videlicet, quòd in prætactis iudicijs, pecuniæ defensuales non exigantur, sed neque birsagia: Insuper etiam factum possessionum non iudicetur. Præteritis autem istis annis, huiusmodi congregationes generales, non aliter, nisi consilio dominorum Prælatorum, Baronum & Procerum Regni celebrentur.

Occupatores bonorum euocentur, & contradictione contempta, impetrator in bona se immittens in æstimatione eorum conuincatur. ART. VIII.

ITEM pro possessionibus & bonis occupatis, siue per donationem Regiam, siue alio modo commissis, possint fieri contra occupatores breues euocationes, & procedatur contra eos, iuxta Regni consuetudinem, ordine iuris. Si verò tempore statutionis, iuxta consuetudinem, legitimi apparuerint contradictores, impetrator talis possessionis non debet introire, nec permanere in dominio possessionis. Quòd si ausu temerario factum fuerit, procedatur contra eum ordine iuris, per breues euocationes, & conuincatur talis in æstimatione illius possessionis, vel bonorum, sicuti antiquitus fuit.

Pœna, contradictione non curata, bona impetrata occupantis.

Vide Albert. art. 27. Math. secũ. art. 18. E. Tert. artic. 2. 10. Vlad. prim. art. 11. 12.

Rex ad simplicem querelam, nullius bona occupari permittat. ART. IX.

ITEM quòd Serenitas vestra ad simplicem querimoniam, quorumcunque bona Nobilium, occupari facere non permittat.

Rex neminem, sine consilio suorum Consiliariorum, captiuet, aut in exilium mittat.

ART. X.

ITEM quòd Maiestas vestra, absque iuris ordine, maiorem vel minorem non captiuet, nisi eos, quos iura Regni consueta captiuari permittunt. Neque aliquem ex Prælatis, Baronibus, & Nobilibus huius Regni exulet, aut captiuet, sine consilio & sententia Prælatorum, Baronum, Procerum & Nobilium, sicuti antiquitus erat consuetum.

Iudicia Octaualia in sede Banatus Machouiensis non celebrentur.

ART. XI.

ITEM quòd iudicia Octaualia in sede Banorum Machouiensium, à modo in posterum non celebrentur: & quòd iudicia in facto possessionum, infra reuolutionem duorum annorum præteritorum facta, reportentur ad Octauas, in præsentiam dominorum Prælatorum, Baronum, ac Magistrorum Protonotariorum, & electorum Nobilium Regni, ad discussionem & reuisionem.

Euocationes breues, sub sigillis Iudicis curiæ & Palatini, emanari ediq; possint.

ART. XII.

ITEM quòd breues euocationes, in omnibus articulis prius superinde per Maiestatem Regiam, & dominos Prælatos, Barones, Proceresq; Regni editis, tàm sub Palatinali, quàm Comitis Stephani de Bathor sigillis emanare, & iudicari possint sicuti sub sigillo personalis præsentiæ Regiæ Maiestatis: Et quòd Reuerendissimus dominus Colocensis, nec non Magnifici domini Palatinus & Comes Stephanus de Bathor, ac Prælati, & Barones ad iudicium & iudicandum, nunc in præsenti congregatione electi, vel saltem eorum media pars, semper in iudicio, tàm Octauarum, quàm etiam breuium Euocationum interesse debeant, & eorum autoritate, ac in præsentia quælibet causa, saltem grauis, diffiniatur.

Quater in anno iudicia celebrentur. ART. XIII.

IN indicatione siquidem breuium Euocationum & Octauarum, talis teneatur modus: Quòd videlicet inter ipsas quatuor Octauas, hactenus celebrari solitas, Octauæ festi beati Michaëlis Archangeli, cunctis causantibus Regni nostri communiter, more aliâs consueto, absq; omni occasione adinuenienda, celebrari debeant. Pro cæteris autem tribus Octauis, pro nunc certis rationibus omissis, taliter conclusum est, vt vice, loco & termino Octauarum præmissarum, iudicia breuium euocationum vigesimo quinto die festorum ad hoc ab antiquo deputatorum, vtpote, Sanctorum Georgij, Iacobi & Epiphaniarum Domini inchoanda, sequentibus alijs viginti quinque diebus ferialibus, sine intermissione continuentur.

Supplicatur vt in antiquis libertatibus Status ipsi conseruentur. ART. XIIII.

ITEM quòd Serenitas vestra ea omnia, quæ pro restauratione & conseruatione Regni sui articulatim in hoc Regesto sunt conscripta, benignè acceptare, roborare, atque considerata fidelitate nostra, nos in omnibus consuetudinibus & libertatibus antiquis, secundùm Decreta prædecessorum Regum Serenitatis vestræ, quorum Decreta, tempore coronationis suæ, Albæ confirmauit, tenere & conseruare dignetur gratiosè.

Anno 1464

In decimando seruetur antiquus mos. ART. XV.

Supr. E. ter. art. 24. Sigism. quart. per totum Albert. art. 28.

ITEM in dicationibus decimarum teneatur antiquus modus, vt dicatores teneantur contentari iuramentis rusticorum. Vbi autem voluerint, valeant examinare aceruos cum Birsagijs consuetis. Insuper decimæ cum pecunijs, vbi exiguntur, Iudices Nobilium deputentur cum dicatoribus, qui vadant, si volunt, in eorum proprijs expensis, & non decimatorum, & fideliter attendant dicatores. Vbi verò dica-

rò dicatores iniustè dicare vellent, Iudices Nobilium desistant ire cum eisdem: Si verò rusticus aliquis iuramentum fecerit, tunc dicator rusticum sic iuratum amplius vexare, vel dicare non possit, nisi in tantum, sicuti præstitit iuramentum. Ex quo autem in quibusdam Comitatibus dicatores decimarum, rusticos, qui pro eorum frugibus iuramentum præstiterint, ratione huiusmodi iuramenti, in duabus capetijs frugum dicare consueuerunt: id amplius nequaquam facere valeant, si non fuerit consuetudo. Iuramento rustici stetur.

CONCLVSIO ET CONFIRMATIO.

QVIBVS quidem articulis, per eosdem Prælatos, Barones, ac Nobiles Comitatuum Regni nostri ante dictos, nostræ Maiestati, vt præmissum est, præsentatis, cum ad humilimam supplicationem eorundem nobis porrectam, tum etiam ex eo, quia prædictos articulos, ad bonam pacem & tranquillum statum, vtilitatemq; Regni nostri ordinatos esse conspeximus, eosdem articulos acceptauimus, & ratificauimus, dictosq; Prælatos, Barones, Nobiles, & eorum quemlibet, in eisdem conseruare polliciti sumus: imò acceptamus, & ratificamus, pollicemurq;, harum nostrarum vigore & testimonio literarum mediante. Datum Budæ prædicta in Dominica Quasi modo geniti. Anno Domini Millesimo, Quadringentesimo, Septuagesimo octauo.

MATHIÆ REGIS DECRETVM QVINTVM, ANNO DOMINI M. CCCC. LXXXI. EDITVM.

NOS MATHIAS, DEI gratia, Rex Vngariæ, Boëmiæ, &c. Memoriæ commendamus tenore præsentium significantes, quibus expedit vniuersis: Quòd nos vnà cum dominis Prælatis, & Baronibus, ac Proceribus, & electis omnium Comitatuum Regni nostri Nobilibus, totum hoc Regnum nostrum Vngaricum repræsentantibus, in præsenti Dieta, seu congregatione generali, hîc Budæ nobiscum constitutis, super bono communi, & reformatione status omnium, tàm Spiritualium, quàm Sæcularium personarum, maiorum scilicet & minorum, & Regni ipsius defensione, & debita eiusdem conseruatione diutius laborantes & maturè tractantes, communi eorundem dominorum Prælatorum, & Baronum, Procerumq; & Regnicolarum nostrorum voto & vnanimi voluntate, inter cætera, & alias bonas ordinationes, distinctiones & statuta, in hos infrascriptos tandem, & perpetuò duraturos conuenimus articulos. Electi Comitatuum in Dieta. Perpetui Articuli.

Decimæ, de quibus rebus, exigantur. ART. I.

IN primis, quòd Domini Prælati, & cæteri Ecclesiastici decimas habentes, de nullis alijs rebus, præterquam vinis, frugibus, agnellis, apibus, milio, siligine, hordeo & auena, iuxta antiquam Regni consuetudinem, decimas exigant: Quodque deinceps omnes aliæ inordinatæ exactiones, quas decimatores eorundem dominorum Prælatorum, & cæterarum Ecclesiasticarum personarum, temerariè facere consueuerunt, cessare debeant, nec vllo pacto inposterum fiant. Decimantur fruges, vina, agnelli, apes, milium, siligo, hordeum & auena.

Ad Nobiles, vxoresq; & familiam eorundem, propter rusticos decimas soluere non curantes Ecclesiasticum interdictum non imponatur. ART. II.

ITEM quòd ad Nobiles, vxoresq; & familiam eorundem, ratione non solutionis decimarum, propter rusticos & Iobagiones eorundem, interdictum Ecclesiasticum, per ipsos dominos Prælatos, aut alios quospiam, non imponatur, nisi ipsi sint causa notoria, propter quam rustici & ignobiles decimas soluere recusarent. Interdictum Nobilibus non imponatur, nisi causam dederint non solutioni decimarũ.

Rasciani ad decimas soluendas non teneantur, nec propter eos Ecclesiasticum interdictum Christianis imponatur. ART. III.

Comes non cogat Rascianos ad decimarum solutionem.

ITEM quòd Rasciani, & cæteri huiusmodi Schismatici, ad solutionem decimarum non astringantur, & neq; per Comites parochiales, instar aliorum, ad huiusmodi decimarum solutionem compellantur: quodq; ad Christianos, in quorum medio tales schismatici morantur, aut è contra, ratione ipsorum schismaticorum, & non solutionem decimarum, interdictum Ecclesiasticum non imponatur.

Christiani societatem cum Rascianis contrahentes, ex portione tantum sua decimam soluant. ART. IIII.

ITEM quòd si quando Christiani, cum præfatis talibus Rascianis & schismaticis, societatem, siue contractum habuerint, & araturas, siue alias agriculturas pari auxilio fecerint, de parte fructuum Christianis cedenda, decimæ soluantur: de reliqua verò parte, talibus scilicet schismaticis cedenda, tales decimæ non exigantur. Hoc tamen adiecto, & per expressum declarato, quòd tales Rasciani, siue schismatici, non censeantur, & neque sint in perpetuum ab huiusmodi decimarum solutione exempti, sed tantummodo per aliquos annos, & interim, quousque scilicet bono modo se tales alienigenæ & transfugæ in Regno Vngariæ, & dominijs sacræ Coronæ subiectis firmabunt, & vt talium transfugarum exemplo, etiam alij ditioni Turcorum subiecti, ad veniendum tantò promptiores efficiantur, quantò tales, qui iam venerunt, tanta prærogatiua conspexerint esse donatos.

Rasciani à solutione decimarum quousq; sint exempti.

Quòd pro vno aureo centum denarij, & pro quatuordecim capecijs, vnus aureus exigatur. ART. V.

Aureus unus, denarij centum.

ITEM quòd centum denarij regales vbiq; pro vno aureo recipiantur, quodq; pro quatuordecim capecijs vnus aureus, aut centum denarij tantummodo exigantur, prout est consuetum.

Pro capitibus dicarum nihil exigatur. ART. VI.

ITEM quòd de capitibus dicarum nihil exigatur à villicis, sed facta plenaria decimarum solutione, decimatores teneantur, aut illarum dicarum capita reddere, aut aliter per literas illos villicos committere expeditos.

Decimatores vbi condescendere, & à quibus ali debeant. ART. VII.

Capita dicarum.

ITEM quòd decimatores deinceps, non apud villicos, sed apud plebanos parochiales descendant: Verumtamen villicus loci, vbi decimatores ipsi aut prandium, aut cœnam fecerint, teneatur mittere duo fercula, duos cubulos, aut duo quartalia Budensia auenæ, duas tortas, siue duos panes circulares, & duas pintas vini. Hoc etiam adiecto, quòd villici villarum vicinarum, in quibus scilicet tales decimatores prandium, aut cœnam non fecerint, nihil eisdem decimatoribus soluere teneantur, sed totaliter exempti habeantur, ex eo potissimum, quòd illi etiam aliàs in exactione & collectione ipsarum decimarum satis laborare habeant.

Villicus hic Iudex.

Quòd nullus Prælatorum decimas suas arendare valeat, & de pœna arendatariorum Decreta Sigismundi Regis transgredientium. ART. VIII.

ITEM nullus Prælatorum deinceps possit decimas suas arendare. Quòd si quispiam eorum, graui compulsus necessitate, locare coactus fuerit, conductor siue arendator ille non præsumat ordinationem & limitationem, siue continentiam Decreti quondam Serenissimi Principis Sigismundi Imperatoris transgredi: Sed dicare debeat iuxta illud Decretum, & secundùm quòd vnusquisque dominorum Prælatorum, aut aliarum Ecclesiasticarum personarum decimas habentium, cum suo Comitatu concordauerit. Quòd si arendator, seu conductor ille, his constitutionibus, & Dicto Decreto quondam Serenissimi domini Sigismundi Imperatoris contrauenerit, homo per Comitatum electus, cum decimatore deputatus, plenam extunc datam habeat facultatem illum captiuandi, & Regiæ Maiestati præsentandi. Regia verò Maiestas de illa pecuniarum summa, pro qua ille totales decimas

Sigismund. Decr. quart. art. 5. & 6.

cimas conduxit, illi Prælato satisfacere & respondere; illum verò conductorem, malè & contra statuta, Decretaq; dicantem, castigare habebit.

Interdictum Ecclesiasticum ratione decimarum, vsq; festum Purificationis non imponatur. ART. IX.

ITEM quòd nullus Prælatorum aut decimatorum, ratione decimarum, vsque festum Purificationis Mariæ Virginis, ponat interdictum, sed in primis circa festum beati Nicolai confessoris, admoneat quemlibet ad soluendum, & tandem circa festum præfatum Purificationis Mariæ, contumaces & soluere recusantes, subijciantur Ecclesiastico interdicto. Vbi verò vina non procreantur, sed tantummodo fruges & blada, ibi tales decimæ exigantur, temporibus hactenus solitis & consuetis. Prima autem decimarum solutio fiat ad festum Natiuitatis Domini, reliqua verò ad prædictum festum Purificationis Mariæ Virginis.

De modo dicationis decimarum, & de transgredientium pœna. ART. X.

ITEM quia multæ hactenus differentiæ & inordinationes, in decimarum dicatione, & earundem exactione fuerunt: statutum igitur & diffinitum est, quòd dum tempus huiusmodi dicationis decimarum aduenerit, Prælatusq; ad eandem mittere voluerit, debeat prius Nobilibus illius Comitatus, in sede eorum iudiciaria, significare: Qui quidem Nobiles teneantur vnum bonum & probum de medio eorum eligere, iustum & conscientiosum, & Prælato non suspectum, & cum ipsis decimatoribus ad expensas ipsius Prælati mittere. Idem verò homo per ipsos Nobiles electus, publicè in ipsa sede iudiciaria, iuramentum præstare debeat, quòd scilicet, tàm Prælato, quàm etiam incolis illius Comitatus fidelis erit, nec quicquam sinistrè & perperam, vel iniustè, pro aliqua parte, fieri permittet, quodq; neutri parti fauorabilis erit. Qui quidem decimatores, si non debitè, & non iuxta visionem, atque iudicium ipsius hominis hoc modo electi dicauerint, præfatisq; ordinationibus & dispositionibus temerariè contrauenire præsumpserint, idem homo electus, illos dicatores relinquere, & amplius cum eisdem procedere non audeat: quodq; si Prælatus requisitus non emendauerit & non rectificauerit; conclusum est, quod quandocunque id Regiæ Maiestati, ex legitima & sufficienti probatione constiterit, habita prius iusta & diligenti super his inquisitione, ex quo prioribus Decretis, super ipsarum decimarum exactione talibus penitus nulla pœna inflicta est, de nostra, & dominorum omnium Prælatorum & Baronum, Procerum, & Regnicolarum communi & vnanimi voluntate, tales hanc pœnam perpetuò duraturam patiantur, quòd talis Prælatus, vel alia Ecclesiastica persona, nunquam decimas suas de cætero cum pecunijs exigere possit, sed eas de rebus illis, quas terra produxerit, in specie recipere & colligere teneatur: ita tamen, quòd ex vtraque parte, sine fraude & calumnia, cum veritate & iustitia res agatur.

Inusitatus modus decimandi, nec fuit in usu.

Nunc ut plurimum non censentur, sed in frugibus decimæ colliguntur.

Decimæ in specie.

Pœna in lucrum cessit.

Decimæ, cum grauaminibus consuetis, exigantur. ART. XI.

ITEM quòd decimæ cum grauaminibus solitis & consuetis, & non aliter, exigantur.

Decimæ secundùm ordinationem, quam vnusquisq; habet cum Prælato, exigantur. ART. XII.

ITEM quòd decimæ ipsæ, secundùm Decretum & consuetudinem, atque ordinationem, siue dispositionem, quam vnusquisque dominorum Prælatorum cum suo Comitatu habet, exigantur.

Pœna iniustè conquerentium Regiæ Maiestati ratione decimarum. ART. XIII.

ITEM quòd si quispiam hominum, in exactione decimarum Regiæ Maiestati minus iustè conquestus fuerit: diffinitum est & conclusum, quòd comperta veritate, & visa illius iniusta querela, eo facto, talis in emenda linguæ conuincatur.

De decimarũ solutione iniustè conquestus, in emenda linguæ conuincatur.

Generale iudicium, vsque ad festum Sancti Martini, non celebretur. ART. XIIII.

ITEM conclusum est & diffinitum, quòd nos Mathias Rex præfatus, à festo beati Martini confessoris proximè venturi, vsque ad aliud festum similiter beati Martini immediatè sequentis, in corpore Regni nostri Vngariæ, generale iudiciũ celebrari non faciemus. Interea autem domini Prælati, & Barones, cæteriq; Regni Proceres prouidere, & de alio modo cogitare debebunt, quo malefactores extirpentur. Quod si fiet, nos tandem huiusmodi generale iudicium non solùm non celebrare pollicemur, verùm etiam insuper ita deponemus & abolebimus, quòd nunquam amplius in ipso Regno nostro celebretur.

Generale iudicium Regno graue.

De donationibus iurium possessionariorum, per notam infidelitatis, siue defectum seminis, aut alia ex quacunq; causa, quòd contradictores infra anni integri spatium, à die Statutionis computandi, sua priuilegia exhibere teneantur.

ART. XV.

Huc refer Sigism. sext. art. 17.

Anniuersarium habet ad probandum suum ius, contradicens statutioni bonorum donatorum.

ITEM quia illis donationibus, quas nos Mathias Rex præfatus seruitoribus nostris, de illis bonis, quæ ad sacram Coronam, siue per infidelitatis notam, siue per defectum seminis, aut alia quacunque ex causa deuoluuntur, facere consueuimus, multi tempore statutionis contradicere soliti sunt: Conclusum & dispositum est, quòd tali donationi nostræ contradicenti, terminus vnius anni deinceps præfigatur, & interim in dominio talium bonorum relinquatur. Elapso autem vno anno, illo die, quo statutio donationis nostræ fiebat, iura & priuilegia sua producere coram nobis debeant: Quibus productis, si illos contradictores ius plenum habere comperierimus, ipsos in pacifico dominio ipsorum bonorum relinquemus: Si autem producere non possent, aut non curarent, extunc donatio ipsa vigorem habeat, & illi cui donauerimus statuatur, fructusq; possessionum collatarum infra id tempus perceptos, ipsi contradictores restituere teneantur. Quòd si iura, & priuilegia sua, apud manus alienas fore allegauerint, dimidio anno ante termini præfigendi completionem, nobis reuelare teneantur. Nos verò tales, apud quorum manus fuerint, ad eorundem iurium & priuilegiorum restitutionem compellere & astringere per omnia remedia habeamus.

Capitulorum, & Conuentuum de testimoniis, qui disposito eis salario contentari nollent. ART. XVI.

ITEM quia in præsenti Dieta seu conuentione, plurimi Regnicolæ conquesti sunt, quòd Capitula & Conuentus sigillis vtentes, in emittendis eorum testimonijs, incolas Regni, vltra dispositum eis salarium, grauarent, & ad vota eorum taxarent. Conclusum itaque super his & diffinitum est, quòd Comitatus, in quo id deinceps fieri continget, nobis Mathiæ Regi præfato, rescribere sub firmo iuramento teneatur, nosq; tales inordinationes rectificare, atque eos, qui tales inordinationes temerè committere præsumpserint, taliter punire & castigare habeamus, quòd ab eis cæteri exemplum capiant.

Citationes, & monitiones non generales, sed expressis nominibus citandorum, ac expressa causa, dentur ab Ecclesiasticis iudicibus. ART. XVII.

ITEM quòd Prælati Ecclesiarum, & eorum Vicarij, citationes & monitiones generales, non expressis illorum nominibus, contra quos huiusmodi citationes & monitiones peterentur, dare non debeant, neq; etiam personas laicas & sæculares, pro leuibus factis, & præsertim illis, quæ Ecclesiasticum forum non concernunt aduocare. Sed cum citationes aliquas, vel etiam monitiones, ad alicuius instantiam, concedunt, expressis illorum citandorum, vel monendorum nominibus & causis, pro quibus citari, vel moneri debent concedant: & pro leuibus causis citationes non decernant, sed vnumquemque siue sæcularium, siue laicorum ad suum patronum remittant. Si verò aliquæ essent causæ merè Ecclesiasticum forum concernentes,

Patronum, id est, dominum terræ.

nentes, in his vnusquisq; Sæcularium, vel Ecclesiasticarum personarum, coram ordinario suo primùm prosequatur, & deinde si contentus illius iudicio non fuerit, ad suum Metropolitanum appellet, & sic consequenter: In decernenda tamen citatione, vel admonitione, ab vno quoque iuramentum de calumnia exigatur. Appellatio ad Archiepiscopum. Iuramentũ calumniæ.

Qvos quidem articulos nos Mathias Rex præfatus, per nos, ac dictos dominos Prælatos & Barones, nec non Proceres; & electos Nobiles, modo præmisso, de beneplacita omnium voluntate & consensu, pro bono communi, tàm Spiritualium, quàm etiam Sæcularium generaliter confectos, acceptamus, approbamus, & perpetuò duraturos obseruaturosq; ratificamus: Harum nostrarum vigore & testimonio literarum mediante. Datum Budæ in festo Diuisionis Apostolorum, Anno Domini, Millesimo, Quadringentesimo, Octuagesimo primo: Regnorum nostrorum, Vngariæ annò Vigesimo quarto, Boëmici verò tredecimo.

ARTICVLI PRONVNCIATI DE OFFICIO PALATINATVS, CVM COMES EMERICVS DE Zapolya, per Mathiam Regem, ex consensu Regnicolarum electus in Palatinum esset, Anno Domini M. CCCC. LXXXV.

Qvoniam præsens Dieta, siue congregatio Regnicolarum, pro eligendo & sufficiendo nouo Palatino instituta est, eam ob rem, qualis eligi debeat, & quæ ad eius officium, ex antiqua ordinatione pertineant, præterea quæ ipse, ex suscepto officio exercere & peragere debeat, ante omnia diligenter consideranda & annotanda sunt: vt his cognitis, saniori maturioriq; consilio electio ipsa tractari, & talis eligi possit, qui necessarias in se conditiones habeat, & onus sibi iniunctum pro Regni honore, commodo, statu, tranquillitate & conseruatione, prudentia, consilio & autoritate sua supportare, atque Regni habenas, necessitatis tempore, moderari, & eius defensioni prospicere sciat & valeat.

Palatinus in electione Regis habet primum votum. Art. I.

Imprimis ex vetusta maiorum ordinatione, sancitum & constitutum est, quòd si quando Regium semen deficere contigerit, & de electione noui Regis tractaretur, in ipsa electione, Palatinus ex officij dignitate, primam vocem semper habeat. Palatini, officium & autoritas.

Tutor vel curator hæredis Regni Palatinus. Art. II.

Secvndo, si quispiam Regum, hæredem in tenera ætate constitutum, reliquerit, Palatinus ex officio tenetur & debet illum, tanquam tutor, in Regnis & dominiis paternis conseruare, & fideliter defendere. Cui quidem Palatino interim, quo ad hæres ipse in adultam peruenerit ætatem, vniuersi illius subditi & Regnicolæ, perinde ac vero domino & Regi, semper obedire, & in omnibus rebus obtemperare teneantur.

Dietas indicere, Rege non existente, aut infante existente potest. Art. III.

Tertio, si Regium semen deficere contigerit, infra id tempus, quoad nouus Rex eligeretur, aut etiamsi, vt præfertur, hæres in tenera ætate relinquatur, Palatinus eius tutor habet semper ex officio, pro rebus, & necessitate Regni, & etiam illius hæredis, facere & indicere Dietas, quascunque opportunas duxerit: cui vt præfertur, Regnicolæ semper parere & morem gerere debent, & tenentur.

Est Capitaneus generalis. Art. IV.

Qvarto, si quando vrgeret Regni necessitas, & opus esset, vt pro eius necessitate, & necessaria defensione Regnicolæ insurgerent, Palatinus, ex suscepto officio, debet esse generalis & supremus Capitaneus Regni & Regnicolarum, & illos gubernare, iuxta tamen voluntatem & arbitrium Regiæ celsitudinis.

Discor-

Discordias sopire & sedare habet. ART. V.

QVINTO, quòd si quæ differentiæ, siue seditiones, aut aliæ controuersiæ inter Regnicolas fortè contingerent, Palatinus autoritate officij prouidere, illasque sedare & complanare, atque nocentes iuxta demerita punire, nec non commissa emendare & rectificare debet: Dignitate tamen & autoritate Regia salua semper remanente.

Differentiam, inter Regem & Regnicolas, componere habet. ART. VI.

SEXTO, quòd si quando differentiam siue discordiam, inter Regem & Regnum oriri fortè contingeret, Palatinus ex officio debet esse mediator, & se interponere, atque illos, adhibita omni diligentia, cura, studio & solicitudine, fideliter componere.

Audire oratores, Rege audire eos nequeunte. ART. VII.

SEPTIMO, si quandò contingeret Regem simplicem, aut negligentem esse, ad audiendum oratores, vel etiam ad respondendum illis, Palatinus ex officio prouidere, & illius defectum supplere debet & tenetur.

Querimonias ad aures Regis deferre. ART. VIII.

OCTAVO, si bona aliqua donantur per Regiam Maiestatem, & contradictores apparuerint, causabunturq; iniustè per suam Maiestatem fuisse donata, debent Palatino conqueri, & ille ad aures Regias huiusmodi querelas quàm primum referre tenetur. Si verò Rex abesset, nihilominus accepta querela, tenetur illi quàm primum significare, & similiter rogatum facere, quo Maiestas sua præfigat terminum & locum, vbi & quando ipsa querela reuideatur, discutiatur & diffiniatur.

Iudicum Regni maximus. ART. IX.

NONO, Palatinus ex officio habet quemlibet Regnicolarum, siue prætextu iurium possessionariorum, siue actuum potentiariorum, ad instantiam querulantium in ius vocare: Et hac in re adeò amplam potestatem, iurisdictionem & autoritatem habet, vt dempta Regia dignitate, nullus omnino iustitiariorum ampliorem, sed neque parem habeat. Alij quippe iudices Regni, in causis duntaxat actuum potentiariorum, & non iurium possessionariorum, ex antiqua limitatione & relatione, citationes seu euocationes decernere, & sententias ferre habent. Cæterùm, si qui iure coram Palatino in Birsagijs, aut alijs iudiciorum oneribus conuincantur, illis eiusmodi onera, Regia celsitudo non tam ordinaria, quàm absoluta potentia & autoritate, relaxare quidem potest, non tamen debet: Quia Palatinus de Birsagijs ipsis, pro suo arbitrio, semper disponere potest. Alijs autem, qui coram cæteris iudicibus conuincuntur, Regia sublimitas liberè & directè, de ordinata sua potentia, onera ipsa relaxare semper potest.

Absente Rege est Locumtenens. ART. X.

DECIMO, quòd Regiam Maiestatem siue in exercitu, siue aliter extra Regnum agere si contingat: Palatinus ex officio debet in Regno semper esse Locumtenens, & cum aliquibus penes ipsum deputandis, quorum tamen ipse caput & superior esse debet, omnia facere & exercere, quæ Rex ipse posset & deberet, potest: Demptis tamen gratijs, & donationibus iurium, ad Coronam deuolutorum; præterea alijs illis, quæ directè ad Regiam dignitatem, ex antiqua ordinatione, pertinuerunt semper.

Palatinus iudex Comanorum: & Salarium eius. ART. XI.

VNDECIMO, habet Palatinus ex officio iudicare totam Comaniam, & est semper Comes & iudex Comanorum, A quibus pro huiuscemodi officio & labore debet habere, quoad annum, tria millia aureorum, prout hoc ex literis Ludouici, & aliorum Regum prædecessorum, manifestè colligitur.

Dalmatiæ Iudex. ART. XII.

DVODECIMO, tota Dalmatia subiacere debet iudicio Palatini, & pro prouentibus habet in illa certas insulas.

MATHIÆ REGIS DECRETVM SEXTVM, ANNO DOMINI M. CCCC. LXXXVI. EDITVM.

Alijs, MATHIÆ Regis Decretum maius vocatum.

MATHIAS DEI gratia, Vngariæ, Boemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Seruiæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæq; Rex, ac Silesiæ & Lucemburgensis Dux, Marchioq; Morauiæ & Lusatiæ: Ad perpetuam rei memoriam. Decet Reges & Principes, qui superna dispositione in supremæ dignitatis specula constituuntur, non solùm armis, verumetiam legibus esse decoratos, & bonorum stabiliumque potius institutorum rigore, quàm absolutæ potentiæ, vel damnandæ abusionis seueritate, populos subiectos, & simul imperij sui habenas moderari. Proinde ad vniuersorum noticiam volumus peruenire: Quòd postquam nos maximo & inexpectato DEI munere, ac eiusdem ineffabili incomprehensibiliq; prouidentia, ad hoc Regiæ dignitatis fastigium (licet immeriti) sublimati fuimus, semper in animo voluimus, semper cogitauimus, & cordi semper habuimus, vt eas inordinationes, & perditas abusiones, quæ in hoc Regno prædecessorum nostrorum Serenissimorum Dominorum Regum, & nostra etiam tempestate hactenus, potissimum verò in iudicijs fuerunt, abolere & extinguere, vtque statuta & Decreta, ita salutaria, ita stabilia condere possemus, quæ ad laudem & gloriam imprimis Redemptoris nostri, ac deinde nostrum, ac totius Regni nostri honorem, salutem, commodum & tranquillitatem condita planè dignoscerentur: quæque pro legibus & iure scripto perpetuo haberentur, nec vnquam illa pro arbitrio, variare, aut nouas & contrarias leges, cuiquam ferre liceret, prout hactenus, in cuiuslibet noui Regis assumptione factum fuisse non est obscurum: Fecissemusq; satis huic sancto proposito & desiderio nostro, nisi vrgentissimis ipsius Regni nostri necessitatibus, potissimum in orarum finiumq; eiusdem rectificatione, simul etiam attrocissimorum hostium exterminatione, quibus Regnum ipsum refertum inuenimus, præpediti fuissemus. Adeò quippe fines Regni, partim per Boemos, partim Alemanos, partim Turcorum continuas incursiones, partim verò vicinas alias nationes, & quidem omnes inimicas, distractæ occupatæq; fuerunt, vt nil prorsus, præter corpus Regni, & id quoque diuersis, vt præfertur, hostibus refertum dilaceratumq; restabat. Quibus rebus effectum est, vt huiuscemodi salutare propositum, licet admodum necessarium, in aliud tempus differre simus coacti. Et maximè, quia sperabamus, quòd postquam hostes præfatos, qui pluribus annis Regnum ipsum ferro & igne vastauerant, & qui illud tanquam hæreditarium tenere posse iam non dubitabant, (sic enim in illo pedem fixerant, vt iam connubia etiam facere, & affinitates cum Regnicolis contrahere cæpissent) superaremus, pacem, ocium & simul quietem è vestigio comparare, & eiuscemodi desiderium commodius complere possemus. Verumtamen, siue operatione inimici generis humani, qui bonis salutaribusque votis semper insidiatur, siue prauorum hominum suggestione, & ineffrenata dominandi libidine effectum est, vt spes & opinio nos in hac parte fefellerit. Nam postquam cum DEI auxilio hostes ipsos exterminauimus, & oras finesq; Regni omni ex parte, grauissimis licet laboribus, expensis, & multorum nostrorum cæde, non modo rectificauimus, verumetiam plurimum vndique extendimus & dilatauimus, iamque id quod cordi semper habuimus, complere molimur. Ecce Serenissimus Dominus FRIDERICVS, Romanorum Imperator, & Dux Austriæ, &c. quem perinde, ac patrem carissi-

cariſſimum ſemper coluimus & obſeruauimus, & cui omnibus in rebus gratificari ſtuduimus, bellum nobis, ſic vt præmittitur, longis grauiſſimiſq; armis, feſsis & exhauſtis indixit, & continuò Regnum inuaſit, illudq; graui & irrecuperabili iactura, incendio, ſpolio, & diuerſis alijs execrandorum malorum generibus affecit. Quo factum eſt, vt rurſus (licet inuiti) arma capere, & nos, Regnumq; noſtrum defendere, ac vim vi propulſare coacti ſimus; ſicq; ſexennio huiuſmodi bello vacare nos oportuerit. In quo quidem bello, eo deuentum eſt, quòd rebus noſtris, DEO fauente, & iuſtitiam, ſimulq; iniuriam noſtram ex alto proſpiciente, non ſolùm nos & Regnum noſtrum, ab ipſa imperiali celſitudine, à qua ſic prouocati, ſicq; laceſſiti fuimus, tutati ſumus, verùm etiam illum in Auſtria, patria ſcilicet ſua hæreditaria agentem adorſi, Viennam Ciuitatem, celeberrimam, & eius prouinciæ caput & ſolium, ſemeſtri ferè obſidione cinctam, expugnauimus, & deinde maiorem eius totius prouinciæ partem ſimiliter ſubiugauimus, ſubiugaſſemuſq; & eius reliquias, niſi domeſticis inſolentijs & querelis reuocati fuiſſemus. Sed dum his rebus vacamus, dum ſucceſſus noſtros vrgemus, dum fortunam ſimulq; victoriam proſequimur, magna interea propter longam abſentiam, & occupationem noſtram, homicidarum, furum, latronum, prædonum, falſariorum, incendiariorum, & ſimilium ſceleratorum oritur in regno multitudo, ita vt non viator, nec frater à fratre, nec hoſpes ab hoſpite tutus eſſet, propter quod, & ſimul, vt tandem præfatum deſiderium noſtrum explere, tranquillitatiq; Regnicolarum, prout ſemper optauimus, conſulere poſsimus, in hoc Regnum noſtrum, ad cuius regimen diuina, vt præmiſimus, diſpoſitione aſſumpti ſumus, frequenti Regnicolarum pulſati lamentatione deſcendimus, generalemq; Dietam hîc Budæ celebrandam, cunctis Prælatis, Baronibus, Proceribus & alijs Nobilibus inſtituimus. Vbi cum eiſdem vna, cæteriſq; de quolibet Comitatu electis Nobilibus, & vniuerſum hoc Regnum repræſentantibus, ad laudem imprimis DEI & eius genitricis virginis Mariæ, ſanctorumque Regum, patronorum ſcilicet huius Regni, & deinde pro noſtro, & totius Regni honore, ſalute, bono ſtatu, vtilitate, commodo & tranquillitate, in ſubſcripta capitula & articulos, pro legibus & iure ſcripto perpetuo duraturos & obſeruandos, pari & vnanimi omnium voluntate, conſilio & aſſenſu conuenimus & concordauimus. Quorumquidem capitulorum, ſiue articulorum primus eſt,

Sublatum Math. tert. artic 5. Permiſſum Math. quar. artic. 7. Permiſſum ad tempus Math. quin. artic. 14. Abrogatum ex toto. Vlad. prim. artic. 35. Comes extirpat malefactores. Sigiſm. Sex. artic. 4. Albert. art. 29. Sublatæ Vlad prim. artic. 36.

Iudicium generale ſeu Palatinale abrogatur: & Comiti extirpandi latrocinia cum præſcitu Regis facultas data. ART. I.

IMPRIMIS diffinitum & concluſum eſt: Quod iudicium generale ſiue Palatinale aboleatur, & à modo nullo vnquam tempore celebretur: Sed tamen, ne per hoc malefactoribus malè agendi data conceſſaq; videatur licentia, ordinatum eſt: Quod ſi quando Comitatus aliquis à latronibus, furibus, homicidis, incendiarijs, falſarijs, & alijs huiuſcemodi flagitioſis, ſentiret ſe moleſtari, & tales malefactores ibi multiplicari cognoſceret: Regia Maieſtas ad petitionem illius Comitatus annuere, & eidem liberam concedere facultatem debebit, quod illos cum Comite exquirere, & exterminare poſsit & valeat.

Proclamatæ congregationes, & breues euocationes antiquatæ. ART. II.

ITEM quia in celebrationibus proclamatarum congregationum, plurimæ enormitates, & inaudita ſcandala, pericula etiam inopinata ex improuiſo fieri ſolent. Ad tollendum igitur huiuſcemodi periculoſum, & extra hoc Regnum inauditum iudicium, vel potius corruptelam, pari vniuerſorum Regnicolarum voluntate, conſilio & deliberatione, ſtatutum eſt & diffinitum: Quod à modo, nullo vnquam tempore, huiuſcemodi proclamatæ congregationes celebrentur, ſed penitus ceſſent & perpetuò abolitæ ſint & habeantur. ITEM concluſum eſt, quòd etiam breues euocationes conſimiliter ceſſent & aboleantur.

Singulis annis duæ Octauæ, quibus duo Iudices ordinarij intersint, & aliæ duæ Octauæ breues, pro festis S. Iacobi, & Epiphaniarum Domini, celebrentur. ART. III.

ITEM quòd singulis annis, nisi intercesserit legitima & grauis aliqua Regiæ Maiestatis, aut Regni necessitas, siue Regiæ Maiestas agat in Regno suo, siue non, celebrentur duæ Octauæ: videlicet, Sanctorum Georgij & Michaëlis, ita videlicet, ut illarum celebratio, seu primus dies aut terminus, incipiat statim, vigesima die, post festa præfata. In quibus duo ad minus ex iudicibus ordinarijs interesse debeant. Cæteri verò, si propter vrgentes aliquas necessitates interesse nequeunt, vicegerentes eorum nihilominus interesse teneantur. Eorum autem loco, qui interesse non poterunt, Regia Maiestas alios, ex dominis Prælatis & Baronibus, substituere debeat: Sine præsentia tamen præfatorum duorum Iudicum ordinariorum, Octauæ ipsæ non debeant, neque possint celebrari. Durent autem quousque necessarium videbitur. ITEM diffinitum est: Quòd in Transyluania, & Sclauonia similiter singulis annis duæ aliæ Octauæ, videlicet, Epiphaniarum Domini & Sancti Iacobi celebrentur, & similiter vigesima die huiuscemodi festiuitatum inchoëntur & durent quosque necessarium videbitur.

Mat. Secun. art. 4.

Octauis duo ad minus Iudices ordinarij intersint.

Causæ omnes, in facto iurium possessionariorum, in quatuor Octauis finiantur. ART. IIII.

ITEM quia finalis causarum decisio, potissimum verò in facto possessionario, per varios hinc inde terminos, variasq; dilationes in longum serpere consueuit, adeò, vt interdum vix vna hominis ætate finaliter causa aliqua terminari potest, propter quod partes laboribus & expensis vehementer grauantur, & nonnunquam ad extremam inopiam deuenire coguntur. Quamobrem conclusum est, vt à modo vniuersæ causæ, etiam in facto possessionum, & iurium possessionariorum, coram quouis iudice deinceps mouendæ, absque omni prorogatione & dilatione, semotaq; omni exceptione, in quatuor Octauis finaliter terminentur.

Huc refer. Ludou. Pri. Decr. artic. 25. Vlad. Prim artic. 54. Supra Mat. E. art. 24.

Concordare aduersarij in omnibus causis possint. ART. V.

ITEM ordinatum est, quòd causantes, siue litigantes, in omni causa concordandi liberam habeant facultatem: iudex verò eos inhibere, neque pro pace, seu concordia, quicquam ab eis extorquere possit.

Lud. Prim. art. 9. 24. Alb. art. 31. Vlad. Prim. arti. 68. 74. Eiusdē Secūd. art. 13.

Causæ potentiarum, damnorum, & iniuriarum in primis Octauis. Si verò in facto possessionario fuerint, in secundis diffiniantur. Et euocationes, omnes Iudices dare possint. ART. VI.

CÆTERVM ex quo ordinatum est, quòd vniuersæ causæ in facto iurium possessionariorum mouendæ, in quatuor terminis siue Octauis finaliter terminari debeant. Idcirco statutum & diffinitum est: Quòd euocationes cum insinuatione, quæ super factis potentiarijs, damnorum illationibus, alijsque nocumētis & in iurijs fuerint, in primis Octauis, post factam euocationem celebrandis, finaliter terminentur. Si verò in facto possessionaria fuerint, & maximè si iurium & literalium instrumentorum exhibitionē, neccessario requirere dignoscentur, vsq; ad secundas Octauas, sed non amplius, pro huiuscemodi priuilegiorum porductione differri possint & valeant. Euocationes verò cum insinuatione, in quibuscunque factis fuerint, sub sigillis omnium iudicum ordinariorum, tàm scilicet Regiorum, quàm Palatinalium, & Iudicum curiæ, atque etiam Bonorum Sclauoniæ, Croatiæ & Dalmatiæ, sed &. Waiwodæ Transyluani, liberè decernantur.

Sigism. Sex. art. 4. Vlad. Prim. artic. 55. 56.

Prorogationes quibus personis, & qualiter obseruentur, ac de pœna si qui eas falsè impetrauerint. ART. VII.

VLTERIVS, quia solent plurimi se à facie iuris, prorogationum suffragio impunè absentare, & partem aduersam, iustam contra se actionem habentem, longo litium processu grauare. Quod malum, vt à modo tollatur, & vnicuique iusticia debito tempore administretur, constitutum est & sancitum: Quod prorogationes Regiæ Maiestatis, temporibus Octauarum nemini suffragari valeant, nisi his,

Mat. Secūd. art. 6. 8. Vlad. Prim. art. 71. eiusdem Secūd, art. 1. 14.

nisi his, qui extra fines & oras Regni Vngariæ, in Castris & in seruitijs, vel in legationibus Regijs, vel Regni fuerint, vel occupabuntur in bello, & ad illud cum cæteris vna, tempore debito, proficiscentur. Illis etiam, qui extra fines Regni in Castris, vt præfertur, fuerint, in tribus tantummodo Octauis, eiusmodi prorogationes obseruentur, in quarta autem respondere, & iuri stare teneantur. Præterea, si duo, vel etiam plures fratres indiuisi fuerint, & eorum pater, aut eo mortuo, frater maior natu domi fuerit, cæteri verò fratres, vel eorum alter, siue in bello, siue in Castris (vt præfertur) extra Regnum occuparentur, prorogationes illis similiter non obseruentur: Si tamen fratres diuisi fuerint, obtenta prorogatione frui possint & gaudere. Si qui autem huiusmodi prorogationes, à Regia Maiestate falso impetrare præsumpserint, hoc est, si vel fratres suos in bello, vel in Castris extra Regnum, aut in legationibus occupatos finxerint, in emenda linguæ eo facto conuincantur. Pro qua quidem pœna personaliter, si præsentes fuerint, si verò absentes, Procuratores per iudicem, coram quo res agetur, capiantur, & immediatè pœna ipsa ab eisdem irremissibiliter extorqueatur.

Prorogationes non suffragátur fratribus indiuisis absetibus, patre eorum, aut mrjore fratre domi existente. Prorogationes falsè impetrantis pœna.

Regij homines in vno quoque Comitatu eligantur, qui ad executiones cum fidedignitatibus procedant, & pœna, si falsum commiserint. ART. VIII.

Ludo Prim. art.22. Vlad. Prim. arti.43.

ITEM quia in executionibus faciendis magni refert, qualiter se homines Regij habeant, & quales illi sint. Idcirco ordinatum est: Quòd in quolibet Comitatu, Comes cum vniuersitate Nobilium teneatur ex potioribus Nobilibus, & personalem ibi residentiam facientibus, decem, vel duodecim, aut octo, & eo plures, vel pauciores, iuxta Comitatus exigentiam eligere, & illi duntaxat debeant & possint, ad faciendas inquisitiones, euocationes, statutiones, & alias executiones, cum testimonio Capituli, vel Conuentus proficisci, qui onus illud, infra vnum annum integrum supportare teneantur. Quamprimum autem eligentur, sicuti electi Capitulares, & Conuentuales, ita & illi in sede iudiciaria, iuxta subscriptam formam, iuramentum deponere teneantur, & si qui onus eis impositum suscipere recusauerint, in viginti quinque marcis per Comitem confestim, & irremissibiliter exigendis, conuicti habeantur eo facto. Cum verò de aliqua executione reuertentur, sicuti testimonium Capituli vel Conuentus, in Capitulo vel Conuentu, Ita & ipsi similiter in Capitulo vel Conuentu, iuramentum præstare debeant & teneantur. Quòd id, quod viderunt, fecerunt, audiuerunt, & resciuerunt, & executi sunt, suo mono fatebuntur. Si qui verò ipsorum falsitatem aliquam, quacunque ex causa, commisisse reperti fuerint, honorem & humanitatem perdidisse censeantur: & insuper in viginti quinque marcis, per comitem immediatè & irremissibiliter exigendis conuincantur eo facto. Quòdq; de cætero nunquam testimonium de aliqua re, neque intra, neque extra iudicium, sine speciali gratia Regiæ Maiestatis, facere valeant.

Regij homines sub juramento referant factam executioné. Regij hominis falsè procedentis pœna.

Comitatibus in singulis, Iudices Nobilium potiores eligantur: & de pœna, si assumere officium nollent. ART. IX.

Sigisin. Sex. arti.2. Vlad. Prim. art.34.

ITEM quia in quolibet comitatu Nobiles, qui cæteris, & conditione, & facultatibus reperiuntur inferiores, pro Iudicibus Nobilium eligi consueuerunt, quo fit, vt plurimæ leuitates, timore, fauore & præmio per illos committuntur. Eam obrem statutum est, prout etiam temporibus quondam Serenissimi domini Sigismundi Imperatoris, & aliorum Regum obseruatum fuisse planè constat, quòd deinceps non tales sed boni & digni, beneq; possessionati Nobiles, in quolibet Comitatu, ex residentibus eligantur. Quicunq; verò sic electi, assumere onus illud recusauerint, in quinquaginta Marcis immediatè & irremissibiliter, per Comitem exigendis, conuincantur eo facto. Qui quidem Iudices Nobilium, arma & sigilla cognoscibila habere debeant, & teneantur.

IudicesNobilium ex potioribus Nobilibus eligantur. In Iudices Nobilium electorum, onus non assumentium, pœna.

Fidedignitates Capitulorum, & Conuentuum quales sint, & de fideli executione, ac relatione eorum, pœnaque delinquentium. ART. X.

ITEM quia per homines Capitulorum, & Conuentuum, qui pro testimonijs transmittuntur, pro fauore, precio, dono, odio, timore & complacentia, plurimæ & incredibiles enormitates, tàm in fassionibus, quàm etiam literarum emanationibus committi solent, hoc verò ex eo potissimum fieri consueuit, quia non Canonici, sed Rectores altarium, vel Cappellani, & frequenter etiam scholares & mendicantes, & quidem tales ad executiones mittuntur, qui facillimè corrumpi possunt. Idcirco, vt huic malo, debita prouisione, occurratur, statutum est: Quòd in omni loco Capitulari, & Conuentuali teneantur Canonici, & fratres, in manibus Prælati, vel Vicarij sui iuramentum, de seruanda in executionibus iusticia, deponere: Quòdque deinceps nemo alius de Capitulo, nisi Canonicus; de Conuentu verò, nisi frater in Sacerdotio constitutus, ad executiones mittantur. Hi verò seriatim transmitti debeant, & quandocunque ab aliqua executione reuertuntur, quæ executi sunt, sub iuramento referant. Pro via autem & in redemptionibus literarum, teneatur ille modus & ordo, qui tempore quondam domini Sigismundi Imperatoris tentus fuit, & qui etiam in præsenti Decreto inferius est declaratus. Cùm autem pro aliqua euocatione, vel inquisitione facienda, vel alia quacunque reemittuntur, inquisitionem ipsam cum homine Regio, qui bonus & conscientiosus, atque benè possessionatus esse debebit, facere debeat, singillatim tàm à Nobilibus, quàm ignobilibus, & ab omnibus etiam alijs, quos habere poterit. Antequam tamen inquiret, strictissimum iuramentum ab eis exigere teneatur: Quòd quicquid ab eis interrogabit, fideliter & veraciter confitebuntur. Postmodum verò nominatim, vnde scilicet sint, & si ignobiles fuerint, cuius sunt lobagiones, cuius etiam conditionis: Et item quod de re, de qua inquirit, quilibet ipsorum scire confitebitur, de verbo ad verbum, singulorum scilicet attestationem scribere debeat & teneatur. Si qui verò huiusmodi ordinationis transgressores reperti fuerint, tanquam periuri & falsarij, atque communis boni, communisq; justiciæ proditores, eorum beneficijs eo facto priuati sint & habeantur, & Prælati eorum alijs illa conferre teneantur, neq; eis quoquomodo gratiam facere valeant.

Coloman. lib. 1. cap. 29. 30. Lud Prim. art. 21. Sigism. Sext. art. 8. 10. Matth. Tert. ar. 22. Mat. Quin. art. 16. Vlad. Prim. art. 43. 95. eius. Secun. art. 9.

Capitulares & Conuentuales homines, qui esse debent: Et quod executa sub iuramento referant.

Testes in inquisitione iurare debent.

Inquirendi modus.

Capitularis et Cōuētualis hominis, falsè in excutione procedentis pœna. Vlad. Prim. art. 43, 44.

Abbatias & Præposituras Conuentuum Regularium, soli illius ordinis religiosi teneant. ART. XI.

ITEM quia propter incuriam & negligentiam Abbatum & Præpositorum Regularium, potissimum verò constitutionem non obseruantium, Conuentus eorum multum inordinatè, dissolutè & scandalosè viuere, ac in emanationibus literarum, & in executionibus faciendis, plurimas enormitates & falsitates committere solent. Idcirco de Regiæ Maiestatis voluntate, ac dominorum Prælatorum, Baronum & Procerum, cæterorumq; Regnicolarum communi consilio, conclusum & diffinitum est: Quòd à modo Abbatias, & Præposituras Conuentuum Regularium, potissimum verò sigilla habentium, nulli alij nisi Religiosi eius ordinis, cuius Abbatiæ, vel Præposituræ fuerint, tenere possint. Quodq; ipsi Abbates & Præpositi, simul cum omnibus eorum fratribus, regularem vitam, iuxta ordinis sui statuta, seruare teneantur.

Conuentus & Præposituras, per Episcopos, singulis annis bis esse visitandos. ART. XII.

ITEM quòd Episcopi, in quorum diœcæsi huiusmodi Abbates & Præpositi fuerint, teneantur eosdem, atque etiam eorum Conuentus, bis singulis annis personaliter visitare. Si autem maioribus occupati, vel absentes fuerint, per ipsorum Vicarios & Præpositos, aut alios bonos & doctos viros Ecclesiasticos, hoc nihilominus facere teneantur. Et si Abbates, vel Præpositi ipsi, regulam eorum non obseruare, vel aliâs malam vitam ducere aut etiam Episcopis suis inobedientes fore,

dignoſcentur, deponantur per eoſdem, & melioribus eorum beneficia conferantur. Ex conuentu etiam fratrum, ſi qui mali & inobedientes fuerint, per viſitatores, eijciantur. Nam ſi Abbates & Præpoſiti boni erunt, fratres boni fiant neceſſe eſt. Et ſic neque in literarum emanationibus, neque alijs in rebus falſitas committi poterit.

Euocationes cum clauſula, de conſenſu & voluntate T. emanatæ abrogantur: & quòd vxores, matres, filiæ, ſorores Nobilium non euocentur. ART. XIII.

Vlad. Prim. arti. 58. Matres, vxores, filiæ, ſorores Nobiliũ non euocentur. Lud. Prim. art. 10. Sigiſ. Sext. art. 18. 19. 20. Matth. Quin. art. 2. Vlad. Quar. art. 14.

ITEM ſolent nonnulli in euocationibus ponere, de conſenſu & voluntate T. & T. quod directè contra DEVM & eius iuſticiam fore dignoſcitur. Quis enim ſcire poteſt an conſenſerunt? vel quod commiſſum dicitur fuiſſe, voluerunt? De occultis ſiquidem & intentione, præter DEVM, nemo rectè iudicare poteſt. Idcirco ſtatutum eſt: Quòd deinceps, nunquam tales euocationes decernantur, nunquam etiam vxores, matres, filiæ, & ſorores Nobilium euocentur, niſi fortè cauſa, ratione talium iurium poſſeſſionariorum moueretur, quæ illas æqualiter concernere dignoſcerentur, cum clauſula tamen præfata, hoc eſt, de conſenſu & voluntate & inſtigatione T. & T. nullo vnquam tempore euocari debeant. Quòd ſi fieri contingeret, per iudices ordinarios, & Magiſtros Protonotarios nunquam obſeruetur nunquam etiam admittantur.

Communis inquiſitionis celebrandæ modus, ac de oculata reuiſione. ART. XIIII.

S. Steph. lib. 2. cap. 3. 19. 50. S. Lad. li. 1. capit. 28. Col. lib. 1. cap. 26. 27. 83. Lud. Prim. art. 20. 23. Sigiſ. Sex. art. 5. Vlad. Quin. art. 5. Communis inquiſitio per utrãq; partẽ eodẽ tempore celebretur.

ITEM de communibus inquiſitionibus celebrandis, ordinatum eſt: Quòd pro partium euidentiori iuſticia, communis inquiſitio, ſicuti hactenus, ita etiam inpoſterum, celebrari poſſit. Celebrari tamen debeat tali ordine: Quòd quotieſcunq; eiuſcemodi inquiſitio fieri debebit, per vtramque partem, vno die in ſede iudiciaria eiuſdem Comitatus celebretur. Præterea, quòd teſtimonium Capituli, vel Conuentus, & Regij homines, ijdem pro qualibet parte, & non diuerſi fiant, quódque ſinguli atteſtantes ſingulatim iurare, & per ipſius Capituli, vel Conuentus, atque Regios homines, de negotio, de quo experiri volent, interrogari, & examinari debeant. Et item, quòd tempore inquiſitionis, ſiue atteſtationis huiuſmodi partes cauſantes intereſſe non valeant, ſed per ipſos Regios, & Capituli, vel Conuentus homines excludantur, & remotis illis ſeorſum (vt præfertur) quilibet interrogari, & examinari debeat. Ad huiuſcemodi autem atteſtationem faciendam, periuri, infames, & qui honorem & humanitatem perdiderunt, præterea ignobiles, etiamſi poſſeſſionati fuerint, per Regiam Maieſtatem non nobilitati, acceptari & admitti non debeant. ITEM quòd in oculata reuiſione, modus & antiqua conſuetudo ſeruetur. ITEM quia hactenus propter inordinatam celebrationem communium inquiſitionum, interdum fauore, vel odio, interdum verò metu partium, plurima periura, & quidem euidenter commiſſa ſunt. Ad euitandum igitur & conterendum eiuſcemodi animarum laqueos, & ſimul ad tollendam hanc peſtiferam peccandi occaſionem, diffinitum eſt: Quòd tametſi in ſuperiori articulo ſatis declaratum ſit, qualiter inquiſitionum, & aliorum etiam iuridicorum proceſſuum executiones fieri debeant, tamen magis, vt huiuſmodi damnanda

Iuramentũ poſt inquiſitionem utri partium deferendum.

periuria ceſſent & extinguantur, in executionibus ipſarum inquiſitionum talis ordo ſeruetur: Quòd dum ex reportatione inquiſitionum querelæ ſic, prout factæ fuerint, reperientur, non reus, prout hactenus conſuetum extitit, ſe purgabit, ſed actor ſuo & coniuratorum ſuorum, paucorum ſcilicet, vel plurium iuramentis, iuxta rei exigentiam, & iudicis deliberationem, actionem fulciet & confirmabit: Ita videlicet quòd ſi actio pro damnis fuerit, iudex iuxta qualitatem quantitatem, & exigentiam damnorum, ſecundum Regni conſuetudinem, actori iuramentum iudicabit, & ſi actor ipſe inquiſitionem pro ſe parte reportabit, cauſámq; obtinebit, reus in facto potentiæ à modo non conuincatur

ſe-

sed eius loco, in Viginti quinque marcis, puta, in centum aureis immediatè persoluendis, ac inter iudicem, & actorem æqualiter diuidendis, eo facto conuictus sit & habeatur, & insuper damnificato damna persoluere, & de illis plenariam satisfactionem impendere teneatur. Casu verò quo in factis eiuscemodi damnorum, tempore inquisitionis, fassiones attestantium dispares fuerint, iudex decernere habebit, an actor pro damnis sibi illatis iurare, vel reus purgare se debebit.

Capitali in sententia, præter quinque casus, nemo conuincatur: & quòd, si officiales, vel Iobagiones dominorum violentias intulerint, debeant se domini Iuramento purgare, & de illis iusticiam administrare. ART. XV.

CAETERVM diffinitum est, quòd à modo in posterum, nemo in facto potentiæ, etiamsi quis commissa per ipsum mala, vel in iudicio, vel etiam aliâs, proprio ore confiteretur, nisi in his subscriptis casibus conuincatur: Puta, propter inuasionem domorum Nobilium: Item occupationem possessionum, & vtilitatum atque pertinentiarum earundem, ac detentionem Nobilium, sine iusta causa: Præterea vulnerationem, verberationem, vel interemptionem Nobilium. In his verò casibus, taliter Iudex procedere debebit: Quòd si actor pro sui parte, inquisitionem, modo & ordine supra notato, reportauerit, in ampliorem rei verificationem, si partes voluerint, causam ipsam ad communem inquisitionem decernat. Si verò reus ipsam inquisitionem acceptare recusabit, extunc actor, pro maiori verificatione actionis suæ, iuxta Regni consuetudinem, hactenus in hac parte obseruatam, ad caput illius aduersarij iurare habebit. Si autem partibus volentibus, ipse causa, mediante præscripta communi inquisitione, diffinietur, & ipsa communis inquisitio pro parte actoris, purè & simpliciter reportabitur, sententia pro parte actoris feratur: Si tamen reportatio ipsa dispar fuerit, iudex ex attestantium fassionibus decernat, vter illorum, actor scilicet, vel reus iuramentum deponere debebit. Vbi verò in his præscriptis casibus, factum scilicet potentiarium tangentibus, Castellani, Officiales, aut alij familiares, vel Iobagiones dominorum, vel aliorum quorumcunque Regnicolarum delinquerit, & quoscunq; offenderent, eorum domini propterea pœnam facti potentiæ non incurrant, sed super innocentia, quòd scilicet non de eorum voluntate malum illud sit patratum, prout iuri & iudici consonum videbitur, se purgare debebunt. Veruntamen, si tales apud eorum dominos remanerent, ex parte eorundem, ipsi domini meram iusticiam, iuxta iuris æquitatem, facere & administrare tenebuntur. In alijs autem casibus, puta, damnorum & iniuriarum illationibus, & cæteris similibus, modus & ordo præscriptus obseruetur.

Sigisin. sex. art. 6. Vlad. Prim. art. 24. 55. 56. Eiusdē. Tert.. art. 8. 9. 10. 46. Item Quart. art. 20. Et Quint. art. 6

In quinque casibus procedēdi modus.

Repulsionis pœna. ART. XVI

CAETERVM quia tempore attestationis, communis inquisitionis, oculatæ reuisionis, statutionis, & restatutionis, nec non æstimationis iurium possessionariorum, per partem conuictam hactenus nonnunquam repulsiones, in contemptum iudicij & iusticiæ fieri solitæ sunt, pro quibus prima vice in vna marca auri, secunda verò in duabus, id facientes; iuxta consuetudinem hactenus obseruatam, conuincebantur. Quare, vt huiusmodi violentorum, & iuris iusticiæque turbatorum temeritas, debito remedio compescatur, statutum & sancitum est: Quòd quicunque in posterum, cuiuscunque status, gradus & conditionis existat, qualitercunque, & quacunque causa, etiam sententiæ capitalis, id facere præsumpserit, contra partem aduersam, in facto potentiæ; & insuper, si in causa statutionis, vel restatutionis, aut æstimationis fuerit, in æstimatione illorum iurium possessionariorum, quæ statui, vel restatui, aut æstimari debuerunt. Si verò id tempore communis inquisitionis, vel oculatæ reuisionis continget, similiter in facto potentiæ, præterea in amissione causæ conuincatur, & conuictus habeatur eo facto.

Vlad. Prim. art. 57. Eiusdem Quart. art, 19. Item Qnint. art. 4.

Trinæ forenses proclamationes aboleantur. ART. XVII.

Vlad.Secū. art.7.

ITEM ordinatum & conclusum est: Quòd trinæ forenses proclamationes, quæ hactenus in facto possessionum, & iurium possessionariorum; præterea in exhibitionibus literarum & literalium instrumentorum, atq; etiam in facto obligationum, cæterisque alijs causis fieri solitæ sunt, cessent, & deinceps nullo vnquam tempore fiant, sed penitus aboleantur: Quandoquidem abusio & corruptela potius, quàm lex dici potest. In obligationibus verò talis modus seruetur: Quòd secundū quod se quisque obligauit, facta legitima euocatione, in primis octauis, iudicium & iusticiam recipiat, & ad hoc vigore præsentis Decreti, astrictus habeatur.

Obligationum causæ.

Duelli dimicatio in sede iudiciaria Regia decerni non possit, nisi in causis more militaris curiæ Regiæ, & tunc quoq; non, nisi probatione deficiente. ART. XVIII.

Vlad.Prim. art.37.

ITEM quia in Duellorum dimicatione, plurimæ hinc inde fraudes committi possunt, raro enim illi, inter quos illud fit iudicium, per se decertant, sed pugiles conducunt, qui nonnunquam dono, fauore & promissis corrumpuntur, sicque partem suam, quantumuis iustam, quandoquidem non ipsimet decertare consueuerunt, succumbere patiuntur. Quare statutum est: Quòd à modo illud iudicij genus, extra hoc Regnum, in mundo inauditum, perpetuò aboleatur, & in factis potentiarijs, iuriumq; possessionariorum, fieri nunqam debeat. Duellum siquidem tunc solummodo fieri deberet, & ad hoc ordinatum extitit, quando omnis probatio deficeret. In factis verò potentiarijs & possessionarijs, partes probationes semper habent, & etiam alioquin iudicium Duelli, ad curiam Regiam militarem, & non ad sedem iudiciariam pertinet. Accedit, quòd in iudicijs personalis præsentia Regiæ Maiestatis, semper interesse, literas etiam sigillare debet; is verò vt plurimum Spiritualis esse consueuit. Intererunt præterea, Archiepiscopi, Episcopi, & plures alij Spirituales, & idcirco non conuenit, vt in sede iudiciaria Duellum decernatur. Proinde, his & plurimis alijs bonis respectibus, rationabilibusq; ex causis, hoc iudicij genus, perpetuò aboleatur, & nunquam decernatur, nisi in causis, in quibus omnis probatio deficeret, vt si solus à solo in itinere, nullo spectante, spoliaretur,, vel quicquam alter alteri, sine alicuius testimonio cōmodaret, aut aliquid ad secretas aures diceret, & aliter neque spolium, neque creditum, neque etiam verba prolata probari possent; in quibus casibus huiuscemodi Duellum decerni quidem potest, non tamen in sede iudiciaria, sed in Curia militari Regiæ Maiestatis: Ad illam siquidem (vt præfertur) & non ad sedem iudiciariam, eiuscemodi genus iudicij pertinere planè dignoscitur.

Duel: verus usus.

Militaris curia Regia.

Duellum in quibus casibus & ubi decerni potest.

Causæ iurium possessionariorum, qualiter in quatuor octauis terminentur. ART. XIX.

Albert.art. 33.34.35. 36. Sup. Matth. E. art.4.

CÆTERVM ex quo decisio quarumlibet causarum, etiam in facto possessionum & iurium possessionariorum, deinceps mouendarum, pro Regnicolarum quiete, & communi æquitate, ad quatuor tantummodo Octauas vt præfertur, restricta est & reducta, statutum est: Quòd quilibet in causam, ratione iurium possessionariorum, attractus, in primis Octauis proclametur, quo euocatio ipsa magis ad eius notitiam perueniat, & per Magistrum, coram quo causa ipsa mota fuerit, debeat fieri, vt moris est, signatura, & si non comparebit in primis Octauis, in nullo onere seu birsagio conuicatur. Si verò neque in secundis, neque in tertijs comparebit, teneatur soluere birsagium, ab antiquo consuetum: In quartis autem Octauis, siue compareat, & se, causamq; suam defendat siue non, causa ipsa, iuxta vim præmissi articuli, non obstante quauis allegatione, finaliter terminetur & diffiniatur.

Protonotarij in hospitijs iudicare non possint: & quòd literæ sententiarum in sede perlegantur, ac per omnes Magistros Protonotarios subscribantur. ART. XX.

Item conclusum & ordinatum est: Quòd deinceps nullus omnino Magistrorum Protonotariorum, priuatè in hospitio, extra scilicet tabulam, seu sedem iudiciariam Regiæ Maiestatis, causam aliquam, siue ratione possessionum, siue actuum potentiariorum, siue aliorum quorumcunque negotiorum, motam, vel mouendam adiudicare, & sententias ferre audeat; sed vniuersæ causæ tàm maiores, quàm minores, in sede iudiciaria, in præsentia certorum Iudicum ordinariorũ discutiantur. Quòd nullæ prorsus literæ, potissimum in causis arduis, & quæ finalem rerum decissionem contingunt, per Magistrum alias extradentur, nisi in sede iudiciaria, vbi prius alta & intelligibili voce publicè perlegantur, & deinde pro maiori cautela & euidentia iusticiæ, vltra sigillum, quo ipse Magister Protonotarius illas muniet, alius etiam Magister Protonotarius se subscribere debeat & teneatur. Ita, quòd si causa, coram Regijs Protonotarijs agetur, Protonotarius Palatinalis: Si verò coram illo, Regius, aut Iudicis curiæ, ad literas manum apponere & se subscribere teneatur.

Vlad. Prim. art. 13. 69. Tert. art, 4. Quar. art. 5. 11, 12.

Literæ causales, in sede Regia prius legantur, & ita per alium quoque Protonotarium subscriptæ extradentur.

Exemptiones diuersis personis à iudicatu Comitum, & aliorum Iudicum ordinariorum indultæ, inuigorosæ habeantur, & nullæ sint. Art. XXI.

Item quia nonnulli se à iudicio & iurisdictione Banorum, Waiwodarum, Comitum, vel Vicecomitum parochialium eximi, & solummodo iudicio & † iudicatui Regiæ Maiestatis præseruari procurarunt, sub cuius exemptionis confidentia, cæteros plurimis damnis, iniurijs, oppressionibus, nocumentis, & aliorum malorum generibus impune afficere consueuerunt. Quare statutum est: Quòd vniuersæ huiuscemodi exemptiones, hactenus qualitercunq; concessæ, & per quoscunq; impetratæ, demptis duntaxat perpetuis Comitibus, qui ex vetustissima, Diuorum Regum ordinatione, solius Regiæ Maiestatis iudicio reseruati intelliguntur, reuocentur, cassentur, & nullius vigoris, aut firmitatis habeantur: meritò quippe concessâ immunitate & gratia priuari debent, qui illâ abutuntur. Et si in posterum, per quospiam similes exemptiones & gratiæ fortè impetrarentur, illæ quoq;, vigore præsentis Decreti, nullius vigoris intelligantur.

Vlad. Secũd art. 15.

† Al: Iurisdictioni.

Comites perpetui, solius Regis iudicio subsunt.

Bona à Rege impetrata, non obstante contradictione, pro se violenter occupantis pœna, vt per Comitem eijciatur, & in æstimatione bonorum conuincatur. Art. XXII.

Cæterum, quia ex parte illicitæ occupationis illorum bonorum, & iurium possessionariorum, quæ per Regiam Maiestatem seruitoribus, & alijs fidelibus suis donantur, variæ querelæ & clamores, non solummodo apud Maiestatem suam, verumetiam in vniuerso Regno fieri consueuerunt. Causantur enim plurimi, quòd quam primum bona aliqua à sua celsitudine, per suos, aut alios impetrantur, illa protinus, nullo habito scrutinio, an scilicet iustè & legitimè Maiestas sua donare potuit, occuparent, & non obstante eorum contradictione tenerent. Quare statutum est & sancitum: Quòd à modo, si quibus bona aliqua per Regiam Maiestatem, quocunq; nomine & titulo donata fuerint, & contra iura, decreta & consuetudinem Regni, quacunq; arte, dominium illorum, non obstante etiam contradictorum inhibitione, capient: Comes per contradictores requisitus, teneatur è vestigio illos admonere, quò manus suas de illis excipiant. Et si ad primam eius requisitionem & admonitionem id facere recusauerint, secundo per eosdem contradictores requisitus, teneatur vigore præsentis decreti, scita prius, veritate, illos captiuare, & de illis bonis eijcere, & insuper ad solutionem communis æstimationis eorundem bonorum, per omnia remedia, compellere. Ad cuius rei executionem, si Comes per se impotens esset, Comitatus per ipsum requisitus, penes eundem insurgere, & ei opportuno fauore, subsidio & auxilio assistere debeat, & teneatur. Si qui verò adeò potentes fuerint, vt Comes etiam cum auxilio Comitatus id facere non poterit, Regia maiestas per Comitem auisata bona ipsa occupari facere teneatur.

Infra eodẽ art. 27. Vlad. Prim. art. 59. 62. Eius. Secun. art. 11.

Occupantis bona impetrata, nõ obstante contradictione legitima, pœna.

Donationales literæ cum clausula, de manibus Regijs, nullius sint vigoris.
ART. XXIII.

Vlad. Prim. artic. 60.

ITEM conclusum est, quòd si deinceps aliqua bona à Regia Maiestate impetrata fuerint, & impetrans institerit, vt ea Regia Maiestas nomine suo occupare faceret, simulq; procuraret, vt literæ donationales scriberentur, quasi illa de manibus suis Regijs collata essent, eiuscemodi literæ donationales, quo ad illam clausulam, de manibus Regijs, nullius vigoris & firmitatis sint & habentur: Et quòd neq; per Comites, sed neq; in octauis per iudices ordinarios, & Magistros Protonotarios obseruentur.

Bona, contra iura & antiquam consuetudinem à Rege impetrata, pro non impetratis habeantur. ART. XXIIII.

VLTERIVS, quòd vniuersa bona, possessiones, & iura possessionaria, quæ ab anno proximè transacto, videlicet Millesimo, Quadringentesimo, Octogesimo quinto, vsq; in præsentem diem festi Epiphaniarum Domini, anni eiusdem, Millesimi, Quadringentesimi, Octogesimi sexti inclusiuè per Regiam Maiestatem, quibuscunq; donata sunt, si & in quantum illa, contra iura, Decreta, & antiquam consuetudinem Regni occupata sunt, illorum detentores, & occupatores requisiti prius & moniti, cum literis Regijs, aut Palatinalibus, infra spacium vnius mensis integri, à die requisitionis et monitionis computãdo, remittere debeant & teneãtur: Alioquin Comes cum alijs Nobilibus illius Comitatus, penes cum eligendis & deputandis, illis, quorum fuerunt, reddere, in eiusdemq; illos conseruare debeat. Si autem detentores illi potentes fuerint, Comes verò ad hoc exequendũ impotens & insufficiens, Comitatus, vigore præsentis statuti, insurgere, & in hac parte ipsi Comiti assistere debeat & teneatur. Illi autem detentores, si ex Regia donatione, in bonis illis ius sibi acquisitum fuisse sperabunt, iure Regni requirere debeant. Si verò detentores adeò potentes erunt, vt Comes etiam cum auxilio totius Comitatus id facere non poterit, Regia Majestas per Comitem auisata occupari, & præmissa exequi facere debeat & teneatur.

Modus procedendi in lite de bonis pignoraticijs: & de pœna eorum, qui admoniti pecunias leuare, & bona remittere nollent. ART. XXV.

Vlad. Prim. artic. 65.

CÆTERVM quia fieri solet, quòd nonnulli bona & possessiones suas, necessitate cogente, pignori obligant, & eadem tempore medio, venditis etiam alijs rebus suis, licet redimere vellent, & ad hoc pecunias paratas haberent: tamen illi, quibus obligarunt, immemores salutis & honoris, remittere nollent, sed ad Octauas eius rei decisionem differrent, vt scilicet interea fructus illarum percipere valeant Propter quod nonnunquam eiuscemodi possessiones & bona, ab ipsis pauperibus, & eorundem hæredibus perpetuò alienantur, ex quo pecunias vtcunq; ad id dispositas, aut expendere coguntur, aut casu amittunt. Vt igitur illorum fœneratorum malicia compescatur, & horum inopum indemnitati consulatur; Statutum & sancitum est, quòd quicunq; eiuscemodi fœneratores, per aliam partem juridicè & legitimè requisiti, pecunias eorum leuare, vel illis leuatis; bona impignorata reddere & remittere noluerint, sed causam ad Octauas distulerint, in primis Octauis causa ipsa diffiniri, & sic adiudicari debeat, quòd sine vlla solutione, bona illa remittãtur & per iudicem statim restituantur, & insuper fœnerator ille, in tanta summa pecuniarum, in quanta bona illa sibi obligata fuerunt, contra partem alteram conuincatur eo facto.

Pignorata bona, redimere uolẽti de facto non remittentis pęna.

Post defectum seminis, de bonis dubijs, pro vxoribus filiabusq; decedentium Nobilium, quid fieri debeat. ART. XXVI

CÆTE-

CÆTERVM quia quotieſcunq; bona aliqua, aut iura poſſeſſionaria, ſiue per defectum ſeminis, ſiue aliter, ad Coronam, & conſequentur collationem Regiæ Maieſtatis deuolui contingunt, plurimi inſurgere, & bona ipſa iure ad eos deuoluta, acclamare ſoliti ſunt, ſicq; Regiæ celſitudinis aures, non modo importunis clamoribus obtundunt, verum etiam Maieſtatem ſuam maioribus intentam, ne ſe de illis intromittat, prohibent, turbant & impediunt, illis etiam, quibus Maieſtas ſua bona huiuſmodi donat, ne ſibi ſtatuant, contradictionis velamine obuiant: Hoc verò idcirco maxime facere conſueuerunt, vt interea, quo ad iure determinabitur, an ad Regiam Majeſtatem, vel alios, bona ipſa ſint deuoluta, fructus, prouentus, & alias illorum vtilitates impunè percipere poſſint. Quare preſenti Decreto ſancitum eſt: Quòd in quocunq; Comitatu aliqua iura, per defectum ſeminis quorumcunq; decedentium deuoluta fuerint, & de huiuſmodi poſſeſſionibus manifeſtè non conſtabit, ſed dubiũ erit, an ad jus Regium, vel aliquos fratres de genere decedentis, ſeu hæredes fœminei ſexus pertineant: extunc Regia Majeſtas infra huiuſmodi rei dubiæ deciſionẽ, bona illa occupari, & ad manus alicuius probi & idonei hominis, quem ſcilicet Regia Majeſtas ſua ad hoc deputabit, tanquã ad manus cõmunes & fideles, dari & aſſignari facere debeat, qui illas interim, quoad dubiũ illud ſoluetur, & cauſa finaliter decidetur cum ſolitis & iuſtis prouentibus teneat. Si quid autẽ vltra ſolitũ & ordinatũ cenſũ extorſerit, illi, cui poſt cauſæ deciſionẽ bona ipſa cedent, reddere debeat & teneatur. Hoc adiecto: Quòd ſi qui bona ipſa, ad eos deuoluta fuiſſe aſſirmauerint, infra vnum integrum annum, prout etiam in ſequenti articulo tangetur ſiue celebrẽtur Octauæ, ſiue non teneantur coram Palatino Iura ſua producere, & docere, bona ipſa ad eos pertinere: Quòd ſi facere poterunt, Palatinus eiſdem ſtatuere mandet & faciat cum effectu: Si autẽ in probatione defecerint, dentur & aſſignẽtur eadem bona ad manus illorũ, quibus per Regiam Majeſtatem fuerint donata: & ſi qui vlterius ad illa jus habere ſperauerint, eadẽ de manibus Regijs requirant legitimè. Vbi autem vxores, vel filiæ huiuſmodi hominũ abſq; hærede maſculo decedentiũ in illis poſſeſſionibus remanſerint, poſſeſſiones eadem à manibus earum occupari & auferri non debeant, priuſquã de earum iuribus, videlicet, an hæreditariè & perpetuo ad ius fœmineũ pertineant, necne, veritas inquiratur, Quam quidem veritatẽ fœminæ ipſæ, infra vnum annũ, vt præfertur, oſtendere debebunt & tenebuntur. Et ſi repertũ fuerit, eaſdem poſſeſſiones juri fœmineo non competere: extunc dictis vxoribus talium decedentium, antiquam de dominio illarũ excludãtur, per Regiam Maieſtatem, aut alios, ad quos repertæ fuerint deuolutæ, vel etiam quibus Maieſtas ſua eaſdẽ poſſeſsiones fortè donauerit, de earũ dotibus & iuribus, plenaria ſatisfactio impendatur. Filiabus verò, vſq; ad tempus maritationis earum, domus paterna, cum quarta parte poſſeſſionũ paternarum, pro quarta filiali, ſecundum antiquam cõſuetudinem Regni ſequeretur, & poſsidenda relinquatur. Poſtquam verò maritatæ & traductæ fuerint, de earum jure quartalitio, pecuniaria ſolutione mediante, ſatisfiat. Vbi autem alicuius filia, vel ſoror, ſiue de curia alicuius Baronis vel Nobilis, ſiue etiam de propria domo paterna, vel aliunde vndecunq; cum conſenſu & voluntate patris, aut fratris, homine impoſſeſsionato nupſerit, talis puella in quarta illa puellari, per ipſum patrem aut fratrem nobilitari & prouideri debeat. Si verò ſine conſenſu & voluntate patris, aut fratris id fecerit, in portione, ſua puellari non nobilitetur, ſed tamen pecuniaria ſolutione, eidem ſatisfieri debeat: & in hoc caſu ius ſuum quartalitiũ, non cum poſſeſſione, ſed cum pecuniaria ſatisfactione requirendi habebit facultatem, prout, & quemadmodum hujuſmodi conſuetudo & ordinatio etiam hactenus conſeruata fuiſſe planè dignoſcitur.

Sigiſm. Sext. art. 17. 18. 19. 20. Vlad. Prim. art. 63. 64. And. Secun. artic. 12.

Dubia bona, ſequeſtranda in manus tertij.

Dubia bona ad ſe pertinere contẽdens, infra annum id probare debet.

Dubijs ex bonis fœminæ nõ ejciantur, priuſquam de earum iure cognoſcatur, Vxoribus in ſemine deficientium, priuſquam de bonis excludantur, dos ſolui debet.

Fidelibus uſq; ad tempus maritationis, domus paterna cũ quarta parte bonorũ aſſignetur.

Filia vel ſoror cum cõſenſu patris vel fratris poſſeſsionato nubens.

Sine conſenſu.

Impetratores bonorum, ſi tempore ſtatutionis contradictores fuerint, bona non occupent, & ſi contradictores de recenti in bona ea ſe intromiſerint, quid faciendum: Vxor decedente marito, nulla ratione contra dote ſua fraudetur. ART. XXVII.

PRETE-

Donatarius cōtradictioni cedat. Sup. eodem Math. artic. 22. Et Mat. Quin. ar. 15. Cōtradictor de recēti in bona se intromittens.

PRÆTEREA ordinatum est: Quòd si cui per Regiam Maiestatem bona & possessiones, & quæcunq; alia iura possessionaria, siue per defectum seminis, siue nomine iuris Regij, aut alio quocunq; titulo donata fuerint, & tempore statutionis contradicetur, impetrans contradictione parere & locum dare teneatur & illorum dominium & possessionem, contra ipsa contradictionem non capiat. Sed tamen si contradictor de recenti in possessionem illorum bonorum se ingessit, & prius illorum dominium non habuit, prout etiam in superiori articulo tactum est, infra vnius anni integri spacium, à die datarum literarum donationalium computando siue interea celebrentur aliquæ Octauæ, siue non, teneatur contradictor coràm Regia Maiestate, aut Palatino, vel Magistris suis Protonotarijs ad id deputatis, iura sua pruducere, rationē contradictionis reddere, & simul ostendere, bona illa optimo iure ad se pertinere: Alioquin elapso termino, per Regiam Maiestatem aut Palatinum, vigore præsentis statuti, eijciatur de bonis illis, & assignentur illi, qui impetrauit, & insuper idem contradictor compellatur ad integram restitutionem, quicquid vtilitatis interea ex illis bonis percepit. Si verò bona ipsa etiam prius apud manus contradictoris fuerunt, impetrans, iuxta præscriptos articulos, in Octauis, vigore præsentis Decreti, de manibus eiusdem iure requirere debeat. ITEM dos vxorum, qualitercunq; decedentium maritorum, salua semper maneat, & illæ nunquam fraudentur.

Prælati & personæ Ecclesiasticæ, contra Nobiles Sæculares causas mouentes lite pendente, interdictum dare non possint, & quòd ipsi in eadem pœna, contra Sæculares conuincantur, in qua ipsos Sæculares contra se, in causis suis incurrere prætenderent. ART. XXVIII.

Ludou. Pri. art. 1. Infra eodem Mat. artic. 72. Albert. art. 38.

ITEM, quia inter Prælatos, cæterosq; viros Ecclesiasticos, ac Nobiles nonnunquam litis & controuersiæ suboriri consueuerunt, & pars partem, omni via, modo & arte grauare laborat. Pro tranquilliori igitur statu, & commodo Regnicolarum, ne scilicet pars in partem, in hoc casu, habeat imperium, statutum est: Quòd si Prælati & alij viri Ecclesiastici, contra Nobiles, in præsentia cuiuscunq; iudicis, litem mouerint, pro re & causa, pro qua scilicet agetur, lite ipsa pendente, sine certa scientia Regiæ Maigestatis, interdictum in eos ponere, vel contra ipsos sententiā excommunicationis ferre non debeant, ne potius ex passione, quàm æquitatis amore tulisse eam videantur. Et si Prælati, vel aliæ Ecclesiasticæ personæ, in præsentia alicuius iudicis, iuris ordine conuicti fuerint, in eadem grauamina, quibus aduersarios onerare intendebant, eo facto incidant.

Arrestationes in Regno quomodo fieri possint. ART. XXIX.

Sigis. secū. art. 7. Eius. Tert. art. 2. 5. Item Sext ar. 13. 14. 15. 16. Vlad. Prim. art. 89. 90. 91. 92. eiusdem Secūd. art. 21.

ITEM quia mercatores & negotiatores, cæteriq; pauperes, qui aut quæstus gratia, aut pro necessaria victuum acquisitione, vel etiam pro alijs ipsorum rebus, per Regnum hinc inde proficisci habent, per varias arestationes multipliciter grauari, impediri, molestari, & damno irrecuperabili affici consueuerunt. Ordinatum itaq; & statutum est: vt à modo perpetuis semper successiuis temporibus, talis in arrestationibus modus seruetur: Quòd si quispiam causabitur alium sibi debere, (nisi debitum fuerit liquidum, hoc est, nisi debitor fuerit apertus & manifestus, qui vulgari & materno sermone, szembe valo ados, nuncupatur; is enim etiam in communi loco arrestari poterit) non protinus illum, vel aliū, aut alios pro suo arbitratu debeat arrestare, sed prius teneatur rem ad aures Comitis illius Comitatus, in quo debitor fuerit, deferre, qui vigore præsentis Decreti, tenebitur è vestigio dominum debitoris admonere & simul requisitum facere, quo illum, iuri detineat, & si creditori non satisfaciet, teneatur sub pœna duodecim marcarum grauis ponderis, per Comitem exigendarum, ad primum diem iuridicum, ad sedem iudiciariam actori responsurum adducere: vbi si ille defendere se & expurgare non poterit, vel dictus

dominus

dominus suus enim in secundo termino iuridico præsentare & statuere non curabit, Comes ipse teneatur & sit obligatus, de bonis eiusdem domini sui, actori non solummodo de sorte capitali, verumetiam de vniuersis expensis, per creditorem vel actorem factis, ex integro satisfacere. Si verò debitor seu reus, per dominum suum detentus, & in sedem iudiciariam transmissus, ibiq; conuictus fuerit, idem dominus suus, iuxta iudiciariam deliberationem & commissionem Comitis, de rebus & bonis debitoris, tàm, vt præfertur, de summa capitali, quàm etiam expensis factis, satisfacere debeat & teneatur, & ad hoc per Comitem compellatur. Cui quidem reo, si facultates ad satisfaciendū non sufficient, in primis res, quas habuerit, dentur & æstimentur creditori, & tandem caput quoq; illius tradatur in manibus dicti creditoris. Si autem alicubi in hac parte Comiti non parerent, ita quòd iuxta vim præsentis Decreti, debitum officium suum facere non permitterent, cogereturq; rem ad aures Regias deducere: extunc dominus possessionis, in qua scilicet ipsi Comiti refragabitur, in viginti quinq; marcis, per Regiam Maiestatem irremissibiliter extorquendis, conuincatur eo facto: Et nihilominus teneatur Maiestas sua & ad hoc sit obligata, de quantitate & summa debita creditori vel actori, simul cū expēsis per ipsum factis, sine vlla prosus dilatione satisfacere ad integrum.

Debitor nō habēs unde soluat trada tur ad manus creditoris.

Proficiscentes ad bellum, vel alio quocunq;, damna nemini inferant ART. XXX.

ITEM statutum est: Quòd dum Prælati, Barones, & quicunq; alij Nobiles, siue ad Regiam Maiestatem, vel eius Curiam, siue ad bellum, vel quocunq; aliâs, & siue in rebus priuatis, siue publicis proficiscentur, sine damno, nocumento, iniuria & impedimento aliorum Regnicolarum, semper & vbique proficisci debeant & teneantur.

And. Secund. arti. 13. Sigism. Terr. art. 1. Eius. Quint. art. 8. 9. Lad. Math. Tert. art. In constitut. ann. 1474. art. 15. Math. Quart. artic. 6. Infra Eod. art. 61.

Vlad. Prim. art. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. Eiusdem Tert. art. 15 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. Item Quar. art. 21. 22. Et Quin. ar. 24.

Milites damna nemini inferant: & de inferentium pœna. ART. XXXI.

ITEM quia Regnicolæ per progressum & descensum militantium, plurimum hactenus, vt fertur, grauati & damnificati fuerunt; statutum itaq; est & sancitum: quòd tàm gentes Regiæ, quàm aliorum quorumcunq; Regnicolarum, tàm scilicet equites, quàm pedites, quæ per Regnum proficisci habebunt, teneantur deinceps vbiq; precia omnium victualium, tàm scilicet equis, quàm hominibus conuenientium persoluere, & nusquam damnum inferre præsumant: Quòd si aliquæ, non Regiæ, præsertim, sed & aliorum contrauenerint, illarū dominū pro damnis irrogatis, iniuriam & iacturā passi, iure requirant. Si verò Regiæ fuerint, tenebitur sēper Maiestas sua cum illis aliquem bonum & benè possessionatum hominem suum deputare, qui cum eis procedat, & nusquam damnum inferri patiatur: & si aliter facere præsumpserit, atq; pro damnis & iniurijs querala ad Regias aures deducta fuerit, teneatur Maiestas sua ex parte illius, talem, tantamq; iusticiam & satisfactionem impendere, quòd non solumodo damna illata, sed etiam expensæ, quas damnificatus siue querulans fecerit, refundantur. Ne autem occasione solutionis & precij victualium, differentiam seu contentionem aliquam oriri contingat, diffinitum est: Quòd tàm Regijs, quàm etiam aliorum gentibus, ad bellum profecturis, teneantur vbique locorum victualia dare & administrare, iuxta regestum & limitationem Regiæ Maiestatis, quam tunc Maiestas sua, iuxta temporis conditionem facere, & ductoribus eiuscemodi gentium suarum dare debebit, & eorum precia gentes ipsæ, similiter iuxta continentias eiusdē Regesti, seu limitationis, sine difficultate semper persoluere debeant & teneantur. Cæterum, quia nonullæ gentes, potissimum verò leuis armaturæ siue Huszarones hoc facere consueuerunt, quòd post

Per militis illata damna, quomodo recuperanda.

Precia rerū quæ à militibus solui debeant, à Rege limitētur.

Milites, finito bello, ad propria redeant,

nec in bonis aliorũ condescendãt.

post descensum exercitus, aut etiã expirato stipendio eorum, non in proprijs ipsorum, sed aliorum bonis iacent, seq; reficiunt, & plurima istic damna, molestias, ac alia nocumentorum genera impunè committunt; Statutum itaq; & diffinitum est: quòd tales à modo nusquam in bonis aliorum manere, seu iacere possint, sed teneantur ad propria redire, & ibi, si volent, noua stipendia expectare. Quòd si qui forte temerè aliud attentare præsumerent, & hi, in quorum bonis agerent, molestè ferrent, debeant Comiti illius Comitatus significare, & eum requirere, quo illas remoueat. Ille verò è vestigio teneatur eos admonere, quòd recedant: & damna irrogata persoluant: & si non paruerint, eos captiuet, & personas ad castigandum Regiæ Maiestati transmittat, de rebus verò & bonis suis & familiarum suorum, damna illata rectificet & persoluat. Si autem Comes per se, ad hoc impotens & insufficiens erit, Comitatus penes eundem insurgere teneatur: Si autem Comes tepidus, aut negligens fuerit, & damnificatus, querelam Regiæ Maiestati contra eundem porrexerit, debeat & teneatur Maiestas sua de proprijs bonis & rebus ipsius Comitis, vniuersa illa damna rectificare, & etiam expensas refundere, & insuper gentes ipsas de possessione querulantis remouere.

Venetis & Polonis, nemo audeat bona seu arces vendere, aut quocunq; titulo inscribere, vel donare, sub pœna infidelitatis ART. XXXII.

ITEM quia Veneti & Poloni, omni arte, omniq; via & technis, conati sunt & semper conantur, ad terras & dominia, ad sacram Coronam pertinentia pedem inferre, & illa vsurpare, prout etiam aliquam partem defacto vsurparunt. Proinde statutum & sancitum est, sub nota perpetuæ infidelitatis, vt nemo Regnicolarum audeat illis, aut eorum alicui, castra, fortalicia, ciuitates, oppida, possessiones, aut alia bona immobilia vendere, inscribere, impignorare, commendare, donare, vel aliter qualitercunque dare vel assignare.

Nobiles, vel quicunq; officiales dominorum, si alijs damna intulerint, domini eorum teneantur ex parte illorum satisfactionem impendere: Si verò non fuerint officiales, sed solummodo stipendiarij, & ex domibus eorum damna intulerint, iure conueniantur. ART. XXXIII.

Vlad. Prim. art. 24.

ITEM, quia Officiales, & seruitores dominorum, ex confidentia, quam in eorum dominis locatam habent, plurimis damnis, iniurijs, molestijs & impedimentis, cæteros afficere consueuerunt. Quare, vt eorum temeritas & licentia compescatur, & simul, vt etiam eorum domini prouidentiores efficiantur, sancitum & conclusum est: Quòd si qui Nobiles & possessionati castra vel alia officia, ab ipsorum dominis tenuerint, malaq; ex illis perpetrauerint, teneantur eorum domini, scita prius veritate, ad requisitionem Comitis, sub quo fuerint, læsis iusticiam administrare & satisfactionem impendere, commissaq; omnia mala rectificare. Si verò eiuscemodi malorum patratores non fuerint in officiolatu aliquo constituti, sed stipendium duntaxat ab eorum dominis habuerint, & in proprijs suis domibus manserint, aut aliter dominis ipsorum seruiuerint, & sic mala huiusmodi commiserint, ipsimet teneantur coram Comite suo comparere, iuri stare, & se expurgare. In hoc autem casu, talium domini, non debeant, neque audeant se de illis intromittere, neq; eos defendere, sed ad Comitem prædictum remittere eos teneantur. Si qui verò aliter facere præsumerent, conuincantur eo facto in duplo homagio illius seruitoris; & nihilominus Comes seruitorem illum captiuare, & ex parte sua læso, debitam iusticiam administrare teneatur. Domini verò huiusmodi suos seruitores, qui scilicet alios damnificabunt, aut aliqua alia mala perpetrabunt, siue etiam qui factores fuerint, & commissa sibi bona malè dispensabunt, vel non data bona ratione, aufugient, non obstante priuilegio & immunitate Nobilitatis, liberè vbicunq; captiuare, & ad satisfactionem astringere possint & valeant. Si qui tamen ser-

Nobilis alicui seruiẽs, in quo casu capi possit à suo domino.

uitorum

uitorem captiuabit,& ille causabitur se iniuste captum, facta contra dominum euocatione, in primis Octauis causa discutiatur, & iustitia capto,ex parte domini sui administretur.

Fugitiuus seruitor vel officialis, reddatur ab eo ad quem fugit, priori domino
ART. XXXIIII.

PRÆTEREA, si cuius seruitor vel factor aufugiet,& alterius domini seruitio se subijciet, requisitus & admonitus dominus nouus per priorem, teneatur illum è vestigio licentiare,& à se dimittere,alioquin in duplo homagio seruitoris illius cōuictus sit & habeatur eo facto: Et nihilominus si nullo modo dimittere voluerit, euocetur per læsum ad Octauas primum celebrandas, vbi eidem ex parte illius, plenaria & condigna iusticia administrari debeat.

Alb.ar.27. Math.Ter. art.2. Vlad.Prim. art.24. Fugitiuum seruum reddere nolentis pœna.

Tributorum loca Comites reuideant,& de singulis Regi rescribant. ART. XXXV.

VLTERIUS de Tributorum & Teloniorum exactionibus ordinatum est: Quòd per totum hunc annum, vsque ad futurum scilicet festum Circumcisionis Domini, Comites quorumlibet Comitatuum, cum certis & potioribus Nobilibus illorum Comitatuum, quotquod loca Teloniorum in illo Comitatu habentur, & si illud pro pontibus aut aggeribus, vel in terra arida aut aliter exigitur: & item quod vlnarum,tàm pontes, quàm aggeres illi existunt, Regiæ Maiestati fideliter rescribere teneantur, vt tandem Maiestas sua, cum dominis Prælatis & Baronibus possit & debeat limitare, quantum quisq; in suo tributo ab itinerantibus exigere valeat. Si qui verò postea, vltra huiusmodi limitationem amplius aliquid extorquere,& hinc sanctioni contrauenire non formidarent, teneatur Comes cum electis Nobilibus rectificare, & læsis, tàm de exactis, quàm etiam de expensis satisfacere. Si verò incorrigibiles fuerint, prohibeat Comes, quòd vsq; ad gratiam Regiæ Maiestatis, vlterius ibi tributum exigere non præsumant: Et insuper prouideat, quòd interea liberè & sine vlla tributi solutione, locum illum quilibet pertransire possit. Tales verò pertranseuntes, Comes ab illis transgressoribus defendere teneatur. Si qui autem Comites per se Thelonia in illo Comitatu, in quo officium tenent, haberent, vicinorum duorum aliorum Comitatuum Comites debeant tributa illius Comitis conspicere,& illorum rationem & causam, atque qualitatem, vt præfertur, Regiæ Maiestati rescribere.

De telonijs, seu Portorijs uide. Lud.Pri.ar. 8.15.17. Sigis. Sex. art.22.23. Szilagy art.10. Math.Secū. art.15. Math.Ter. art.15. Vlad.Prim. art.85.86. 87.88. Eiusdē Ter. ar.35.36. 74. Item Quar. art. 40.41.42. Et Quint. art.29.

Rustici vxores ducentes, tributum non pendant. Sartores aut pānitonsores, plusquam alij viatores in Thelonio non soluant. ART. XXXVI.

ITEM à rusticis, vxores de alijs villis ducentibus, deinceps nullum prorsus tributum exigatur: Quodque à sartoribus & rasoribus, non quadraginta denarij, prout hactenus solitum fuit, sed duntaxat tantum, quantum ab alijs artificibus & viatoribus exigitur, in locis tributorum exigatur.

Bani & Comites in Ecclesias DEI, quarum ius patronatus ad Regem spectat, se ingerere non præsumant. ART. XXXVII.

ITEM statutum & diffinitum est, prout etiam per serenissimum quondam dominum Sigismundum Imperatorem sancitum fuisse dignoscitur: Quòd nullus Banus, Comes, Waiwoda, seu alius officialis Regius, cuiuscunque tituli, autoritatis, dignitatis & præeminentiæ existat, Ecclesias Archiepiscopales, Episcopales, Abbatiales, Præpositales, & alias quascunq; Iuri patronatui Regio conseruatas & disponendas, earumq; pertinentias, fructus & redditus, sed neque decimas & possessiones, intra terminos & limites sui honoris seu officiolatus, absque speciali mandato Regiæ Majestatis occupare, aut de eisdem partialiter, aut totaliter se ingerere præsumat.

S.Steph.lib. 1.cap.2. Colom.li.1. cap.65.lib. 2.cap.11. Sigis. Sext. art.21. Albe.ar.21. Math.Secū. art.28. Eiusdē Ter. art.9. Vlad.Secū. art.30.31. Eiusdē Ter. art.55.66.

 Furum

Furem & latronem captum dimittentis pœna. ART. XXXVIII.

ITEM quicunque furem, vel latronem, aut alium quemcunq; publicum malefactorem captiuauerit, & eundem de captiuitate sua voluntariè abire permiserit, Comiti parochiali homagium illius malefactoris, læsis verò damnum irrogatum soluere debeat & teneatur,

S.Steph.lib. 1.cap.29. 39.40.41. 45.S.Lad. lib.1.cap.40.lib.2.cap.1.usque ad 14.lib.3. cap.4 usque ad 10,12,17,18,19.Colom.lib.1.cap.51.53.54.56.84.Sigism.Secun.art.5.Vlad.Prim.art.80.81.82.83.Eiusdem Secund.art.19.Item.Sep.arti.35.

Colonorum violenta & indebita abductio: quodq; liberè manere, & discedere possint: & de pœna si quis calumniosè illos detinuerit ne discedant. ART. XXXIX.

ITEM quia de violentis, indebitisq; colonorum siue rusticorum abductionibus, varij clamores, variæq; querelæ, variæ etiam lites & controuersiæ oriuntur. Proinde statutum est; Quòd vniuersi coloni ab vno anno, vsque in præsentem diem festi Ephiphaniarum Domini, per quoscunque indebitè & contra consuetudinem Regni abducti, ad requisitionem Comitis, eorum dominis restituantur. Si qui verò non reddiderint, in homagio coloni conuincantur eo facto: Cuius medietatem Comes pro se, reliquam verò medietatem pro illo, cuius fuit colonus, exigere teneatur. Et hoc Comites in quolibet Comitatu, & in bonis quorumlibet exquirant & exequantur. Imprimis autem incipere debeant in bonis Regiæ Majestatis, & Illustrissimæ dominæ Reginæ: Deinde verò in aliorum bonis. Deinceps autem, nemo aliorum Iobagiones violenter & contra consuetudinem Regni, sub pœna sex marcarum, abducere præsumat: nemo etiam, sub eadem pœna, Iobagiones suos, iuxta consuetudinem Regni abire volentes aliqua excogitata calumnia retinere audeat: Ita quòd pauperes liberam & manendi, & discedendi habeant facultatem. Si quispiam autem causabitur, suos violenter & indebitè abductos, Comes illius Comitatus cum electis Regijs, & alijs bonis hominibus discernat: & si querelam justam agnouerit, abductos reddi faciat, & pœnam præmissam à violento extorqueat. Si qui autem imposita calumnia, vel aliqua excogitata nouitate suos retinuerint, puta, si tunc solummodo taxam ad eos imposuerint, quando illos abire velle cognouerint, vel longo tempore ante imposuerunt, & nondum exegerunt, & hoc maximè, vt illos hoc prætextu semper obnoxios allegare, & exinde retinere possent, in pœna præmissa, hoc est, sex marcis per Comitem immediatè & irremissibiliter exigendis eo facto conuincantur. Taxam etiam extraordinariam si qui exigere volent, infra sexaginta dies exigant, alioquin postmodum taxa ipsa calumniosa intelligatur.

Colonorũ de transmigratione, uariæ constitutiones extant. S.Step. lib.2.cap. 18.22. S.Lad. li.3. cap.21. Colom.li.1. cap.30.77. 80. Andr.Secũ. artic.19. Lud.Prim. art.16.18. Sigis.Secũ. ar.4.6.7.8. E.Tert.art. 10.11.14. 15.Szilagy ar.15.Mat. Ter.art.16. Consti.ann. 1474. artic.14. Vlad.Prim. art.94. Eiusd.Secũ. arti.22 Item Quint.art.16. Et Sept.de colonorum seruitijs & muneribus, ab art.15.usque ad 23.Et à 25. usque ad 30.Hodie de his seruantur constitutiones D.Ferdinandi.

Modus connumerationis & exactionis decimarum obseruetur, qui descriptus est Decreto anni 1464. ART. XL.

CÆTERUM, quamuis ab eo tempore, quo Regia Majestas, diuina dispositione, ad Regiam dignitatem sublimata est, in omni Dieta, in omni Conuentu, in omni deniq; congregatione Regnicolarum, tractatum semper fuerit, de solutione decimarũ, qualiter scilicet, & quo ordine illæ solui deberent, plurimæ etiam superinde constitutiones factæ extiterunt, nunquam tamen adhuc modus & via reperta est quòd partes contentæ fuissent, & querelæ cessassent. Et idcirco etiam in præsenti Dieta, licet multum diuq;, tâm à Regia Majestate, quàm etiam Regnicolis super hoc cogitatum fuerit; melior tamen & conuenientior via & modus reperiri non potuit, quàm fuit tempore Coronationis Regiæ Majestatis repertus. Eam ob rem statutum est & conclusum: Quòd à modo perpetuis successiuis temporibus,

Math.Secũ. art.24. E. Quint.ar.3. usq; ad ar. 13.

bus, decimæ ipsæ soluantur & exigantur, iuxta dispositionem, tempore præfatæ Coronationis factam. Hoc tamen adiecto: Quòd quandocunq; decimatores in aliquo Comitatu exigere volunt, vnum, aut duos ex his Nobilibus, quos Regia Maiestas in omni Comitatu deligere habebit, ad expensas Episcopi vel Capituli secum ducere teneantur, qui imprimis prouideant, quòd decimæ vbique iustè & bono modo exoluantur. Deinde quòd decimatoribus iniustas & superfluas decimas dicare non permittant. Qui quidem decimatores, si eis non parebunt, teneantur Episcopo vel Capitulo rescribere, & eum auisare. Et si ille, vel illud, non prouidebit & non rectificabit, teneantur Regiæ Maiestati significare, quæ pro bono communi, & quiete Regnicolarum, pro sua gratia & clementia, hoc onus subire debeat, quòd tàm ex parte Episcopi vel Capituli, quàm etiam decimatorum, talem iusticiam faciat, quòd Comitatus benè & meritò contentus esse valeat; interim verò exactio decimarum cessare debeat, & eius occasione, Episcopus interdictum ponere non valeat.

Decimator sit contentus iuramento rustici, si noluerit (deposito vno aureo) aceruum subuertere possit. ART. XLI.

ITEM ordinatum est, prout etiam per Serenissimum quondam dominum Sigismundum Imperatorem ordinatum fuisse constat: Quòd decimatores iuramentis decimantium contentari debeant, & si contentari noluerint, aceruum liberam examinandi habeant facultatem, qui si plus inuenient, quàm rusticus dixerit, superfluitatem auferant, & vltra hoc iustam eidem decimam ad soluendum imponant. Si verò iuxta dictum rustici comperient, rustico pro damno in subuersione aceruì illato, vnum aureum è vestigio soluere teneantur, quem si soluere recusarent, vel difficultarent, rusticus ipse equum † dicatoris liberè auferre valeat. Quod vt facilius & commodius facere possit, præsenti Decreto cauetur, quòd decimatores, antequam aceruum examinare incipiant, equos descendere & in domo vel curia rustici decimantis illos ligare teneantur.

† Al: Decimatoris.

De decimis S. Steph. Rex Decreti sui lib. 2. cap. 52. simpliciter decernit, decimã dandam esse Deo, id est Dei ministris. Vide ulterius S. Ladisl. lib. 1. cap. 27. 30. 33. 40. Coloma. lib. 1. cap. 25. 66. lib. 2. cap 5. Andreæ Secũd. art. 20. 21. Sigismund. Quar. art. 5. 6. Szilagy. art. 10. Math. Secund. art. 24. eiusdem Tert. art. 3. Anni 1474. art. 16. Math. Quin. art. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. Vlad Prim. art 48. Vlad. Secund. 1. art. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. ubi de modo decimat. Vlad. Tert. art. 49. 50. 51. 52. 54. Vlad. Quart. art. 29. 30. Vlad. Quint. art. 23. Vlad. Sext. art. 15. Vlad Sept. art. 13. 68. Nobiles non soluunt decimas, Albert. art. 28. Vlad. Prim. art. 50.

De animalibus in Diæcesi Agriensi decimari solitis. ART. XLII.

ITEM quòd in Diœcesi Agriensi, rustici animalia dicata, solummodo vsq; ad festum Sancti Michaelis seruare teneantur: & si postmodum ipsa animalia casualiter perierint, rustici ipsi propterea nullo modo grauari debeant: sed tamen iurare teneantur, quòd non eorum culpa, neque malicia, neque voluntate perierint.

Domini terræ de decimis nihil pro se vsurpent. ART. XLIII.

ITEM solent nonnulli in certis Comitatibus, tempore decimarum, in singulis possessionibus suis, vnum hortum cum bladis & frugibus, & item vnum cellarium cũ vinis pro se retinere, & decimas prouenire debentes pro se exigere. Et quia huiusmodi abusio, contra Sanctorum Regum ordinationem inducta esse dignoscitur: sic enim per illos ordinatum fuisse constat: Quòd villici duntaxat, & hi quoque propter labores seruitia & expensas, quos in colligẽdis decimis ipsis facere habent, relaxarentur. Proinde statutum est: quòd huiusmodi abusio sopiatur, & perpetuò abolita intelligatur; ita quod nullus hortus, nullumq; cellarium dominis terrestribus in decimatione relinquatur. Renitentes verò & transgressores, Comes per remedia opportuna astringat: Qui si tepidus fuerit, aut simpliciter facere recusauerit, Regiã Maiestatẽ superinde auisare debeat, quæ tandẽ illos cõpellere teneãtur

Supr. ar. 41.

Hortus cũ aceruis frugum, & cellarium cum uinis, per dominos terrestres in defraudatione decimarũ, pro se nõ retineatur.

 Causæ

Causæ pro decimis in curia Romana per aliquos motæ reuocentur. ART. XLIIII.

ITEM conclusum est, quòd si qui Regnicolarum, cuiuscunq; status & conditionis existant, super decimis, cum quibuscunque personis, & à quocunq; tempore, in curia Romana hactenus litigassent, vel etiam in præsentiarum litigarent, causas ipsas à modo cessare ibi faciant, & vsq; ad primum diem mensis Maij, festum videlicet beatorum Philippi & Iacobi Apostolorum proximè venturum, ad hoc Regnum, in sede iudiciaria Regiæ Majestatis, discutiendas reuocare teneantur. Ad quem quidem terminum, si qui reuocare, & coram Regia Majestate comparere neglexerint, ea ad patris comparentis instantiam, non obstante illorum contumacia vel absentia, quod justum fuerit decernere, & causam ipsam finaliter terminare & tàm de summa & damno capitali, quàm etiam de expensis, sententiam ferre, atque eam debitæ executioni, vigore præsentis Decreti, demandare debebit.

Romana in curia, ratione decimarum, aut aliorum negotiorum, nemo causam mouere præsumat: & Rex causas decimarum, cum agitur de possessorio jure, discutiat. ART. XLV.

Math Ter. artic. 19. Vlad. Prim. artic. 45. Vlad. Secũ. art. 10. Vlad. Tert. art. 63.

CÆTERVM ordinatum est: Quòd deinceps nemo omnino Regnicolarum, neq; pro decimis, neque pro alijs quibuscunque rebus, prout inferius clarius tangetur, sub pœnis ibidem inferius expressis, in dicta curia Romana litigare præsumat. Si qui autem dominorum Prælatorum, aut aliæ Ecclesiasticæ personæ, cum quibuscunq; Regnicolis, aut è contra, vel ratione executionis, vel etiam super eo, vtrum iustè & integrè decimæ eis solui debeant, vel alio quocunq; modo, super decimis, aut etiam alijs rebus quibuscunq;, litis mouere, vel motas prosequi voluerint, id eis coram Regia Maiestate liberè, sed nusquam aliâs liceat: quæ ex suscepti regiminis officio vnicuiq; juxta allegata & approbata, quod iustum fuerit decernere habebit. Hoc tamen per expressum declarato: quòd causas decimarum, non alij judices Regni, nisi sola Regia Maiestas personaliter semper discutere possit & valeat.

And. Secũd. art. 2. Albe. ar. 27. Math. Secũ. art. 16. 18. Math. Ter. art. 10. Mat. Quar. art. 9. & 10. Vlad Prim. art. 11. 12. & 13.

Rex ad grauem & enormem querelam bona quorumpiam occupare, neminemue, sine consilio dominorum Prælatorum & Baronum, nota infidelitatis condemnare valeat. ART. XLVI.

ITEM quòd Regia Majestas ad simplicē querelam, quantumuis grauem & enormem, bona Regnicolarum non faciat occupare, sed accepta querela, scribat ad Comitem & electos Nobiles illius Comitatus, eisdemq; committat, quòd querelam resciant & Regiæ Majestati fideliter rescribant: quæ tandem ex illorum attestatione videat, cognoscat & deliberet, quid illis faciendum erit & an bonorum occupationem, vel aliam pœnam merebuntur. ITEM quòd Regia Maiestas neminem Regnicolarum, fine Baronum & Prælatorum consilio, nota seu crimine infidelitatis damnare debeat.

Regios infideles quomodo quis per duodecim dies & non vltra, in Castris seu bonis suis tenere possit: & de pœna si qui contrarium facerent. ART. XLVII.

Sigismund. Ter. art. 9. Sigism. Sex. art. 24. Vlad. Prim. art. 83.

CONCLVSVM est, quòd nemo Regios infideles, ad Castra, munitiones, Ciuitates, vel alia loca sua acceptare, & ibi conseruare, atque defendere audeat. Si quispiam tamen infidelium, ex cofidentia, ad aliquem dominorum vel amicorum suorum confugeret, eum ille suscipere, & infra duodecim dies, sed nōn vlterius, apud se, et in domo sua impune conseruare possit. Et si ille, vel pro gratia obtinenda, vel ad ostendendam obedientiam, aut etiam innocentiam suam declarandam, venire ad Regiam Majestatem voluerit, is eum secum vnà, si volet, ad suam Majestatem, vbicunq; fuerit, ducere, vel etiam cum literis & hominibus suis mittere, sub saluo conductu Regiæ Majestatis, qui omnibus talibus, vigore præsentis Decreti.

creti, exnunc datus & concessus intelligitur, liberè valeat, liberè etiam pro illo supplicare, laborare, & intercedere pro gratia possint. Verumtamen si gratia ipsa, à Maiestate sua impetrari & obtineri non poterit, rursus ad Castra, municiones ciuitates, oppida vel alia loca & bona sua, illum suscipere & admittere nullo modo audeat. Quòd si qui fortè aliter facere attentarent huiusmodi Castrum, municio, ciuitas, oppidum, possessio siue locus, ad quem scilicet talis infidelis acceptaretur, eo facto ad Regium fiscum deuoluatur, & exnunc deuolutus intelligatur: De quo Regia Maiestas, vigore præsentis sanctionis liberam pro suo arbitratu, disponendi habeat facultatem.

Comites capere possint vbiq; malefactores omnes in bonis quorumcunq;: & de pœna si qui resisterent, amissio possessionis vbi malefactores reperirentur. ART. XLVIII.

CÆTERUM si in bonis aliquorum, fures, latrones, homicidæ, incendiarij & monetarum, siue literarum, vel etiam manuum alienarum falsatores fuerint, & domini huiusmodi bonorum requisiti per Comitem, illos de bonis suis non expulerint, teneatur Comes mittere ad capiendum eosdem malefactores. Et si rustici, siue incolæ possessionum, in quibus tales fuerint, contra homines Comitis insurrexerint, & eis restiterint, quominus illos capere possint. Comes possessionem non statim occupat, sed teneatur secundò maiori manu, maioriq; potentia ad illam mittere, & tàm præfatos malefactores, quàm etiam rusticos illos capi faceret. Vbi si officiales domini loci illius, simul cum rusticis, vel etiam seorsim cum alijs suis complicibus insurrexerint, & illos capi non patientur, promiserint tamen, quòd illos in sede iudiciaria coram Comite iuri statuent, homines Comitis parere, & contenti esse debebunt: & in hoc casu Comes possessionem non occupet. Verumtamen si illos neq; capere patientur, neq;, vt præfertur, statuere ad iudicium promiserint, possessionem ipsam, vsque ad gratiam Regiæ Maiestatis, ocupare debeat & teneatur. Si verò dominus talis loci, in hoc casu, contra Comitem, vel eius homines personaliter insurrexerit, & obstiterit, ne præfati malefactores, vel etiam rebelles illi rustici capi possint, & neque illos, vt præmissum est, in sede iudiciaria statuere promiserit, vel si promiserit, & non fecerit, possessio, in qua hoc fieri continget fisco Regio in perpetuum applicetur, & ad illud, vigore presentis Decreti, exnunc deuoluta intelligatur, quam Regia Maiestas, vel pro se retinendi, vel etiam alijs donandi, liberam habeat facultatem.

S.Ladisl. li. 3. capit. 12. 19. Coloman. lib. 1. cap. 13. 24. 51. Andr. Secū. art. 5. Sigis. Secū. art. 26. E. Math. supr. art. 1. Vlad Sept. art. 33. 37. 43. Vide etiam nouellas constitutiones D. Ferdinadi.

Rex bona & possessiones dominorum, ac Nobilium, in quibus qualescunq; mineræ aur reperientur, sine debita & æquiualente compensatione non auferat sed sit contentus vrburis. ART. XLIX.

ITEM quòd si aliquæ mineræ auri & argenti, salis, vel aliæ fodinæ in possessionibus Nobilium, vel aliorum possessionatorum, temporum processu, reperirentur, absq; debita competentiq; recompensa, per Regiam Maiestatem non auferantur. Sed si illas Maiestas sua habere voluerit, pro possessionibus illis, in quibus huiuscemodi mineræ habebuntur, alias æquè vtiles & fructuosas dare debeat: alioquin tantummodo ius Regale, seu vrburas ad fiscum pertinentes, percipi faciat, & possessiones ipsas, simul cum omnibus suis vtilitatibus, prouentibus & iuribus, eisdem Nobilibus pacificè possessidendas reliquat.

Ludou. Pri. artic. 13. Sigis. Tert. artic. 13. Vlad. Prim. artic. 30. Minerarum loca. quomodo Rex pro se habere posit.

Iudicatus Comitatus Zagoriæ in Regno Sclauoniæ, cesset: & quòd appellatio fiat ad Banum. ART. L.

ITEM conclusum est: Quòd iudicium & iudicatus Comitum Zagoriæ, in Varasdino hactenus celebrari solitum, aboleatur, & à modo, nullo vnquam tempore, celebretur. Quodq; causantes in illo Comitatu, ad sedem, seu iudicium Banorum Sclauoniæ, spectare debeant & teneantur.

Ludou. Pri. artic. 3. Vlad. Prim. artic. 39. Restituitur Vlad. Tert. artic. 11.

vigninti quinq; marcarum irremissibiliter extroquendarum, conuincantur eo facto & puniantur.

Conuetus minores & Szent Iogh, à dandis literis cessent. ART. LIX.

ITEM quòd minuti Conuentus, & præsertim Conuentus de Szent Ioh, deinceps ab emanatione literarum cessent, & omni careant firmitate.

Comites singulis Comitatibus præponantur, & ipsi Comites, Vicecomites sibi notabiles viros eligere ex eodem Comitatu teneantur: ac de iuramento eorum. ART. LX.

Math. Tert. arti. 15. Vlad. Quin. artic. 2. Vicecomites ex eodē Comitatu eliguntur.

ITEM ordinatum est, quòd Regia Maiestas, cum consilio & voluntate Prælatorum & Baronum suorum, debeat in quolibet Comitatu, aliquem Baronem vel alium notabilem & benè possessionatum hominem, qui scilicet sufficiens & idoneus videbitur, in Comitem Parochialem præficere, & illi teneatur ex illo Comitatu, & non aliunde, notabilem virum aliquem, pro Vicecomite vel Vicecomitibus eligere, qui omnes, iuxta subscriptam iuramenti formam, iuramentum, Comes corā Regia Maiestate, Vicecomitis verò in ipso Comitatu, præstare teneantur.

Ecclesiarum violationis & destructionis per exercituantes, pœna, ART. LXI.

Supr. E. Math. artic. 30.

ITEM solent plerumq; exercituantes, in eorum progressibus, Ecclesias, propter commeatus siue victualia, & alias res per colonos, pro securitate, ad easdē collatas, DEI & hominum timore postposito, violare, & inde non solummodo victualia necessaria, sed etiam omnia alia bona eorundem colonorum surripere, & ibi alia etiam enormia, & dictu quoque nefanda, impunè committere. Quare, vt eorum temeritas & detestanda licentia compescatur, sancitum est: Quòd à modo, nemo omnino, siue eques, siue pedes fuerit, & siue cum exercitu, siue aliter qualitercunq; iter facere habeat, ostia Ecclesiarum infringere, vel aliter Ecclesias profanare, aut victualia, vel aliquas alias res inde violenter excipere audeat, Vbi verò deinceps contrauentum fuerit: si Capitaneus eiusceemodi copiarum Nobilis fuerit, tàm iura sua possessionaria, quàm etiam omnia alia bona sua amittat, & ad fiscum Regium deuoluta sint & habeantur eo facto. Si autem eiusceemodi transgressores ignobiles fuerint, comburantur. Hanc verò executionem supremus Capitaneus exercitus facere teneatur. Qui si neglexerit vel forte ipsemet sanctionem istam transgredietur, auisata Regia Maiestas superinde, pro sua gratia & iusticia, atque innata clementia, executionem fieri demandet. Et si gentes illæ Maiestatis suæ fuerint, Ecclesiam reconciliari faciat: Si verò aliorum fuerint, illi, quorum erunt, huiusmodi reconciliationem facere teneantur. Hoc adiecto: Quòd si tales exercituantes, victualium inopia laborauerint, plebanus, aut iudex, aut villicus loci, Ecclesiam aperire, & illis gentibus coram illo, quem Capitaneus earundem copiarum ad id deputauerit, pro iusto, digno & conuenienti precio & solutione victualia de Ecclesia dare teneatur.

Exercituantium pœna, qui in domibus Nobilium condescenderint, vel victualia eo inducta vi abstulerint. ART. LXII.

ITEM quòd gentes huiusmodi, in ipsarum progressu, in domibus Nobilium nusquam descendere, & neque res & bona colonorum siue rusticorum, de domibus & curijs Nobilium violenter aufere & exportare præsumant. Transgressores verò eandem pœnam, quam violatores Ecclesiarum, incurrant eo facto.

Archidiaconi, & Vicearhidiaconi, aut Plebani, de sepultura interfectorum nihil exigere præsumant, sub pœna amissionis beneficiorum. ART. LXIII.

Ludou. Pri. art. 2. Al-

CÆTERUM quia Archidiaconi, Vicearchidiaconi & Plebani, propter eorundem insaciabilitatem, non contenti iustis & veris ipsorum prouentibus, quam-dam-

dam detestandam,& extra hoc Regnum, inauditam corruptelam, potissimum verò in Comitatu Simigiensi induxisse dignoscuntur, videlicet, quòd dum contingit aliquem, quocunq; modo, interfici, si etiam testatus decedat, sepultura illi, & in Ecclesia,& etiam in cemiterio interim negatur, donec vltra omnia funeralia, & alia, pro locorum consuetudine & diuersitate, in talibus fieri solita, vna marca argenti, vel quatuor aurei soluantur. Quæ res, quia non solummodo abusio & corruptela, verumetiam quoddam sacrilegij & Simoniæ genus meritò censeri potest. Eam ob rem præsenti Decreto statutum est: Quòd à modo deinceps, eiuscemodi exactionis genus, vbiq; , & signanter in dicto Comitatu Simigiensi cesset; & perpetuò aboleatur,& nemo Archidiaconorum, Vicearchidiaconorum & Plebanorum, eorumq; vices gerentum, sub pœna amissionis beneficiorum, extorquere præsumat, prout hoc etiam, tempore quondam serenissimi domini Caroli, Regis Vngariæ,&c. in præfato Comitatu Simigiensi, per bullas Apostolicas, ad petitionem & instantiam ejusdem domini Regis, cassatum & extinctum fuisse, ex eisdem bullis in præsenti congregatione Regnicolarum publicè perlectis, manifestè dignoscitur.

ber. art. 39. Vlad. Prim. art. 29. Vlad. Secū. art. 6.

Prælati & Barones, ac vniuersi Nobiles teneantur in medium Comitatus, de eorum bonis contribuere si quando ad communem necessitatem Comitatus expensis opus sit: negligentes, Comes cum exactione soliti birsagij ad contribuendum cogat. Non contribuunt tamen domini, quando itur ad Dietam. ART. LXIIII.

ITEM quia ex Comitatibus sæpenumero vniuersitas Nobilium, interdum pro rebus totius Comitatus, interdum verò jussu Regiæ Majestatis, nuncios & electos Nobiles, ad Majestatē Regiam mittere solet, nonnulli autem sunt, tàm spirituales, quàm etiam sæculares domini, & item Nobiles, Abbates, Præpositi, Capitula & Conuentus, qui instar aliorum, de bonis ipsorum expensas hujusmodi nuncijs & electis dare recusant, & se ab huiusmodi expensarum contributione penitus subtrahunt. Qua in re vniuersitati Nobilium, & potissimum qui inferioris conditionis existunt, non mediocris injuria inferri dignoscitur. Quare præsenti Decreto sancitum est: Quòd à modo omnes & singuli, cujuscunq; status & conditionis possessionati homines existant, & in quocunq; Comitatu constituantur, expensas per communitatem disponendas, de bonis & possessionibus suis, ad ratam siue sortem eorundē, in medium communitatis semper persoluere, & persolui facere debeant & teneantur. Demptis tamen illis dominis, Prælatis, Baronibus, cæterisq; possessionatis, qui tempore congregationis, ad Regiam Majestatem nominatim & personaliter per literas vocabuntur; verumtamen aliâs, cum scilicet factum Comitatus agitur, quilibet contribuere teneatur. Renitentes autem, Comes illius Comitatus, etiam cum grauaminibus in talibus fieri solitis, hoc est onere trium marcarum leuis ponderis, compellere debeat & teneatur.

Expensæ, necessitate exigente, ab omnibus contribuēdæ sunt, pro utilitate Comitatus.

Ad Dietam personaliter uocati, in medium Comitatus expēsas nō contribuūt.

Arma in sedem Comitatus non inferantur, sed in hospitijs relinquantur: ac pœna Nobilis & rustici secus fecientis. ART. LXV.

ITEM quia ad sedem judiciariam Nobilium, quorumlibet Comitatuum, causantes, & nonnulli alij, qui sedem ipsam ingrediuntur, cum familiaribus & iobagionibus armatis, & quidem maiori quo possunt numero intrare, & cæteros armis, vel multitudine terrere solent. Quare tum ex eo, quòd deinceps quilibet in eiuscemodi sedem judiciariam, quietè, liberè, & sine omni metu, atque periculi suspicione intrare, & ibi honestè, pacificè, & absque omni prorsus impedimento perseuerare possit, tum verò, ne leges & jura inter arma silere videantur, conclusum est: Quòd tàm Nobiles, quàm etiam eorum familiares & iobagiones, sedem judiciariam ingressuri, arma omnia, cuiuscunq; generis existant, in hospitijs deponere, & inermes in ipsam sedem ingredi debeant, vt ibi non armis, sed jure contendendum noscant. Transgressores verò si ignobiles fuerint, Comes eorundem arma aufe rat, & insuper eosdem in ciponem ponat, ibiq; duobus diebus, & totidem noctibus,

Vlad. prim. artic. 75.

absque

absque esu & potu detineat. Si verò Nobilis extiterit, modo simili arma auferat, & insuper vnam marcam grauis ponderis, ab eodem extorqueat.

Arma deponat omnis ad tabernam profecturus ART. LXVI.

ITEM quia in nundinis & foris hebdomadalibus, præterea in tabernis, plurimæ hominum interemptiones, vulnerationes, verberationes, & item multæ rixæ, & infinita aliorum malorum genera committi consueuerunt, furor siquidẽ vbiq; arma ministrat. Idcirco, vt deinceps etiam huic malorum generi, debita prouisione occurratur, consimiliter statutum est: Quòd omnes & singuli, cuiuscunque conditionis existant, ad nundinas, fora & tabernas proficiscentes, arma omnia in hospitijs deponant, & inermes ad emendum, vendendum & bibendum proficiscantur, ibiq; pœna sub eadem, viuant & commorentur.

Contra Comitem, aut Vicecomitem, & Iudices Nobilium in executione exurgens, & vim inferens, nota infidelitatis mulctetur. ART. LXVII.

Vlad. Prim. artic. 75.

Comitum & vicecomitum in executione turbatores.

QVIA in superioribus articulis, quanta Comes Parochialis in executione iusticiæ agere habeat plane declaratur, Vt autem, debito modo, & sine aliquo impedimento, officium suum exequi valeat, statutum & diffinitum est: Quòd quicunque contra Comitem, aut Vicecomitem, in eiusce modi executionibus insurgerent, & eidem vim inferre præsumerent, sicq; ipsum coërcerent, quòd iusticiã, quã executioni demandare deberet, exequi non posset, extunc tales, scita tamẽ prius mera rei veritate, nota infidelitatis mulctentur. Si verò serui, vel rustici fuerint, ipsos domini eorundem, sub pœna viginti quinque marcarum, in manus Comitis, ad dignam eisdem pœnam infligendam, dare & assignare teneantur: & insuper de innocentia, quòd scilicet non de eorum voluntate & commissione id actum sit, iuxta Regni consuetudinem, se purgare debeant & teneantur. Si autem serui vel rustici, perpetrato facinore, aufugerint, Comes pro iniuria ei illata illos perquirat, & nihilominus domini eorum, vt præfertur, de innocentia se purgare teneantur.

Iudices Regni ordinarij qui sint: & quòd nemo in sedem iudiciariam, nisi vocatus, intrare possit ART. LXVIII.

Sigis. Sext. artic. 1. Vlad. Prim. art. 33. 42. & 70.

Iudiciariam domum, ultra ordinarios iudices, qui intrare possint.

Iudiciariam domum nõ uocati intrãtis pœna.

ITEM quia de iudicibus ordinarijs frequenter mentio fieri solet, & dubitatur à plurimis, qui sint & intelligantur iudices illi. Idcirco declaratur hic per expressum: Quòd Iudices ordinarij sunt, imprimis Palatinus, deinde Iudex curiæ, & postmodum Secretarius Cancellarius si præsens fuerit, sin autem non, Locumtenens, hoc est, qui sigillum iudiciale Regiæ Maiestatis pro tempore tenet. Appellantur autem iudices ordinarij, quia quamlibet causam discutere, & ipsi soli, eorumque vicesgerentes, ad sedem iudiciariam non vocati intrare, & etiam alios, si quos pro testimonio, aut alia re volent, aduocare possunt. Isti autem subscripti, videlicet, Magister Thauernicorum, magnus Seneschalcus, Banus Dalmatiæ, Croatiæ & Sclauoniæ, & Waiwoda Transyluanus non censentur iudices ordinarij, & idcirco ad sedem iudiciariam Regiæ Maiestatis, non vocati intrare non debent, neque tenentur: sed tamen, ex quo sunt iudices & officiales iurati, si quando spontè intrare voluerint, siue Regia Maiestas præsens fiat, siue non, admitti & locum honorificum semper habere debebunt. Quorum etiam Protonotarij & in iudicijs vicesgerentes, similiter admitti debebunt. Neminem tamen ad ipsam sedem iudiciariam, sine permissione & annuentia prædictorum trium iudicum ordinariorum, vocare poterunt. Hoc per expressum declarato: Quòd præfati Iudices ordinarij, etiam in absentia Regiæ Maiestatis, sine istis alijs, omnia iudicia liberè facere possunt. Vt autem iudicia cum honestate, grauitate, & maturitate, sine scilicet aliquo rumore, tumultu, strepitu & turbatione celebrari possint, statutum est: Quòd fores domus iudiciariæ semper pateant, & nemo, nisi vocatus, intrare audeat.

Alioquin

Alioquin transgressor, pœnam aliâs superinde decretam, hoc est, centum aureorum incurrat, pro quibus statim capiatur, & in turri manca, vsque ad restitutionem, teneatur.

Iudiciariam domum nō uocati intrātis pœna.

Procurator vnus, personarum quatuordecim tantum causis patrocinetur. ART. LXIX.

ITEM solent Procuratores, lucri gratia, plurimarum personarum causas suscipere, & satis negligenter ad earum defensionem attendere, nullumq; casum facere, si quando eorum principales in birsagijs conuincuntur: & hoc potissimum ex eo, quod antiqua consuetudine birsagia huiusmodi, tempore duntaxat celebrationis iudiciorum generalium, extorqueri solebant. Cum verò eiuscemodi iudicia generalia, prout superius tactum est, abolita sint, & deinceps nunquam celebrentur. Idcirco ordinatum est, quod deinceps, nullus Procuratorum, plurium, quàm quatuordecim personarum causas suscipere & supportare audeat. Vbi autem in birsagijs conuincentur, statim post finem litis, & causæ decisionem, de bonis & possessionibus sui principalis, tàm ad partem iudicis, quàm etiam aduersarij satisfiat.

Procuratores.

Birsagia statim post finem litis exigenda.

Causæ jam motæ, suis consuetis processibus discutiantur. ART. LXX.

ITEM quod omnes causæ et lites, quæ hactenus, super quibuscunque rebus et negotijs motæ sunt, eodem ordine & processu juris, quo hucusq; consuetum fuit, prosequi, terminari & finiri debeant: ita videlicet, quod præscripti articuli solummodo de futuris, & non de præteritis confecti intelligantur.

Decreta ad futura tantum se extendunt.

Priuilegia amissa allegantes, attestatione Nobilium, citra sexaginta annos, factum probent. ART. LXXI.

ITEM conclusum est: Quod si qui, cuiuscunque conditionis, siue scilicet Ecclesiasticæ, siue sæcularis personæ existant, causarentur priuilegia sua, per Turcos, Boemos, Polonos, Theutones, aut alios quoscunque hostes & æmulos ablata, aut igne consumpta & deperdita fuisse, vel etiam si quispiam Ecclesiasticorum allegaret, Ecclesiam suam apud manus laicales, prout nonnunquam factum est, diu tentam fuisse, & tunc per ipsos laicos iuribus & priuilegijs spoliatam, vel aliter defraudatam fuisse. Si tales ad literatorium mandatum Regiæ Majestatis, vel requisitionem aliorum iudicum ordinariorum, cum Nobilibus illius Comitatus, in quo bona illa, super quibus jura & priuilegia amissa causabantur, in rebus à Sexaginta annis citra, ita actum esse comprobare poterunt, eiuscemodi comprobatio & attestatio Nobilium, semper, & in omni iudicio, pro principali & capitali priuilegio teneatur, & reputetur.

Math. Secū. art. 20. Vlad. Prim. art. 78.

Sæculares personæ contra Ecclesiasticas, in iudicio pari onere conuincantur. ART. LXXII.

ITEM quod sæculares personæ contra Ecclesiasticas, in iudicio, in majori onere non conuincantur, quàm Ecclesiasticæ contra sæculares conuincerentur.

Supra E. art. 28. Albert. art. 38. Math. Secū. art. 14. Vlad. Prim. art. 76.

Iudices Regni ordinarij & eorum vicesgerentes, nec non Comites, Vicecomites, Protonotarij, assessores, alijq; Regni iudicia exercentes, iuramentum suis locis præstent. ART. LXXIII.

ITEM ordinatum est, vt omnis† scrupulosa suspicio, quæ contra iudices & iusticiarios Regni, & item Comites, Vicecomites, Iudices Nobilium, atque etiam electos Nobiles, cæterosq; officiales, de fauore vel odio concipi posset, de cordibus quorumlibet remoueatur juxta Decretum serenissimi quondam domini Sigismundi Imperatoris, statutum & sancitum est: Quod perpetuis semper successiuis temporibus, omnes iudices & justiciarij huius Regni, tâm Ecclesiastici, quàm sæculares, qui videlicet in Palatinum, Iudicem curiæ Regiæ Magistrum Thauernicorum, Cancellarium, aut Vicecancellarium, in Portonotarios, seu vicesgerentes Iudicum prætactorum, & etiam assessores eorundem, Banum Sclauoniæ, Waiwodam Transyluanum, & in Comites quorumlibet Comitatuum, ac Iudices Nobilium

† Alb: friuola. Sigis. Sext. art. 1. Vlad. Prim. art. 33. 42. 70.

lium eligentur & assumentur, eorundemque vicesgerentes & substituti, tempore assumptionis ipsorum ad huiusmodi officia, in conspectu Regiæ Majestatis, juramẽtum honestum, de seruanda fidelitate, & administranda justicia, præstare debeant. Vicecomites tamen, & Iudices Nobilium, coram suo Comitatu, huiusmodi juramentum præstare teneantur.

IVRISIVRANDI FORMVLA.

FORMA verò juramenti, sequitur in hæc verba EGO T. juro per DEVM viuũ & gloriosam DEI genitricem Virginem Mariam, & per omnes Sanctos & electos DEI, quòd omnibus coram me causantibus, & in omni negotio, quod ad officium meum pertinebit, absque cujusuis persona, diuitis scilicet & pauperis acceptione, prece, præmio, fauore, timore, odio, amore & complacentia, remotis & postpositis, prout secundum DEVM & eius iusticiam faciendum cognouero, justum & verum judicium, justiciam atque executionem omnibus in rebus, pro meo posse, faciam, Si me DEVS adiuuet, & omnes sancti,

Literarum in Capitulis & Conuentibus taxa. ART. LXXIIII.

Ludo.Pri. art. 21. Sigism.Sex. art. 10. Alb.ar. 32. Math.Ter. art. 22. Vlad. Prim. ar. 95. 96. Vlad; Quar. art. 39.

CÆTERVM, in redemptionibus literarum Capitularium & Conuentualium, nec non super satisfactione viarum seu laborum, quos testimonia Capitulorum & Conuentuum in executionibus facere habent, ne discordiam oriri contingat, conclusum est: Quòd in hac parte seruetur limitatio tempore quondam Serenissimi domini Sigismundi Imperatoris facta, & tandem per Regiam Maiestatem, tempore felicis coronationis confirmata: ita videlicet, quòd in omnibus locis, tàm Capitularibus, quâm Conuentualibus, de euocatorijs, prima, secunda & tertia, simul cum eorum Notario & scriptore, pro redemptione literarum, recipiantur seu soluantur singuli denarij viginti quatuor, quorum centum vnum aureum faciunt, ITEM pro litera prorogatoria, denarij quatuordecim. ITEM pro qualibet litera prohibitoria, protestatoria & alijs similibus, si patenter emanantur, denarij viginti quatuor: si verò clausæ, denarij duodecim. ITEM pro qualibet litera falsionali emanata priuilegialiter, denarij centum: patenter verò, denarij viginti quatuor: clausæ autem, denarij duodecim. ITEM pro qualibet litera inquisitoria, siue patenti, siue clausa, denarij viginti quatuor. ITEM de paribus antiquarum literarum, in conseruatorio requisitarum, Custodi seu requisitori per se, denarij centum: & pro redemptione literæ requisitæ, si non habuerit multũ de scriptura, & patenter confecta fuerit, denarij viginti quatuor: si verò labor scribendi fuerit magnus, & litera priuilegialiter confecta, denarij centum. ITEM de simplicibus transcriptis, seu transsumptionalibus literis patenter emanatis, vbi labor scribendi magnus non foret, denarij viginti quatuor: vbi autẽ fuerit litera prolixa, aut priuilegialiter emanata, denarij centum. ITEM de litera statutoria, in qua contradictio facta fuerit, denarij viginti quatuor. De literis verò statutorijs perpetuis, in quibus contradictio facta non fuerit, recipiatur redemptio literarum, secundum quantitatem possessionis, & numerũ sessionum, modo subscripto: Videlicet, de sessione vna, duabus vel tribus, vel quatuor, in toto denarij centum. Vbi autem fuerint vltra quatuor sessiones vsque ad decem, de qualibet sessione denarij triginta quatuor: Vbi fuerint vltra decem, vsque ad viginti, de qualibet sessione viginti quatuor denarij: Vbi verò fuerint vltra viginti, vsque centum, de qualibet sessione denarij duodecim: Si verò fuerint vltra centum vsquequaque, de qualibet sessione denarij octo. ITEM de literis reambulatorijs metalibus in quibus contradictio & euocatio facta non fuerit, denarij viginti quatuor. In reambulationibus autem metalibus in quibus simplex consignatio, vel cum hominibus Regijs, de curia Regia transmissis, similis consignatio, vel finalis metarum erectio, cum juramento super terram, in forma judiciaria, aut

partibus

partibus concordantibus, facta fuerit, pro redemptione literæ, denarios quadringentos. Vbi autem partibus in huiusmodi reambulationibus & demonstrationibus metalibus discordantibus, causa in curiam, Regiam inducta fuerit, tunc pro redemptione literarũ talium, denarij ducenti. ITEM de communi inquisitione, ordine judiciario cõmissa, denarij centũ. ITEM de reuisione possessionariæ occupationis, denarij centum. ITEM de occupationibus possessionis, hominum in sententia capitali conuictorum, & rerum ablationibus, iudiciaria commissione mediante fiendis, de rebus ablatis, ex antiqua consuetudine, Capitulũ habebit decimam partem, pro redemptione autem literarum denarij centum. ITEM de æstimationibus possessionarijs, judiciaria commissione fiendis, denarij centum. ITEM de possessionarijs diuisionibus, de singulis possessionibus diuisis, singuli denarij centum ITEM de expeditoria iuramentali, denarij viginti quatuor. ITEM de expeditoria iuramentali, continente nomina, denarij centum.

De pecunijs in Capitulo, vel Conuentu depositis, quid exigatur, & fidedignitatibus pro executionis angaria laboreq; quid in diem soluatur. ART. LXXV.

ITEM de solutionibus pecunialibus, coram Capitulis, vel Conuentibus, vel eorum testimonijs fieri solitis, Capitulum, seu Conuentus, decimam & nonam partem exigere non possint, nisi quando propter discordiam partium, in eorum Sacristijs, seu conseruatorio, huiusmodi pecuniæ repositæ fuerint, de talibus nempe de iure decimam & nonam partem recipere possint, ad illius tamen partis rationem, quæ causam dederit, vt pecunia huiusmodi in conseruatorio reponeretur. Personis autem testimonialibus, Capitulorum, & Conuentuum, pro singulis diebus, quibus in itinere processerint, soluantur singuli duodecim denarij, siue in proprijs equis, siue in equis causantium transeant & ducantur: & ipsos ad facta sua conducentes, simul cum equis & familiaribus eorum de domo iterum in domum, semper ducere debeant & reducere.

Supr. E. Mat. art. 10. Sigis. Secũ. art. 9. Decimæ & nonę de quibus pecunijs soluantur in Capitulis & Conuẽtibus. Capitulariũ & Conuẽtualium hominum solarium. Sigis. Sext. art. 11. Vlad Prim. art. 98.

Literarum in iudicijs, id est minori Cancellaria Regis taxa ART. LXXVI.

PRÆTEREA ex quo in iudicijs, in Curia Regia fieri consuetis, coram judicibus ordinarijs eiusdem curiæ, ac eorum Notarijs supradictis, literæ & redemptiones earum necessariò occurrunt. Ideo ad tollendam cuiuslibet altercationis occasionem, quæ inter ipsos Notarios, & causantes emergere posset, antiquam consuetudinem redemptionis literarum earundem, modo subscripto, duximus similiter declarandam. Videlicet: quòd in ipsa Curia Regia, Notario ipsius Iudicis curiæ, de vna litera prorogatoria communi, soluantur denarij duodecim. De litera iudiciali seu birsagiali, similiter denarij duodecim. De simplici litera inquisitoria, similiter duodecim. De secunda euocatoria, denarij viginti quatuor. De tertia Euocatoria, denarij centum. De proclamatoria, denarij centum. De litera iuramentali tertio, vel sexto se alicui adiudicata, denarij viginti quatuor. De eo, qui iurabit duodecimo, vel vigesimo quinto, aut quinquagesimo sexto, denarij centũ. De communi inquisitione, denarij centum. De litera Duellari, denarij ducenti. De Iuramentali super caput, denarij ducenti. De prima instrumentali exhibitione, denarij viginti quatuor. De secundaria, & tertiaria instrumentaria exhibitione, cum grauamine assumpta, similiter denarij viginti quatuor. De prorogatoria respondendi cum tribus marcis, denarij viginti quatuor. De literis prorogatorijs patentibus, denarij viginti quatuor. De litera fassionali communi, denarij viginti quatuor. De alijs literis generalibus, videlicet, prohibitorijs & similibus, denarij viginti quatuor. De prohibitorijs facie ad faciem, denarij centum. De litera sententionali facti potentialis, conseruatori sigilli floreni decem per centum: scriptori autem denarij ducenti. De literis Statutorijs, & reambulatorijs simplicibus, denarij viginti quatuor. De literis autem adiudicatorijs reobtentionis possessionum,

ſeu aliarum rerum, iuxta quantitatem poſſeſſionis, ſeu rei reobtentæ, habita concordia inter cauſantes & Protonotarium, fiat ſolutio.

Vlad. Prim. art. 43.

Vicinorum, & commetaneorum nomina, qui tempore ſtatutionis, & metarum reambulationis interfuerint, in literis executorijs Capitulorum & Conuentuum, ſemper ſcribantur. ART. LXXVII.

Vicini & Cõmitanei conuocandi in ſtatutionibus & reambulationibus. Vicinorum & cõmetaneorum nomina ſcribenda in literis.

STATVTIONES autem poſſeſſionariæ, metarum reambulationes & reuiſiones, aliter fieri non debeant, niſi vicinis & commetaneis huiuſmodi poſſeſſionum, inibi legitimè conuocatis. Et vt fraus & dolus in talibus melius euitetur, nomina ſingulorum vicinorum & commetaneorum, tempore præmiſſorum proceſſuum, illuc principaliter conuenientium, in literis Capitularibus & Conuentualibus ſuperinde emanandis, ſeriatim conſcribantur.

Confirmatio præſentis Decreti: quòdque in eo contenta nunquam variari debeant. ART. LXXVIII.

POSTREMO concluſum eſt, quòd Regia Majeſtas, præſcriptam ordinationem, quo ad omnes articulos, clauſulas, Capitula & puncta, per quoſcunq; inconcuſſè obſeruari faciat. Tranſgreſſores verò ſic emendet, puniat & caſtiget, quòd Regnicolæ, ſicuti eam ipſam ordinationem pari & vnamini omnium conſenſu, voluntate & conſilio, maturaq; deliberatione fecerunt, ita omnes Majeſtati ſuæ meritas gratias agere valeant.

QVOS quidem articulos, ſiue capitula, Nos MATHIAS Rex præfatus, cum ſupradictis dominis Prælatis, Baronibus, Proceribus, & cæteris Nobilibus electis, totum ſcilicet hoc Regnum repræſentantibus, & in præſenti generali Dieta nobiſcum exiſtentibus, matura præhabita deliberatione, quoad omnes eorum continentias, de eorundem dominorum Prælatorum, Baronum, Procerum, & totius Regni conſilio, voluntate & aſſenſu, pro perpetuo Regni ipſius Decreto & ſtatuto, ac pro lege & iure ſcripto tenendos & duraturos, ſancimus, ſtabilimus, autoriſamus, authenticamus & confirmamus, atque ad eorundem obſeruationem vniuerſos ſucceſſores noſtros Reges, & item totum hoc Regnum ſic obligamus, vt nullo vnquam tempore, neque ſcilicet in nouorum Regum electione, vel coronatione, ſed neq; in Dietis ſeu congregationibus generalibus, vel particularibus Regnicolarum, quicquam ex illis variare ſeu mutare liceat, ſed in omnibus clauſulis & punctis inconcuſsè & inuiolabiliter obſeruentur. In cuius rei memoriam firmitatemq; perpetuam, articulos ipſos, in præſentem libellum conſcriptos & inſertos, de eorundem dominorum Prælatorum, Baronum & Nobilium, ac totius Regni voluntate & conſilio, ſecreti ſigilli noſtri, quo vt Rex Vngariæ vtimur, appenſione fecimus communiri. Datum Budæ per manus Reuerendi in Chriſto patris domini Ioannis Epiſcopi Eccleſiæ Varadienſis, Aulæ noſtræ Secretarij Cancellarij, delecti & fidelis noſtri, Anno Domini, Milleſimo, Quadringenteſimo, Octogeſimo ſexto, in feſto Conuerſionis beati Pauli Apoſtoli: Regnorum noſtrorum, Anno Vngariæ, &c. Vigeſimo nono: Boëmiæ verò decimo ſeptimo. Venerabilibus in Chriſto patribus, dominis Ladislao Gerebelecto & confirmato Alben. Tranſyluanæ, Apoſtolicæ ſedis legato, Strigonienſe ſede vacante, Petro Archiepiſcopo Colocenſi, Gabriele Cardinale Agrienpræfato Ioanne Varadienſi, Oſualdo Zagrabienſi, Sigiſmundo Quinqueeccleſienſi, Vrbano Electo & confirmato Iaurienſi, ſummo Theſaurario noſtro, Alberto Veſprimienſi, Ioanne Chanadienſi, Nicolao Vacienſi, fratre Gregorio, Nitrienſi, Ioanne Sirmienſi, & Mathia electo Boſznenſi, Eccleſiarum Epiſcopis, Eccleſias DEI feliciter gubernantibus. ITEM Spectabilibus & Magnificis Emerico de Zapolija, Comite perpetuo terræ Scepuſienſis, & prædicti Regni noſtri Vngariæ Palatino, Comite Stephano de Bathor Iudice curiæ noſtræ, & Wai-

woda Transyluano, Mathia Gereb Regnorum nostrorum, Dalmatiæ, Croatiæ, & Schlauoniæ Bano, Ladislao de Pakos, Thauernicorum nostrorum, Andrea de Zokol, & Francisco de Harazth, Sirmien. Banis, Wilhelmo Comite Zagoriæ, Dapiferorum, Georgio de Thwrocz, Pincernarum, Ladislao Orszagh de Gwth, Agazonum nostrorum Regalium Magistris, Paulo de Kinis Themesiensi, & Nicolao Banffij de Lindua Posoniensi, alijsq; quam pluribus Regni nostri Comitibus, Comitatus tenentibus & honores.

VLADISLAI REGIS VNGARIÆ DECRETA

VLADISLAVS Boëmiæ Rex, Casimiri Poloniæ Regis filius, mox vt Vngariæ imperium adipiscitur, æmulorum in se iniquum experitur animum; Imprimis Ioannis Alberti fratris sui, nec multo post Maximiliani Imperatoris, Ioannis Coruini Mathiæ Regis nothi, sed qui paternæ & propriæ virtutis indole, opibus & ditionibus, valebat apud Vngaros plurimum. Quibus tandem varijs modis placatis, & in suam pertractis voluntatem, Regina Beatrix, cuius etiam non postrema apud Vngaros, propter naturæ liberalitatem, erat autoritas, muliebri quodam ingenio ipsum lacessit, Regno exturbare parata, nisi eam in coniugem ducat. Hac quoq;, simulato matrimonio deuicta, sed paulò post dicta apud summum Pontificem causa, repudiata: alteram Vasconis Galli filiam, cui Annæ nomen erat superduxit: quæ eum binæ prolis parentem fecit, Annæ, quæ postea Ferdinandum Austriacum Imperatorem maritum fœliciter sortita est, & Ludouici. Fuit Vladislaus liberalis, & miræ patientiæ taciturnitatisq;, supra quam credi possit. Tanto enim omnia sua consilia inuoluebat silentio, vt difficile erat cognoscere, quo quid ageret animo: Quiq; præter benè Latinè, & Dobre Boëmicè, quod idem est, vix quicquam dicere velle præ se ferebat. Quare, à maleuolis mutum simulachrum dictus. Interim Regno non benè prouisum, sed ipsum, miserè afflictum est, siue consilio eorum, qui etiam optima ingenia deprauare nouerant, & compendio suo studebant, siue quòd fatalis Regni periodus appropinquaret. Seditionem rusticanam, non diu post illam Germanicam, in hoc Regno exortam, sedauit, & de capitibus seditionis pœnas sumi curauit. Pulsis quoq; Turcæ è Regno copijs, & furore eius, quandoq; inducijs auerso. Decreta arbitrio Regnicolarum sanxit, septem partibus siue libris comprahensa. Cum Anno Domini, Millesimo, Quadringentesimo, Nonagesimo, in Regno vndecimo Calend. Octobris coronatus fuisset, mortuus est Millesimo, Quingentesimo, Decimosexto, & in Alba Regali Sepultus. Seruantur omnia eius priuilegia.

CONFIRMATIO IVRIVM, CONSVETVDINVM ET LIBERTATVM REGNI, AC CONDITIONES suscepti regiminis VLADISLAI REGIS, Anno Domini M. CCCC. XC.

NOS VLADISLAVS, DEI gratia Vngariæ, Boëmiæq; Rex ac Marchio Morauiæ, &c. Recognoscimus, & tenore præsentium notificamus, quibus expedit vniuersis: Quòd cum his diebus superioribus, serenissimus Princeps quondã dominus Mathias Rex Vngariæ & Boëmiæ, &c. prædecessor noster bonæ memoriæ, ab hac luce absq; hæredum legitimorum solatio decessisset: domini Prælati & Barones, cæteriq; Proceres, & vniuersi incolæ Regni eiusdem, ad quos scilicet ius eligendi nouum Regem, ex vetustissima Regni ipsius libertate & consuetudine, deuolutum extiterat, animaduertentes se principe orbatos esse, nec posse commodè & sine omni detrimento Regni diutius capite carere, post plures tractatus, de nouo Rege eligendo et præficiendo, inter se habitos oculos mẽtis ipsorum in nos coniecerunt, & cæteris omnibus principibus Christianis, competitoribus

Ius eligẽdi Regem.

Oculos mentis.

bus scilicet nostris, qui videlicet Regnum ipsum similiter ambiebant, nos prætulerunt, sibiq; cum infrascriptis cōditionibus, pactis & articulis, in Regem, Dominum & Principem eligerūt et solenniter pronunciauerunt, ac tandem missis nobis obuiam, de eorū medio, nonnullis Prælatis & Baronibus, in ipsum Regnū Vngariæ feliciter coronandum introduxerunt. Quorum quidem articulorum, primus est.

Libertates. Quòd Regnum Vngariæ, cum cæteris Regnis & prouincijs sibi subiectis, dominosq; Prælatos & Barones, omnes Ecclesias, Ecclesiasticasq; personas, ac Nobiles & Ciuitates, nec non cæteros incolas & inhabitatores ipsius Regni, conseruabimus in antiquis juribus, priuilegijs, immunitatibus, libertatibus & consuetudinibus approbatis, in quibus scilicet per dominos quondā Reges conseruati, quibusq; vsi & gauisi fuerunt: Ita quòd nullas prorsus nouitates, quemadmodum præfatus dominus Mathias Rex fecerat, in eorundem detrimentum & oppressionem, & contra cujusmodi antiquas libertates ipsorum, sub aliquo quæsito colore, introducamus. Introductas verò per ipsum quondam serenissimū dominum Mathiam Regem aboleamus: contributionem seu taxam vnius floreni, nulla ratione exigamus, sed antiquis, justis, ordinarijs & consuetis prouentibus Regalibus contenti esse debeamus.

Cōtributio.

Bona occupata. ITEM quòd bona, & alia quæcunq; jura aliorum, per præfatum quondam dominum Mathiam Regem, & Reginalem Majestatem, ac etiam quoscunque, male & præter viam iuris occupata, visis & examinatis juribus talium, remittamus, & faciamus etiam per alios remitti, his, quorum extiterunt.

Corona. ITEM quòd Coronam Regni, de manibus dominorum Prælatorum & Baronū, nulla ex causa vel quæsito colore, nulla etiam industria vel arte auferamus, sed permittamus & statuamus, quòd iuxta veterem consuetudinem, ac libertatem ipsorum, certi de eorum medio vnanimiter ad hoc eligendi & deputandi, illam teneant & conseruent. Quòdq; Castrum Wisegradiense, pro conseruatione ipsius Coronæ ab antiquo deputatum, ad manus ipsorum conseruatorum eiusdem Coronæ, dari & assignari faciamus.

Morauia. Silesia. Lusatia. ITEM promittimus quòd Morauiam, nec non Silesiam & Lusatiam vtrasq;, à Corona & Regno Vngariæ non alienabimus, sed infra tempus redemptionis, juxta inscriptiones & obligationes, aliâs in dicto Olomucensi Conuentu factas, ad ipsam Coronam Vngariæ semper tenebimus. Et si fortè nos absq; hærede legitimo decedere contingeret, ita prouidebimus in vita, quòd etiam post obitum nostrum, ab eadem Corona & Regno, infra tempus redemptionis, sub aliquo colore, vel via, non alienentur: Et insuper roborabimus & efficiemus, quòd sex Ciuitates, juxta pacta & dispositionem in prædicta Dieta factam, instar aliarum prouinciarum, se eidem Regno & Coronæ Vngariæ inscribent, & obligabunt & superinde literas eorum dabūt et emanari facient: illasq; ad domum Thauernicalem Coronæ Vngariæ reponi & assignari curabunt. Si verò successu temporum præfata dominia, à Corona & Regno Vngariæ, per illos, quibus, juxta inscriptiones & obligationes superinde factas, competit, redimerentur: extunc totam illam summam pecuniæ, ad manus conseruatorum Coronæ ad Wissegrad, penes Coronam, pro Regni necessitate, conseruandam assignemus, tandemq; ad defensionē & vtilitatem Regni, juxta voluntatem & consilium dominorum Prælatorum & Baronum, exponamus & conuertamus, & de ipsa pecunia, præter voluntatem & consilium, ac liberum & expressum consensum eorundem dominorum Prælatorum & Baronum, nulla ratione disponamus quippiam, vel agamus,

Austria. Styria. Carinthia. Carniola. ITEM quòd ex quo præfatus quondam Mathias Rex, Austriam & nonnulla castra & Ciuitates, in Styria, Carinthia & Carniola, thesauro Regni Vngariæ acquisiuit & obtinuit. Ob hoc promittimus & nos obligamus, quòd Austriam ipsam & cætera loca Cæsareæ Majestati, aut serenissimo domino Romanorum Regi, vel eorum hæredibus, absq; speciali & expresso consensu, & libera expressaq; voluntate,

luntate, consilioq; dominorum Prælatorum & Baronum, nunquam restituemus, sed teneamus ad Coronam Vngariæ, defendamusq; & tueamur contra præfatas Majestates, nec aliqua mundi via ab Vngaria alienemus.

ITEM quòd cum dictis Majestatibus, absq; consilio, consensu & libera expressaq; voluntate eorundem dominorum Prælatorum & Baronum, superinde non concludemus. Et si forte contingeret, quòd de eorum voluntate, consilio & animorum concordia sequeretur, totum, quod ex huiusmodi concordia nostra veniret & cederet, id si terra, aut dominum aliquod fieret, perpetuò ad Vngariam & eius Coronam annactamus, applicemus & inscribamus. Si verò parata seu numerata pecunia fieret, illam totam summam, ad manus cōseruatorū Coronæ ad Wyssegrad, penus Coronam, pro Regni necessitate, conseruandam assignemus: Tandemq; ad defensionem & vtilitatem Regni eiusdem, juxta voluntatem & consilium ipsorum dominorum Prælatorum & Baronum, exponamus & conuertamus. De ipsa autem pecunia, præter voluntatem & consilium, ac liberum & expressum consensum, nulla ratione disponamus. Acquisitum Regno cedat.

ITEM quòd pro majori parte, in Vngaria maneamus, vt commodius faciliusq; Regni necessitatibus consulere & prouidere possimus. Cum autem, causa requirente, exire voluerimus, Regnum istud bono ordine atque dispositione relinquamus, vsque ad felicem nostrum reditum. Residentia Regis.

ITEM quòd dum in Vngaria manebimus, Consiliarios, Cancellarium, Thesaurarios, Cubicularios, Dapiferorum, Pincernarum, Comites Camerarum, & generaliter omnes officiales, majores & minores, Vngaros teneamus & habeamus. Officiales Vngari.

ITEM quando de rebus & negotijs Regni Vngariæ, aut partium sibi subiectarum ageretur, non cum alijs, præterquam cum Vngaris Consiliarijs tractemus & consultemus, & alios forenses, aliasq; nationes ad talem consultationem, taleq; cōsilium non admittamus. Consilium.

ITEM quòd beneficia Ecclesiastica, præsertim verò Archiepiscopatus, & Episcopatus, Abbatias, Præposituras, cæterasq; Prælaturas, non nisi Vngaris, vel qui sunt Coronæ ab antiquo subiecti, absq; expresso consensu, ac libera & spontanea voluntate Prælatorum & Baronum, Regniq; Consiliariorum conferre valeamus: conferamus autem probis & benè meritis. Ecclesiastica beneficia.

ITEM quòd Waiuodatum Transyluaniensem, Comitatum Siculorum, & Themesiensem, Posoniensem; præterea Banatum Sclauoniæ, & Dalmatiæ & Croatiæ, nec non Sirmiensem, Nandor Albensem & de laicza, aliaq; loca & Castra finitima, nec non Ciuitates Regulas, non alijs, præterquam Vngaris pro officiolatu dare & conferre valeamus, benè tamen meritis. Præfecturæ.

ITEM possessiones & jura possessionaria, non forensibus, sed benè meritis incolis tantum Regni, & Coronæ Vngariæ subiectis, juxta eorum merita & obsequia conferamus. Iura possessionaria.

ITEM quòd in celebrationibus Octauarum, Iudices Regni Vngariæ ordinarij personaliter intersint, nisi ex causa legitima, in arduis negotijs Regni præpediti fuerint, vel aliter illorum fuerit. Ipsi autem vel eorum vicesgerentes & coassessores, liberam, plenam, & omnimodam habeant facultatem, omnibus causantibus, majoribus & minoribus, cuiuscunq; status & conditionis seu dignitatis existant, absque omni timore, veram, synceram, iuxta Regni approbatam & antiquam consuetudinem justitiam administrandi. Et quòd neminem iudicum compellamus vel astringamus in fauorem alicujus, consuetudines & communem obseruantiam, ac Iuris ordinem immutare, seu peturbare. Iusticia.

ITEM quòd ad simplicem querelam vel suggestionem, neminem Regnicolarum nostrorum cuiuscunq; status & conditionis existant, in persona, possessionibus, seu quibuscunq; rebus, aliquomodo, præter viam Iuris, & partibus non auditis impediamus.

Salus Reipublicæ. ITEM quòd neq; motu proprio, neq; ad quorumcunq; delationē vel querelam, contra quempiam Regnicolarum nostrorum cuiuscunq; status seu dignitatis, aliquam occasionē nocendi, siue in personis, siue rebus cōcipiamus, vel exquiramus.

Moneta. ITEM quòd moneta præsens ad tempus non mutetur, quando verò mutari deberet, hoc fiat cum consilio Prælatorum & baronum, & non aliter.

ITEM quòd quicquid domini Prælati & Barones, cum cæteris incolis Regni Vngariæ, pari voto & communi deliberatione, pro libertate & tranquilla quiete, atq; conseruatione eiusdem Regni, vsq; ad tempus Coronationis conceperint, conscripserint & concluserint, more ab antiquo consueto & semper obseruato, quod Regni Decretum appelletur, teneamur literis efficacibus acceptare, conseruare, Iurium approbatio. roborare, ratificare & approbare: Quemadmodum Reges, prædecessores nostri, ex laudabili & approbata consuetudine Regni semper fecerunt, quodque semper obseruemus & per omnes alios obseruari faciemus.

ITEM ex quo domini Prælati & Barones, vrgentibus arduis necessitatibus Regni pro solutione stipendiariorum præfati quondam domini Mathiæ Regis, qui in Stipēdium militum. Silesia fuerunt, coacti sunt notabilem summam florenorum componere, vt Regnum ipsum integrum et illæsum nobis manutenere & assignare possent. Et proinde certa loca, et certos prouentus Regales, nonnullis personis, quæ summam illam pecuniarum mutuauerunt, inscripserunt & impignorauerunt, vsq; ad tempus redemptionis: Et quòd insuper pro præteritis seruitijs præfatorum stipendiariorum, infra certum tempus futurum, rursus certa summa pecuniaria persolui debebit. Quamobrem, optant ijdem domini Prælati & Barones, ac totum Regnum, vt nos præfatam redemptionem locorum & prouentuum impignoratorum, ac etiam dictam futuram summam pecuniarum, dictis stipendiarijs persoluere, cum omnibus pactis, conditionibus, obligationibusq; ex hinc factis & secutis, in nos recipiamus & assumamus, ipsosq; Prælatos & Barones, ac totum Regnum, ab huiusmodi solutionibus & pactis exonerare & subleuare dignaremur.

NOS itaq; VLADISLAVS REX præfatus, considerantes singularem illam deuotionem & affectionem præfatorum dominorum Prælatorum & Baronum, cæterorumq; Regnicolarum, quam erga nos in huiusmodi electione habuerunt, volentes eisdem aliqualem gratitudinem nostram ostendere: Alioqui animaduertentes præmissam ipsorum ordinationem & deliberationem, iustam & honestam esse, præinsertos articulos, & omnia in eis contenta, laudauimus, approbauimus & ratificauimus, laudamusq;, acceptamus, approbamus & ratificamus, promittimusq; in verbo nostro Regio, ac fide nostra Christiana mediante, & sub honore nostro, quòd eosdem articulos, in omnibus eorum clausulis & punctis, semper, inuiolabiliter & absq; immutatione obseruabimus, & tam per Reginalem Majestatem, quàm etiam per omnes alios nobis subiectos, simili modo faciemus obseruari. Harum nostrarum, quibus sigillum nostrum est appensum, vigore & testimonio literarum mediante. Datum in Castris exercitus nostri, prope villam Farkashida, Sabbato ante festum ad vincula Sancti Petri Apostoli, Anno Domini Millesimo, Quadringentesimo, Nonagesimo: Regnorum verò nostrorum, Vngariæ, anno primo: Boëmiæ verò decimo nono.

VLADISLAI REGIS DECRETVM PRIMVM, ANNO DOMINI M. CCCC. XCII editum, Alijs Decretum maius vocatum,

NOS VLADISLAVS DEI gratia, Vngariæ Boëmiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Seruiæ, Gallitiæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæq; Rex, nec non Silesiæ & Lucemburgensis Dux, Marchioq; Morauiæ & Lusatiæ, &c. significa-

significamus tenore præsentium, quibus expedit vniuersis: Quòd cum post obitum Serenissimi Principis quondam domini Mathiæ Regis, prædecessoris nostri bonæ memoriæ, atq; exinde, post vocationem & assumptionem nostram, ad regimen huius Regni nostri Vngariæ, superna dispositione factam, multas & grauissimas hostilitates quæ ceruicibus huius Regni incubuerant, maximas etiam domesticas simultates & interna dissidia, quæ omnia iam hoc Regnum in vltimum periculum trahere & præcipitare videbantur, diuino auxilio consilioq; dominorum Prælatorũ & Baronum eiusdem Regni nostri complanassemus, & facta, atque inita pace et cõcordia, sub certis conditionibus, primum cum Serenissimo Principe, domino MAXIMILIANO, Romanorum Rege, &c. qui præter cæteros, periculo huius Regni imminebat: Alijs demum hostibus forensibus, fusis, fugatisq; domesticis verò & intestinis bellis differentijsq; et dissensionibus sedatis, omnia in pacem concordiamq; reduxissemus. Placuit tandem eisdem dominis Prælatis & Baronibus Regni, vt pro habendis tractatibus, pro eorum cæterorumq; Regnicolarum futura quiete necessarijs, ad festum Purificationis Beatissimæ Virginis Mariæ proximè præteritum, vnam Dietam seu congregationem generalem, ad hanc Ciuitatem nostram Budensem, vniuersitati Regnicolarum nostrarum, indiceremus. Cum itaq; conuenissent, & plurima pro felici statu eiusdem Regni tractassent & ordinassent, inter alios tractatus, aliasq; dispositiones, nonnullos tandem articulos, nobis de antiquis legibus, decretis & consuetudinibus eiusdem Regni, exceptos, & communi omnium consilio & deliberatione recollectos, & de nouo etiam, pro temporis conditione & rerum statu, conceptos obtulerunt: Supplicantes humiliter, vt articulos huiusmodi, ratos, gratos & acceptos habere, atq; pro eisdem & cæterorum Regnicolarum consolatione, totiusq; Regni quiete, Regia nostra authoritate, approbare & autorisare & confirmare dignaremur. Quorum quidem articulorum series, sequitur in hunc modum. Maximilia: Rõm. Imp.

Rex omnes status & ordines Regni, in eorum antiquis libertatibus conseruet: nouitates per Mathiam Regem introductas aboleat: ordinarijs prouentibus sit contentus. ART. I.

IMPRIMIS quòd Regia Maiestas, Regnum Vngariæ, cum cæteris Regnis, scilicet, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, & partibus Transyluanis, ac prouincijs sibi subiectis, dominosq; Prælatos & Barones, omnes Ecclesias, Ecclesiasticasq; personas, ac Nobiles & Ciuitates, nec non cæteros incolas & inhabitatores eorundem Regnorum, & partium Transyluanarum, conseruabit in antiquis iuribus, priuilegijs, immunitatibus, & conseutudinibus approbatis, in quibus scilicet, per Diuos quondam Reges conseruati, quibusq; gauisi & vsi fuerunt: Ita quòd nullas prorsus nouitates quemadmodum quondam Dominus MATHIAS Rex, in eorundem detrimentum & oppressionem, contra huiuscemodi antiquas libertates ipsorum, sub aliquo quæsito colore, introducat. Introductas verò per eundem quondam serenissimum dominum Mathiam Regem, aboleat. Contributionem verò seu taxam vnius floreni nulla ratione exigat, sed antiquis, iustis, ordinarijs & consuetis prouentibus Regalibus sit contenta, Cõtributio Andr. Secũ. art. 3. Szylagy art. 5. Mat. Quar. art. 2. Vlad. in art. Regn. Sclauon. art. 2. Vlad. Quin. art. 1.

Bona per Regem Mathiam, & Reginam, vel alios occupata, remittantur. ART. II.

ITEM quòd bona, & alia quæcunq; iura aliorum, per quondam dominum Mathiam Regem felicis recordationis, & Reginalem Maiestatem, ac per alios quoscunque, malè & præter viam iuris, vsque ad hæc tempora, quomodocunque occupata, visis & examinatis iuribus talium, remittat, & faciat etiam per alios remitti, his, quorum extiterunt.

Corona Regni quomodo, per quos & vbi seruetur. ART. III.

ITEM quòd Coronam Regni, de manibus dominorum Prælatorum & Baronum, nulla causa vel quæsito colore, nulla etiam industria vel arte auferat, sed per-

mittat & patiatur, quòd iuxta veterem consuetudinem & libertatem ipsorum, certi de eorum medio per ipsos vnanimiter ad hoc eligendi & deputandi illam teneant & conseruent. Quodq; Castrum Wyssegrad, pro conseruatione ipsius Coronæ, ab antiquo deputatum, ad manus ipsorum conseruatorum eiusdem Coronæ, dari & assignari faciat.

Morauia, Silesia, & Lusatia à Corona Regni non alienentur. ART. IIII.

ITEM quòd Morauiam, necnon Silesiam, & Lusatiam vtranq; à Corona & Regno Vngariæ non abalienabit, sed infra tempus redemptionis, iuxta inscriptiones & obligationes alias in Dieta Olomucensi factas, ad ipsam Coronam Vngariæ semper tenebit. Et si fortè Maiestatem suam, absq; hærede legitimo decedere contingeret, ita prouidebit in vita, quòd etiam post mortem suam, ab eadem Corona & Regno, infra tempus redemptionis, sub aliquo colore, vel via, non alienabuntur. Et insuper, elaborabit & efficiet, quòd sex Ciuitates, iuxta pacta & dispositionem in prædicta Dieta factam, instar illarum aliarum prouinciarum, se eidem Regno & Coronæ Vngariæ inscribent & obligabunt: Et superinde literas eorum dabunt, & emanari facient: illasq; Majestas sua, ad domum Thauernicalem Coronæ Vngariæ reponi & consignari faciet. Si verò successu temporum præfata dominia à Corona & Regno Vngariæ, per illos, quibus iuxta inscriptiones & obligationes superinde factas competit, redimerenentur: extunc illa totalis summa pecuniæ, ad manus conseruatorum Coronæ, ad Wyssegrad, penes Coronam pro Regni necessitate, conseruanda assignetur. Tandemq; ad defensionem & vtilitatem Regni, iuxta voluntatem & consilium dominorum Prælatorum & Baronum exponatur & conuertatur. Et de ipsa pecunia, præter voluntatem & consilium, ac liberum & expressum consensum eorundem dominorum Prælatorum & Baronum, nulla ratione disponatur quippiam vel agatur.

Inscriptio Olomucen.

Rex pro maiori parte in Vngaria maneat. ART. V.

MAIESTAS sua pro maiori parte in Vngaria maneat, vt commodius faciliusq; Regni neccessitatibus consulere & prouidere possit.

Consiliarij, Cancellarius, Thesaurarius & alij officiales Vngari sint. ART. VI.

ITEM quòd dum in Vngaria manebit, Consiliarios, Cancellarium, Thesaurarium, Cubicularios, Dapiferum, Pincernam, Comites, Camerarios, & generaliter omnes officiales, majores vel minores, Vngaros teneat & habeat: prout etiam tempore quondam Serenissimi domini Ladislai Regis, felicis memoriæ, consuetum est, & obseruatum extitit.

Ladislai Posthumi.

De rebus Vngariæ, Rex cum Consiliarijs Vngaris consultet. ART. VII.

ET quando de rebus & negocijs Regni Vngariæ, ac partium sibi subiectarum agetur, non cum alijs, præterquam cum Vngaris Consiliarijs tractet & consultet, & alios forenses, aliasq; nationes ad talem consultationem, taleq; consilium non admittat.

Externi ad consiliũ nõ admittẽdi.

Dignitates & officia, Vngaris conferentur, ART. VIII.

WAIVODATVM Transyluaniensem, & Comitatum Siculorum, ac Themesiensem, prætereaBanatum Sclauoniæ, Dalmatiæ & Croatiæ, nec non Sirmiensem, Nandor Albensem & de Iaijcza, aliaq; loca & castra finitima, nec non ciuitates Regales, non alijs, præterquam Vngaris, pro officiolatu, Regia Majestas dare & conferre valeat, benè tamen meritis.

Externis officia non cõferenda.

Externis bona non conferantur.

Iura possessionaria non extraneis, sed Vngaris conferantur. ART. IX.

POSSESSIONES & jura possessionaria, non forensibus, sed benè meritis incolis tantum Regni, & Coronæ Vngariæ subiectis, iuxta eorum merita & obsequia confe-

Vide infra eiusdem Decret, 2, ar. 2.

conferantur. Regia autem Majeſtas liberam habeat poteſtatem conferendi, vſque ad centum Iobagiones proprio motu, quibuſcunque voluerit. Vltra autem centum conferat cum conſilio Prælatorum & Baronum ſuorum, prout continetur in literis juramentalibus ſuæ Majeſtatis.

Expreſsius Albert. art. 16. And. Secun. art. 26.

Iudices in celebratione Iudiciorum perſonaliter interſint: & de modo celebrandi iudicia.

ART. X.

IN celebrationibus Octauarum, Iudices Regni Vngariæ ordinarij perſonaliter interſint, niſi ex cauſis legitimus, in arduis negocijs Regni præpediti fuerint, vel alter illorum fuerit. Ipſi autem vel eorum viceſgerentes, ac coaſſeſſores, liberam plenam & omnimodam habeant facultatē, omnibus cauſantibus, majoribus & minoribus, cujuſcunq; ſtatus & conditionis ſeu dignitatis exiſtant, abſque omni timore, meram & ſinceram, juxta Regni antiquam & approbatam conſuetudinem, juſticiam adminiſtrandi: Et quòd Regia Majeſtas, vel domini Prælati & Barones neminem Iudicum compellant vel aſtringant, in fauorem alicujus, conſuetudines & communem obſeruantiam, ac Iuris ordinem immutare, ſeu perturbare.

Præpeditus; Infr. E. art. 33. 42. 79. Math. Sext. artic. 3. Iudicandū juxta antiquam & approbatā cōſuetudinē.

Rex ad querelam ſimplicem, parte non audita, neminem impediat. ART. XI.

ITEM quòd ad ſimplicem querelam, vel ſiniſtram ſuggeſtionem, Regia Majeſtas neminem Regnicolarum ſuorum, cuiuſcunq; ſtatus ſeu conditionis exiſtat, in perſona, poſſeſſionibus, ſeu quibuſcunq; rebus aliquomodo, præter viam Iuris & parte non audita, impediat.

Math. Secū. ar. 18. Ejuſ. Ter. art. 10. Ejuſ. Quar. art. 9.

Rex motu proprio, aut etiam delatione aliorum, nocendi occaſionem contra neminem Regnicolarum concipiat. ART. XII.

ITEM quòd Regia Majeſtas, neque motu proprio, neque ad quorumcunque delationem contra quempiam Regnicolarum, cujuſcunque ſtatus ſeu dignitatis, aliquam occaſionem nocendi, ſiue in perſonis, ſiue in rebus concipiat & exquirat.

Via Iuris Regnicolæ puniendi. Math. Tert. ar. 2. Eiuſd. Quart. art. 10.

Nota ſeu crimine infidelitatis, ſine conſilio Prælatorum, & Baronum, Rex neminem condemnet ART. XIII.

REGIA Majeſtas, neminem Regnicolarum, ſine Prælatorum & Baronum conſilio, nota ſeu crimine infidelitatis damnare valeat.

Vide infra in eiuſdem Decr. Secū. art. 3. Ibidē articuli notæ infidelitatis art. 4.

Bona vniuerſa, poſt obitum Mathiæ Regis occupata, remittantur. ART. XIIII.

VNIVERSA caſtra, caſtella, oppida, villæ ſeu poſſeſſiones, & piſcinæ, acquæcunq; jura poſſeſſionaria, per quoſcunq;, poſt obitum quondam Sereniſſimi domini Mathiæ Regis, à ſeſe qualitercunque occupata, infra feſtum Aſcenſionis Domini proximè venturum, ſub nota perpetuæ infidelitatis eiſdem, à quorum manibus occupata ſunt, per eoſdem occupatores remittantur. Vbi verò ipſi occupatores contrarium facere, auſu temerario, præſumpſerint: extunc ipſi occupatores violenti, per Regium, aut Palatinalem, vel Iudicis curiæ Regiæ, ac Capituli & Conuentus homines, illi Comitatui deſeruientes, in quo hujuſcemodi jura poſſeſſionaria, puta, caſtra, caſtella, oppida, villæ, nec non piſcinæ, ſeu quæq; jura poſſeſſionaria alia occupata haberentur, perſonaliter admoniti, aut ſi perſonaliter reperiri nequeunt, de domo habitationis ipſorum, in qua perſonalem facerent reſidentiam remittere teneantur. Si verò, caſu in eodem, contrarium facere attentauerint, ad triceſimum ſecundum diem, diei Euocationis ex hinc fiendæ, euocentur: Et Regia Majeſtas, aut alij Iudices Regni ordinarij, quorum, vel cujus authoritate ijdem occupatores admoniti & euocati fuerint, literas ſuas ſententionales, contra tales, tanquam iudicialiter condemnatos, dare & emanari, ac eas executioni demandari facere: Et nihilominus bona illa, taliter occupata, vigore eiuſdem latæ ſententiæ à manibus illorum reoccupari, & illis, quorum fuerunt, reddi. Reliqua verò omnia bona talis violenti occupatoris, tanquam bona infidelis, eidem Regia Majeſtas, liberam, cuicunq; voluerit, conferendi habeat facultatem, prius tamen Majeſtas

Bona occupata remittantur, ſub pœna notæ infidelitatis.

Breuis proceſſus cōtra uiolentos alienorum bonorum.

Majestas sua, de huiusmodi damnis, ex bonis & possessionibus occupatoris, læso, plenam impendere faciat satisfactionem.

Fortalitia nouiter erecta diruantur. ART. XV.

OMNIA castra seu fortalitia, per quoscunq;, intra ambitum huius Regni Vngariæ, & aliorum Regnorum eidem subiectorum, post obitum & mortem eiusdem domini Mathiæ Regis, hoc tempore scilicet, & ratione guerrarum erecta & ordinata, per hos, qui fecerunt & construxerunt, infra tempus præfixum, sub præmissa nota infidelitatis, aboleâtur & distrahantur: demptis duntaxat illis, quæ pro defensione fidelium contra Turcos, & cæteros inimicos Regni, in confinijs Regni erecta sunt & constructa. Quòd si quispiam ex eis, ea distrahere nollet: extunc bona illa & possessiones, vbi dicta fortalitia erecta sunt, modo simili, Regia Majestas liberè conferre valeat, quibuscunq; voluerit, tanquam bona infidelium.

Castella demoliantur sub pœna notæ infidelitatis.

Damna, post obitum Mathiæ Regis, quibuscunque illata, requirantur jure. ART. XVI.

QVIA plures sunt in Regno, qui post mortem quondam domini Mathiæ Regis, temeritate propria, alijs in domibus eorum quietè morantibus, plurima damna, nocumenta & iniurias irrogare & inferre præsumpserunt. Propterea statutum est: Quòd huiusmodi damna, nocumenta & iniurias, siue in personis, siue bonis & rebus, quomodocunq; passi, occasione talium damnorum, nocumentorum, & iniuriarum, eos qui irrogarunt, iudicio conuenire, & ab eisdem sua damna, nocumenta & iniurias, jure mediante reacquirere, liberè possint & valeant: Ita quòd postquam tales euocati fuerint, in primis Octauis, ex parte eorum, absque qualibet dilatione iudicium administretur.

De conseruatione militum Regiorum: & de pœna si cui milites damna intulerint. ART. XVII.

ITEM quòd Regia dignitas, pro tuitione Regni, & confiniorum ipsius conseruatione, hominibus suis, tàm officiolatus eiusdem tenentibus, quàm & alijs exercituantibus, de stipendio Regali dispositiones faciat, sicq; Regnicolas ipsi stipendiati exercituantes, seu officiales, confinita tenentes, non prædentur. Vbi autem ipsi exercituantes, seu officiales, ac stipendiarij Regnicolas deprædati fuerint, tunc tales pronuncientur, instar aliorum patratorum actuum potentiariorum, ex parte quorum, per Iudices ordinarios Regni, iudicium & iusticia administretur, modo & ordine in articulo sexto, immediatè sequenti, denotatis.

Vide plura Math. Sext. art. 30.

Ii. infr. ar. 6.

Rex extra Regnum militem ducere volens, Regnicolas inuitos secum ire non compellat: & quomodo Regnicolæ, contra hostes Regni, penes Regis exercitum exurgant ART. XVIII.

EXERCITVS generalis, dominis Prælatis, Baronibus, nec non Regnicolis, alijsq; possessionatis cuiuscunq; conditionis hominibus, tàm diu, donec officiales & stipendiati Regales exercituantes aduersarijs resistere poterunt, non proclametur. Dum verò, necessitate vrgente, exercitum generalem proclamari contigerit, tunc ijdem domini Prælati & Barones Banderiati, Regniq; Nobiles, vltra metas & confinia Regni, ex quacunque parte eiusdem Regni, inuiti, more exercituantium non ducantur, antiqua eorum libertate requirente: demptis illis, qui stipendia Regalia leuarent.

Andr. Secũ. art. 7.

Exercituandi modus. ART. XIX.

ITEM quòd difficultatibus, quæ in modo exercituandi sæpius euenire possent, via præcludatur, declaratum est & statutum: Quòd quandocunq; Maiestas Regia, extra hoc Regnum suum, pro suo proprio commodo, vel vtilitate priuata, exercituare voluerit, tunc domini Prælati & Barones, ac Nobiles Regni, cæterique possessi-

Sigis. Decr. Quin. & Ladislai posth. per totum. Math. Sext.

possessionati homines, inuiti, cum sua Majestate ire non teneantur, neq; ipsorum homines mittere, & nec debeant ad hoc quouis modo compelli, nisi si officiales Regiæ Majestatis fuerint, aut stipendium à Majestate sua ad huiusmodi exercitum leuauerint. Quando autem contigerit, quòd hostes aut inimici qualiscunque nationis, bello aut exercitu, Regnum hoc, vel eius confinia hostiliter inuaserint, interim quosque officiales & stipendiarij Regales huiuscemodi hostibus & inimicis resistere sufficiunt, Majestas Regia, exercitum generalem indicere & promulgari facere non debeat. Verùm si tanta fuerit hostium potentia, quòd viribus dictorum officialium & stipendiariorum Regalium, illis resistere non sufficiens sit, Majestas Regia exercitum generalem necessariò indicere & promulgari facere habebit. Et si Regia Majestas, aut Palatinus, vel generalis Capitaneus Regni pro tempore constitutus, ad hujusmodi generalem exercitum personaliter proficiscere-tur, tunc etiam domini Prælati & Barones Banderia habentes, leuatis Banderijs eorum, cæteri verò Barones & Nobiles, modo inferius declarato & ordinato ire teneantur, vsque ad metas & terminos Regni, & non extra, antiqua ipsorum libertate requirente: demptis, vt præmissum est, officialibus & stipendiarijs Regalibus supradictis.

ar. 30. et 31. Reliqua Albert. art. 19.

Rege, Palatino aut generali Capitaneo in bellum proficiscente omnes personaliter uadũt.

Sub Banderio vno quod equites sint: & Nobiles possessionati, ac vnius sessionis quomodo in bellum procedant. ART. XX.

IN huiusmodi exercituali expeditione, vt materia cuiuslibet contentionis & coarctationis excludatur, statutum est & ordinatum, quòd sub vnoquoq; Banderio integro, quadringenti, sub medio verò, ducenti homines exercituantes; pro vna medietate armigeri, pro alia autem leuis armaturæ, vulgò Huszarones nuncupati, esse debeant. Cæteri verò Barones Banderia, non habentes, iuxta honoris & facultatum ipsorum exigentiam, ac numerum Iobagionum ipsorum, exercituare debebunt. Nobiles siquidem, & cæteri possessionati homines minoris status, de singulis viginti portis, seu sessionibus Iobagionalibus integris, vnum equitem decentem. Nobiles autem vnius sessionis, vt puta, Iobagiones non habentes, de singulis decem domibus seu Curijs, similiter vnum equitem exercituantem, ad minus lanceam, clipeum & arcum manualem, & si fieri poterit, loricam etiam habentem, mittere tenebuntur.

Bander. unũ 400. homines. Leuis armaturę, huszar. De portis 20. equites. Nobilis unius sessionis de curijs decem equites.

Duces & Comites quomodo in bellum prodeant, qui similiter Banderia habent. ART. XXI.

SVNT etiam domini Duces in hoc Regno, videlicet, Illustrissimi domini, Ioannes Coruinus & Laurentius de Wylak. Sunt præterea Comites perpetui & liberi, vt puta, Spectabiles & Magnifici domini, Stephanus de Zapolya terræ Scepusiensis, nec non Ioannes & Sigismundus de Bozyn, & de Sancto Georgio, cum fratribus eorum, ac Comites de Frangapanibus, & de Corbania, qui instar Baronum banderia habentium, secundum exigentiam facultatum, & numerum Iobagionum ipsorum, exercituare tenebuntur.

Duces. Comites liberi.

Domini in seruitijs Regis & Regni, siue etiam priuatis negotijs profecturi, & gentes eorum si damna intulerint, quomodo de his satisfactio impendatur, iuxta iuramentum damnificatorum. ART. XXII.

ITEM quòd dum Prælati & Barones, & quicunq; alij Nobiles, qui ad Majestatem Regiam, vel eius Curiam, aut exercitum, vel quocunque aliâs, siue in rebus priuatis, siue publicis, proficiscantur, aut eorum homines mittent, sine damno, nocumento, iniuria & impedimento aliorum Regnicolarum & populorum, semper, et vbique proficisci debeant & teneantur. Casu verò, quo quipiam contra facere, & quibuscunq; damna irrogare præsumpserint: extunc homines damnificati, siue Nobiles sint, siue Ignobiles, in præsentiam Comitis parochialis & Iudicum Nobilium illius Comitatus, in quo huiusmodi damna facta & illata extiterint, acceden-

Math. Sext. art. 30.

Repetita Sigism. Quin. art. 8. & 9.

accedentes, super quantitate damnorum, quæ ipsis illata fuerint, conquerentur. Si nobiles per se: si verò Ignobiles fuerint, cum suo villico, & duobus vicinis suis, domui suæ, ex vtraque parte proxime coniunctis, iuramentum præstent: Ipsiq; Comites & Iudices Nobilium, super huiusmodi damno & juramento, ipsis conquerentibus, literas eorum testimoniales dent, vigore quarum, quàm primum ad Curiam Regiam, in præsentiam Iudicum & justitiariorum, ipsam Curiam iudicantium accesserint, mox absque vlteriori probatione & litium protactione, eisdem damnificatis, iuxta contenta literarum, prædictorum Comitis & Iudicum Nobilium, illius videlicet Comitatus, in quo huiusmodi damna, per quoscunque exercituantes illata fuere, (Quibus quidē literis, absque vlterioris probationis requisitione, ex vigore præsentis constitutionis, plena fides adhibeatur) ex parte cuiuslibet damna inferentis, omnimoda satisfactio damnorum, nec non expensarum, pro ipsis damnis exquirendis factarum, sententialiter & cum executione debita, finaliter & effectiuè per sententiam Iudiciariam fieri decernatur. Quam personalis præsentia Regia, vel Palatinus, aut Iudex Curiæ pro tempore constitutus, vel eorum vicesgerentes & sigilliferi, literatoriè dare & conferre teneantur, Comitibusq; vel Vicecomitibus, & Iudicibus Nobilium illorum Comitatuum, in quibus ipsi exercituantes, qui præmissa damna irrogasse, modo antelato, comprobati fuerint, possessiones & bona habere dignoscuntur, per huiusmodi literas sententionales scribatur & demandetur, quatenus ipsi, mox receptis dictis literis sententionalibus, cuiusmodi læsis & damnum passis, ex parte ipsorum damna inferentium, per ablationes rerum & bonorum eorundem, & si necesse fuerit, possessionum occupationes, super omnibus, in hujusmodi literis sententionalibus contentis, coram testimonio alicuius Capituli vel conuentus, omnimodam & indilatam satisfactionem teneantur exhibere. Si autem huiusmodi damna inferentes homines Regij, extranei vel forenses fuerint, ex parte talium, Regia Majestas plenam satisfactionem inpendere teneatur, seruatis conditionibus prænotatis. Si qui autem voluerint eorum causam, ratione huiusmodi damnorum, in Curia Regia prosequi; valeant atque possint, instar aliorum actuum potentiariorum. Vbi autem damnificati falsum præstitisse, in eo casu, reperti fuerint juramentum, tanquam falsarij, perjuri, & calumniatores puniantur.

Comes fidē faciat de dānis illatis per milites.

Nullæ gentes, post finitum bellum, in aliorum bona condescendant, ne damna inferant: contrarium facientes puniantur. ART. XXIII.

Math. Sext. art. 31.

QVIA nonnullæ gentes, potissimum verò leuis armaturæ, siue Huszarones, facere hoc consueuerunt, quòd post descensum exercitus, aut etiam eorum stipendio expirato, non in proprijs ipsorum, sed aliorum bonis jacent, seq; reficiunt, & plurima istic damna, & aliorum nocumentorum genera impunè committunt. Statutum itaque & diffinitum est, quòd tales, siue sint armigeri, siue Huszarones aut pedites, â modo nusquam in bonis, aliorum manere seu iacere possint: sed teneantur ad propria ire, & ibi volent, noua stipendia expectare. Quòd si fortè temerè aliud attentare præsumerent, & hi, in quorum bonis agerent, id molestè ferrent: Si ijdem damnificati per se eosdem repellere possent, repellendi habeant facultatem: Sin autem non, debeant Comiti illius Comitatus significare, & eum requirere, quo illos remoueat: Ille verò è vestigio teneatur eos admonere, quòd recedant, & damna irrogata persoluant. Et si non paruerint, eos captiuet, & personas ad castigandum Regiæ Majestati transmittat. De rebus verò & bonis suis & familiarium suorum, damna illata rectificet & persoluat, Si autem Comes, per se ad hoc impotens & insufficiens erit, Comitatus penes eundem insurgere teneatur. Si tamen Comes tepidus, aut negligens fuerit, & damnificatus querelam Regiæ Majestati porrexerit, debeat & teneatur Regia Majestas de proprijs rebus & bonis ipsius

Comes admonet milites discessus ex alienis bonis. Comitatus penes Comitem insurgat. Comitus in eo

sius Comitis, vniuersa illa damna rectificare, ac etiam expensas refundere: et insuper gentes ipsas de possessione querulantis remouere. affectatæ negligétiæ pœna.

De damnis per Castellanos seu officiales arcium patratis, domini satisfactionem impendere tenentur, & se de innocentia, iuramento purgare: Domini verò, seruitores eiusmodi, non obstante Nobilitatis priuilegio, etiam in domibus proprijs captiuare, ad recuperationem dominorum suorum, possint. ART. XXIIII.

SI qui Castellanorum, aut cæterorum officialium Regalium & Reginalium, nec non Prælatorum & Baronum, Nobiliumq;, Ignobilium, ac Regnicolarum quorumcunq; de Castris, officiolatibus, & cum potentijs onminorum ipsorum, a quibus huiusmodi castra, possessiones & officiolatus, pro honore tenent, aliquos actus potentiarios, damnificationes, iniurias, & quæcunq; alia mala perpetrauerint & commiserint, talium domini, qui eisdem huiusmodi Castra, officiolatus & honores contulerunt, super omnibus damnis & nocumentis, per se, & de suis bonis ad plenam satisfactionem sint obligati: & teneantur effectiuè, se ipsos in huiusmodi actibus potentiarijs, per suos Castellanos seu officiales perpetratis, innocentes, inscios & immunes fore, debito iuramento purgare; suum autem damnum in hujusmodi satisfactione prætacta perceptum, si voluerint, à suis familiaribus, Castellanis, seu officialibus, qui ipsi satisfactioni causam deberunt, per ablationes rerum & bonorum ipsorum, ac possessionum occupationes, seu rebus & bonis, ac possessionibus minus sufficientibus, personarum eorum detentionē, etiam in proprijs domibus, & in captiuitatem reductionem & conseruationem, vsque ad recuperationem damnorum suorum prædictorū fiendam, non obstante Nobilitatis, liberæ cōditionis, & alterius cuiuslibet dignitatis priuilegio, liberam habeant facultatem, quantitatem sui damni, in solutione huiusmodi percepti, non excedentes.

Sigism. Sext. art. 6. Vlad. Tert. art. 46. Si aufugerint. Math. Sext. art. 34.

Metarum rectificatio cum finitimis prouincijs. ART. XXV.

METÆ inter Vngariam & Austriam ab antiquo tempore habitæ, per quondam dominum MATHIAM Regem de nouo rectificatæ & recuperatæ, in eodem statu per Regiam Majestatem relinquantur & teneantur. Et quòd de metis inter Vngariam & Morauiam, nec non Poloniam similiter rectificandis, Majestas Regia decernat, quid pro vtilitate Regnorum melius sit faciendum.

Prouentus Regij, Lucrum Cameræ, Quinquagesima & mardurinæ, quomodo exigantur ART. XXVI

LVCRVM Cameræ in Regno Vngariæ, Quinquagesimam in partibus Transyluanis, ac mardurinas in Regno Sclauoniæ exigi consuetas, Majestas Regia, more ab antiquo consueto, temporibus videlicet quondam dominorum SIGISMVNDI & ALBERTI Regum, exigi faciat. Vbicunque autem idem lucrum Cameræ, tempore debito solutum non fuerit, Comes Parochialis cum Iudice Nobilum de qualibet villa non persoluente, post emanationem literarum Birsagialum, per Iudices Nobilium, contra tales dari solitarum, exigere debeat, cum birsagio trium Marcarum: sine omni exemptione.

Andr. Secū. art. 27. Ludou. Pri. art. 12. Alber. ar. 7. Comes lucrū Cameræ cum birsagio exigit.

Tricesimæ exigantur, iuxta veterem consuetudinem: de rebus autem minutis, infra valorem vnius floreni, Tricessimæ non exigantur. ART. XXVII.

ITEM quòd Tricesimæ exigantur Regiæ Majestati, juxta antiquam consuetudinem, sicuti temporibus dominorum LVDOVICI, SIGISMVNDI & ALBERTI Regum, in locis aliâs consuetis. De minutis autem rebus, infra valorum vnius floreni Tricesimatores nullam Tricesimam exigere præsumant. Illas verò Tricesimas, quæ domino Stephano de Zapolya, Comiti perpetuo terræ Scepusiensis, & Regni Vngariæ Palatino, ac alijs dominis sunt impignoratæ, vsque tempus redemptionis eorū exigi facere habeant & debeant, modo antedicto, in locis consuetis.

Rex in bonis Prælatorum, Magnatum & Nobilium, victualium exactiones vecturas, & alia onera, præter voluntatem eorum, facere non permittat. ART. XXVIII.

ITEM quòd in possessionibus & bonis Ecclesiarum, & Nobilium, seu quarumcunq; Ecclesiasticarum vel Sæcularium personarum, violentas exactiones victualium, procurationes hospitalitatum, & quaslibet alias aggrauationes, præter voluntatem inhabitantium, Majestas Regia non faciet, nec per alios fieri permittet; sed neq; in domibus & in locis Prælatorum & Baronum, ac aliarum quarumcunq; Ecclesiasticarum & Sæcularium personarum, pro tractatibus habendis, & alijs quibuscunq; negocijs disponendis, ipsis inuitis morabitur, aut eos expensis, victualibus, curruum & sarcinarum vecturis, nunciorum & familiarium, ac quorumcunq; ad suam Majestatem pertinentium procurationibus, ultra eorum spontaneam voluntatem, in aliquo grauabit, sicut abusiuè contra eorum libertatem, tempore præfati domini Mathiæ Regis erat inchoatum.

Archidiaconi, Vicearchidiaconi & Plebani, pro sepultura interfecti, Marcam argenti non exigant, sub amissione beneficiorum. ART. XXIX.

Ludou. Pri. art. 2. Math. Sext. art. 63.

Ab interfectoribus marca exigi potest.

AMODO & deinceps, nemo Archidiaconorum, Vicearchidiaconorum & Plebanorum, eorumq; Vicesgerentium, sub pœna amissionis beneficiorum, marcam illam argenti, vel quatuor aureos, vltra omnia funeralia, alias de funere interfectorum abusiuè recipere consuetam, exigere præsumat, prout hoc etiam tempore dominorum, Caroli, Ludouici, Sigismundi & Alberti Regum per Bullas Apostolicas, ad instantem petitionem eorundem Regum, cassatum & extinctum fuisse manifestè dignoscitur, Ab interfectoribus autem liberam habeant exigendi facultatem.

Mineræ, in quorumcunq; Regnicolarum bonis, qualescunq;, demptis salibus, repertæ fuerint, eas Rex pro se occupare non possit, sed Vrburas Regales, ab eis qui eas coluerint, exigi faciat. ART. XXX.

Ludou Pri. art. 13. Sigism. Ter. art. 13. Math. Sext. art. 49.

Vrburæ argenti, nunc florenus unus.

ITEM conclusum est, quòd vbicunq;, & in quorumcunq;, tàm dominorum Prælatorum & Baronum, quàm etiam Nobilium, seu aliorum possessionatorum, cuiuscunq; conditionis existant hominum, terris, territorijsq; & metis, aliquæ mineræ auri vel argenti, cupri, ferri, aut quæuis metalla, & fodinæ reperirentur, dēptis fodinis salium, quæ solius Regiæ Majestatis dominio & vsui reseruatæ essent: Hi, & eorum hæredes, in quorum possessionum terris inuenirentur, fodinas, & montana hujusmodi fodere, colereq;, & successiuis semper temporibus laborari facere, ac vsus & fructus eorum percipere valeant atque possint. Ita tamen vt jura Regalia, seu Vrburæ juri Regio pertinentes, & ex hinc prouenientes, consuetudine aliarum fodinarum requirente, Regiæ Majestati fideliter administrentur: Quodq; forent pleriq; ex dominis Prælatis, Baronibus, Proceribus potioribus Nobilibus huius Regni, qui ex Diuorum prædecessorum Regum Vngariæ donatione & annuentia, in terris eorum proprijs fodinas auri, argenti, cupri, ferri ac aliorum metallorum diuersorum, exceptis fodinis, vt præmissum est, salium, colerent & laborari facerent: Illi secundū indulta, donationes, & annuentiam præscriptorum Regum, contentaq; priuilegiorum suorum, liberè, & absque omni impedimento colere, atque laborari facere, ac earum prouentus capere valeant atque possint.

Monetæ extraneæ in Regnum non inducantur, in confinijs tamen vsus earum permittitur. ART. XXXI.

MONETÆ seu pecuniæ extraneæ in Regnum non inducantur, & nec acceptentur. Contrarium autem facientes, pœna aliâs consueta mulctentur, demptis in confinibus Regnorum commorantibus.

Aurum & argentum non cusum ex Regno non efferatur, alioquin cedant in commissum. ART. XXXII.

QVIA

QVIA nonnulli sunt in hoc Regno negociatores, & alij variæ nationis homines, qui facultates Regni vltra modum exhauriunt, Thesaurum ipsius Regni, aurum scilicet & argentum, de eodem Regno exportantes, & ipsum Regnum eisdem destituentes. Vt igitur publicæ vtilitati & communi bono dicti Regni consulatur: Statutum est, ex communi omnium dominorum Prælatorum, Baronum, & Regnicolarum consilio & deliberatione, vt nullus omnino hominum cuiuscunq; status, nationis vel conditionis existat, aurum vel argentum conflatum, & non redactū in monetam auream vel argenteam tantummodo, quacunq; ex causa, de Regno exportare possit seu audeat. Si qui autem contra huiusmodi statutum venire, vel facere præsumpserint, quicunq; tales, vt præfertur, aurum & argentum exportantes inuenerint: extunc ipsi inuenientes, plenam & omnimodam ab eisdem exportantibus huiusmodi aurum & argentum, ac alias res eorundem, cum detentione etiam personæ propriæ, habeant, vigore præsentis statuti siue decreti, auferendi & recipiendi facultatem. Sigism. Secund. art. 15, 21.

De Palatini autoritate, Iudicibus, Officialibus Regijs, Comitibus & Assessoribus, Vicesgerentibus, Protonotarijs Iudicum ordinariorum, ac forma iuramenti eorum. ART. XXXIII.

QVIA Palatinus Regni Vngariæ, antiqua Regni consuetudine requirente, ex parte Regnicolarum Regiæ Serenitati, & è conuerso, ex parte ipsius Regiæ Majestatis Regnicolis, iudicium & iusticiam facere habet & tenetur: Regia Majestas ipsum Palatinum, ex consilio Prælatorum & Baronum, & Regni Nobilium pari voluntate eligat. Et vt omnis suspicio, quæ contra ipsum Palatinum, & alios Iudices & justiciarios ipsius Regni, de fauore, vel odio, aut quomodocunq; concipi possit, de cordibus quorumlibet penitus remoueatur & tollatur, semper successiuis temporibus, omnes & singuli Iudices & justiciarij istius Regni, tàm Ecclesiastici, quâm Sæculares, qui videlicet in Palatinum, Iudicem curiæ Regiæ, Magistrum Thauernicorum Regalium, Cancellarium vel Vicecancellarium Regalem, in Protonotarios vel vicesgerentes Iudicum prætactorum, ac etiam Assessores eorundem in iudicio, in Waiwodam partium Transyluanarum, Comitem Siculorum, Banum Regnorum, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, Banum Machouiensem, ac Comites quorumlibet Comitatuum, & Iudices Nobilium eligenter & assumenter, eorundemq; in judicatu vicesgerentes substituti, & Assessores, tempore receptionis eorundem, ad hujusmodi honores & officia administrationis judicij & justiciæ, in manibus Regijs, val deputatorum ab ipsa Majestate Regia, juramentum præstare teneantur, per formam verborum infrascriptorum. Forma verò Iuramenti sequitur in hæc verba.

Palatinus Iudex inter Regem & Regnicolas. Palatinus à Rege & Regnicolis eligitur. Ex constit. Regnicolarum, Anni 1485. Iudices omnes jurare debent. Sigism. Sex. art. 1. Math. Sext. arti. 73.

IVRAMENTVM IVDICVM REGNI.

EGO T. IVRO PER DEVM VIVVM & gloriosam DEI genitricem Virginem MARIAM, & per omnes Sanctos & electos DEI, quòd omnibus coram me causantibus, & in omni negocio, quòd ad officium meum pertinebit, absq; cujusuis personæ, diuitis scilicet & pauperis acceptione, prece, præmio, fauore, timore, odio, amore & complacentia, remotis & postpositis, prout secundum DEVM, & ejus justiciam faciendum cognouero, justum & verum judicium & justitiam atque executionem, in omnibus rebus, pro meo posse faciam: sic me DEVS adiuuet, & omnes sancti. Hoc declarato, quòd Palatinus postquam eligitur, coram Regnicolis juramentum, in forma præscripta, manifestè præstare teneatur. Palatinus corá Regnicolis iurat.

De Iudicibus Nobilium, in singulis Comitatibus eligendis. ART. XXXIIII.

ITEM quòd Iudices Nobilium, in quolibet Comitatu eligantur & præficiantur, ex Nobilibus potioribus & benè possessionatis illius Comitatus, communiter Sigism. Sex. art. 2. de Vicecomitibus uero,

 omnibus

Math. Sext. art. 60. Vlad. Quin. artic. 2. Iudicis Nobilium officiũ acceptare nolẽtis pœna. Comitis sigillum. Iudicatus Nobiliũ officio fũctus per anũm, intra quinquennium illud assumere non tenetur.

omnibus Nobilibus eiusdem Comitatus concorditer acceptantibus: & ipsi electi teneantur non refutare, sed suscipere officium iudicatus, sub pœna viginti quinque marcarum irremissibiliter exigendarum: exceptis tamen officiolatus & honores Regios, Reginales, Prælatorum, Baronum vel aliorum tenentibus, vel stipendia ratione exercituantium habentibus, vel alijs rationalibus ex causis, in ipso Comitatu continuam residentiam non facientibus: & hujusmodi officium ad minus per annum exercere debeant, habendo sigillum cognoscibile, ad dandum cum sigillis aliorum Iudicum Nobilium, & Comitis, vel Vicecomitis literas fide dignas. Si verò elapso anno voluerint, habeant recusandi facultatem. Quòd si resignauerint, aut per communitatem Nobilium comprouincialium remoti vel mutati fuerint, ante annum quintum futurum, ad idem officium assumendum inuiti non coarctentur.

Abolitio Iudicij generalis Palatinatus: & modus puniendi malefactores. ART. XXXV

Sigil. Sext. art. 4. Math. Sext. art. 1. idem.

IVDICIVM generale siue Palatinale, quod congregatio generalis Palatinalis appellabatur, aboleatur, & à modo nullo vnquam tempore celebretur. Ne autem per hoc malefactoribus, malè agendi data concessaq; videatur licentia: Conclusum est, quòd si quando Comitatus aliquis, à latronibus, furibus, homicidis, incendarijs, falsarijs, & alijs flagiciosis sentiret se molestari, & tales malefactores & flagiciosos ibi multiplicari cognosceret, Regia Majestas ad petitionem illius Comitatus annuere, & eidẽ liberã cõcedere facultatẽ debebit: ita quòd Majestas sua, per Palatinũ vel Iudicem curiæ suæ pro tempore constitutum, tales malefactores & flagiciosos in illo Comitatu exquiri, & exterminari facere habebit. Casu autem, quo aliqui potiores de eodem Comitatu hoc habere & petere nollent, Communitas Nobilium ipsius Comitatus, liberam à Regia Maiestate petendi habeat facultatem.

Proclamatarum congregationum abolitio. ART. XXXVI

Math. Sext. art. 2.

QVIA in celebrationibus proclamatarum congregationum plurimæ enormitates, & inaudita scandala, pericula etiam inopinata ex improuiso fieri solent. Ad tollendum hujuscemodi periculosum, & extra hoc Regnum inauditum iudicium, vel potius corruptelam, pari vniuersorum Regnicolarum voluntate, consilio & deliberatione statutum est: quòd à modo, nullo vnquam tempore, hujuscemodi proclamatæ congregationes generales celebrentur, sed penitus cessent, & perpetuò abolitæ sint & habeantur.

Duellorum abolitio. ART. XXXVII.

Math. Sext. art. 18. Duelli verus vsus. Militaris curia Regia.

QVIA in Duellorum dimicatione, plurimæ hinc inde fraudes committi possunt. Raro enim illi, inter quos illud fit iudicium, per se decertant, sed pugiles conducunt, qui nonnunquam dono, fauore & promissis corrumpuntur, sicq; partem suam, in negocio quantumuis graui, quandoquidem non ipsimet decertare consueuerunt, succumbere patiuntur. Quare statutum est, quòd à modo illud iudicij genus, extra hoc Regnum inauditum, perpetuò aboleatur, & in factis potentiarijs, Iuriumq; possessionariorum, fieri nunquam debeat. Duellum tunc siquidem fieri deberet, & ad hoc ordinatum extitit, quando omnis probatio deficeret. In factis verò potentiarijs & possessionarijs, partes probationes semper habent: Et etiam alioquin iudicium Duelli ad Curiam Regiam militarem, & non ad sedem Iudiciariam pertinet. Accedit etiam plerumq;, quòd in iudicijs Personalis præsentia Regiæ Majestatis interesse, literas etiam sigillare minimè poterit: Is enim, cui hoc committitur, vt plurimum Spiritualis esse consueuit. Intererunt præterea Archiepiscopi, Episcopi, & plures alij Spirituales, & idcirco non conuenit, vt in sede iudiciaria Duellum decernatur. Proinde, his & plurimis alijs bonis respectibus, rationalibusq; ex causis, hoc iudicij genus perpetuò aboleatur, nisi in quibus omnis probatio deficeret, vt si solus à solo in itinere, nullo spectante, spoliaretur,

Personalis præsentia. Spiritualis persona.

vel

vel quicquid alter alteri, sine alicuius testimonio, accõmodaret, aut aliquid ad secretas aures diceret & alibi neque spoliari, neque creditum, neque etiam verba prolata probari possent: in quibus casibus huiusmodi Duellum, decerni quidem potest, non tamen in sede Iudiciaria, sed in Curia militari Regiæ Majestatis. Ad illam siquidem, vt præfertur, & non sedem Iudiciariam, idem genus iudicij pertinere planè dignoscitur.

Duellum in quibus casibus militaris curia decernat.

Trinæ forenses proclamationes tolluntur: obligamina in primis Octauis iudicentur.

ART. XXXVIII.

TRINÆ forenses proclamationes, quæ in facto possessionum & jurium possessionariorum, præterea in exhibitionibus literarum & literalium instrumentorum, atque etiam in facto obligationum, cæterisq; alijs causis, aliâs fieri solitæ sunt, cessent, & deinceps nullo vnquam tempore fiant, sed penitus aboleantur. In obligationibus verò, talis modus seruetur: Quòd secundum quod se quisquis obligauit, facta vltima euocatione, Actor in primis Octauis iudicium & justitiam recipiat.

Alber. decr. art. 33. & 34.

Contractus ex obligationibus legẽ accipiunt.

Citatio in actione de obligaminibus pręmittitur.

Conuentus minuti, præsertim Szent Iog, cessent. ART. XXXIX.

MINVTI Conuentus, & præsertim Conuentus Ecclesiæ de Szenth Iog, deinceps ab emanatione literarum cessent, & omni careant firmitate.

Math. Sext. art. 19.

Octaua duæ singulis annis celebrentur, quibus duo Iudices ordinarij intersint: & Iudiciales ad sortem vel fortunam leuentur. ART. XL.

SINGVLIS annis, nisi intercesserit legitima & grauis aliqua Regni necessitas, infallenter, siue Regia Majestas agat in Regno suo, siue non, celebrentur duæ Octauæ, videlicet, Sanctorum Georgij & Michaëlis: Ita videlicet, quòd illarum celebratio, seu primus dies aut terminus, incipiat statim vigesima die, post festa præfata: In quibus duo ad minus ex Iudicibus ordinarijs interesse debeant. Cæteri verò, si propter vrgentes aliquas necessitates interesse nequeunt: Vicesgerentes eorum nihilominus interesse debeant. Eorum autem loco, qui interesse non poterunt, Regia Majestas alios ex dominis Prælatis & Baronibus substituere debeat, sine tamen præfatorum duorum Iudicum ordinariorum præsentia, Octauæ ipsæ non debeant, neque possint celebrari. Durent autem celebrationes Octauarum secundum antiquam consuetudinem. Literæ verò Iudiciales, de conseruatorio, per Magistros semper ad fortunam leuari debeant.

Iudices duo ordinarij. Octauis intersint.

Iudiciales.

Octauæ duæ, in Transyluania & Sclauonia, celebrentur. ART. XLI.

ITEM quòd in Transyluania & Sclauonia, similiter singulis annis, aliæ duæ Octauæ, videlicet, Epiphaniarum Domini, & Sancti Iacobi celebrentur. Et similiter, vigesima die huiuscemodi festiuitatum inchoëntur, & durent quousq; necessarium videbitur.

Iudices Regni ordinarij qui sint: & qui ad iudicium intrare possint: ac de custodia ostij domus Iudiciariæ. ART. XLII.

QVIA de iudicibus ordinarijs frequenter mentio fieri solet, & dubitatur â plurimis qui sint & intelligantur illi Iudices. Idcirco per expressũm declaratur: Quòd iudices ordinarij sunt, Palatinus imprimis, deinde Iudex curiæ, & postmodum Secretarius Cancellarius, si præsens fuerit: sin minus, Locumtenens, hoc est, qui sigillum Iudiciale Regiæ Majestatis pro tempore tenet. Appellantur autem iudices ordinarij, quia quamlibet causam discutere, & ipsi soli, eorumq; Vicesgerentes ad sedem Iudiciariam intrare, & etiam alios, si quos pro testimonio, aut alia re volent, aduocare possũnt. Isti autem subscripti, videlicet, Magister Thauernicorum, Magnus Senescalchus, Banus Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, & Waywoda

Math. Sext. art. 68.

Sedẽ Iudiciariã, quibus liceat intrare.

Alios aduocare.

Senescalchus.

 Transyl-

Transſyluanus, ad ſedem iudiciariam Regiæ Majeſtetis non vocati intrare non teneantur. Sed tamen ex quo ſunt Iudices, & Officiales iurati, ſi quando ſponte intrare voluerint, ſiue Regia Majeſtas præſens ſit, ſiue non, admitti, & locum honorificum ſemper habere debebunt. Quorum etiam Protonotarij, & in iudicijs viceſgerentes, ſimiliter admitti debebunt: neminem tamen alium ad ipſam ſedem Iudiciariam, ſine permiſſione & anuentia prædictorum trium iudicum ordinariorũ, & Protonotariorum eorundem, vocare poterunt. Hoc tamen in expreſſum declarato, quòd præfati Iudices ordinarij & Pronotarij, etiam in abſentia Regiæ Majeſtatis, ſine iſtis alijs, omnia Iudicia liberè facere poſſunt. Vt autem Iudicia cum honeſtate grauitateq;, & maturitate, ſine ſcilicet aliquo rumore, tumultu, ſtrepitu & turbatione celebrari poſſint: Satutum eſt, quòd fores domus Iudiciariæ ſemper per hominem Palatinalem, vel Iudicis Curiæ Regiæ Maieſtatis, teneantur & cuſtodiantur, illique ſolummodo, quos ille admiſerit, & non alij, domum ipſam Iudiciariam intrare præſumant

Ianua domus iudiciariæ, obſeruetur.

De Capitulis & Conuentibus, quales perſonæ ad executiones emittantur: de iuramento Regij & Capituli hominum: pœna falſæ executionis & hominis Regij nolentis ad executionem ire: ac de nominibus commetaneorum conſcribendis. ART. XLIII.

Math. Sext. art. 10. ubi plura.

ITEM quia executiones Iudiciariarum deliberationum, in ſede, per iudices ordinarios fiendæ, more ſemper conſueto, per Regium & Capitulorum, vel Conuentuum homines, fieri ſoleant. Ideo ad faciendum inquiſitiones Admonitiones Euocationes, metarum reambulationes, reuiſiones, communes inquiſitiones, & quaſcunq; ſtatutiones, aliosq; quoslibet iuridicos, proceſſus, cum hominibus & teſtimonijs Capitularibus, vel Conuentualibus fieri ſolitos, quæ communiter fide dignitates vocantur, de Capitulis & Conuentibus perſonæ, ſeu homines ſimplices non emittantur, ſed de ipſis Capitulis, Canonici ad minus, aut perſonæ in beneficijs & officijs conſtitutæ. De Conuentibus verò Monachi Conuentuales ſacerdotes diſtineantur. Qui quidem pro huiuſmodi teſtimonijs Capitularibus, vel Conuentualibus deputati, priuſquam ad faciendum aliquas poſſeſſionarias ſtatutiones, metarum reambulationes, reuiſiones poſſeſſionarias, & communes inquiſitiones tranſmittantur & procedant, iurare teneantur, quòd in eiſdem factis, fideliter & rectè procedent, & veram relationem ſeu faſſionem facient. Homines autem Regij, in præmiſſis procedentes, tempore reuiſionis eorum, ac faſſionis ſeu relationis coram ipſis Capitulis, vel Conuentibus faciendæ, ſimile juramentum præſtare teneantur. Quicunque autem contra ſuum Iuramentum, falſum proceſſum, vel falſam relationem feciſſe repertus fuerit, talis, tanquam falſarius & periurus, pœna amiſsionis beneficij ſui, ſi quod habuerit, puniatur. Et inſuper, ſiue beneficiatus, ſiue non beneficiatus exiſtat, perpetuis carceribus mancipetur. Homo verò Regius, ſi in præmiſsis poſſeſsionarijs ſtatutionibus, metarum reambulationibus, aut reuiſionibus ſiniſtrè vel falſè proceſſerit, in facto periurij, pœna capitis, ac amiſsione omnium bonorum ſuorum conuincatur. Quicunque verò Nobilis per alium, ſeu alios quoſcunque, mediantibus Regijs, aut alijs conſuetis literis, nomen ſuum continentibus, pro homine Regio, cum teſtimonio alicuius Capituli, vel Conuentus requiſitus, onus huiuſmodi proceſſus aſſumere, & exequi recuſauerit, in girſagio conſueto ſex Marcarium, ac expenſi requirendis, per Comitem parochialem indilatè exigendis conuincatur eo facto. Statutiones autem poſſeſſionarias, Reambulationes & Reuiſiones aliter non debeant, niſi vicinis & commetaneis huiuſmodi poſſeſſionum inibi legitimè conuocatis. Et vt fraus & dolus in talibus melius euitetur, nomina ſingulorum vicinorum & commetaneorum, tempore præmiſſorum proceſſuum illuc principaliter conuenientium, in literis Capitularibus & Conuentualibus ſuperinde emanandis, ſeriatim conſcribantur.

Capitulares & Conuentuales homines, quales eſſe debeant.
Iuramentũ fide dignitatis.
Iuramentũ hominis Regij.
Capitularis ſeu Comuẽtualis homi nit falſam relationem facientis pœna.
Regij hominis falſè procedentis pœna.
Regiũ hominem eſſe recuſatis pœna.
Vicini & Cõmetanei ſtatutionibus & reãbulationibus interſint.
Vicinorum & cõmetaneorum nomina ſcribenda.

In Conuentibus quot personæ sint, & quales. De potestate Præpositi vel Abbatis in suos: & de modo exdradandi literas ex Conuentibus. ART. XLIIII.

QVIA propter negligentiam Præpositorum Regularium, & Abbatum, habentium sub se loca Conuentualia, sigillis testimonialibus vtentia, plurimi errores, & scandala quàm plurima, in emanationibus literarum fieri contingunt: Eo præsertim, quòd ipsi Præpositi & Abbates, parum authoritatis in Monachos suos sub se degentes, quantum ad conseruationem sigilli, habere dignoscuntur, patiunturq; non tot personas, quot meritò nomine Conuentus vti possent, sed longè pauciores, sub se degere. Illi verò in dispendium Regnicolarum, sigillis eorum liberè abutuntur. Ob hoc, vt talis praua abusio deinceps cesset, Regnicolisq; tutior cautela præbeatur: Conclusum & ordinatum est, quòd de cætero ipsi Præpositi Regulares, & abbates sigilla testimonialia habentes, teneantur & sint astricti, decem vel octo personas Religiosas, sacerdotes illius ordinis, vel ad minus septem, & non pauciores, in eorum monasterio tenere & conseruare, & vna cum eisdem in emanationibus literarum solertem diligentiam adhibere. Vtq; ijdem Præpositi & Abbates, liberius sua autoritate frui possint: statutum est, quòd à modo deinceps, prædicti Monachi, vel fratres, cuiuscunq; ordinis, sigillis vtentes, sub potestate & authoritate ipsorum Præpositorum & abbatum suorum fore intelligantur, eosq; ijdem Præpositi vel abbates, iuxta eorum demerita, castigandi habeant facultatem. Ita, vt si quid erroris in emanationibus quarumcunq; literarum fieri contingat: extunc Prior & Custos talis loci, pro tali errore, puniatur pœna prænotata. Vt autem omnis suspicio de cordibus dubitantium euellatur, placuit, vt nomina ipsorum fratrum, videlicet, Prioris & Custodis, in fine quarumlibet literarum, ante data earundem, seriosius conscribantur.

Per Diæcesanos uisitétur. Math. Sext. art. 12. Præpositi. Abbates. Prior. Custos. Falsas literas obsignãtium pœna. Vlad. Tert. art. 14. Nomina dignitatum in literis scribantur.

In Romanam Curiam, aut in præsentiam Legati vel Nuncij Apostolici, suo Diocæsano neglecto, conuenire aliquem in iudicum non licet. ART. XLV.

QVIA nonnulli Clerici, & alterius conditionis plreiq; homines, tam Nobiles, quàm Ignobiles, in Curiam Romanam, vel dum aliquis Legatorum summi Pontificis in hoc Regnum Vngariæ missus introierit, in eius præsentiam incolas huius Regni, præsertim simpliciores, exquisitis quibusdam occasionibus, interdum etiam calumniosis, citare, & eos, lite mediante, magis ac magis vrgendo & vexando, ad solutionem alicuius summæ compellere; sicq; suam vitam criminosè nonnunquã per fas & nefas alere & sustentare consueuerunt. Propterea vt talium sceleratorum lucro gaudentium illicitus quæstus, & via calumniandi cesset inposterum, per Barones, Proceres, & Communitatem totius Regni huius ordinatum est & statutum: Quòd deinceps, nullus omnino hominum, quempiam ratione alicuius negocij, in Curiam Romanam, vel præsentiam cuiusuis Legati citare præsumat, nisi primum coram suo ordinario Diæcesano, Archiepiscopo, vel Episcopo, aut eius Vicario in causa conuenire, & cum eo iuridicè procedere, tandemq; dum aliqua partium justitiam sibi vel denegatam, aut aliâs se indebitè aggrauari & condemnari sentiret, causam huiusmodi in Curiam Romanam, vel præsentiam ipsius Legati, per viam appellationis, & non aliter, prouocare, deducereque & prosequi valeat atque possit. Contrarium autem facientes, debita pœna puniantur.

Legatus. CuriaRom. Baronum, Procerũ & Cõmunitatis Regni Decretum. Archiepiscopus, Episcopus Vicarius. Vlad. Tert. art. 63. Apellatio ad curiam Rom. Math. Sext. art. 44. & 45. Infra. Vlad. Secũ. art. 10.

Causæ Ecclesiasticum forum concernentes: Vicarij ad mandatum Iudicis ordinarij, causas in Curiam Regiam, sub pœna amissionis beneficiorum, transmittant. ART. XLVI.

PRÆTER factum testamenti, matrimonij, dotum & rerum paraphernalium, ac Iurium quartalitiorum, periurij, verberationis & spolitionis Clericorum & mulierum, & præter illas aliâs causas, quæ prophanæ non essent, in foro spirituali nulla causa tractetur, & è conuerso. Casu autem, quo aliquis Iudicum Ecclesiasti-

clesiasticorum, causam non ad suum forum spectantem, coram se reciperet, & ad literas præceptorias, in præsentiam Iudicis sæcularis competentem, non transmitteret: extunc talis Iudex Ecclesiasticus, beneficio sit priuatus, & Regia Majestas beneficium siue officium illius, alteri conferre possit ipso facto. Iudices autem Ecclesiastici, in hoc casu intelligantur, Vicarij & officiales Prælatorum. Si autem Iudex sæcularis, causam aliquam per Iudicem Ecclesiasticum, in suam præsentiam transmissam, forum Ecclesiasticum concernere agnouerit, rursus in præsentiam ipsius Iudicis Ecclesiastici remittere debeat & teneatur.

Priuatio beneficij. Vicarij officiales Episcoporum. Causa sacri fori remittitur.

Causæ decimarum. S Steph. lib. 2. cap 52. Colom. lib. 1. cap. 5. 6. 14. Sigism. Secund. art. 14. Eiusdem Tert. art. 12. Szylagi art. 9. Math. Prim. art. 3. Eiusdem Secund. art. 17. EiusdemTert. art. 17. EiusdemQuint. art. 17. Vlad. Tert. art. 60. 61. 62. Vlad. Quart. art. 33. 35. Vlad. Quint. art. 25.

Nona pars frugum & vinorum à colonis tam Regiis, quàm Reginæ (demptis Ciuitatibus muratis) nec non Prælatorum, Magnatum & Nobilium, pro vsu dominorum terrestrium exigatur. ART. XLVII.

Ludo. Pri. art. 6. Vlad. Tert. art. 41. Vlad. Quar. art. 29. Vlad. Sept. art. 18. Infr. Eiusdē art. 49.

PRÆTEREA, ab omnibus Iobagionibus nostris Regalibus, aratoribus & vineas habentibus, in quibuslibet villis nostris, maioribus, & minoribus, quocunque nomine vocitatis, ac Reginalibus, constitutis, exceptis Ciuitatibus muratis, nonam partem omnium frugum suarum, vinorum exigi faciemus, & domina Regina exigi faciet. Ac prædicti Barones, Nobilesque, similiter ab omnibus aratoribus, Iobagionibus, & vineas habentibus, in quibuslibet possessionibus ipsorum existentibus, nonam partem omnium frugum suarum, & vinorum suorum, aut Akones consuetos, pro ipsorum vsibus exigant & recipiant.

Ecclesiasticæ personæ nonam & decimam in bonis suis exigant. ART. XLVIII.

Vlad. Sept. art. 18.

PRÆLATI quoque & viri Ecclesiastici, Iobagiones habentes, primo decimas, & post hoc similiter nonam partem omnium frugum suarum, & vinorum ipsorum exigant. Et si qui in exactione prædicta secus fecerint, in talium rebellium, & præsentem nostram ordinationem alternantium possessionibus, Comes vel Vicecomes, nomine nostro Regio, huiusmodi nonam partem ipsarum frugum, & vini exigi facere teneatur, sine diminutione & relaxatione aliquali: vt per hoc honor noster augeatur, & ipsi Regnicolæ nostri nobis fidelius possint famulari.

Pœna non exigentis nonam.

Nonam partem soluant domino terrestri, etiam Coloni in terris aliorum vineas habentes, aut fruges seminantes: alioquin hæreditates amittant. ART. XLIX.

Supra. E. art. 47.

ET quòd omnium & singulorum Iobagiones, tàm videlicet Regales, quàm & Reginales, seu dominorum Prælatorum, Baronum & Nobilium, qui in terris aliorum dominorum vineas haberent vel ararent, modo simili, nonam partem ipsorum vinorum & frugum, aut Akones consuetos, cum muneribus solitis, domino terrestri, dare & persoluere debeant & teneantur. Vbi verò aliqui huiusmodi solutionē non facerent, vel facere negligerent quouis modo: extunc hæreditatis illæ, de quibus eandem solutionē facere tenerentur, eidem domino terrestri perpetuò remaneant ipso facto. Isto tamen declarato, quòd si populorū Regalium vel Reginalium, aut aliorum quorumcunque aliqui, super hujusmodi Nonis vel Akonibus, libertates se habere conquererentur, inter tales & dominum terrestrem, per iudices ordinarios Regni, in primis Octauis, judicium & iusticia administretur.

Ako urna.

Allegantes exemptionem à solutione Nonarum.

Nobiles decimas ex proprijs terris non soluant. ART. L.

Albert. art. 28.

ITEM quòd Nobiles, tam Iobagiones habentes, quàm non habentes, de terris proprijs decimas dare non teneantur, antiqua eorum libertate requirente.

De nouo iudicio, reuocatione procuratoris, ac inhibitione: & cum his quomodo procedendum. ART. LI.

ITEM solent nonnulli Regnicolæ, in eorum causis contra sese, potissimum in facto possessionario motis, seruatis, pertransitisq; legitimorum terminorum & litium

litium processibus, literarumq; tandem, ac aliorum cunctorum probabilium documentorum, hinc inde, pro finali conclusione huiusmodi negocij, productionibus factis, in vltimo causæ termino, dum etiam Iudices ordinarij sedis Iudiciariæ Regni, Magistriq; Protonotarij, & jurati eiusdem sedis Assessores, suam tulissent sententiam: earundemq; partium altera, se in hujuscemodi causa deficere, & succumbere agnosceret, ac literæ Adiudicatoriæ exinde, vel iam emanatæ & extradatæ extitissent, aut post latam & pronunciatam sententiam extradari deberent, procuratores eorum reuocare, & causam condescendi facere velle, aut nouum iudicium impetrare, vigore cuius partem alteram ab executione literarum Adiudicatoriarum prohiberent, vt sic eorum justis juribus priuarentur. Propterea statutum est, vt à modo imposterum hujusmodi causantibus, non nisi lite pendente, & causa nondum decisa, Procuratores eorum reuocare, & causam condescendi facere possint. Nouum autem judicium impetrent semper, si voluerint. Verumtamen eius vigore, partem alteram ab executione latæ sententiæ, literarumq; Adiudicatoriarum superinde emanandarum extractione vel extradatione, iudices ordinarios, vel eorum Protonotarios, nequaquam valeant inhibere. Imò & ipsa pars triumphans, huiusmodi literas Adiudicatorias, non obstantibus ipsis literis noui judicij sic impetratis, debitæ executioni demandari facere. Pars denique ipsum nouũ judicium impetrãs, habita executione dictæ latæ sententiæ, suam causam, vigore ipsius noui iudicij, dum voluerit, executioni demandare, & prosequi possit. Casu verò quo altera partium, siue ratione jurium possessionariorum, siue aliorum quorumcunq; negotiorum, per non venientiam, eo quòd fortasse certis suis negocijs præpedita comparere nequiret, sententionaliter quoquomodo conuinceretur, extunc talis pars, sic per non venientiam conuicta, & nouum judicium impetrare, & tàm Iudices ordinarios, ac Protonotarios eorundem, ab extradatione literarum Adiudicatoriarũ sententionalium, quàm & partem aduersam ab extractione & executione earundem literarum, semper, dum voluerit, inhibere valeat atque possit.

Procurator reuocetur & causa cõdescendat lite pẽdẽte. Nouum Iudicium non impedit sententiæ executionem. Ludo. Secũ. ann. 1518. art. 29.

Noui Iudicij causæ in primis Octauis discutiantur. ART. LII.

ITEM quòd omnes causæ, in quibus à Regia Majestate noua Iudicia impetrata fuerint, in primis Octauis, ante omnes alias causas leuentur, & judicentur.

Nouum Iudiciũ à Rege impetratur.

In Comitatibus Iudicia, non per electos ac Iuratos Nobiles fiant, sed per Comites Vicecomites, & Iudices Nobilium: Executiones verò per Regios, & Capitulorum homines. ART. LIII.

CÆTERVM, licet in generali nouo Decretó, ante obitum Serenissimi Principis dicti quondam domini Mathiæ Regis, per ipsum dominum Mathiam Regem, ac vniuersos dominos Prælatos, Barones, & Regni Nobiles, ordinatum fuerit vt in singulis Comitatibus Regni, ex Nobilibus potioribus certi Iurati eligerentur, qui in sedibus Iudiciarijs talium omnium Comitatuum, Iudicia facere, nec non Inquisitiones, Euocationes, Admonitiones, statutiones, metarum reambulationes, & alias cunctas iudiciarias executiones, perficere & peragere deberent. Tamen quia hoc & id ipsis Regnicolis admodum onerosum esse visum est, ex eo quòd ipsi ad easdem sedes judiciarias dictorum Comitatuum, in præsentiam annotatorum Iuratorum electorum, pro habendo causantium iudicio, singulis tredecim aut quindecim diebus accedere, & † judicare cogerentur: Pro eo etiam, quòd cum ipsi hujusmodi Iuratos electos, ad aliquas executiones faciendas educerent, multis ex hinc fatigijs & expensis plurimum grauarentur. Propterea conclusum est vt de cætero, electio seu officium talium juratorum electorum Nobilium cesset, & omnino aboleatur: sed Comes, aut Vicecomes, & Iudices Nobilium Comitatuum Regni, in ipsis sedibus Iudiciarijs iudicia administrare, alias etiam executiones,

Electi Nobiles in Comitatibus deponuntur, Decret. Math. Sext. art. 8. eligẽdi sanciti. † Al: iuri stare. Math. Sext. art 60. vbi plur. de officio Comitis. Comes judicia in Comitatibus administret.

Executiones per fidedignitates & homines Regios fiant.

cutiones, siue iudiciarias commissiones, puta, Inquisitiones, Euocationes, Statutiones, Admonitiones, metarum reambulationes, & alios quoslibet iuridicos processus, homines Regij, cum testimonijs Capitulorum aut Conuentuum, iuxta morem & ritum, ante prædictum nouum vltimum Decretum præfati quondam domini Mathiæ Regis, in talibus obseruatum, exequi, perficereq; & celebrare debeant & teneantur.

Causæ Iurium possessionariorum, semotis dilationibus, in quatuor Octauis terminentur

Math. 14. 86. art. 19.

ART. LIIII.

QVIA finalis causarum, decisio, potissimum verò in facto iudicio possessionario intentato, per varios hinc inde terminos, variasq; dilationes in longum serpere consueuit, adeò, vt interdum vix in vna hominis ætate finaliter determinari potest, propter quod partes labore, & expensis vehementer grauantur, vt nonnunquam ad extremam inopiam deuenire cogantur. Quamobrem conclusum est, vt à modo, vniuersæ causæ, etiam in facto possessionum, & iudicio possessionario intentato, corā quouis iudice deinceps mouendæ, absque omni prorogatione & dilatione, semotaq; omni exceptione, in quatuor Octauis finaliter terminentur: Ita videlicet, quòd pars in causam attracta, ad exhibenda Iura sua, quibus se defendere voluerit, vlteriores Octauas, etiam cum onere, habere nullo modo valeat: sed in ipsis quatuor Octauis, omni vlteriori processu iuridico semoto, sua priuilegia exhibere teneatur. Ex quo autem vniuersæ causæ, in facto & iudicio possessionario mouendæ, sic vt præmittitur, in quatuor terminis siue Octauis finaliter terminari debent. Idcirco amplius ordinatum est: Quòd Euocationes cum insinuatione, quæ super factis potentiarijs, damnorum illationibus, alijsq; nocumentis & iniurijs fiunt, in primis Octauis post Euocationem factam celebrandis, terminentur. Si verò in facto potentiario fuerint, & maximè si Iurium & literalium instrumentorum ablationem, necessariò requirere dignoscerentur, vsq; ad Octauas secundas, sed non amplius, pro huiuscemodi priuilegiorum productione, differri possint & valeant. Euocationes verò cum insinuatione, in quibuscunque factis, sub sigillo omnium Iudicum ordinariorum, tam scilicet Regiorum, quâm Palatinalium, & Iudicis curiæ, atque etiam Banorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclauoniæ, ac Woiwodæ Transyluani, liberè dari & emanari valeant.

In quatuor Octauis, id est, quatuor terminis.

Ouus.

Euocationes cum insinuatione, super factis potētiarijs, in primis Octauis terminentur.

Literarum productio ad secūdas Octauas differenda.

Euocationes dantur sub sigillis omnium iudicum.

Causæ minoris potentiæ factum tangentes. ART. LV.

In causis ratione illationis damnorum, cæterorum nocumentorum & iniuriarum, ac actuum potentiariorum minorum, motis, etiam si patrator ore suo proprio coram suo Iudice confiteretur, nemo deinceps in facto potentiæ, sed solùm in solutione huiusmodi damnorum illatorum, & expensis Actoris eidem tantummodo persoluendis: Insuper pro præmissis actibus potentiarijs, in viginti quinque Marcis grauis ponderis, centum florenos Auri facientibus, inter judicem & Actorem æqualiter diuidendis, cōuincatur, & per iudicem ad solutionem statim compellatur.

Minoris actus potentiæ pœna, floreni centum & expensæ.

In causis maioris potentiæ procedendi modus ART. LVI.

Maioris casus potentiæ.

IN causis verò maioribus, scilicet ratione inuasionis domorum Nobilium, sine iusta causa, occupationis possessionum & pertinentiarum earundem, detentionis Nobilium sine justa causa, verberationis & vulnerationis, ac interemptionis Nobilium, motis, taliter Iudex procedere habebit: quòd si Actor pro sui parte inquisitionem, modo & ordine supra notato, reportauerit, in ampliorem rei verificationem, si partes voluerint, causam ipsam ad communem inquisitionem decernat. Si verò Reus ipsam communem inquisitionem acceptare recusabit, extunc Actor pro maiori verificatione actionis suæ iuxta Regni consuetudinem hactenus in hac parte obseruatam, ad caput illius aduersarij iurare habebit. Ita tamen si aduersarius ille, siue in causam attractus, in eodem Comitatu, vbi mala sunt patrata & commis-

Inquisitio. Communis inquisitio.

Iuramentū ad caput.

& commiſſa,propriam,perſonalemq́;,& continuam facit reſidentiam. Vbi autem talis in cauſam attractus in alijs partibus ſeu prouincijs Regni, perſonaliter facit reſidentiã, ac in eis abſentia hujuſmodi mala patrata ſunt & commiſſa, tunc iuxta contenta literarum Inquiſitoriarum,propter ſuam innocentiam, ſe iuramento expurgabit. Ex parte denique familiarium & ſuorum Iobagionum,vigore præſcripti articuli,fiat judicium & juſticia,lege Regni requirente.

In cauſam attractatus penes literas inquiſitorias, ſi extra Comitatum,in quo mala patrata ſunt, reſider,iuramẽto ſe purgabit. Math. Sext.ar.16. Vlad.Quar. art.19. Vlad Quin. art.4.

Repulſionum pœna. ART. LVII.

ITEM qui tempore atteſtationis,communis inquiſitionis,oculatæ reuiſionis, ſtatutionis & reſtatutionis, nec non æſtimationis Iurium poſſeſſionariorum per partem conuictam, nonnunquam repulſiones in contemptum iudicij & juſticiæ fieri ſolitæ ſunt: pro quibus prima vice in vna Marca auri, ſecunda verò in duabus, id facientes conuincebantur. Quare,vt hujuſmodi violentorum, & iuris juſticiæq́; perturbatorum temeritas, debito remedio compeſcatur, ſtatutum eſt: Quòd quicunque impoſterum, cujuſcunque ſtatus, conditionis & gradus exiſtat, qualitercunq; & in quacunq; cauſa, etiam ſententiæ capitalis, id facere præſumpſerit, contra partem aduerſam, in prima repulſione, in ipſa vna marca auri, ſi verò ſecunda vice, tempore ſecundariæ executionis hujuſmodi cauſarum, modo ſimili repulſionem fecerit, in facto potentiæ, & inſuper, ſi in cauſa ſtatutionis vel reſtatutionis, aut æſtimationis fuerit, in æſtimatione illorum Iurium poſſeſſionariorum, quæ ſtatim, vel reſtitui, aut æſtimari debuerunt. Si verò id tempore communis inquiſitionis, aut oculatæ reuiſionis contingit, repellens, vel repellentes ſimiliter in facto potentiæ, præterea, in amiſſione cauſæ conuincantur, & cõuicti habeantur eo facto.

Pro prima repulſione in marca auri. Pro ſecũda repulſione in facto potẽtiæ & iuriũ æſtimatione punitur. Amiſsio cauſæ.

Euocationibus cum clauſula, de conſenſu & voluntate locus non detur. Vxores, matres, filiæ & ſorores Nobilum non euocentur. ART. LVIII.

SOLENT nonnulli in Euocationibus ponere, de conſenſu & voluntate T. & T. quod directè contra DEVM & eius iuſticiam fore dignoſcitur. Quis enim ſcire poteſt an conſenſerunt, vel quod commiſſum fuiſſet, dicere voluerunt? De occultis ſiquidem & intentionibus, præter DEVM, nemo rectè iudicare poteſt. Idcirco ſtatutum eſt, quòd deinceps nunquam tales Euocationes emanent, nunquam etiam vxores, matres, filiæ & ſorores Nobilium euocentur, niſi forte ratione talium Iurium poſſeſſionariorum cauſa moueretur, quæ illas æqualiter concernere dignoſceretur, cum clauſula tamen præfata, hoc eſt, de conſenſu & voluntate ac inſtigatione T. & T. nullo vnquam tempore euocari debeant. Quod ſi fieri contigerit, per Iudices ordinarios, Magiſtros Protonotarios nunquam obſeruentur, nunquam etiam admit tantur, demptis tamen, ſi tales perſonæ, quæ huiuſmodi patratores malorum, & totam eorum familiam auxilio, & conſilio gubernarent & dirigere haberent & tutarentur.

Math.ann. 1486. art.13.

Fœminæ, quãdo euocandæ.

Conſultores cum autoritate.

Donatarius bona, in quibus contradictio facta eſt introductionis tempore, pro ſe occupare non auſit. ART. LIX.

QVIA ex parte illicitæ occupationis illorum bonorum & iurium poſſeſſionariorum, quæ per Regiam Majeſtatem ſeruitoribus, & alijs fidelibus ſuis donantur, variæ querelæ & clamores, non ſolummodo apud Regiam Majeſtatem, verumetiam in vniverſo Regno fieri conſueuerunt. Cauſantur enim plurimi, quòd quam primum bona aliqua à ſua celſitudine, per ſuos, aut alios impetrantur, illa protinus nullo habito ſcrutinio, an ſcilicet juſtè & legitimè Majeſtas ſua donare potuit, occuparent, & non obſtante contradictione tenerent. Quare ſtatutum eſt: quòd à modo, ſi cui bona aliqua per Majeſtatem Regiam, quocunque nomine & titulo donata fuerint, & contra Iura & conſuetudinem Regni, quacunque arte dominium illorum, non obſtante etiam cõtradictione & inhibitione, capient: Comes per contradicto-

Math. Sext. art.22, & 27.

Contradictio, inhibitio.

Comes præter uiam juris bona aprehēdētes post secundam monitionem capiat, & ad cōmunem bonorū æstimationē depoņé, cogat. Comitatus penes Comitem insurgat. Math. Sext. arti. 23.

traditores requisitus, teneatur è vestigio illos admonere, quo manus suas de illis excipiant. Sed si ad primam eius requisitionem & admonitionem id facere recusauerint, secundo per eosdem contradictores requisitus, teneatur vigore præsentis Decreti, scita prius veritate, illos captiuare, & de illis bonis eijcere: et insuper, ad solutionem cōmunis æstimationis eorundem honorum, per omnia remedia cōpellere, Ad cujus rei executionem, si Comes per se impotens esset, Comitatus per ipsum requisitus, penes eundem insurgere, & ei opportuno fauore, subsidio & auxilio assistere debeat & teneatur. Si verò adeò potentes fuerint, vt Comes etiam cum auxilio Comitatus id facere non poterit, Regia Majestas per Comitem auisata, bona ipsa occupari facere teneatur,

Donationis literæ cum clausula, de manibus Reggijs, &c. nullius sint vigoris ART. LX.

QVOD si deinceps aliqua jura, & bōna à Regia Majestate impetrata fuerint, & impetrans institerit, vt Regia Majestas nomine suo occupari faceret, simulque procuraret, vt literæ donationis eiusdem scriberentur: quia illa de manibus suis Regijs collata essent. Hujuscemodi literæ donatiales, quo ad illam clausulam (de manibus Regijs) nullius vigoris & firmitatis sint & habeantur: Et quòd neque per Comites, sed neque in Octauis per Iudices ordinarios, & Magistros Protonotarios obseruentur.

Bonorum impetrator, suo nomine sibi collata bona occupet, & cum contradictoribus litiget, ac nomen Regis liti non immisceat. ART. LXI.

Ludou. Pri. art. 14.

QVOD si alicui Majestas Regia possessionem, vel possessiones contulerit, ille possessionem, vel possessiones eidem collatas, pro se recipiat, & non nomine Regio, sed nomine suo proprio, cum contradictoribus, in statutione dictæ possessionis apparentibus, trahat litem: ita quòd nomen Regiæ Majestatis ipsi litigionariæ quæstioni non immisceatur, nec procuratorias literas ad executionem talium causarum, à Regia Majestate recipere possint, seu impetrare.

Iuris Regij impetrator, si jus Regium malè impetrauerit, in æstimatione bonorum conuincitur. ART. LXII.

Et Math. Sext. ar. 24, pro non impetratis habeantur. Aestimatio bonorum. Pœna facti potentiæ.

SI quipiam, quorumcunq; Regnicolarum, aliqua jura, possessionaria, nomine juris Regij, pro se impetrarent, & eadem ipsi juri Regio pertinere comprobare non valerent, in æstimatione talium jurium possessionariorum impetratorum, Si verò tales impetrantes ante finalem decisionem causæ, in facto hujusmodi jurium impetratorum, motæ, se in dominum hujusmodi jurium impetratorum, ac prouentuum eorundem perceptione, occupatiuè, seu alio quouis modo intromitterent, contra partem læsam, seu litigantem, & expensis fatigatam, in facto potentiæ conuincantur.

Cum donationibus Regijs, per defectum seminis alicuius impetratis, quomodo procedendum sit. ART. LXIII.

Math. Sext. art. 26. & 27. Sigism. Sex. art. 17. 18. 19. 20. Dubia bona sequestrāda in manus tertij.

SI in quocunq; Comitatu, aliqua iura, per defectum seminis quorumcunq; decedentium, deuoluta fuerint, & de huiusmodi possessionibus manifestè non constat, an ad Ius Regium pertineant, vel aliquos fratres generationales, seu hæredes fœminei sexus concernant, sed inter ista duo, videlicet Ius Regium, & Ius aliorum, scilicet generationalium, vel fœmineum, dubium interuenerit, extunc homo communis Nobilis & idoneus, in quolibet Comitatu, ad id per Comitem parochialem, cum Iudicibus Nobilium, & alijs Nobilibus Comprouincialibus in vnum locum congregatis, non tamen ex Baronibus, nec de potentioribus, sed de mediocribus Nobilibus electus, huiusmodi Iura deuoluta, & dubiosa, & alia similia, si qua contigerint, tàm diu conseruet & manu teneat, absq; damnificatione qualibet (excepto

solum

solum, quòd de prouentibus consuetis huiusmodi possessionum donec in manibus suis remanebunt, expensas moderatas capere & facere possit, de quibus tandem rationem reddere valeat & teneatur) quousque huiusmodi deuolutio Iurium, sine hæredibus decedentium, in sede Iudiciaria Curiæ Regiæ, publicata fuerit, ipsaque publicatione facta, quicunque easdem possessiones, & Iura sibi pertinere allegauerit, infra anni integri reuolutionem, Iura sua producendo, easdem ad se pertinere comprobet. Quod si facere poterit, Iudex curiæ Regiæ eidem statui mandet, & faciat cum effectu. Si verò in probatione defecerit, Iuri Regio relinquantur. Et si qui vlterius ad easdem Ius habere sperauerint, easdem de manibus Regijs legitimè requirant. Vbi autem vxores, & filiæ huiusmodi hominum, absque hæredibus masculinis decedentium, in talibus possessionibus & Iuribus remanserint, extunc possessiones eædem & Iura, à manibus earum occupari & auferri non debeant, priusquam de earum Iuribus, videlicet, an hæreditariè, & perpetuò ad Ius fæmineum pertineant, an non, veritas inquiratur. Quòd si repertum fuerit, eadem Iura Iuri fæmineo non competere, extunc dictis vxoribus talium decedentium, antequam de dominio dictarum possessionum excludantur per Regiam Maiestatem, vel alios, ad quos reperta fuerint esse deuoluta, de earum dotibus, & Iuribus, plena satisfactio impendatur. Filiabus verò, vsque ad tempus emaritationis earum, domus paterna, cum quarta parte possessionum paternarum, prò quarta filiali, secundum consuetudinem Regni, sequestrentur, & possidenda relinquantur. Postquam verò maritatæ & traductæ fuerint, de earum Iure quartalitio, pecuniaria solutione mediante, satisfiat. Vbi autem aliqua ex ipsis filiabus homini impossessionato maritata fuerit, dictante eadem Regni consuetudine, in perpetuò Iure, & dominio huiusmodi quartæ filialis possessionariæ succedere debeat & remanere: Ita tamen si ipsa de voluntate, & consensu fratrum, seu consanguineorum suorum, in quos post ipsius matrimonium, huiusmodi Iura seu Quartalitia reuerti & redundari debebant, homini, vt præfertur, impossessionato nupserit. Alioquin, siue de domo paternali, siue de curijs & seruitij Baronum, seu maiorum Nobilium, dictis suis fratribus, seu consanguineis, aut parentibus irrequisitis & nolentibus, seu non consentientibus, id fecerit, Ius suum quartalitium, non cum possessione, sed cum satisfactione pecuniaria, requirendi, habebit facultatem.

Dubia bona ad se pertinere allegans infra annum id probare debet.

Dubia bona, Iuri Regio applicentur, si non probant in eis Ius prætendentes.

Vxores, & filiæ ex bonis per defectum impetratis, nõ eijciuntur, priusquam de iuribus earum cognoscatur.

Dos reddatur vxoribus decedentium, priusquã de bonis eijciantur.

Filiabus, quomodo quarta reddenda.

Filia homini impossessionato nubens.

Voluntas & consensus consanguineorum.

Dotes vxorum quomodocunque decedentium, saluæ sint. ART. LXIIII.

DOTES vxorum, qualitercunque decedentium, etiam iuridicè interimendorum, semper saluæ maneant & illæsæ.

Vlad. quart. art. 16.

Math. Sext. art. 25.

Pignorata bona quomodo à manibus aliorum recuperentur; & pœna fæneratorum.

ART. LXV.

QVIA fieri solet, quòd nonnulli bona & possessiones suas, necessitate cogente, pignori obligant, & eadem tempore medio, venditis etiam alijs rebus suis, licet redimere vellent, & ad hoc pecunias paratas haberent, tamen illi, quibus obligarunt, immemores salutis & honoris, remittere nollunt, sed ad Octauas eius rei decisionem differunt; vt scilicet interea fructus illarum percipere valeant. Propter quod nonnunquam eiusdemmodi possessiones & bona, ab ipsis pauperibus, vel eorum hæredibus perpetuò alienantur: ex quo pecunias vtcunque ad id dispositas, aut expendere coguntur, aut casu amittunt. Vt igitur illorum fæneratorum malitia compescatur; & horum inopum indemnitati consulatur sancitum est: Quod quandocunque huiusmodi fæneratores, per aliam partem iuridicè & legitimè requisiti, pecunias eorum leuare, vel illis leuatis bona impignorata reddere & remittere noluerint, sed causam ad Octauas distulerint, in primis Octauis causa ipsa finiri, & sic adiudicari debeat, quòd sine vlla solutione bona illa remittantur, & per iudicem restituantur. Et insuper fænerator ille, in tanta summa pecuniarum, in quanta bona illa sibi obligata fuerunt, parti aduersæ obligatus sit, & condemnetur.

Pignorata bona redimere volenti, de facto non remittentis pœna.

Birsagia quomodo Iudices exigant. ART. LXVI.

Adde eiusdem Vlad. Decret. Secund. ar. 12 & Sigis. sext. ar. 3. & art. 7 Math. Sext. art. 52.

ITEM Palatinus, & Iudex curiæ, ac cæteri Iudices ordinarij, Ecclesiastici & Sæculares, vniuersa Iudicia seu Birsagia, in causis coram eis vertentibus, aggregata, statim ipsis causis finitis, ac per sententiam finalem conclusis, primum parti aduersæ de sua portione satisfactionem impendere teneantur, & tandem ad partem suam Iudiciariam cedentem, exigendi liberam habeant facultatem.

Violationis sedis pœna, viginti quinque marcæ. ART. LXVII.

Math. 1486 art. 58.

ITEM violator sedis Iudiciariæ, Birsagium viginti quinque marcarum, in duabus, Iudici, in tertia verò partibus, parti aduersæ persoluet.

Concordandi libera facultas in omnibus causis. ART. LXVIII.

Vlad. Decr. Secund. art. 13. Math. Sext. art. 50 Alber. ar. 31

ITEM ordinatum est, quòd causantes siue litigantes, in quacunque ardua causa, concordandi liberam habeant facultatem, Iudexq; eos inhibere non valeat, neq; pro pace & concordia quicquam ab eis extorquere possit.

Protonotarij in hospitiis nullas causas iudicent & de literarum sententionalium subscriptionibus. ART. LXIX.

Math. Sext. art. 20.

ITEM conclusum est, quòd deinceps nullus omnino Magistrorum Protonotariorum priuatim in hospitio, extra scilicet Tabulam seu sedem Iudiciariam Regiæ Maiestatis, causam aliquam, siue ratione possessionum, siue actuum potentiariorum, siue aliorum quorumcunque negotiorum motam vel mouendam, adiudicare, & sententias ferre audeat: sed vniuersæ causæ, tam maiores, quàm minores, in sede Iudiciaria, in præsentia cæterorum Iudicum ordinariorum, discutiantur. Quodq; nullæ prorsus literæ, potissimum in causis arduis & quæ finalem rerum decisionem contingunt, per Magistrum alius extradentur, nisi in sede Iudiciaria, vbi prius alta & intelligibili voce proclamentur, & deinde pro maiori cautela & euidentiori iustitia, vltra sigillum, quo ipse Magister Protonotarius vtitur, & illas muniet, alius etiam Magister Protonotarius se subscribere debeat & teneatur: Ita quòd si causa coram Regijs Protonotarijs agetur, Protonotarius Palatinalis; si verò coram illo, Regius, aut Iudicis curiæ Magister, ad literas manum apponere, & se subscribere debeat & teneatur.

Literę ex sede iudiciariá extra détur, prius lectæ & subscriptæ.

Protonotarij duo literas subscribant.

Iudices Regni ordinarios diffamantium, verberantium, vulnerantium & interimentium pœna. ART. LXX.

Math. Maiori art. 54.

SOLENT nonnunquam partes in causis, & Iure suo succumbentes, eorum Iudices calumniari, diffamare, & in eos iniuriosè inuehi, quia eis iustitia non esset per illos administrata: propter quorum iniquam, & damnandam vociferationem, plurima scandala & aliorum malorum genera, plerumque suboriuntur. Proinde ad compescendam illorum linguam, communi omnium sententia decretum est: Quòd nemo omnino Iudices ordinarios sedis iudiciariæ, ac eorundem Protonotarios & assessores infamare, aut in eos iniuriosè inuehi audeat: Sed si qui iniustum iudicium sibi factum putauerint, ab illorum præsentia & iudicio, cum honestate, honore & reuerentia aut ad Regiam Maiestatem, aut Palatinum, vel Iudicem curiæ, aut eorundem Palatini, & Iudicis curiæ Vicesgerentes appellare debeat. Quòd si quipiam præmissa facere non formidauerint, & linguam non compescuerint, atque infamiam, qua eosdem Iudices ordinarios, Magistros Protonotarios, & assessores, aut eorum alterum afficient, probare non poterint: extunc vigore præsentis Decreti, in ea pœna de facto conuincantur, qua iudices Regni, Magistri Protonotarij, seu assessores ipsi conuinci deberent, si obiecta in eos, aut eorum alterum, probari possent. Si qui verò Iudices Regni ordinarios, aut eorundem Vicesgerentes, scilicet, Vicepalatinum, Vicecomitem, Vice Banum, Magi-

Appellatio ab inferiori iudice ad superioré, reuerenter fiat.

Iudices falsè calumniatis pęna.

Iudices verberantis vel interficientis pœna.

Magistros, Protonotarios, aut alios Iudices ordinarios Regni, quacunque causa verberarent, interficerent, necem, vel verbera eis minarentur, aut captiuarent, vel in personis eorum, qualitercunque offenderent, habita superinde probatione legitima, in nota & poena perpetuæ infidelitatis conuincantur.

> Notæ infidelitatis pœna.

Prorogationes quibus suffragentur. ART. LXXI.

SOLENT plurimi se à facie Iuris, prorogationum suffragio, impunè absentare, & partem aduersam, iustam contra se actionem habentem, longo litium processu aggrauare. Quare vt à modo, fraus & dolus huiusmodi tollatur, & vnicuique iustitia debito tempore administretur, constitutum est: Quòd prorogationes Regiæ Maiestatis, temporibus Octauarum, nemini suffragari valeant, nisi his, qui extra fines, & oras Regni Vngariæ, in Castris, & in seruitijs, vel in legationibus Regijs, vel Regni fuerint, vel occupabuntur in bello, & ad illud vna cum cæteris debito tempore proficiscentur. Illis etiã qui extra fines Regni, in Castris, vt præfertur, fuerint, in tribus tantummodo Octauis eiuscemodi prorogationes obseruentur, in quarta autem respondere, & Iuri stare teneantur. Præterea, si duo, vel etiam plures fratres indiuisi fuerint, eorum patre mortuo, & frater maior natu domi fuerit, cæteri verò fratres, vel eorum alter, siue in bello, siue in castris finitimis, vt præfertur, extra hoc Regnum occuparentur, prorogationes illis similiter non obseruentur. Si tamen fratres diuisi fuerint, obtenta prorogatione, frui possint & gaudere. Si qui autem huiuscemodi prorogationes à Regia Maiestate falsè impetrare præsumpserint, hoc est, filios, vel fratres suos in bello, vel in castris, extra Regnum, aut in legationibus finxerint esse occupatos, in emenda linguæ eo facto conuincantur, per Iudicemq; coram quo res agitur, pœna ipsa irremissibiliter exigatur.

> Infra eiusdẽ Decret. Secun. art. 14. & Math. Secun. art. 8. Eiusd. Sext. art. 7. Tripar. Par. 2. Tit. 59. Et Mat. Ter. art. 12. Et Vlad. Sext. art. 9.

> Prorogationis falsa impetratio.

Appellans malè ad Iudicem superiorem, in duplo conuincitur. ART. LXXII.

QVIA nonnulli causas etiam iustas, vel exigui momenti, de sede & iudicio Banorum, Waiwodarum, Comitum & Vicecomitum, aliorum etiam Iudicum ordinariorum, in Curiam Regiam prouocare consueuerunt, vt scilicet partem aduersam longioribus grauioribusq; litibus, laboribus, expensis, iniurijs & damnis afficere, & grauare possint. Pro quiete itaque & releuamine Regnicolarum, & potissimum oppressorum & pauperum, communi consilio, voluntate & assensu dominorum Prælatorum, Baronum, cæterorumque Regnicolarum, statutum est: Quòd si quipiam de cætero, causam aliquam de præsentia cuiuscunque Iudicis, in curiam Regiæ Maiestatis prouocauerit, ibique Iudicium prius factum approbatum fuerit, in duplo Birsagio eius, in quo conuictus ante appellationem fuit, conuinci debeat eo facto, & immediatè per Iudicem suum ordinarium irremissibiliter extorqueatur. Hoc tamen expresso: Quod si in dicta sede Iudiciaria præfatorum Comitatuum, alicui parti iuramentum, sola sua in persona deponendum, adiudicatum fuerit: extunc pars illa à tali adiudicatione appellare non possit.

> Math. Sext. art. 53. Vlad. Decr. secũ. ar. 15.

> Cuiuscunq; Iudicis.

> Duplũ Birsagium.

> A iuramento parti delato in solã personam non appellatur.

Remissas causas ex Curia Regia, Comites & Vicecomites, ac Iudices Nobilium exequi, sub pœna viginti quinque Marcarum, tenentur. ART. LXXIII.

PRÆTEREA, quia præfati Comites & Vicecomites, quando causæ in dicta curia Regia, vel approbatæ, vel autem emendatæ, ad ipsos remittuntur, quod ipsum iudicium factum, iuxta iudiciariam commissionem, Iudicis sui ordinarij exequantur. Frequenter autem fauore partis aduersæ, vel aliquo alio respectu, huiusmodi executionem facere negligunt. Itaque, vt pars pro parte, cuius huiuscemodi iudicium factum sit, iure suo non frustretur, statutum est & ordinatum: Quòd, postquam ipsi Comites & Vicecomites cum literis Iudicis remittentis, requisiti fuerint, si executionem ipsam infra dies quindecim, à die ipsius requisitionis facere, absque aliqua iusta & rationabili causa, neglexerint: extunc tales Comites & Vicecomites, in viginti quinq; Marcis grauibus,

> Infr. Eiusdẽ art. 75. Eiusd. secũ. art. 16. 17. Eiusdẽ Quĩ. art. 9.

Vigiti quinque Marcæ.

per Iudicem, cuius mandatum executi non fuerint, indilatè & irremissibiliter exigendis, conuincantur eo ipso facto. Verùm quia causæ de sede Iudiciaria Comitum, Vicecomitum, & Iudicum Nobilium quorumlibet Comitatuum, per appellationem ad Curiam Regiam receptæ, vsque modo, semper ad Octauas transmitti, & in eisdem solummodo Octauis reuideri, discutique, & determinari consueuerunt, per hocque maiorum causarum, in ipsa scilicet Curia Regia inchoatarum, discussiones & reuisiones, sæpe sæpius, vel negligi, aut omitti, & in vlteriores Octauas, non sine graui dispendio partium, differri debuerunt. Ea propter, vt partium ipsarum indulgeatur fatigijs & expensis, litibusque breuius finis imponi possit & valeat, statutum est & ordinatum: Quòd à modo deinceps, quælibet causæ de ipsa sede iudiciaria Nobilium Comitatuum quorumcunque, medio etiam tempore, ad quoscunque terminos competentes, hoc est, extra Octouas, per appellationem ad præfatam Curiam Regiam recipi & transmitti, in eisdemque terminis per Iudices suos ordinarios, in quorum scilicet præsentiam transmittuntur, hic Budæ reuideri, discutique, & determinari possint & valeant. Quia vero nonnulli in causam attracti, causas, tàm ratione Iurium possessionatiorum, quàm etiam aliorum quorumcunque negotiorum, contra eos motas, soliti fuerunt, vsque modo, frequenter, varijs subterfugijs exquisitis, longe protrahere, & Actores laboribus, & expensis indebitè grauare, præsertim verò, cum Actor causam suam iam per obseruationes legitimorum terminorum, ac cunctorum iurium, & probabilium documentorum suorum exhibitiones, cum grauibus suis laboribus & expensis, coram suo Iudice ordinario, vsque ad finalem conclusionem in tantum deduxisset, quòd in eadem causa solummodo Iudicium finale fieri, siue sententia proferri & pronunciari deberet: tunc in causam attractus videns se succumbere, nec aliter causam vlterius differre posse, calumnia excogitata, literas expeditorias contra Actorem se habere allegando, per hoc causam suam, adhuc in alias tunc affuturas Octauas prorogari & differri procuraret. Quapropter, vt talibus calumnijs debito remedio occurratur, statutum est sancitumq;: Quòd à modo deinceps, quicunq; in causam attractus, in primo responsionis suæ termino, literas expeditorias se contra Actorem allegauerit habere, ad exhibendas & producendas easdem, Octauas tunc quam primum sequentes habere possit. Dum autem post terminorum legitimorum obseruationes, hoc est, tempore finalis conclusionis causæ, ipse in causam attractus huiuscemodi literas expeditorias se habere allegauerit, tunc nisi in continenti illas exhibeat & producat, nullas penitus alias futuras Octauas ad producendas & exhibendas easdem habere possit.

Transmissiones extra Octauas reuideri posse.

Expeditorias literas si quis se habere allegauerit quomodo & quando illas producat.

Literæ expeditoriæ, quando in primis Octauis, & quando in instáti exhibendę.

Capitali causa cum conuicto quid agendum sit: & de hæreditatibus eius.

ART. LXXIIII.

Ludo. prim. art. 24.

ORDINATVM est, prout etiam per serenissimum Principem quondam dominum LVDOVICVM Regem diffinitum fuit, quòd si quis Nobilium ordine iudiciario, siue in facto potentiali succubitus duelli, siue in pœna calumniæ, vel dilationis exhibitionisq; falsarum literarum, aut sententiæ Capitalis, siue alio quocunq; facto, in præsentia Palatini, & Iudicis curiæ, ac alterius cuiuscunq; Iudicis conuictus fuerit, Iudex causæ talé conuictum captiuare, & tribus diebus, causa pacis & concordiæ, detinere debeat. Et si concordare nequiuerit, extunc ad manus aduersarij, ad infligendam sibi pœnam à iure statutam & debitam, iuxta Regni consuetudinem, assignet. Qui si huiusmodi côuicto mortem, vel aliam pœnam à Iure, vt præfertur, statutam intulerit, à Iudice & parte aduersa, sine solutione alicuius pecuniæ vel grauaminis, absolutus habeatur. Quodq; filij, fratres, proximi, sorores, vxor, & consanguinei eiuscemodi conuicti & condemnati, pro illius excessu non debeant aggrauari: ita quòd neq; propriæ possessiones, & portiones illius, neque alia bona, demptis duntaxat illis rebus, quæ apud ipsum tempore captiuationis reperirentur, per Iudicem auferantur, sed omnino in filios, & hæredes, siue generationes suas condescendant, illiq; in eisdé omnibus bonis, possessionibus, domibus, & iurib⁹ possessionarijs, salui, liberi & quieti permaneant. Hoc adiecto: Quòd si præmisso modo con-

Capitali pęna affecti bona, in hæredes deuoluuntur.

do conuictus & condemnatus, cum suo aduersario qualitercunque concordare poterit, id ei semper facere liceat, & pro huiuscemodi concordia, Iudex nullum prorsus Birsagium, aut aliquam aliam solutionem, vel ab ipso conuicto, vel etiam parte aduersa accipere & exigere possit, sed liberè, & absq; vlla penitus solutione; concordiam & pacem ipsam facere valeant. Filius autem, pro delictis & excessibus patris, & è conuerso, nec in persona, nec in possessionibus, ac alijs rebus condemnetur, vel aliqualiter puniatur.

Capitali sententia damnatus, potest cum aduersario concordare absque birsagii onere, Filius pro patris delictis non puniatur.

Executiones Comitum, & Vicecomitum quomodo fiant: quodq; non impediantur: & de pœna turbantium executiones eorum. ART. LXXV.

COMITES parochiales, & eorum Vicecomites, & Iudices Nobilium, in executione Iudicij & iustitiæ, plurima agere habeant. Vt autem debito modo, & sine aliquo impedimento executiones suas exequi valeant statutum est: Quòd quicunque contra Comitem, vel Vicecomitem, & Iudices Nobilium, in quibuscunque executionibus legitimis & iuridicis proficiscentes, insurgerent, & eisdem vim inferre præsumerent, sicque ipsos coercerent, quòd iustitiam, quam executioni demandare deberent, exequi non possint, extunc tales, scita tamen prius mera rei veritate, debita pœna puniantur. Si verò serui, vel rustici fuerint, ipsos domini eorundem, sub pœna viginti quinq; marcarum, in manus Comitis, ad dignam eisdem pœnam infligendam dare, & insuper de innocentia, quòd scilicet de eorum voluntate & commissione id actum non sit, iuxta Regni consuetudinem, se expurgare debeant & teneantur. Si autem serui, vel rustici perpetrato facinore aufugerent, Comes pro iniuria ei illata, illos perquirat, & nihilominus domini eorum, vt præfertur, de innocentia se purgare teneantur.

Math. maiori art. 67. Vlad. Sext. art. 1. Ludo. Secū. ann. 1518. art. 6. Comitū & Vicecomitū in exequutione turbatores. Seruitores & rustici ad manus Comitis dadi, Domini se iuramento purgant. Math. sext. ar. 28. & 72.

Ecclesiasticarum, & Sæcularium personarum eadem pœna in iudicio sæculari. ART. LXXVI.

SÆCVLARES personæ, contra Ecclesiasticas personas, in quocunq; iudicio in maiori onere non conuincantur, quam Ecclesiasticæ contra sæculares conuincerentur.

Ecclesiastica personæ cum Inquisitoriis literis, nec acquirunt possessiones, nec retinent. ART. LXXVII.

ITEM quòd Episcopi, Capitula, Abbates, Conuentus & Præpositi, ac cæteræ Ecclesiasticæ personæ possessionatæ, cum tribus literis Inquisitorijs, in acquirendis possessionibus, inter Nobiles & Ecclesias, aliquam possessionem, nec requirere, neque retinere possint, nisi cum literis Regiæ Maiestatis, vel aliorum Iudicum ordinariorum, prout hæc, tempore, quondam domini LVDOVICI Regis, decreta & obseruata dignoscuntur.

Math. 1486 art. 57. Inter Nobiles & Ecclesias. Lud. Prim. art. 20.

Noua donatio quomodo impetranda à Rege, si quis causet combusta aut perdita esse de bonis suis priuilegia. ART. LXXVIII.

NONNVLLI sunt ex Regnicolis, quorum iura, & literalia instrumenta, per inimicos, & potentes ablata, per Turcosq; & Boëmos, Polonos & Teutones, cæterosq; Regni æmulos combusta & decremata essent. Igitur si tales ablationem huiusmodi ac decremationem iurium & literalium instrumentorum, ac id, quod ipsi, & prædecessores eorum, in dominio bonorum & possessionum, quas tangerent literæ ablatæ & combustæ, pacificè perstitissent, & ipsos legitimè concernerent, per vicinorum & commetaneorum suorum, ac Nobilium comprouincialium attestationes, comprobare possent: talibus Maiestas Regia bona illa, nouæ donationis titulo, dare & conferre teneatur.

Math. Sext. art. 72. Math. Sext. art. 65.

Sedem Iudiciariam armati non intrent: & pœna molestantium venientes ad sedes Comitatuum, aut inde redeuntes. ART. LXXIX.

QVIA ad sedem Iudiciariam nonnulli, quorumlibet Comitatuum, causantes, & quidam alij, qui sedem ipsam ingrediuntur, cum familiaribus & Iobagionibus armatis, & quidem maiori, quo possunt, numero intrare, & cæteros armis, vel multitudine ter-

vere solent. Quare tum ex eo, quod deinceps quilibet in eiuscemodi sedem Iudiciariam quietè, liberè & sine omni metu, atque periculi suspicione intrare, & ibi honestè, pacificè, & absque omni prorsus impedimento perseuerare possit: tum verò ne leges, & iura inter arma silére videantur, ordinatum est: Quòd tam Nobiles, quàm etiam familiares, & Iobagiones sedem Iudiciariam ingressuri, arma omnia, cuiuscunque generis existant, in hospitijs deponere, & inermes, in ipsam sedem ingredi debeant; vt ibi non armis, sed Iure contendere noscantur. Transgressores verò, si ignobiles fuerint, Comes eorundem arma auferat, & insuper eosdem in cippum ponat, ibique diebus duobus, & totidem noctibus teneat: Si verò Nobilis extiterit, modo simili arma auferat, & insuper vnam Marcam grauis ponderis ab eodem extorqueat. Ingredientes verò Nobiles, & alios cuiuscunque status homines, ad sedem Iudiciariam cuiuscunque Comitatus, intra ambitum Regni, vel de eadem sede ad propria regredientes, in ipsa sede, aut in eorum itinere, quicunque turbare, molestare, verberare, vel interficere præsumpserint, nota infidelitatis, aliâs consueta, conuincantur.

Comitatus ad sedem venientes turbantium pœna.

De pœna tam priuatorum Nobilium, quàm Comitum, & Vicecomitum, si publicum malefactorem dimiserint: & quòd Vicecomes ex eodem Comitatu eligatur, vbi residentiam habet. ART. LXXX.

Math. Sext. art. 38.

QVICVNQVE furem, vel latronem, aut alium quemcunque malefactorem publicum captiuauerit, & eundem de captiuitate sua voluntariè abire permiserit, Comiti parochiali homagium illius malefactoris, læsis verò damnum irrogatum restituere debeat & teneatur. Si verò Comes parochialis talem malefactorem in suas manus traditum, abire permiserit, extunc ipse Comes homagium eiusdem malefactoris, illi, qui sibi ipsum malefactorem tradiderat, soluere, & læso de damnis suis satisfacere debeat & teneatur. Vicecomites autem quorumlibet Comitatuum, semper esse debeant de eodem Comitatu, ex potioribus Nobilibus.

Malefactorem dimittentis pœna. Comes malefactorem abire permittens. Vicecomites & Iudices Nobiliũ qui eligãtur

De pœna, ac modo, captiuationeq́ publicorum malefactorum, falsariorum, & monetarum cusorum, in bonis quorumcunq́ fuerint. ART. LXXXI.

Math. sext. art. 60.

SI in bonis aliquorum fures, latrones, homicidæ, incendarij, & monetarum cusores, siue literarum, vel etiam manuum aliarum falsatores fuerint, & domini huiusmodi bonorum requisiti per Comitem, illos de bonis suis non expulerint, teneatur Comes mittere ad capiendum eosdem malefactores. Et si rustici sui, & incolæ possessionum, in quibus tales fuerint, contra homines Comitis ipsius insurrexerint, & eis restiterint, quominus illos capere possint, Comes possessionem non statim occupet, sed teneatur secundò maiori manu, maioriq; potentia ad illum mittere, & tam præfatos malefactores, quàm etiam rusticos illos capi facere. Vbi si officiales domini loci illius, simul cũ rusticis, vel etiam seorsum cum alijs complicibus insurrexerint, & illos capi non patientur; promiserint tamen, quòd illos in sede Iudiciaria coram Comite Iuri statuent, homines Comitis ipsius contenti esse debebunt: & in hoc Casu Comes possessionem non occupet. Verumtamen, si illos neque capere paterentur, neque, vt præfertur, statuere ad iudicium promiserint, possessionem ipsam ad gratiam Regiæ Maiestatis occupare debeant & teneantur. Si verò dominus talis loci, in hoc casu, contra Comitem, vel eius homines personaliter insurrexerit & obstiterit ne præfati malefactores, vel etiam rebelles illi rustici capi possent, & neque illos, vt præmissum est, in sede Iudiciaria statuere promiserit, vel si promiserit, & non fecerit, possessio, in qua hoc fieri contingit, fisco Regio applicetur.

Comes tenetur mittere ad capiendũ malefactorem. Supple Decret. secũd. art. 18. Eius. Math. sext. art. 48. Ludo. Secũ. ann. 1518. art. 35. Malefactores capere nõ permittentis pœna.

Homicidium voluntarium & deliberatum, quicunque patrauerit, sine omni gratia Regis eadem pœna puniatur: de homicidio tamen casualiter patrato, concordare possit. ART. LXXXII.

Supple Fer. Poso. 1563 art. 38. & art. 63.

SI qui hominum, cuiuscunq; conditionis & præeminentiæ existant, deliberatiuè homicidium perpetrauerint, omni redemptione remota interficiantur. Et si tales homines

ties fugæ præsidio se defensauerint, vbicunq; & quandocunq; reperti fuerint, eandem pœnam incurrant, sine omni spe & gratia Regiæ Maiestatis, obseruato tamen Iuris ordine. Et Comes, vel Vicecomes, seu Iudices illius Comitatus, vbi talis homicida repertus fuerit, ipsam iustitiam, iuxta Regni consuetudinem, administrare teneatur. Et nemo tales ad Castra, & domos suas, sub pœna de infidelibus, ac alijs malefactoribus expressa, acceptare & admittere audeat. Si verò homicidium non est ex præconcepta malitia, neque animo deliberato, sed casualiter, aut aliter inopinatè acciderit, occisor cum propinquis occisi, liberam concordandi habeat facultatem. Homicidas ad Castra recipientium pœna. Homicidiũ Casuale.

Infideles Regios, nemo vltra quadraginta dies apud se conseruare potest: & de pœna diutius retinentis: quodq; saluus conductus etiam infidelibus per Regem detur.

ART. LXXXIII.

NEMO Regios infideles ad Castra, munitiones, ciuitates, vel alia loca sua acceptare, & ibi conseruare atq; defendere audeat. Si quispiam tamen infidelium ex confidentia ad aliquem dominorum, vel amicorum suorum confugeret, poterit eum ille suscipere, & infra quadraginta dies, sed non vlterius, apud se, & in domo sua impunè conseruare. Et si ille vel pro gratia obtinenda, vel ad ostendendam obedientiam, aut etiam innocétiam suam declarandam, venire ad Regiam Maiestatem voluerit, is eum vnà secum, si voluerit, ad suam Maiestatem, vbicunq; fuerit, ducere, vel etiam cum literis, & hominibus suis mittere, sub saluo conductu Regiæ Maiestatis, qui omnibus talibus, vigore præsentis Decreti, ex nunc datus & concessus intelligi videatur: liberè etiam pro illo supplicare, laborare, & intercedere pro gratia possit. Verumtamen, si gratia ipsa à Maiestate sua impetrari & obtineri non poterit, rursus ad Castra, munitiones, ciuitates, oppida, vel alia loca & bona illum suscipere & admittere nullo modo audeat. Quod si qui forte aliter attentauerit huiusmodi Castrum, munitio, ciuitas, oppidum, possessio, siue locus, ad quem scilicet talis infidelis acceptaretur, eo facto ad Regium deuoluatur fiscum, & ex nunc deuolutus intelligatur. De quo Regia Maiestas vigore præsentis sanctionis, liberam, pro suo arbitratu, disponendi habeat facultatem. Math. vltimo art. 47. per 12. dies tantum. 40. dies. Saluus conductus. Bona ad fiscum.

Mercatores extranei & forenses, ad loca consueta ad emendum & permutandum deputati, accedant. ART. LXXXIIII.

MERCATORES forenses & extranei, cuiuscunq; nationis existant, ad mercandum, seu forisandum, in medium Regni, ad loca aliàs consueta, ad forisandum, & emendum ac cambiendum deputata, negociationes suas peracturi accedant. Mercatores infr. Eiusdẽ art. 103.

Ecclesiasticæ personæ, & Nobiles, ad loca tributorum & vadorum ire non compellantur: nec Nobiles vxores ducentes tributa soluere teneantur: & de pœna qui eos ad soluendum cogerent. ART. LXXXV. Depositionum loca.

NOBILES, & Ecclesiasticæ personæ, ad loca tributorum & vadorum ire non teneantur, neque compellantur, sed per portus, & vias quas voluerint, libero transitu, absq; aliquali impedimento & solutione, ire eos patiantur. Contrarium facientes, in pœna solutionis homagij viui talis impediti, conuincantur. Similiter, cum Nobiles Regni, ad conducendum vxores eorum accederent, & more solito cum eorum vxoribus ad propria redeuntes, in pontibus & tributis sæpius diuersimodè turbarentur. Ideò ipsi absque omni tributaria solutione, & quouis alio impedimento, in eundo & redeundo, abire valeant atq; possint, simul cum sequacibus ipsorum. Contrauenientes pœna prædicta puniantur. Telonium adire aut soluere, Ecclesiastici & Nobiles nõ tenentur. Math. Sext. art. 35. Pœna molestantis Nobiles in Telonio.

Rustici vxores ducentes, victualia dominis terrestribus, aut ad molendina fruges vehentes, tributum non soluant: sartores quoq; ac pannitonsores non plus, quam alij viatores, in Telonio dare teneantur. ART. LXXXVI.

A RVSTICIS vxores de alijs villis ducentibus, deinceps, in transitu & reditu nullum prorsus tributum exigatur. Quodq; à sartoribus & rasoribus, non quadraginta denarij, prout consuetũ fuit, sed duntaxat tantum, quantũ ab alijs viatoribus exigitur, in locis tributorũ exigatur. Et insuper, ab hominibus fruges ad loca molendinorum deferentibus, Math. maior. art. 36.

tibus, nec in eundo, nec in redeundo, tributum exigi valeat. Et nihilominus vina, fruges, & alia victualia & muneralia dominorum terrestrium per quæcunque loca tributorum, ad domos, & curias dominorum suorum deferentes, nullum tributum soluere teneantur, neque ad solutionem tributariam compellantur, pœna sub prædicta.

Rustici victualia dominis terræ vehentes.

De tributi iusta exactione: de falsis & nouis viis, pontibus & nauibus: & in his, de officio & authoritate Comitis. ART. LXXXVII.

Math. Sext. art. 5.

Comes petat exhiberi literas super tributis & Telonijs.

QVIA ex immoderata & superflua exactione tributorum, multa grauamina, damna & incommoda Regnicolis, & extraneis hominibus, cum eorum rebus & mercibus hinc inde proficiscentibus, per tributarios, tam Regales & Reginales, quàm aliorum illata forent, & dietim inferantur. Ideò statutum est, quòd in singulis Comitatibus, Comes cum potioribus Nobilibus illius Comitatus, quot loca tributorum in eodem habeantur Comitatu resciat. Et à dominis, seu possessoribus eorundem tributorum, petantur exhiberi literæ primariæ institutionis tributorum eorundem, in quibus, si inuenta fuerit quantitas soluendi tributi de singulis rebus soluere consueti, talis solutio moderetur, & reducatur ad rationem præsentis monetæ: taliter, quòd tributarijs, seu tributa habentibus, eorum iusti prouentus non decrescant, nec è contrario solutionis modus inanis, tributa soluere debentibus supercrescat. Vbicunq; autem huiusmodi literæ primariæ institutionis reperiri & exhiberi non poterunt, aut repertæ & exhibitæ, quantitatem soluendi tributi non expresserint, tunc idem Comes, vna cum prætactis Nobilibus illius Comitatus, inquirat & resciat quantitatem solutionis tributorum, in quibus suis tributis ipsius Comitatus, de singulis rebus tributari solitis, tempore antiquiori, quoad humana memoria comprehendere potest, fieri consuetæ, & retrahat ad consuetudinem antiquam, compensata qualitate, quantum iustius fieri poterit, pecuniæ tunc currentis, semper absque damno & detrimento, tributa exigere & soluere debentis, æquitate videlicet vtriusq; partis semper salua. Similiter inquirat, discutiat & moderetur, quæ, & vbi sint falsæ viæ & indirectæ quorumlibet tributorum, in quantum longè, vel prope, huiusmodi vias falsas singuli tributarij obsistendi, ac itinerantes in eisdem prohibendi vel impediendi, iustam & consuetudinariam habuerint, & habere debeant facultatem. Vias autem nouas, in locis quibusuis, quæ ab olim nunquam esse consueuerunt, nemo pro communi & vniuersali transitu, itinerantibus, in detrimentum & damnum tributorum, in faciebus suarum terrarum adinuenire præsumat: Alioquin de huiusmodi vijs nouiter adinuentis, ijdem Vicecomes & Iudices Nobilium, vna cum prætactis Nobilibus illius Comitatus, decernant, an huiusmodi viæ, pro falsis vijs reputandæ sint, vel aliter resistendæ. Habentes insuper & exigentes tributa, ratione pontis vel nauium, pontes huiusmodi vel naues, sub debita reformatione, semper debeant conseruare: taliter, quòd viatores & tributa soluentes, per pontes & naues eorum transitum liberum, absque impedimento facere possint. Id verò facere negligentes, pœnis & grauaminibus opportunis, ad debitam reformationem & conseruationem suorum pontium & nauium, per Comites eorum parochiales, & Nobiles illius Comitat⁹ astringantur, totiens, quotiens, eorum negligentia exigente, fuerit opportunum: ita tamen, quòd nemo in terris aliorum, vias falsas stare & custodire valeat. Vbi autem aliqui in pontibus, vel nauibus, propter malam conseruationem eorum, damnum patientur: extunc huiusmodi damnum passis, per hos, quorum pontes & naues sunt, de damnis satisfactio impendi debeat.

Vbi literæ non reperiuntur, quid agendum.

Viæ falsæ.

Viæ nouæ.

Pontes semper bonos habeant, Telonia exigentes.

Viæ falsæ in aliorum terris non obseruentur.

Damni compensatio.

Vadorum priuilegiatorum in præiudicium, nemo vada falsa & occulta tenere possit, sub amissione possessionis: & de pœna transeuntium in vadis falsis. ART. LXXXVIII.

Math. Vlt. ar. 35. & 36

QVIA nemo Regnicolarum, in præiudicium vadorum priuilegiatorum, falsa vada & occulta tenere & conseruare potest, neq; debet. Ob hoc decretum & ordinatum est, quòd à modo de cætero, nullus omninò vada, nauesq; & carinas occultas, aut sinistras, pro transeuntibus siue transuadentibus tenere & conseruare audeat, sub pœna amissio

amissionis illius possessionis, in qua id, vt præmittitur, in præiudicium vadorum priuilegiatorum fieri contingeret. Si qui autem mercatorum, vel itinerantium comperti fuerint, sinistra vada & occulta pro se procurasse, deprehensiq; per illa loca traiecisse, eadem regula de illis obseruetur, quæ de non soluentibus & pertranseuntibus iustum Telonium, intelligi possit.

Amissio possessionis

Telonia negligentes.

Arestationes quomodo fieri debeant. ART. LXXXIX.

NVLLVS arestare volens, in suis proprijs, aut fratrum suorum condiuisionalium, vel dominorum suorum, possessionibus, terris, aut officiolatibus, pro quacunq; causa, arestationem aliquam facere possit: Alioquin pro indebito aresto, in pœna triū Marcarum conuincatur, & arestum huiusmodi indebitè factum, cum altero Birsagio triū Marcarum relaxare, & liberum permittere, per Comitem parochialem compellatur. Alioquin si Comes fauore forsitan cuiuspiam, in hac re executionē facere negligeret, & tepidus foret, pars arestata, aut ipsius dominus terrestris, vel ipsum arestantem, vel loco illi⁹ alium, seu alios quos poterit colonos ipsius villæ seu possessionis, vbi trāsgressor præsentis statutionis moram traxerit, tam diu, donec ille, sic vt præmittitur, indebitè arestatus, simul cū rebus suis, liberè dimi[illegible]ur, sibiq; pro huiusmodi indebito aresto, de Birsagijs sex Marcarū prædictis sat[illegible]um fuerit, in loco comuni arestare, atq; ipsa Birsagia, vel coram domino terrestri, aut suo officiali, Iudiceq; & iuratis ciuibus illius loci comunis, vbi talis arestatio facta fuerit, iuridicè reacquirere, & reobtinere valeat atq; possit: Ipseq; dominus terrestris, aut suus officialis, vel Iudex, & iurati ciues, ex parte ipsorum arestatorum, de præscriptis Birsagijs sex Marcarum, satisfaciendi habeant facultatem. In alijs autem factis & negocijs, cum in loco communi quispiam arestationem facere voluerit, Iudex ipsius loci comunis, eandem arestationem corā se sic, & non aliter, fieri patiatur & acceptet: si videlicet arestans, prius se à domino, vel Villico possessionis, in qua arestatus residentiam habuit, iustitiam postulasse, & huiusmodi iustitiam, aut sibi temerariè denegatam, aut finaliter exhibitam fore, & satisfactionem debitam non impensam extitisse, literis Comitis vel Vicecomitis parochialis, aut Iudicum Nobilium, vel alijs credibilibus rationibus poterit comprobare. Dum autem hæc præmissa, modo prætacto, poterit comprobare: extunc dominus, vel Iudex, aut Villicus ipsius loci, seu possessionis communis, arestum retinere, & inter partes, m[illegible]re in talibus consueto, iudicium & iustitiam facere, super debitis, aut alijs excessibus, vel rebus corā eo rationabiliter obtentis, debitæ satisfactionis cōplementum, de rebus & bonis iudicialiter cōdemnati, aut bonis & rebus minus sufficientibus, per detentionem personarum impendere teneatur. In casu enim, quo Iudex ipse aresti pro fauore, aut timore cuiuscunque, vel ex qualibet alia causa rationem non habente, arestum coram eo legitimè factum seu fiendum retinere, iudiciumq; & iustitiam, ac satisfactionis complementum modo superius descripto, exhibere recusauerit: extunc ipse arestatori, cuius aduersarium liberum abire permiserit, pro damno, quod pro huiusmodi aresto requirere, & mediāte iustitia obtinere poterat, & pro toto interesse teneatur & existat obligatus: nisi arestandus, vel arestandi, tantam potentiam seu vim habuerint, propter quam dominus seu Iudex loci communis, eis resistere, & eos retinere non valebit, aut alia potentia superueniens, arestatum, contra voluntatem iudicis aresti, violenter abduxerit. Quo casu eueniente, ad sui excusationem, super eo, quantocitius poterit, suis vicinis & commetaneis publicè protestetur.

Arestationes vbi possint fieri. Sigism. Secun. ar. 7. E. Tert. art. 5. E. Sext. art. 13. 14. 15. 16. Math. Sext. art. 29.

Loco arestati, alius quādo arestetur

Arestationes quando facere liceat

Comes.

Arestati detentio personæ.

Aresti Iudicis, officio non satisfacientis pœna.

Arestari Nobiles & eorum bona, & coloni pro Nobilibus non possunt. ART. XC.

CÆTERVM, sunt nonnulli Villici, siue Iudices & officiales, præsertim in bonis & possessionibus dominorum Prælatorum & Baronum, qui, dum aliqui coram eis contra Nobiles, occasione aliquorum debitorum, vel aliarum rerum conqueruntur, ad instantiā ipsorum querulantium, Iobagiones talium Nobilium, vel captiuant, vel autem cum rebus & bonis eorum arestant, sicq; ipsi Nobiles, contra priuilegiū & libertatē Nobilitatis, illorū iudicio astare plerumq; coguntur. Et quia Villici, siue Iudices, aut officiales villarū, oppido-

Nobiles & eorum bona non arestentur, nec coloni pro Nobilibus.

Adijcias huc Decr. Secū.ar.20.

oppidorum vel ciuitatum, aut etiam domini terrestres talium locorum, in talibus causis, in Nobiles iurisdictionem nullam exercere habent: Ideo statutum est & decretum, quòd à modo deinceps, in nullo loco pro Nobilibus, siue occasione debitorum, siue quarumcunque aliarum rerum, arestum fieri possit, neque ipsi Nobiles per se in eorum personis, vel rebus, quouis modo impediri, seu arestari valeant. Si qui autem aliquid actionis contra aliquos Nobiles se habere prætendunt, hi, id coram Comite parochiali & Iudicibus Nobilium, vel alijs Iudicibus ordinarijs talium Nobilium, prosequantur: ex parte quorum ipsi, Comes & Iudices Nobilium, aut alij Iudices ordinarij, iudicium & iustitiam ac debitæ satisfactionis complementum, iuxta legitimas comprobationes ipsius Actoris, de Regni consuetudine, administrare & exhibere tenebuntur. Vbi verò aliqui contra huiusmodi statutum, pro aliquo Nobili, Iobagionem suum detineri, & res suas arestari fecerint: extunc tales in viuo homagio, ipsius detenti Iobagionis, & æstimatione rerum arestatarum conuincantur. Et simili modo, si ipsum Nobilem in persona propria detineri, vel suas proprias res arestari procurauerint, conuicti habeantur.

Rusticus pro Nobili non arestetur.

Arestantis Nobilē, eius bona, vel colonū pro eo; pœna.

C. de acti. & obl. L. iij.

Ciues non in suis Ciuitatibus, sed in loco communi, pro suis debitis arestare possunt. Salarium Iudicis aresti. Vulneratores verò, verberatores, & homicidæ vbiq; detineri possunt.

ART. XCI.

Arestatio per ciues, itidem vt per alios, fiat;

IN Regijs & Reginalibus liberis Ciuitatibus, oppidis, villis & possessionibus, mediantibus eorum iudicibus, officialibus & præsidentibus quibuscunq;, per ciues, mercatores, hospites & incolas eorundem, pro suis debitis, rebus & acquisitionibus quibuscunque, arestationes huiusmodi modo suprascripto, & sub pœnis ante dictis, per Magistrum Thauernicorum, aut alios eorum superiores indilatè exigendis, fieri nullatenus debeant neque possint, sed in locis communibus, & coram Iudice communi, cum necesse fuerit, fiant arestationes per eosdem, modo superius declarato. Iudex autem communis, huiusmodi arestationes coram eo debitè & legitimè factas, discernens & iudicans, pro suo labore & honore, si fuerit Iudex per dominum possessionis constitutus, aut dominus ipsemet, quadraginta denarios: si vero Villicus, duodecim denarios, ab homine iudicialiter condemnato, pro se exigendi habeat facultatem. Et sic arestationes modo præmisso, tantummodo fieri valeant, & non aliter: demptis, si quipiam, vulnera, læsiones, mortem, incendia, & alia similia enormia perpetrarent manifestè, in quibus casibus, ex parte eorundem, si præsentes sunt, & comprehendi possunt, iudicium & iustitia impendatur, & sic eisdem debita pœna infligatur, iure mediante.

Aresti Iudicis Salariū.

Manifestus debitor, vulgo, Szembe valo ados, vbique detineri potest. ART. XCII.

SI quis autem causabitur, sibi aliquem debitorem fore manifestum, hoc est, si debitor fuerit apertus & manifestus, qui debitum huiusmodi non negat, quiq; vulgari & materno sermone, Szembe valò ados, nuncupatur, talis etiam debitor detineri, & ex parte eiusdem, iuxta Regni consuetudinem, iudicium fieri valeat.

Szembe valo ados.

Colonum accepta licentia migrare volentem, non dimittentis pœna. ART. XCIII.

Math. Sext. artic. 39. & vltra. Ferdinand. ann. 1556. art. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. quæ seruantur.

PROPTER violentam detentionem, & damnificationem Iobagionum, petita licentia, iusto terragio deposito, alijsq; debitis suis persolutis, ad alterius possessionem se transferre volentium: quo casu Comes parochialis cum suis Iudicibus Nobilium, absq; quibus nullum in talibus processum facere debet, ab his, qui in hoc casu culpabiles legitimè inuenti fuerint, iudicium seu Birsagium trium Marcarum, toties, quoties, & quandocunque culpabiles inuenti fuerint, sine expectatione, extorquere potest: Iobagionemq; retentum seu damnificatum, cum omnibus bonis suis, damnis etiam recuperatis liberum habeat permittere faciendi, demptis his, qui in libertatibus manserunt. Illi namque sic libertati, non aliter, quam si tempore recessus ipsorum, de omnibus censibus; tam ordinarijs, quàm extra ordinarijs, medio tempore, infra libertatem ipsorum fieri debendis, dominis eorum satisfaciant, abire permittantur: ita tamen, quòd si quic-

Fugitiuus capi potest. Vlad. Septi. art. 80.

quam

quam ædificij illic; infra tempus libertationis fecerint, de eisdem liberè disponere possint iuxta Iudicum vel Villicorum, vbi moram traxerunt, æstimationem. Vlad. Decr. Secũ.ar.21.

Colonum non petita licentia, aut furtim migrantem: & Comitis ac Vicecomitis aliorum colonos abducentium pœna. ART. XCXIIII.

SI quis alterius Iobagionem, non petita, nec obtenta licentia, vel petita, sed non obtenta, ante dies quindecim, huiusmodi petitæ licentiæ potentialiter abduxerit, talis pro abductione violenta Iobagionis huiusmodi, Birsagia trium Marcarum soluet, & eundẽ Iobagionem, cum alijs tribus Marcis Birsagialibus, per Comitem parochialem, cum Iudicibus Nobilium restituere compellatur. Si verò Iobagio alicuius, non obtenta licentia, sed furtiuè; ad possessionem alterius recesserit, & idem, ad cuius possessionem accesserit, requisitus, reddere recusauerit: extunc ad restitutionem ipsius Iobagionis fugitiui, Comes parochialis, talem cum Birsagio trium Marcarum, compellere debeat & teneatur: ita tamen, quòd nemo Iobagionem alterius petita, & non obtenta licentia, absq; Iuris & iustitiæ administratione, alijs etiam suis debitis minimè persolutis, post illos etiam quindecim dies habitæ licentiæ, sub pœna solutionis viginti quinque Marcarum, partim Comiti, partim verò causantibus persoluendarum, violenter abducere audeat, & neq; possit. Similiter hoc idem de Comitibus, vel Vicecomitibus parochialibus intelligatur: si ijdem sub confidentia officiolatus eorum, violentas commiserint Iobagionum abductiones, qui eidem pœnæ, & grauamini subiacere debeant. Marcæ 25.

Literarum in Capitulis & Conuentibus taxa. De labore viarum, fide dignitatum, & pecuniis in Capitulis & Conuentibus depositis. ART. XCV.

SVPER facto redemptionis literarum Capitularium & Conuentualium, nec non super satisfactione viarũ & laborum testimonijs Capitularibus & Conuentualibus fienda, vt materia discordiæ sæpius suboriri consueta, de cætero cesset & succidatur, consuetudinem antiquam imitando, statutum est; vt in omnibus locis, tam Capitularibus, quã Conuentualibus, pro qualibet litera Euocatoria prima, secunda & tertia, in Capitulo aut Conuentu, simul cum eorum Notario & scriptore, pro redemptione literæ, recipiantur seu soluantur singuli denarij viginti quatuor, maioris monetæ. Pro qualibet litera procuratoria denarij viginti quatuor. Pro qualibet litera prohibitoria, protestatoria & alijs similibus, si patenter emanauerint, denarij viginti quatuor: si verò clausè, denarij duodecim. Pro qualibet litera fassionali priuilegialiter scripta, denarij centum: patenter verò, denarij viginti quatuor. Pro qualibet litera inquisitoria, siue patenti, siue clausa, denarij viginti quatuor. De paribus antiquarum literarum in conseruatorijs Regni sitarum, Custodi seu requisitori, per se denarij centum: & pro redemptione literæ requisitæ, si non habuerit multum de scriptura, & patenter confecta fuerit, denarij viginti quatuor: si verò labor scribendi fuerit magnus, & litera priuilegialiter confecta, denarij centum. De simplicibus transumptis seu transumptionalibus literis patenter editis, vbi labor scribendi magnus non fuerit, denarij viginti quatuor: vbi autem litera prolixa fuerit, aut priuilegialiter emanata, denarij centum. De litera statutoria, in qua contradictio facta fuerit, denarij viginti quatuor. De literis verò statutionalibus perpetuis, in quibus contradictio facta non fuerit, recipiatur redemptio literarum, secundum quantitatem possessionum, & numerum sessionum, modo subscripto: videlicet, de sessione vna, duabus, aut tribus, vel quatuor, in toto denarij centum: vbi autem fuerint vltra quatuor sessiones, vsq; ad decem, pro qualibet sessione denarij triginta tres: vbi verò fuerint vltra decem, vsq; viginti, de qualibet sessione, denarij viginti quatuor: vbi verò fuerint vltra viginti, vsque ad centum, de qualibet sessione denarij duodecim: si verò fuerint vltra centum vsque quaque, de qualibet sessione, denarij octo. De literis reambulatorijs metalibus, in quibus contradictio & euocatio facta nõ fuerit, denarij viginti quatuor. In reambulationibus autẽ metalibus, in quibus simplex consignatio, Sigism. Secun.art.9. Math. Sext. art.74. Custodi.

vel

vel cum hominibus Regijs de Curia Regia transmissis, similiter consignatio, vel finalis metarum erectio cum iuramento super terram, in forma Iudiciaria, aut partibus concordantibus facta fuerit, pro redemptione literarum quadringenti: vbi autem partibus, in huiusmodi reambulationibus & demonstrationibus metalibus, discordantibus, causa ad Curiam Regiam reducta fuerit, tunc pro redemptione talium literarum, denarij centum. De communi inquisitione, ordine iudiciario commissa, denarij centum. Item de reuisione possessionariæ reambulationis, denarij centum. Item de occupationibus possessionum hominum in sententia Capitali conuictorum, ac rerum ablationibus, Iudiciaria commissione, fiendis, de rebus ablatis, ex antiqua consuetudine, Capitulum habebit decimam partem: pro redemptione autem literæ, denarij centum. De æstimationibus possessionarijs iudiciaria commissione fiendis, denarij centum. Item de expeditoria iuramentali continente nomina coniuratorum, denarij centum. De solutionibus pecunialibus, coram Capitulo, vel Conuentibus, vel eorum testimonijs fieri solitis, Capitulum seu Conuentus, decimam & nonam partes exigere non possunt, nisi quando propter discordiam partium, in eorum sacristijs seu conseruatorijs, huiusmodi pecuniæ repositæ fuerint, de talibus nempe de Iure decimam & nonam partes recipere possunt, ad illius tamen partis rationem, quæ causam dederit pecuniam huiusmodi in conseruatorijs reponendi. Personis autem testimonialibus Capitulorum & Conuentuum, pro singulis diebus, quibus in itinere fide dignitates processerint, soluantur singuli duodecim denarij maiores, siue in proprijs equis, siue in equis causantium ambulent & ducantur: ita tamen, quòd in victualibus, & expensis causantium, & ipsos ad facta sua conducentium, simul cum equis & familiaribus eorum, de domo iterum ad domum, semper duci debeant & reduci.

Capitulum decimã partem habet, ex ablatis rebus Capitali sententia dãnati.

Capitulis & Conuentibus, de quibus pecunijs soluantur decimæ & nonæ. Math. Sext. art. 75.

Capitulariũ & Conuentualium hominum salarium. Math. Sext. art. 10.

De transumptis literarum, in Capitulis & Conuentibus. ART. XCVI.

SVPER literis in locis Capitularibus & Conuentualibus, & interdum in Curia etiam nostra, extra Octauas transumptis & exemplatis, ac tandem huiusmodi transumptis, in iudicio à parte, contra partem productis, multoties parte illa, contra quam producuntur, impugnante, disceptationes variæ, & exinde de earum viribus dubietates oriuntur. Ad excludendum igitur & tollendum disceptationes & dubietates huiusmodi: statutum est & decretum; quòd siue huiusmodi literæ in dictis locis Capitularibus & Conuentualibus, vigore quarumcunque literarum præceptoriarum, siue autem in dicta Curia nostra, sub nostro secreto vel iudiciali, aut alterius cuiuscunque Iudicis ordinarij sigillo, extra terminos Octauarum transumptæ & exemplatæ existant, quando per aliquam partem ipsa transumpta in iudicio producuntur. Altera parte eadem transumpta impugnante, & eis fidem non adhibente, teneatur pars producens, ad verificandum huiusmodi transumpta, originales literas exhibere.

Originales literæ penes transumptum in iudicio edãtur.

Mulieres Nobiles, coram duobus testimonijs Capituli, vel Conuentus, procuratores constituere possunt. ART. XCVII.

FREQVENTER occurrere consueuit, quòd mulieres, præsertim vxores Baronum, Procerumque & aliorum Nobilium in causis earum, per ipsas scilicet contra alios, aut per alios, contra ipsas motis vel mouendis, pro constituendis procuratoribus ad loca Capitularia vel Conuentualia, aut propter loci distantiam & viarum discrimina, aut propter alias rationabiles causas, personaliter commodè accedere nequeunt: vel autem propter muliebris sexus fragilitatem, simul & honestatem ire verentur. Ideò statutum est, quòd quando huiuscemodi mulieres, coram duobus Canonicis, aut fratribus Conuentualibus, de eisdem locis Capitularibus aut Conuentualibus, ad earundem mulierum petitiones, propter hoc transmissis, procuratorem constituunt, huiusmodi constitutio vigorosa sit, literæque Capituli vel Conuentus superinde emanatæ, in quolibet iudicio acceptentur, & eis plena fides detur, tanquam alijs literis procuratorijs. Hoc tamen expresso, quòd hi qui ad audiendam huiusmodi constitutionem precu-

Procuratorem Nobiles fœminæ coram duabus Capituli personis cõstituunt.

Viæ præmium.

procuratoriam mittentur, pro via plus exigere non valeant, quam in executionibus euocationum, vel inquisitionum: de literisque tandem ad eorum relationem in Capitulo vel Conuentu emanatis, tantum recipiant, quantum de alijs procuratorijs literis recipi & exigi consueuit, & nullo modo plus. Procuratorij taxa.

Literarum Iudicum ordinariorum, id est, minoris Cancellariæ Regiæ taxa.
ART. XCVIII.

PRÆTEREA, ex quo in Iudicijs, in Curia Regiæ Maiestatis fieri solitis, coram Iudicibus ordinarijs eiusdem Curiæ, ac eorum Notarijs supratactis, literæ, & redemptiones earum necessariò occurrunt. Ideò, ad tollendam cuiuslibet altercationis occasionem, quæ inter ipsos Notarios, & causantes emergere possit, antiquam consuetudinem redemptionis literarum earundem, modo subscripto, duximus similiter declarandam: videlicet, quòd in ipsa Curia Regia, Notarijs ipsius Curiæ Iudicum, de vna litera prorogatoria communi, soluantur denarij duodecim. De litera iudiciali seu Birsagiali, denarij similiter duodecim. De secunda euocatoria, denarij viginti quatuor. De simplici litera Inquisitoriali, similiter denarij duodecim. De tertia euocatoria, denarij centum. De litera Iuramentali tertio, vel sexto se, alicui adiudicata, denarij viginti quatuor. De eo qui iurabit duodecimo vel vigesimo quinto, aut quinquagesimo se, denarij centum. De communi inquisitione, denarij centum. De Iuramentali super caput, denarij ducenti. De prima instrumentali exhibitione, denarij viginti quatuor. De secundaria, & tertiaria instrumentali exhibitione cum grauamine assumpta similiter denarij viginti quatuor. De prorogatoria respondendi cum tribus marcis, denarij viginti quatuor. De litera prorogatoria patenti, denarij viginti quatuor. De litera fassionali communi, denarij viginti quatuor. De alijs literis generalibus, videlicet, prohibitoria, & similibus, denarij viginti quatuor. De prohibitoria facie ad faciem, denarij centum. De litera sententionali facti potentialis, conseruatori sigilli floreni decem per centum: Scriptori autem denarij ducenti. De literis statutorijs, & reambulatorijs simplicibus, denarij viginti quatuor. De literis autem adiudicatorijs reobtentionis possessionum, seu aliarum rerum, iuxta quantitatem possessionis, seu rei reambulatæ, habita concordia inter causantes & Protonotarios, fiat solutio. Math. Maiori art. 76.

Literarum maioris Cancellariæ Regiæ Maiestatis taxa; & de valore denariorum currentium. ART. XCIX.

IN Cancellaria autem Regiæ Maiestatis, quo ad redemptiones literarum iuridicarum & confectarum, seruetur antiqua consuetudo eiusdem Cancellariæ, similiter de donationalibus & confirmatorijs, pensata quantitate rei donatæ, vel confirmatæ, erit concordandum cum Cancellario, modo hactenus obseruato. Quia in omnibus præmissis redemptionibus literarum, & alijs quibuscunq; solutionibus, & Birsagiorum exactionibus, de numero & quantitate denariorum, pro tempore currentium, sæpe numero mētio facta est, gratia remouendi dubij, præsentium serie declaramus, vt denarij tales intelligantur, quorum singuli centum, vnum florenum auri valeant, repræsentent, & si denarios minores pro aliquo tempore cursum habere contigerit, ad eandem rationem, cum ampliori & æquiualenti numero suppleantur. Sigis. Vltim. art. 12. Denarij centum vnum florenū auri valeant. Minores denarij.

Pestiensis, & Pilisiensis Comitatus, Comites non habeant. ART. C.

ITEM sicuti & quemadmodum hactenus, Pestiensis & Pilisiensis Comitatus, ex quo prope Budam sunt, Comites non habuerunt, sicnec in futurum Comites habere debeant. Vlad. Secū. art. 24.

De falcatione, & fæni comportatione, quòd per vim fieri non debeat, pro equis Regis.
ART. CI.

REGIA Maiestas ac officiales eiusdem, falcationes, messes, cumulationes & importationes fæni, per vim, vti complusiuè exercebatur, amplius fieri non faciant.

Visegradiensis Ciuitatis libertas, super quocunque excessu, aboletur. ART. CII.

Vlad. Tert. art. 39. ILLA damnabilis libertas, Ciuitati Visegradiensi, per quondam dominum Mathiam Regem concessa, ea videlicet, quòd nemo de quocunque excessu, sed nec debito, cuipiam iuri stare, de Ciuibus ipsius Ciuitatis deberet, omnino extincta abolitaq;, ac inanis & vana habeatur.

Depositionum & permutationum, in quibusdam Ciuitatibus, loca. ART. CIII.

S.E. art. 84. E. Quart. art. 24. SI quæ Ciuitatum huius Regni locum depositionis & permutationis apud se fieri debere, & superinde priuilegia habere causaretur: extunc illa, vel illæ Ciuitates, iuxta contenta priuilegiorum, suas causas, coram suo Iudice ordinario, prosequi valeant atque possint.

Super nonis frugum & vinorum, libertates se habere allegantibus, Iudicium in primis Octauis administretur. ART. CIIII.

S.E. art. 47. & infr. Eius. Tert. ar. 41. QVOD si qui populorum, seu Iobagionum Regalium, vel Reginalium, aut aliorum quorumcunque, super frugum & vinorum nonis, vel Akonibus libertates habere allegantium, conquererentur, inter tales & dominum terrestrem, per Iudices ordinarios Regni, in primis Octauis Iudicium & iustitia administretur.

De domibus Prælatorum, Baronum & Nobilium, Budensibus, in medium Ciuium nihil soluatur, demptis inquilinis, qui aliquid soluere tenentur. Idem, tempore huius constitutionis, in aliis Ciuitatibus Regiis & liberis, seruatum esse. ART. CV.

INTELLEXIMVS ex relatione dominorum Prælatorum & Baronum, ac Nobilium, quòd domus ipsorum, quas in Ciuitate nostra Budensi habent: quasq; magis propter opportunum eorum condescensum, dum ad Curiam Regiam frequentandam adueniunt, ibidem tenent, ab antiquis temporibus, ab omni taxa, & quauis solutione, in medium ciuium præfatæ ciuitatis nostræ Budensis facienda, per diuos Reges prædecessores nostros, exemptæ & libertatæ fuissent. Sed à certo tempore, ciues prædictæ ciuitatis, quandam exactionem, super prædictas domos ipsorum, facere cæpissent, prout etiam actu facere contenderent. Igitur de consilio dictorum dominorum Prælatorum, Baronum & Nobilium, statuimus, & præsenti consulto nostro perpetuò duraturum ordinauimus, quatenus à modo deinceps, dictæ domus præfatorum dominorum Prælatorum & Baronum, ac Nobilium, nulli taxæ, nulliq; penitus solutioni in consortium dictorum ciuium ciuitatis nostræ Budensis fiendæ, sint obnoxiæ & obstrictæ. Sed sicut olim eædem domus liberæ fuerunt: ita imposterum ab omni taxa, ab omniq; solutionis genere exemptæ, liberæ & immunes habeantur, neq; dicti domini Prælati & Barones, ac Nobiles, ratione prædictarum domorum suarum, in consortium præfatæ ciuitatis nostræ, quicquam soluere teneantur, Saluo illo permanente: Si aliqui inquilini fuerint in domibus præfatis, illi secundum consuetudinem prædictæ ciuitatis nostræ, pro merito quisq;, iuxta limitationem Iudicis, & iuratorum ciuium eiusdem ciuitatis, (& hoc intelligi volumus, etiam de alijs ciuitatibus nostris Regalibus) solutionem facere teneantur: ita tamen, quòd amplius non grauentur, quam cæteri inquilini aliorum ciuium, in eadem ciuitate residentium.

Domus indebitè ab aliquibus ablatæ Budæ, restituantur. ART. CVI.

ABLATÆ domus, praua ratione, his, à quibus indebitè receptæ sunt, restituantur. Si autem indebitè detentores talium domorum, aliquos labores & ædificia super eisdē fecissent: extunc hi, quibus tales domus restituentur, de huiusmodi ædificijs & laboribus, iuxta limitationem proborum, satisfacere teneantur.

Inter-

Interregni tempore, nempe post decessum Regis, occupationes, spolia, rapinas & alia mala patrantium pœna. ART. CVII.

PRÆTEREA, vniuersorum dominorum Prælatorum, Baronum & Procerum, cunctorumq; Nobilium huius Regni, pari voto, & vnanimi voluntate statutum est, vt deinceps in perpetuum, quicunq; Regnicolarum, cuiuscunq; status & conditionis existant, post decessum alicuius Regis Vngariæ, occupationes castrorum, castellorum, ciuitatum, oppidorum, villarum seu possessionum, incendia, spolia, vel quascunq; rapinas, & alia quæcunque mala committerent, tales raptores, incendiarij, spoliatores, & occupatores bonorum quorumcunque, & malefactores, perpetuæ infidelitatis pœnæ subiacere, & perpetui infideles Regni habeantur eo facto. Et quòd nec Regia Maiestas, etiam cum consilio dominorum Prælatorum & Baronum, imò nec ipsum totum Regnum, talibus malefactoribus gratiam faciendi habeant facultatem: sed iugo perpetuæ seruitutis & rusticitatis subiecti, reatus sui pœnam lugeant, sine fine.

Lex fundamentalis ad conseruandum statum & salutem reipub. reiter hanc legem inter casus notæ, Decr. Secū. E. art. 4.

Ad Dietam vel Conuentum per Regem indictum, vltra quatuor dies nemo expectetur, sed negocia concludantur: & absentes, conclusa pro rato habere debeant.

ART. CVIII.

QVIA contigit pluries iam fieri, quòd quando occurrentibus Regni negocijs admodum arduis, & communi omnium dominorum Prælatorū & Baronum, Nobiliumq; Regni consilio tractandis & concludendis, Maiestas Regia, necessitate id suadente, vniuersis ipsis dominis Prælatis & Baronibus, atq; Nobilibus Dietam, seu conuentionem generalem, ad certum diem indixit & promulgauit: tunc cunctis Nobilibus communiter, vel aliàs, iuxta mandatum Regiæ Maiestatis, pluribus etiam ex præfatis dominis Prælatis, & Baronibus, ad diem præfixum conuenientibus & congregatis, certi domini Prælati & Barones, venire ad ipsam Dietam, ita graues se exhibuerunt, quòd non ad ipsum diem præfixum, sed eo lapso post quindecim, vel viginti dies venerunt, quorum expectatio conuenientibus & congregatis ad eundem diem præfixum, adeò fuit onerosa, quòd consumptis eorum expensis, tædio affecti, negocijs Regni nondum expeditis, imò etiam propter absentes, ad diem præfixum non venientes, eis neq; publicatis, Nobiles mediocres & pauperes, de ipsa Dieta discedere coacti fuerint. Quapropter vt commodum reipublicæ, & commune bonum Regni, propter talium dominorum, modo præmisso, non venientium tarditatem non negligatur, neq; etiam quouis modo turbetur: statutum est & sancitum, vnanimi ipsorum dominorum Prælatorum & Baronum, ac Nobilium consilio & deliberatione, quòd à modo deinceps, quandocunq;, & quotiescunq; generalem Regia Maiestas Dietam, dictis dominis Prælatis & Baronibus, cæterisq; Regnicolis indixerit & promulgauerit, tunc non venientes ad diem præfixum, vltra quatuor dies, post ipsum diem præfixum proximè & immediatè sequentes, non expectentur. Qui si infra eosdem quatuor dies venerint, bene quidem, alioquin mox lapsis eisdem quatuor diebus, Maiestas Regia, cum his, qui præsentes fuerint in ipsa Dieta, negocia Regni, quorum occasione Dietam indixerit, coram se recipere, concludereq;, & determinare valeat atq; possit. Non venientes verò, vel non comparentes, non obstante eorum absentia, omnia per comparentes conclusa, pro rato habere teneantur.

Decr. Szylagy art. 13. bona perdit nō veniens ad Dietam. Vlad. Secū. art. 25. & art. 26. Eiusd. Tert. art. 1. Eiusd. quar. art. 1. Eiusd. quin. art. 1. Eiusd. Sext. art. 12.

ARTICVLI NOBILIVM REGNI SCLAVONIÆ, IN DECRETO PRÆSENTI, SECVNDVM DELIBERATIONEM Regiæ Maiestatis, ac dominorum Prælatorum & Baronum, Regnique Nobilium inserti, sequuntur hoc modo.

Sclauoniæ Regnum Rex in suis libertatibus conseruet. ART. I.

MAIESTAS Regia, inter cætera sua Regna, dictum Regnum Sclauoniæ, in antiquis eorum libertatibus, immunitatibus, priuilegijs & consuetudinibus conseruare pollicetur.

Contributionis, quæ in Vngaria offertur, in Sclauonia dimidia pars exigatur, pro numero portarum. ART. II.

SI Maiestas sua incolis Regni sui Vngariæ, quibuscunq; ex rationibus, nunc, & temporum in successu, aliquas solutiones fieri statuerit: extunc talium solutionum medietatem in Regno suo Sclauoniæ, iuxta ipsorum consuetudinem, semper, & vsque ad hæc tempora obseruatam, exigere habeat & teneatur.

De salium Cameris in Regno Sclauoniæ. ART. III.

CAMERÆ salium in illo Regno fiant, prout tempore quondam Diui Sigismundi Regis, vbicunque necessarium fuerit: fiant tamen secundum hoc, vt etiam dispositum est in Vngaria.

Camerarij salis Regij, in domibus incolarum, sales non possint quærere. ART. IIII.

QVOD Camerarij in domibus incolarum, sales quærere non valeant, sed si eosdem in campo, aut foris, vel in nundinis inuenire poterint, eosdem auferendi liberã habeant facultatem: quærant tamen, sed sine calumina, & coram Iudicibus Nobilium illius Comitatus: particulas seu minutas salium auferre non valeant.

Sales Regios, & maritimos, pro frugibus commutare possint. ART. V.

SALES quarumlibet Camerarum Regalium, tam qui ducuntur nauibus, quàm curribus, ac etiam maritimi, quos scilicet maritimos sales, pauperes illius Regni, propter eorum inopiam & pecuniarum defectum, solent pro bladis permutare, liberè emere, vendere, & eisdem vti possint: de quibus maritimis salibus, Tricesimæ Maiestati Regiæ proueniunt: ita si sales Regales deficerent, & Camerarius Regnicolis sales dare nequiret, & non aliter.

Vina, blada, animaliaq́, solutis Tricesimis, è Regno educere possint, & vendere. ART. VI.

VINA, blada & animalia, cuiuscunque generis, persolutis Tricesimis ac tributis iustis & consuetis, quo volunt & poterunt, liberè abigere & vendere possint.

Tricesimæ, in locis antiquis, more veteri, exigantur: de minutis autem rebus, infra valorem vnius floreni, non exigantur. ART. VII.

Tricesimæ. TRICESIMÆ exigantur iuxta antiquam consuetudinem, sicuti temporibus dominorum, LVDOVICI, SIGISMVNDI & ALBERTI Regum, in locis aliâs consuetis. De minutis autem rebus, infra valorem vnius floreni, Tricesimatores nullam Tricesimam exigere præsumant.

Quòd Regia Maiestas, omnia eorum priuilegia confirmare debeat. ART. VIII.

QVOD Regia Maiestas, omnia iura & priuilegia illius Regni Sclauoniæ, à Diuis Regibus, suæ scilicet Maiestatis prædecessoribus eidem concessa, confirmare dignetur.

Comites procedere ad executiones, nisi de sede & cum literis Regnicolarum, non possint. ART. IX.

COMITES non possint procedere ad quascunque executiones, nisi de sede, & commissione, ac cum literis Regnicolarum & sedis, prout ab antiquo fuit obseruatum.

In Castrorum, Castellorum & possessionum occupatarum remissione, idem modus obseruetur, qui in Regno Vngariæ. ART. X.

IN requisitionibus & rectificationibus castrorum, castellorum, oppidorum, villarum seu possessionum, aliorumque cunctorum iurium possessionariorum, per quoscunque, post obitum dicti quondam domini Mathiæ Regis, à sese qualitercunque occupatorum, seruetur idem modus, prout in Regno Vngariæ, in articulo superinde confecto, declaratus est.

Damna Nobilibus, & aliis post obitum Mathiæ Regis illata requiri possint, modo eodem, quo in Regno Vngariæ. ART. XI.

QVIA

QVIA plures sunt in Regno, qui post mortem quondam domini MATHIÆ Regis, temeritate propria, alijs in domo eorum quietè morantibus, plurima damna, nocumenta & iniurias irrogare, & inferre præsumpserunt. Propterea statutum est, quòd huiusmodi damna, nocumenta & iniurias, siue in personis, siue bonis & rebus, quomodocunque passi, occasione talium damnorum, nocumentorum & iniuriarum, eos qui irrogarunt, iudicio conuenire, & ab eisdem sua damna, nocumenta & iniurias, iure mediante, reacquirere liberè possint & valeant. Ita quòd postquam tales euocati fuerint, in primis Octauis ex parte eorum, absque qualibet dilatione iudicium administretur. Et hoc fiat eo modo, sicut in Regno Vngariæ.

CONFIRMATIO.

NOS IGITVR, qui Regnum nostrum præfatum, & cætera etiam dominia & principatus nostros, non minus legibus, ac statutis, quàm pace, & armis, regere & gubernare cupimus, acceptis huiusmodi articulis, sed & eorundem Regnicolarum nostrorum huiusmodi supplicationibus exauditis & admissis, præscriptos articulos videntes, & considerantes iustos & honestos esse, de verbo ad verbum, sine immutatione & diminutione aliquali, præsentibus inscriptos & insertos, laudauimus & approbauimus, ratosq; & gratos, ac acceptos habentes, pro præfatis, Regno & Regnicolis nostris, pro perpetuo ac stabili Decreto valituros, confirmauimus: Imò laudamus, approbamus, ratificamus & confirmamus, promittentes in omnibus clausulis, articulis, capitulis & punctis obseruare, & facere obseruari, præsentis scripti patrocinio mediante. Datum Budæ prædictæ, in præscripta generali omnium Regnicolarum conuentione & Dieta, per manus Reuerendi in Christo patris domini Thomæ Episcopi Ecclesiæ Iauriensis, & summi Secretarij Cancellarij nostri, fidelis nobis dilecti: Anno Domini, Millesimo, Quadringentesimo, Nonagesimo secundo. Regnorum nostrorum, Vngariæ, &c. Anno secundo: Boëmiæ verò, Vigesimo primo. Venerabilibus in Christo patribus domi- 1492
nis, Petro Archiepiscopo Colocensis, Agriensi sede vacante, Osualdo Zagrabiensis, Valentino electo Varadiensis, Ladislao Gereb Albensis. Transyluaniæ, Sigismundo Quinque Ecclesiensis, præfato Thoma Iauriensis, Ioanne Vesprimiensis, altero Ioanne Chanadiensis, Nicolao de Bathor Vaciensis. Anthonio electo Nittriensis, Stephano Sirmiensis, & Luca Bosznensis Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias DEI fœliciter gubernantibus. ITEM Spectabili & Magnifico Stephano de Zapolya, prędicti Regni nostri Vngariæ Palatino, ac terræ Scepusiensis Comite perpetuo, Comite Stephano de Bathor Iudice curiæ nostræ, ac Waiuoda Transyluano & Comite Siculorum, Paulo de Kinis Comite Temesiensi, ac partium inferiorum Regni nostri Capitaneo generali, Laurentio Duce de Wilak Machouiensi, Ladislao de Egeruara, Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ & Sclauoniæ, Francisco Balassa de Gyarmath, & Georgio de Chwla Zewrimiensi Banis, Ladislao Orszagh de Guth Agazonum, altero Ladislao de Losoncz Thauernicorum, Petro Gereb de Wingarth, & Nicolao Banffij de Lindwa Ianitorum Emerico de Pereu Dapiferorum, & Georgio de Thwrocz Pincernarum nostrorum Regalium Magistris, honore Comitatus Posoniensis vacante, cæterisq; Regni nostri Comitatus tenentibus & honores.

ITEM præter prædictos articulos, in præsenti nostro Decreto articulariter inscriptos, domini Prælati, Barones, Proceres & Nobiles Regni nostri Vngariæ prædicti, & alios plures articulos, tàm ratione decimarum, quàm Ecclesiasticorum beneficiorum, ac collationis Comitatuum, & cæterorum negotiorū, in scriptis nostræ Maiestati præsentarunt, præsenti Decreto inserendos. Sed quia ijdem domini Prælati, Barones & Regni Proceres, super huiusmodi articulis, certis ex causis & rationibus, debitam atque perfectam deliberationem ad præsens facere nequiuerunt. Pro eo deliberationem & finalem conclusionem articulorum huiusmodi, ad futuram Dietam seu conuentionem generalem, circa festum beati Michaëlis Archangeli nunc venturum, aut aliam quàm

 primum

primum fiendam & celebrandam, de voluntate dominorum Prælatorum & Baronum, & Regni nostri Procerum prædictorum, duximus prorogandam: eo modo, vt tunc in dicta, scilicet Dieta seu conuentione generali futura, præmissos articulos, nunc rationibus præmissis indefinitè, & sine finali conclusione relictos, coram nobis assumere, ac veluti nobis, ac eisdem dominis Prælatis, Baronibus & Regni Proceribus, pro vtilitate huius Regni nostri, commodius, vtiliusq; videbitur & fieri poterit, finaliter concludere, & sicuti alios articulos prædictos, præsenti nostro Decreto inscriptos, approbauimus & ratificauimus, sic & eos, de quibus nunc mentio habetur, & in quibus ad præsens deliberatio perfecta & conclusio fieri nequiuit, prout tunc in eadem conuentione ventura, super eisdem concordabitur, acceptabimus, approbabimus, literisq; nostris superinde conficiendis ratificabimus: imò ratificare, & modo præmisso, approbare promittimus, harum nostrarum literarum vigore & testimonio mediante. Datum loco, die, & anno supradictis.

VLADISLAI REGIS DECRETVM SECVNDVM, ANNO DOMINI M. CCCC. XCV. EDITVM.

Vel Additiones ad Decretum primum.

NOS VLADISLAVS DEI GRATIA, Vngariæ, Boëmiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Seruiæ, Gallitiæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæq; Rex, nec non Lusatiæ, Silesiæ & Lucenburgensis Dux, & Morauiæ Marchio: Memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes quibus expedit vniuersis, quòd cum in Dieta, siue congregatione generali vniuersorum dominorum Prælatorum, Baronum, Procerum, & Nobiliumq; dicti Regni nostri Vngariæ, pro die festi Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, in Anno Domini Millesimo, Quadringentesimo, Nonagesimo secundo, nouissimè trãsacto, per nos, eisdem indicta & celebrata, & eorundem dominorum Prælatorum, Baronum, Procerum & Nobiliumq; Regni nostro consilio, quædam statuta, siue decreta, pro commodo & vtilitate dicti Regni nostri edidissemus & stabiliuissemus: minimè tamen pro tunc, ad plenum perfecta & completa, nostris literis priuilegialibus, inseri & inscribi facientes, ipsis dominis Prælatis, Baronibus, Proceribus & Nobilibus dicti Regni nostri, dedissemus & tradidissemus, defectusque quoslibet in Dieta, tunc per nos proximè celebranda, supplere, & addenda eisdem statutis nostris, addere velle promisissemus. Tandem præfati domini Prælati, Barones, ac vniuersi Nobiles, de singulis Comitatibus dicti Regni nostri electi, in præsenti Dieta siue congregatione generali, quam eisdem, vrgentibus necessitatibus eiusdem Regni nostri, ad quintum decimum diem festi Beati Georgij Martyris, indixeramus, nostræ Maiestatis venientes in conspectum, præfatas literas nostras priuilegiales, vt præfertur, præfata nostra statuta & decreta, in se verbaliter continentia, nec non quosdam articulos similiter in vim statutorum, & decretorum, ad perfectionem & completionem dictorum statutorum nostrorum, de nouo formatos & conceptos, Maiestati nostræ exhibere & præsentare curarunt, tenorem infrascriptorum: Supplicantes Maiestati nostræ humili precum cum instantia, vt easdem literas nostras priuilegiales, statutaq; & decreta nostra, in eisdem contenta, simul cum præfatis articulis, ad perfectionem siue completionem dictorum nostrorum statutorum & decretorum, vt præmittitur, de nouo formatis & conceptis, acceptare, approbare & ratificare, ac de verbo ad verbum, præsentibus literis nostris priuilegialibus, inseri, transcribiq; & transsumi facere, authoritateq; nostra Regia ipsis innouando, pro communi bono & vtilitate, atq; tranquillitate dicti Regni nostri Vngariæ, perpetuò duratura & valitura, stabilire & confirmare, confirmataq; obseruare & obseruari facere dignaremur. Quarum quidem literarum nostrarum priuilegialium, vt prædictum est, præmissa nostra statuta & decreta in se habentium & continentium, tenor talis est.

NOS VLADISLAVS DEI GRATIA, Vngariæ, Boëmiæ, &c. Rex, &c. Significamus

camus tenore præsentium, quibus expedit vniuersis: quòd cum post obitum Serenissimi Principis, quondam domini MATHIÆ Regis, prædecessoris nostri bonæ memoriæ, &c. *Extat hoc Decretum de verbo ad verbum, supra fol. 209.*

Series autem articulorum de nouo conceptorum, vt præmittitur, præscriptorum nostrorum statutorum & decretorum perfectionem & completionem in se exprimentium, sequitur & est talis.

De modo remittendi bona, per Mathiam Regem & alios occupata: constituta pœna in contrarium facientes. ART. I.

Ex quo in articulo secundo Decreti non continetur per expressum, qualis modus & ordo debeat obseruari, in remittendis Iuribus possessionarijs, per Serenissimum Principem quondam dominum MATHIAM Regem, & Reginalem Maiestatem, ac etiam alios quoscunque, vsq; ad hæc tempora occupatis. Pro eo ordinatum est: quòd siue Regia Maiestas, siue alij quicunque & cuiuscunq; status & conditionis existant, ad Octauas quamprimum celebrandas, legitimè euocentur. Et si de huiusmodi occupationibus ibidem constiterit euidenter, tunc statim & in continenti, tàm Regia Maiestas, quàm alij quicunq;, talia bona occupata, absque omni dilatione, etiam cum restitutione fructuum medio tempore perceptorum, sub pœna facti potentiæ, remittere teneantur. Et si tandem quid Iuris circa illa bona habere prætendunt, id secundum legem & consuetudinem Regni, extra dominium huiusmodi bonorum occupatorum, requirendi habeant potestatis facultatem. Et quòd præsens articulus, etiam de futuris occupationibus si quando fieri contingerent, intelligatur: ita videlicet, quòd prius, & ante omnia, propter indebitam occupationem, fiat iudicium, & ipsi occupatores in facto potentiæ conuincantur.

Vlad. Prim. artic. 2.
Pœna facti potentiæ.
Etiam de futuris.
Sigism. Sex. art. 5.

De Regis autoritate, in conferendis bonis fidelibus suis Regnicolis. ART. II.

AD nonum articulum, qui est de facultate Regiæ Maiestatis conferendi iura possessionaria, hoc conclusum est: quòd vniuersæ donationes Regiæ Maiestatis, contra seriem & continentiam ipsius articuli factæ, vel deinceps fiendæ, vanæ, cassæ, & viribus omnino cariturae relinquantur. Regia autem Maiestas habeat conferendi facultatem quibuscunq; personis, non tamen extraneis, vsque Centum Iobagiones.

Albert. art. 16.
Math. maior. art. 24.
Vlad. Prim. art. 9. & 62.

Nota infidelitatis, siue per duellij aliquem in Dieta condemnandi modus. ART. III.

AD Tredecimum articulum, qui est de condemnatione infidelium, hoc additum est: quòd si Regia Maiestas quempiam Regnicolarum suorum, nota infidelitatis condemnare voluerit, tunc vniuersis dominis Prælatis, Baronibus, ac cæteris Regnicolis, vnam generalem Dietam, siue congregationem, ad certum terminum instituat, ad quē etiam is, contra quem aliquæ notæ infidelitatis obijcientur, per literas præceptorias Regiæ Maiestatis, mediantibus literis exhibitorijs, ad aliquem Conuentum vel Capitulum sonantibus, personaliter & non per procuratorem euocari debebit. Qui si venerit, & se expurgare poterit, benè quidem: Alioquin si non venerit, vel si venerit, & se expurgare non poterit, ipsa nota, seu crimine infidelitatis condemnetur. Et talibus nec saluus conductus, neque etiam nouum iudicium per Regiam Maiestatem concedatur. Si qui autem per sententiam Iudicum ordinariorum Regni, super aliquibus criminibus in nota infidelitatis conuincerentur, ipsorum Iudicum ordinariorum sententia rata maneat atque firma.

Vlad. Prim. art. 13.
Math. Secū. artic. 3.
Personaliter.
Saluus conductus.
Nouum iudicium.

Notam infidelitatis inducentes casus siue articuli. ART. IIII.

ARTICVLI autem qui concernunt notam infidelitatis sunt isti.

PRIMVS euidenter se erigentes contra statum publicum Regni & Coronæ.

QVI conficit falsas literas, vel eis euidenter vtitur in iudicio.

QVI sculpit, vel vtitur falsis sigillis.

Huc adde, inter regni tempore occupationes,

CVSORES falsarum monetarum, vel eis publicè & scienter in magna quantitate vtentes.

OCCISORES, vel vulneratores consanguineorum suorum, vsque ad quartum gradum inclusiuè.

INCENDARII publici, villarum & possessionum.

INDVCTORES externorum hominum, spoliatorum & stipendiatorum ad disturbandum internum Regni statum.

VIOLATORES literarum fidei publicæ, vel salui conductus, dum euidenter fuerint conuicti.

TRADITORES castrorum, propriorum dominorum, nec non expugnatores, & furatores castrorum seu fortalitiorum, quorumcunque Regnicolarum, dum euidenter fuerint conuicti.

OCCISORES, seu vulneratores Iudicum ordinariorum Regni.

OCCISORES litigantium vel causantium, siue ad sedem iudiciariam alicuius Comitatus, siue ad Regiám Maiestatem, aut Octauas, aut quæcunque loca iudiciorum proficiscentium.

PVBLICI hæretici, adhærentes damnatæ hæresi.

STVPRATORES consanguineorum, vsque ad quartum gradum, dum fuerint euidenter conuicti, vel proscripti.

MVTILATORES membrorum, & erutores oculorum, præter Banos, Wazwodas, & alios, honores & confinia Regni tenentes.

Vlad. Tert. art. 72. Profugos à Turcis molestantes. Vlad. eod. ar. 73. Repulsionem secúdo faciétes. Vlad. Quint. art. 4. Cum extraneis educentibus ex Regno equos, aurum & argentum, societatem contrahentes. Vlad. Tert. art. 32. Reoccupatores bonorum, legitimis dominis, à quibus aute occupata fuerant restitutorum, artic. Nouizolien. Anni 1542.

Incendia, spolia, rapinas & alia mala patrátes. Vlad. Prim. art. 107. Regios, Capitulares & Conuétuales homines occidentes. Vlad. Secú. art. 9. Comites Vicecomites & Iudices Nobilium in executione occidentes. Vlad. E. art. 16. Arma & victualia infidelib9 subministrátes.

Regis authoritas in collatione bonorum, non de externis, sed de Regnicolis intelligitur.

ART. V.

Ad art. 14. Prim. Decr. & E. art. 55. Violentorũ occupatorũ bona cõferri possunt.

Ex quo in articulo Quarto decimo circa finem, fit generalis mentio ex parte Regiæ Maiestatis, quòd Maiestas sua, bona violentorum occupatorum, tanquam bona infidelium, cuicunque voluerit, liberam conferendi habeat facultatem, additum est: quòd is articulus de collatione bonorum, solummodo ad Regnicolas, & non forenses & extraneas personas referatur.

Archidiaconi pro sepultura interfectorum hominum, Marcam argenti non exigant: exigentium beneficia alius conferantur. ART. VI.

Vlad. Tert. artic. 26.

† Al: Terragijs.

Math. Sext. artic. 63.

AD Vigesimum nonum articulum de † pelagijs hominum interfectorum, vbi continetur, quòd nemo Archidiaconorum, Vicearchidiaconorum & plebanorum, eorumque vicesgerentium, sub pœna amissionis beneficiorum suorum, Marcam illam argenti, de qua in eodem articulo fuit mentio, de funere interfectorum exigere possit: hoc additum est: quòd si qui contrarium facerent, talium beneficia Maiestas Regia cuicunque voluerit, liberam conferendi habeat potestatis facultatem.

Trinæ forensis proclamationis loco, fieri debere euocationem cum insinuatione.

ART. VII.

Math. Sext. art. 17.

AD articulum Tricesimum octauum, hoc quoque additum est: quòd loco Trinæ forensis proclamationis, euocatio cum insinuatione decernatur, præter modum de obligationibus ibidem declaratum.

De assessoribus sedis iudiciariæ Regiæ, Prælatis, Baronibus & Nobilibus: & salario eorum. ART. VIII.

Assessores, Prælati tres, Barones totidẽ, Nobiles 14.

AD articulum Quadragesimum, hoc additum est: quòd tempore celebrationis Octauarum, Maiestas Regia, ex officio suo, teneatur tres ex dominis Prælatis, & alios tres

tres ex Baronibus, nec non quatuordecim ex potioribus & honestæ conditionis Nobilibus, pro coassessoribus eligere, & illis, secundum status exigentiam, de salario condigno prouidere. Assessorum salarium.

De executionibus fidedignitatum seu testimoniorum, & hominum Regiorum: ac de pœna quoquomodo eosdem molestantium. ART. IX.

AD articulum Quadragesimum tertium, de executionibus fidedignitatum, & hominum Regiorum, hoc conclusum est: quòd ex quo sæpius fieri contingit, quòd dum Capitulares, vel Conuentus, ac Regij homines, pro executionibus aliqualibus perficiendis, necessariò transmittuntur, nonnulli Nobiles & possessionati, ac alterius status homines, contra illos insurgunt, eosque verbali, dehonestatione, & plurimis iniurijs, interdum etiam vulneribus & verberibus afficiunt, quandoque etiam eos neci seu morti tradunt, contra tales verò in ipso articulo, nulla pœna determinata est. Quare pro vtilitate Regni, & Reipublicæ conseruatione conclusum est: quòd si quipiam tales executores iustitiæ, iniuria quapiam, vel verbali dehonestatione, in vna Marca auri, septuaginta duos florenos auri faciente: si verò vulneribus, vel verberibus affecerint, in facto potentiæ, & sententiæ Capitalis: si denique mortem eisdem, vel alteri illorum intulerint, in nota perpetuæ infidelitatis condemnentur. Si verò præmissa, per Iobagiones & familiares quorumcunque committerentur, & illos fortassis metu pœnæ, ad bona aliorum aufugere contingeret, domini eorundem, hoc casu, dictis pœnis non damnentur, sed teneantur innocentiam suam, mediante iuramento, expurgare, & ipsi profugi perquirantur ab illis, in quorum bonis comperti fuerint: & si illi eos statuere non possent, in homagijs ipsorum, salua pœna eisdem malefactoribus infligenda, conuincantur. Math. Vlt. art. 75. Regios, Capitulares, & Conuētuales homines, malis verbis, verberibus, & nece afficiētium pœna. Marca auri, floren. 72.

Coram Archiepiscopis aut Vicariis eorum, neglectis Diœcesanis, nemo in prima instantia causam moueat, sed per appellationem ad eos deducat.
ART. X.

AD articulum Quadragesimum quintum, istud additum est: quòd sicut de appellationibus ad Curiam Romanam, & Legatos, ibidem sancitum est: ita quoq; de dominis Archiepiscopis, in hoc Regno existentibus, is articulus intelligatur: quòd nullus omnino hominum, per simplicem querelam, nisi per viam appellationis, de Diœcesi aliquorum dominorum Prælatorum, causam suam, in præsentiam eorundem deducere possit. Hoc quoque non prætermisso: quòd si quipam præscriptum articulum, simul cum præsenti, transgredi ausi fuerint, tales ab actione sua & acquisitione decidant: & insuper, in quadraginta florenis auri, per Comitem vel Vicecomitem, & Iudices Nobilium irremissibiliter exigendis, contra partem alteram aduersam, pro expensis conuincantur, si tantas res habuerint: alioquin in persona detineantur, & vsque debitam emendam castigentur. Causas verò, quæ nunc in præsentia Reuerendissimi domini Vrsi, de Vrsinis, Legati, verterentur, ipsi actores in præsentiam Iudicis eorum ordinarij reducere teneantur.

Donatariorum, contradictione non obstante, bona sibi donata occupantium, & Comitum eos non punientium pœna. ART. XI.

AD articulum Quinquagesimum nonum adiectum est: quòd ex quo non datur ex eodem articulo plenè intelligi, quali pœna tales violenti occupatores bonorum & iuriū per eosdem impetratorum puniantur. Ob hoc ordinatum est: quòd pro huiusmodi indebita occupatione, in æstimatione iurium possessionariorum: & insuper, in damnis illatis, & interesse, contra partem aduersam, conuincantur. Si verò Comes in executione iustitiæ eorum, quæ in ipso articulo sibi demandata sunt, tepidus foret, & temeritate ductus, ipsam executionem, quouis quæsito colore prætermitteret, talis officio suo destituatur: & insuper, ipsam æstimationem, & quodlibet damnum exinde emergendum, parti aduersæ refundere teneatur. Math. Sext. art. 27.

De

De exigendis Birſagiis in ſedibus Comitatuum. ART. XII.

Citatio.

BirſagiaComes in duabus pro ſe, in tertia partibus pro victrice parte exigat

Ad articulum Sexageſimum ſextum de Birſagijs, additum eſt, quod in quolibet Comitatu, iſtud quoq; obſeruetur: quòd præmiſſis contra partem aduerſam legitimis citationibus, & terminorum completionibus, Birſagijſque, contra eandem, per actorem extractis. Tandem ſiue compareat citatus, ſiue non, nihilominus Comes vel Vicecomes, & Iudices Nobilium, in cauſis coram eis vertentibus, & ad ſedem iudiciariam ipſorum ſpectantibus, actori, ex parte in cauſam attracti, finale iudicium & iuſtitiam facere: & tandem, ipſa cauſa finita, & non antea, ipſa, Birſagia, in duabus pro ſe, in tertia verò partibus, pro ipſa parte aduerſa extorquere valeant atque poſſint.

Concordare valeant litigantes ante exequutionem ſententiæ, & tunc nullum Birſagium ſoluitur. ART. XIII.

Ad articulum Sexageſimum octauum, de facultate concordandi litigantium, hoc quoque additum eſt: quòd ſi partes contigerit inter ſe concordare, tunc neque Birſagia per quemcunque Iudicem exigi poſſunt ante executionem, ſed poſt executionem liberè exigantur.

Prorogationes ſeruientium in Caſtris finitimis, & in legationibus exiſtentium. ART. XIIII.

Ad articulum Septuageſimum primum, iſtud adiectum eſt: quòd illis, qui in caſtris finitimis fuerint occupati temporibus Treuparum, nullæ prorogationes obſeruentur. Tempore verò Guerrarum, non plures, quam ſolum vnica prorogatio obſeruetur, ſi perſonaliter in eiſdem caſtris fuerint conſtituti: alioquin ſi quipiam ex eis, tempore Octauarum perſonaliter hic in Curia Regia, aut in domibus propriæ reſidentiæ reperti fuerint, prorogatio eis non ſeruetur: Illis verò qui in legationibus Regijs, & Regni, extra Regnum, neceſſarijs occupabuntur, ſolummodo infra tempus occupationis eorundem prorogatio ſuffragetur.

De exemptis à iuriſdictione Comitum. ART. XV.

Math. Sext. art. 21.

Comes.

Ad articulum Septuageſimum ſecundum, iſtud adiectum eſt: quòd quia ſunt plerique dominorum Prælatorum & Baronum, & aliorum Nobilium, qui exemptionum ſiue libertatum prærogatiuis ſe munitos fore allegantes, coram Comitibus vel Vicecomitibus, & Iudicibus Nobilium illius Comitatus, in quo bona habere dignoſcuntur, contra quoslibet tàm Nobiles, quàm ignobiles iudicium pro ſe obtinent & reportant, ipſi verò cauſantibus contra ſe iuri ſtare recuſant. Ob hoc ſtatutum eſt: quòd ipſi quoque, ad inſtantiam quorumcunque, iudicio & iudicatui ipſorum Comitum vel Vicecomitum, & Iudicum Nobilium parere & obtemperare debeant & teneantur.

Comites, Vicecomites, & Iudices Nobilium, nullam executionem faciant, ſine literis exmiſſionalibus Comitatus: & de pœna eorum, qui eos in executionibus procedentes, quouis modo, impedirent. ART. XVI.

Math. Sext. art. 67.

Executio.
Pœna.
Vlad. Prim. art. 43. & E. Secund. art. 9.

Ex quo in articulo Septuageſimo quinto, contra illos, qui Comites, Vicecomites, & Iudices Nobilium, tempore executionis iudicij & iuſtitiæ turbant & impediunt, nulla pœna determinata reperitur, ſancitum eſt: quòd Comites, Vicecomites, & Iudices Nobilium quorumcunque Comitatuum, niſi de ſede iudiciaria per vniuerſitatem Nobiliũ cum literis eorundem exmittantur, nullas executiones facere poſſint. Si verò ipſi, vel alter eorundem, de ipſa ſede iudiciaria, modo præmiſſo, pro aliquali executione iuſtitiæ faciendæ tranſmiſſus fuerit, ac in proſecutione executionis huiuſmodi iuſtitiæ, illos, vel alterum eorundem, quippiam verbali dehoneſtatione, aut alia iniuria, vulneribuſq;, ſeu verberibus affecerint, aut eum, ſeu eos neci tradiderint, eadem regula contra illos malefactores obſeruetur, qualis de turbatoribus hominum Regiorum, ac teſtimoniorum Capitulorum, vel Conuentuum ſuperius eſt declarata.

Comites

Comites motu proprio, à Comitatu non exmißi, executiones, sub pœna emenda capitis, non faciant. ART. XVII.

QVOD si Comites, Vicecomites, aut Iudices Nobilium, proprio motu, & non de sede iudiciaria, ad aliquam executionem, vel potius, vt frequenter iam abusiuè facere consueuerunt, extorsionem Birsagiorum, sine literis, iudiciariè proficiscerentur, & ausu temerario quempiam turbare seu molestare, aut etiam in rebus damnificare præsumerent: tales, demptis damnis illatis, in emenda capitum suorum, contra partem læsam, conuinci debeant eo facto.

Colonos fugitiuos recipientium, & restituere nolentium pœna. ART. XVIII.

PRÆTEREA ex quo de Iobagionibus fugitiuis, siue rusticis, in eodem articulo in fine fit mentio, & contra receptatores eorundem, nulla pœna sancita est. Ordinatum est igitur: quòd si rusticus, perpetrato facinore, ad bona quorumpiam aufugerit, aut Comes, vel Vicecomes, aut Iudices Nobilium, talem rusticum à receptatore expetant, & si reddere noluerit, ab eodem, pœnam viginti quinque Marcarum, inter Iudicem & actorem æqualiter diuidendarum, extorquendi habeant potestatis facultatem. Si autem Comes, tales malefactores & profugos, ad sua bona recipere auderet, & ad requisitionem partis extradare nollet: tunc isto casu, vniuersitas Nobilium, cum Iudicibus Nobilium, eandem pœnam viginti quinque Marcarum, similiter inter Iudices Nobilium, & partem læsam, æqualiter diuidendarum, de bonis illius exigere possit. Vel si id facere difficultaret: tunc ipse Comes, ratione præuia, in præsentiam Iudicum ordinariorum Regni legitimè euocetur, & ex parte ipsius, per eosdem, iudicium & iustitiá administretur. Si autem vniuersitas Nobilium, & Iudices Nobilium, ex parte ipsius Comitis iudicium facerent, & de ipsorum iudicio aliqua partium contentari nollet: tunc huiusmodi causæ, ad prouocationem partis, in Curiam Regiam, in præsentiam scilicet Iudicum ordinariorum Regni, transmittantur.

Vlad. Prim. art. 93. & 94. infr. E. art. 22. Comes. Pœna.

Comes euocetur.

Fures & alios malefactores, ad requisitionem Comitum vel Vicecomitum, ad sedem iudiciariam inducere nolentes, in homagio malefactorum conuincantur: & de liberis Comitibus: ac pœna malefactores dimittentium: nec non emenda capitis Prælatorum & Baronum. ART. XIX.

AD articulum Octuagesimum primum, de furibus & alijs malefactoribus confectum, in quo id continetur. Vt si qui tales malefactores de suis bonis non expulerint, tunc Comes teneatur mittere ad capiendum, &c. Hoc additum est: quòd tales malefactores non expellantur, sed per eum vel eos, in quorum, vel cuius bonis, per Comitem, vel Vicecomitem, aut Iudices Nobilium reperti fuerint, capi ad requisitionem eorundem, vel alterius ipsorum, & ad sedem iudiciariam, pro infligenda talibus pœna, adduci debeant. Si verò adducere nollent, aut recusarent, in homagio talis malefactoris conuincantur: & nihilominus ipsi malefactores, si postea temporum in successu, capi poterunt, pœna debita castigentur. Hoc per expressum declarato, quòd Nobiles, & quiuis possessionati homines priuilegiati, qui liberi Comites appellantur, tales malefactores castigandi habeant facultatem, & illos ad sedem iudiciariam inuiti statuere non teneantur. Si autem Comes, vel Vicecomes, & Iudices Nobilium, ac liberi Comites, huiusmodi malefactores eisdem præsentatos, vel per ipsos interceptos, de suis manibus per incuriam, aut voluntariè, & deliberatè emitterent, in emenda capitis talium malefactorum, in duabus Iudici, coram quo lis inchoata fuerit, in tertia autem partibus, parti aduersæ, persoluendis aggrauentur. Et insuper honore, & officio suo destituti habeantur, nunquam ad tale, vel simile officium admittendi. Emenda autem capitis dominorum Prælatorum & Baronum, Quadringentos: Nobilium autem ducentos, & Rusticorum Quadraginta florenos facere dignoscitur, antiqua consuetudine Regni requirente.

Malefactores capi & ad requisitionem Comitis in sedem Comitat. adduci debent. Comites liberi non tenentur ad sedem Comitatus malefactores statuere. Malefactores dimittentium pœna. Emenda capitis Prælatorũ, Baronũ, Nobilium.

De Comitatu Pestiensi, & Pilisiensi, vbi Iudices Nobilium, vicem Comitum præstant.

ART. XX.

Ad art. 90. maior. Vlad Prim. art. 100. infr. Eiusdẽ art. 24.

AD articulum Nonagesimum, qui inter cætera pro rectificatione indebitorum arestorum ad Comites sonat, appositum est: quòd ex quo duo Comitatus, Pestiensis & Pilisiensis, Comites vel Vicecomites non habent, Iudices Nobilium in eisdem constituti, ipsam rectificationem, cum potioribus Nobilibus facere & exercere possint.

Aresti indebiti Iudices, Comes, Vicecomes, & Iudices Nobilium: ac authoritas eorum in illos, qui se perperam Iudices aresti illiciti constituunt.

ART. XXI.

AD articulum Nonagesimum primum, de arestationibus occasione Nobilium confectum, ex quo ibi non continetur, qui sint Iudices ipsius indebiti aresti, & pœnarum propterea exigendarum, additum est: quòd in his omnibus, Comes vel Vicecomes, & Iudices Nobilium illius Comitatus, ex parte talium indebitè arestatorum, & etiam eorum, qui contra præsens Decretum, se in talibus illicitis arestis pro Iudicibus constituerent, iudicium & iustitiam facere, ac pœnam, quam promeruerint, iuxta contenta ipsius articuli, exigere, & ipsis Nobilibus iniuriam passis & eorundem Iobagionibus, satisfactionem impendere teneantur. Si autem tale arestum in bonis Comitum factum fuerit, vniuersitas Nobilium cum Iudicibus Nobilium, modo præmisso, ex parte talium Comitum, iustitiam faciendi habeat facultatem. Vbi verò vniuersitas Nobilium, cum Iudicibus Nobilium id facere difficultarent, tunc ipsi Comites, in præsentiam Iudicum ordinariorum Regni, legitimè euocentur, & ex parte illorum iustitia impendatur. Si autem per vniuersitatem Nobilium & Iudices Nobilium, ex parte ipsorum Comitum iustitia administraretur, & de eorum iudicio aliqua partium contentari nollet: extunc ipsa causa ad prouocationem partis, in Curiam Regiam, in præsentiam scilicet Iudicum ordinariorum Regni, transmittatur discutienda.

De colonis ædificia, siue terræ infixa, secum transferre volentibus. ART. XXII.

AD articulum Nonagesimum tertium, de Iobagionibus & eorundem domibus, circa finem confectum, hoc quoq; additum est: quòd si qui iuxta contenta ipsius articuli, ad bona aliorum abire permissi fuerint, domos, ædificia, sæpes, & quæcunque alia ligna per eosdem ibidem terris iam infixa, abducere nullo modo præsumant. Si autem ad bona aliquorum simul cum illis violenter abducti fuerint, illi, vel eisdem rebus deficientibus domini eorundem, contra tales, damnum & iniuriam passos, in centum florenis auri conuincantur, inter Iudicem & actorem æqualiter diuidendis.

Capitulorum & Conuentuum, non obseruantium articulum de taxa literarum, pœna.

ART. XXIII.

AD articulum Nonagesimum quintum de redemptionibus literarum, hoc additum est: quòd Capitula & Conuentus, ipsum articulum, sub amissione sigillorum suorum, in omnibus punctis, clausulis & articulis, firmiter obseruare debeant.

Math. Sext. art. 74.

De facultate Comitatuum Pestiensis & Pilisiensis, in causis discutiendis.

ART. XXIIII.

AD articulum Centesimum, de duobus Comitatibus Pestiensis & Pilisiensis confectum, istud additum est: quòd ex quo ipsi duo Comitatus, eorum libertatis prærogatiua requirente, Comites inter se habere non consueuerunt, vt inter ipsos quoque debitus ordo obseruetur: ordinatum est, quòd vniuersitas Nobilium illorum duorum Comitatuum, singulis annis, ad locum sedis iudiciariæ alias consuetum conueniant, ibique tempore electionis Iudicum Nobilium, certos ex potioribus Nobilibus eligant, cum quibus ijdem Iudices Nobilium, vniuersas & singulas causas, instar aliorum Comitatuum, Comites

Supr. Eiusd. art. 20.

mites vel Vicecomites habentium iudicare, & iudicium factum, executioni debitæ demandare valeant atque possint.

De Dieta siue Conuentu Regnicolarum: & quomodo se tam Rex, quàm Consiliarij, cæterique Barones, & alij in Comitiis gerere debeant.

ART. XXV.

Ex quo in articulo Centesimo octauo, de Dieta Regnicolarum confecto, non planè reperitur, nec apparet, qualis modus & ordo debeat obseruari inter Regiam Maiestatem, ac dominos Prælatos & Barones, Consiliariosque suæ Maiestatis, & cæteros Regnicolas ad ipsam Dietam confluentes: imò, vt plurimum, dum ipsi domini Prælati & Barones, cæterique Consiliarij Maiestatis Regiæ conueniunt, totam diem Solis verbis conterunt, & absque vlla deliberatione ab inuicem separantur: quo fit, vt ipsa Dieta, non sine graui eorundem, & etiam cæterorum Regnicolarum impensa, in longum protrahatur, adeò vt Nobiles mediocres & pauperes tædio affecti, vel discedere, vel autem inanes & superfluas expensas facere, & sic expensis admodum exhausti, ad propria tandem, cum ipsorum damno, reuerti cogantur. Quare, pro euitando omni incommodo, quòd de cætero exinde emergi posset, ordinatum est, vt deinceps, dum aliquam Dietam per Maiestatem Regiam celebrare, vel alia consilia inire continget, Maiestas sua, conuocatis primum dominis Prælatis & Baronibus, cæterisque Consiliarijs suis, singulis diebus ad locum, vbi Maiestas sua voluerit, cuique ipsorum, iuxta honoris & dignitatis, ac status condecentiam locum honorificum deputando, semotis cæteris quibuscunque tractatibus, ante omnia, causas & rationes ac necessitates suas, & Regni, propter quas ipsam Dietam fieri instituit, eisdem dominis Prælatis & Baronibus, Consiliarijsque suæ Maiestatis proponat. Quibus intellectis, ipsi quoque omissis quibuslibet priuatis eorum rebus & negocijs, solummodo de his negocijs, quæ coram eisdem proponentur, cum moderamine & grauitate, sub silentio tractent, deliberent, & concludant. Si verò inter ipsos aliqua discrepantia oriretur, Magister Ianitorum suæ Maiestatis, qui vnà cum eisdem, pro huiuscemodi negocijs tractandis, interesse debebit, imposito silentio, votum cuiuslibet singillatim exquirat, vt saltem sic accepto voto singulorum, per sententiam sanioris partis, ad vnionem & concordiam reducantur: sicque, adhibita eorundem omni cura, studio, & diligentia, Dieta ipsa, per Maiestatem Regiam, eo citius determinetur, & negotia pro tempore occurrentia facilius concludantur. Regia autem maiestas, dum aliquam Dietam instituere voluerit, dignetur ante spatium vnius integri mensis, dominis Prælatis & Baronibus, ac cæteris Regnicolis, terminum ipsius Dietæ per literas suas significare.

Vlad. Quin. art. 1.

Quid in Dieta agendū.

Ianitorum Magister vota exquirat.

Sanior pars.

Dietæ terminus ante mensem significetur.

Ad Comitia, non electos de Comitatibus, sed singulos Prælatos, Barones & Nobiles Rex conuocet. ART. XXVI.

ORDINATVM est, quòd deinceps, quandocunque Maiestas Regia, quocunq; arduo negocio Regni interueniente, Dietam indicere voluerit, non electos de Comitatibus, sed singulos dominos Prælatos & Barones, Proceresque, ac Nobiles Regni conuocare dignetur: quorum communi consilio, quicquid pro vtilitate & commodo Regni faciendum erit, decernat.

Omnes cōuocentur ad Dietam.

Animalia, equi, boues & alia, infra duorum annorum spatium, è Regno non pellantur.

ART. XXVII.

PROPTER eductionem equorum, boum, ouium, & cæterorum animalium, hactenus per plerosque homines internos & externos fieri solitam, Regnicolæ non paruam in eisdem animalibus penuriam, atque caristiam patiuntur. Quare vt huic rei debitis remedijs occurratur, statutum est: quòd à modo deinceps, nullus omnino hominum, equos, boues, oues, & quæuis animalia, infra duorum annorum integrorum spatia, à die præsentis congregationis generalis computando, quouis quæsito colore, extra Regnū, gregatim, seu aliter educere & expellere audeat modo aliquali. Quòd si quipiam præsentem

Lex temporanea.

Comes. ſentem conſtitutionem tranſgredi præſumpſerint: extunc Comes, & Vicecomes quorumlibet Comitatuum,& alij quicunq; homines,huiuſmodi animalia auferendi, duasq; partes illorum proMaieſtate Regia tradendi,tertiam deniq; partem eorundem,pro ſuis laboribus,retinendi habeant facultatem.

Animalia humano vſui neceſſaria,equi,boues & oues ad nundinas & fora hebdomadaria intra Regnum pelli poſſunt, ſine ſolutione Triceſima.

ART. XXVIII.

Vlad. Prim. art. 27.

Triceſima, de animalibus intra Regnum, pro neceſsitate domus, aut macellis emptis, non ſoluenda.

SI qui Regnicolarum,ad nundinas vel fora hebdomadaria,in hoc Regno celebrari ſolita & conſueta,talia animalia ducerent: quòd iſto caſu,ipſi Regnicolæ huiuſmodi animalia ad nundinas, & fora hebdomadaria,liberam pellendi habeant poteſtatem. Si qui autem Regnicolarum,pro ſua neceſſitate ad vſum tantummodo ſuum, vel Carnifices ad macella,ex eiſdem animalibus emerint, de eiſdem, nulla Triceſima exigatur, prout etiam iſtud ab antiquo fuit obſeruatum: ita tamen, quòd etiam ipſi emptores talia animalia,pœna ſub præmiſſa, de hoc Regno expellere non audeant modo aliquali.

Comitatuum ſedes iudiciariæ, ad antiqua loca reducantur. ART. XXIX.

ITEM concluſum eſt, quòd in omnibus Comitatibus, in quibus antiqua loca ſedis iudiciariæ mutata ſunt,ad priorem & antiquum locum transferantur.

Externis beneficia Eccleſiaſtica non conferantur, collata auferantur ſi ad reſidentiam vocati non venerint. ART. XXX.

Beneficia exteruis nō conferantur

BENEFICIA Eccleſiaſtica, quocunq; nomine cenſeantur,extraneis & forenſibus nationibus non conferantur: & ſi quibus collata fuiſſent,illi per Maieſtatem Regiam, ad reſidentiam vocentur,ad terminum per Maieſtatem ſuam, ac dominos Prælatos & Barones præfigendum. Et ſi venire recuſauerint,beneficia illorum Maieſtas Regia, incolis huius Regni de ſe benè meritis,conferendi habeat facultatem.

Externi beneficia Eccleſiaſtica, ſi ab aliis quam à Rege, vel aliis in Regno ius patronatus habentibus,impetrauerint, ad aquam proijciantur. ART. XXXI.

Prælatis refragantibus

VOLENTIBVS dominis Baronibus,Conſiliarijſq; Maieſtatis Regiæ,ac cæteris Regnicolis in præſenti Dieta conſtitutis, repugnantibus tamen dominis Prælatis & viris Eccleſiaſticis,ordinatum eſt: quòd ſi aliqui forenſes homines, ab alijs, quam à Regia Maieſtate, vel illis,qui in hoc Regno,ſuper quocunq; beneficio Eccleſiaſtico Ius patronatus,quo hactenus vſi fuiſſent,habenti aliqua beneficia Eccleſiaſtica pro ſe procurarét, & huiuſmodi procuratione,ius ſibi in eiſdem,contra antiquam libertatem Regni vendicarent,in eiſdem beneficijs reſidere auderent aut attentarent; quòd tales omnes & ſinguli,ſi deprehendi poterunt, ad aquam proijciantur, tanquam publicæ libertatis Regni turbatores. Quicunque autem dominorum Prælatorum,Baronum,aut aliorum Nobilium,in hoc Regno,ſuper quibuſcunq; beneficijs Eccleſiaſticis Ius patronatus haberent, quòd illi,qui hactenus ipſo Iure vſi ſunt, talia beneficia Eccleſiaſtica,ſuper quibus huiuſmodi Ius patronatus habuerint,incolis huius Regni, & non forenſibus, liberam conferendi habeant facultatem.

Ad aquam proijci. Ius patronatus.

Vicariatus externis non conferantur. ART. XXXII.

Exterorum ſenté.nulla.

OFFICIA ſeu Vicariatus Eccleſiaſtici,in nullis Eccleſijs Regni,per quamcunq; perſonam Eccleſiaſticam,Italis & forenſibus perſonis conferantur. Alioquin ſententia talium irrita,& nullius vigoris habeatur.

Caſtrorum finitimorum prouiſiones diligenter fiant: & amiſſores eorum, crimen notæ infidelitatis incurrant. ART. XXXIII.

Ex quo iam plurima caſtra & fortalitia, in confinibus Regni ſita & adiacentia, propter indebitam eorum conſeruationem,non ſine graui diſpendio Regni,manibus Turcorum deuenerunt: eorum verò,quæ ad huc reſtant,pleraque adeò deſolata & ruinoſa ſunt,

sunt, hominibusque ac victualibus, & ingenijs carere dignoscuntur, vt quotidie de periculo timeatur. Quare, vt deinceps castris illis debita prouisio fiat, dignetur Maiestas Regia, pro illorum castrorum finitimorum conseruatione, de victualibus, ingenijs, & alijs necessitatibus eorundem prouidere, officialesque non alios, quam tales in eisdem conseruare, qui & bonis abundent, & exercitiorum militarium sint experti. Quòd si Maiestas sua idoneos officiales ad ea deputauerit, & eisdem officialibus debita prouisio facta fuerit, illique aliquod ex eisdem amiserint, tanquam infideles damnentur, & bona illorum fisco Regio applicentur. Illi autem, qui ex eisdem aliqua amiserint, rationem amissionis dare teneantur. Nota infid.

Ratio exigatur ab officialibus Regiis quolibet anno. ART. XXXIIII.

Dignetur Maiestas Regia quolibet anno, ab omnibus officialibus suis rationem exigere.

Ex castris finitimis, ingenia & victualia auferentium pœna. ART. XXXV.

Dignetur Maiestas sua exquirere illos, qui de Castris finitimis, & signanter de Castro Nandoralbensi, & Iaicza, pixides, bombardas, ingenia, victualia, aliasq; res exportarunt: quoniam per illos indicibilia damna commissa sunt. Et si qui reperti fuerint talia commisisse, capite puniantur, & bona illorum fisco Regio applicentur. Si autem de talibus rebus, ac ingenijs & victualibus, ad quospiam dono, vel autem per emptionem scienter deuenissent, talium quoque bona, dum tamen iuridicè fuerint conuicti, ad Maiestatem Regiam deuoluantur. Nãdoralba, Iaicza.

Castrorum finitimorum duo Castellani sint, quorum vnius nunquam ex arce prodeat, sub pœna capitis. ART. XXXVI.

Ex quo Castra Turcis finitima, vt frequenter, personis semper duabus pro officiolatibus dari consueuerunt, quorum conseruatio, maximam custodiam & prouisionem necessariò requirere dignoscitur. Quare ordinatum est, quòd à modo de cætero, huiusmodi Castra & fortalitia finitima, nunquam absque interessentia alterius ipsorum officialium, in eisdem Castris, & fortalitijs pro tempore constitutorum, vacua relinquantur, sed alter ipsorum, sub pœna capitis, semper debeat in eisdem personaliter, pro illorum custodia, permanere. Castellanus vnus perpetuò in arce maneat.

Decimæ quomodo exigantur & rectificentur: & de interdicto Ecclesiastico. ART. XXXVII.

QVIA in singulis Dietis & congregationibus generalibus Regnicolarum, inter alias dispositiones & tractatus, præcipua contentio & difficultas, de modo soluendi decimas agitata & intentata extitit: adeò, vt post fœlicem coronationem Regiæ Maiestatis, dum Maiestas sua, pro commodo & vtilitate Regnicolarum, superioribus annis generalem Dietam indixisset, & in ea Decretum generale, communi consilio dominorum Prælatorum & Baronum ac Regnicolarum edidisset, nec eo tunc propter difficultates & differentias, quæ ex parte earundem decimarum oriebantur, quicquam plenè decidi potuerat, sed is articulus, vna cum nonnullis alijs, ad præsentem Dietam seu conuentionem generalem, pro eiusdem finali conclusione extiterit prorogatus. Quare ad tollendum omnes difficultates & contentiones, quæ hactenus inter ipsos dominos Prælatos & Barones, ac Regnicolas, de modo soluendi decimas habitæ fuerunt, conclusum est: quòd à modo imposterum, perpetuis semper successiuis temporibus, omnibus dominis Prælatis, quarumcunq; Ecclesiarum, tàm Cathedralium, quàm Collegiatarum, non obstante quacunq; praua abusione, per quoscunq; & qualitercunq; hactenus introducta, integræ decimæ persoluantur, & exigantur in omni Comitatu, secundum modum, quo vnusquisq; cum Prælato suo superinde haberet vel fecisset dispositionem, de his rebus tàntum, de quibus hactenus ipsi domini Prælati decimas exegerunt. Superfluas autem & inconsuetas decimarum exactiones, inducere non debeant modo aliquali. In casu autem, quo

Sic lupus frustratim cõedit agnum. Vide amplius Ferdí. ann. Poson. 1546. ar. 57 Tirn. 1547 art. 35. Poson. 52. art. 29. Sopron. 53. artic. 8. Poson. 54. art. 12. 1555 art. 15. Poson. 57. art. 12. Poson. 63. art. 68. 1574. ar. 22

Decimæ integræ soluantur, non obstante contrario abusu

quo deinceps per decimatores, aliquas superfluas & inconsuetas decimationes fieri contingeret, talis modus obseruetur. Quòd ex quo ipsi domini Prælati ac cæteræ personæ Ecclesiasticæ, ipsas decimas, quandoq; per homines proprios pro eorum vsu proprio exigere, interdum verò quibusdam personis in arendam locare consueuerunt. Ob hoc, si quipiam per talem inordinatam & superfluam dicationem decimatorum, se per homines proprios ipsorum dominorum Prælatorum læsos & grauatos fore prætenderent, teneantur taliter læsi significare ipsi domino Prælato, vel factori suo, huiusmodi inconsuetam & superfluam dicationem, & eum superinde auizare, qui mox exinde auizatus, mittat hominem suum pro rectificatione præmissorum, ad locum, vbi talis rectificatio fieri debebit. Et si medio ipsius, aliqualis rectificatio fieri poterit, benè quidem: alioquin ipsa quæstio ad locum & terminum sedis Iudiciariæ illius Comitatus, in præsentiá vniuersitatis Nobilium deducatur: & quicquid ijdem in præmissis, secundum DEVM & eius iustitiam cognouerint, in hoc, & ipsi domini Prælati, & pars conquerens, contenti esse debebunt. Et si compertum fuerit, partem conquerentem, per decimatores iniustè fuisse fatigatam, pro expensis partis fatigatæ, de proprijs eorundem decimatorum rebus & bonis satisfactio administretur. Interim verò, donec de præmissis ad plenum decisum fuerit, interdictum Ecclesiasticum ad partem conquerentem, vel eorum Iobagiones minimè imponatur. Si autem rectificationem ipsam per arendatores fieri debere contingeret, tunc pars conquerens, nec Prælato, nec factori eiusdem teneatur significare: sed antequam ipsæ decimæ exigerentur, arendatores ipsi, per Iudices Nobilium, vel alterum illorum admoniti, sed Iudiciariam ipsius Comitatus intrare sint astricti, & coram vniuersitate Nobilium omnia præmissa rectificare, iudicioq; & decisioni illorum parere & obtemperare, de expensis quoque, si comperti fuerint, superfluam & iniustam fecisse dicationem, parti conquerenti, omnimodam impendere satisfactionem. Terminus autem solutionis ipsarum decimarum, sicut aliás consuetum fuit, obseruetur. Elapso verò termino, & non prius, super tales, qui decimas iustas & consuetas soluere negligerent, interdictum Ecclesiasticum imponatur, quousque per eos solutæ fuerint effectiuè. Dominis tamen terrestribus, propter rusticos decimas soluere difficultantes, Ecclesiasticum interdictum non seruetur.

Secundum Deum & eius iustitiá, vt S. Steph. Rex Decret. suorum li. 2 artic. 52. Si cui Deus decem dederit in año, DECIMAM det DEO, inquit.

Dominis terrestribus pro rusticis decimas nō soluētibus, interdictū nō seruetur.

Aceruorum examinatio per decimatores Episcoporum vt fieri debeat.

ART. XXXVIII.

Math. Sext. art. 41. Vlad. Tert. art. 49. 50. 51. 52.

IN examinatione aceruorum, talis modus per dicatores obseruetur: Quòd decimatores in præsentia iudicum & Villicorum vbi decimas dicauerint, iuramento rustici decimas soluere debentis, contentari debeant: vel si contentari noluerint, liberam habeant aceruos eorundem, moderatè tamen, & non tali tempore pluuioso, vnde ipsis rustici aliquod damnum sequi possit, examinandi facultatem. Qui decimatores, si plus in eisdem, quam rusticus dixerit, inuenient, superfluitatem auferant, & vltra hoc iustam eidem decimam ad soluendum imponant. Verùm priusquam aceruum examinari fecerint, teneantur ante omnia in manibus eorundem Iudicum vel Villicorum talis loci, vnum florenum assignare, vt si comperti fuerint ipsi decimatores huiusmodi aceruum indebitè subuerti fecisse & examinasse, ipsum vnum florenum manibus rustici, ijdem Iudices & Villici assignare sint astricti.

Apes, agni, hædi decimati apud colonos vsq; festum Sancti Michaëlis, ad fortunam Decimatorum, teneantur. ART. XXXIX.

CONCLVSVM est, quòd apes, agni, capreoli, tempore suo, secundum consuetum modum dicentur & signentur, factaq; dicatione & signatione, inuito hospite, apud quê dicabuntur, non amplius, quàm solummodo vsq; festum Sancti Michaëlis, & quidem ad fortunam decimatoris, teneantur. Et si post modum ipsa animalia casualiter perierint, rustici ipsi nullo modo aggrauari debeant, sed tamen iurare teneantur, quòd non eorum culpa, neq; malitia, & neq; voluntate perierunt.

Sigil-

Sigillares pecuniæ à venditis vinis non extorqueantur. ART. XL.

QVIA tempore vindemiarum, plurimi vina eorum venditioni exponere consueuerunt: dum autem eorum vina vendidissent, decimatores vinorum, priuato eorum lucro gaudentes, quasdam abusiuas extorsiones, in plerisque Comitatibus, & signanter in Comitatu Simigiensi, decimatores Abbatiæ Sancti Martini sacri montis Pannoniæ introducentes, pro sigillis cereis, ab eisdem venditoribus, in quibusdam locis duos denarios, in alijs verò duodecim extorquere sunt assueti. Quare, vt tales abusiones de medio Regnicolarum extirpentur, statutum est: quòd à modo de cætero tales abusiones, qualitercunq; introductæ, penitus extinctæ habeantur, & secundum quod ab antiquo, temporibus Abbatum legitimorum dictæ Abbatiæ, in tali re obseruatum fuit, ita eadem consuetudo de cætero obseruetur.

Centum denarij sine omni additione, pro vno floreno vbiq; recipiantur. ART. XLI.

QVOD in omni Diæcesi, vbi decimæ cum pecunijs exoluuntur, Centum denarij sine omni additione, pro vno floreno recipiantur.

Iudices propter hospitalitatem decimatoribus exhibitam, non decimantur, nec dicantur. ART. XLII.

QVOD Villici, propter hospitalitatem, quam exhibere solent decimatoribus, ad exactionem & administrationem decimarum non dicentur, nec de capitibus dicarum quicquam ab eisdem exigatur.

De Christianitatis, & messoria pecunia, tempore decimationis exigenda. ART. XLIII.

Ex quo inter dominos Prælatos ab vna, parte verò ex altera, dominos Barones, & cæteros Regnicolas, ratione & prætextu exactionis pecuniarum Christianitatis, & messorialium, hactenus per ipsos dominos Prælatos exactarum, quædam differentia & contentio est exorta, ipsique domini Barones & Regnicolæ, huiusmodi exactiones, contra eorundem libertates & priuilegia abusiuè fuisse introductas: è conuersò verò ijdem domini Prælati, vigore efficacissimorum priuilegiorum, easdem exactiones fecisse, superindeque ambæ partes literas & literalia instrumenta pro se habere, quas & quæ, non in præsentiarum, sed in vlteriori termino producere velle asserunt. Quare pro eiusdem rei finali decisione conclusum est: quòd ipsi domini Prælati, vniuersas literas & literalia instrumenta, si quas & quæ in facto præmisso, pro se habent confectas, & emanata, vel etiam ipsi domini Barones & Regnicolæ, si quas interim reperire poterint, in Octauis festi Beati Michaëlis Archangeli proximè affuturis, coram Maiestate Regia producere & exhibere debeant & teneantur. Quibus visis, Maiestas sua inter partes deliberationem & finalem conclusionem faciendi in præmissis, omnimodã habeat facultatem.

Nona pars frugum & vini primum, postea decima à colonis exigatur. ART. XLIIII.

QVIA ratione exactionis decimarum ac etiam nonarum, inter dominos Prælatos & Barones, ac alios Nobiles & possessionatos homines, plurimæ difficultates in eo exortæ sunt, vtrum scilicet, primo decimæ, ac postea nonæ persolui debeant. Pro eo ordinatum est: quòd sicuti hactenus consuetum fuit, ita & imposterum, prius nonæ, deinde autem decimæ persoluantur.

Rasciani, Rutheni & Valachi decimas non soluant. ART. XLV.

SVNT plurima loca in confinibus Regni sita, in quibus Rasciani, Rutheni, Walachi & alij schismatici in terris Christianorum habitant, & de eisdem terris hactenus, iuxta eorum ritum viuentes, nullas penitus decimas soluere consueuerunt, quos tamen ipsi domini Prælati ad decimas soluendas cogere niterentur. Et quia ipsæ decimæ in patri-

monium Christi dedicatæ,à Christi fidelibus, & non alijs schismaticis hominibus (præsertim verò illis aduocationem, & assecurationem Regiæ Maiestatis, ac Waiwodarum, Banorum & cæterorum officialium, ipsa confinia Regni tenentium, dicta loca incolentibus)exigi solent. Ob hoc ordinatum est & conclusum : quòd à modo de cætero, ab ipsis Rascianis,Ruthenis,Valachis,& alijs schismaticis, in quibuscunque terris Christianorum residentibus, nullæ penitus decimæ exigantur.

NOS ITAQVE Supplicationibus præfatorum dominorum Prælatorum, Baronum,& Nobilium dicti Regni nostri, per ipsos Maiestati nostræ, modo quo supra, porrectis, exauditis clementer & admissis,præscriptas literas nostras priuilegiales, vt præmissum est, prætacta statuta & Decreta nostra in se habentes, simul cum præinsertis articulis de nouo formatis, acceptantes, approbantes & ratificantes, præsentibusque literis nostris priuilegialibus verbotenus, sine diminutione & augmento aliquali, inseri & inscribi facientes,easdem insuper literas nostras priuilegiales, & omnia, tam in eisdem, quàm etiam prætactis articulis de nouo conceptis contenta & specificata, quia vtilitatem, & quietum statum prædicti Regni nostri tangere & concernere videbantur, pro ipsis dominis Prælatis & Baronibus, Nobilibusque eiusdem Regni nostri innouando, perpetuò duraturas & valituras confirmamus: Nosque omnia & singula,in eisdem literis nostris priuilegialibus, & articulis contenta, inuiolabiliter obseruare, & per alios obseruari facere promittimus & obligamus, præsentis scripti patrocinio mediante. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam, præsentes literas nostras priuilegiales, appensione secreti sigilli nostri, quo vt Rex Vngariæ vtimur, communitas, duximus concedendas. Datum Budæ prædictæ, per manus Reuerendi in Christo patris, domini Thomæ,postulati Agriensis, aulæ nostræ summi & Secretarij Cancellarij, dilecti & fidelis nostri, Tricesimo secundo die congregationis generalis prænotatæ. Anno Domini, Millesimo, Quadringentesimo,Nonagesimo quinto: Regnorum nostrorum Vngariæ, &c. Anno quinto, Boëmiæ verò Vigesimo quarto. Illustrissimo ac Reuerendissimo, Venerabilibusque in Christo patribus, dominis, Ippolito Estensi de Aragonia, tituli sanctæ Luciæ in silice, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diacono Cardinale, Strigoniensis, Petro Colocensis, Archiepiscopis: eodem Thoma postulato Agriensis,Osualdo Zagrabiensis,Dominico Varadiensis, Ladislao Gereb Transyluaniensis, Sigismundo Quinqueecclesiensis, Francisco electo Iauriensis, Ioanne Vesprimiensis, Luca Chanadiensis, Nicolao de Bathor Vaciensis, Anthonio Nittriensis, Sirmiensis sede vacante, Gabriele Bosznensis Briccio electo & confirmato Tininiensis, Christophoro Modrusiensis, Michaële electo Segniensis Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias DEI fœliciter gubernantibus. ITEM Spectabili, ac Magnificis, Stephano de Zapolya, Comite perpetuo Terræ Scepusiensis, & dicti Regni nostri Vngariæ Palatino, Comite Petro Gereb de Wyngarth, Iudice curiæ nostræ, Bartholomæo Draffij de Belthôk, Waiwoda nostro Transyluano & Comite Siculorum,Ioanne Coruino, Oppauiæ & Liptouiæ Duce, nec non Regnorum nostrorum, Dalmatiæ, Croatiæ & Sclauoniæ, Petro de Machkas & Iacobo Gerlischie Zewrimiensi, Banis, Ladislao de Egheruara Thauernicorum,Nicolao Banffij de Lindua Ianitorum, Georgio de Kanisa, & Ioanne Bebek de Pelsőcz Pincernarum, Emerico de Peren Dapiferorum, Ioanne Ernust de Chaktornya Agazonum, & Blasio de Rasda Cubiculariorum nostrorum Regalium Magistris, Iosa de Som Comite Themesiensi, & generali Capitaneo partium Regni nostri inferiorum: alijsque quam pluribus Regni nostri Comitatus tenentibus & honores.

VLADIS-

VLADISLAI REGIS TERTIVM SIVE MINVS DECRETVM, ANNO DOMINI M. CCCC. XCVIII. EDITVM.

VLADISLAVS DEI gratia, Vngariæ, Boëmiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Seruiæ Galliciæ, Lodomeriæ Comaniæ, Bulgariæq; Rex, nec non Silesiæ & Lucemburgensis Dux, ac Morauiæ & Lusatiæ Marchio: omnibus Christi fidelibus, præsentibus pariter & futuris, præsentium notitiam habituris, Salutem in eo, qui est omnium vera salus. Gloriosissimus DEVS, cuius nutu cuncta à se condita, tam in ipsa superna Hierusalem, quàm etiam in istis amplissimis terrarũ climatibus reguntur, propter hoc nos (licet immeritos) ad huius Regiæ dignitatis culmen, siue fastigium sublimauit, vt quemadmodum sua donaria nobis largissimè contulit, sic nos quoque, memores beneficiorum eius, quieti subditorum nostrorum, quibus nos præesse voluit, salubriter prouideremus: ita, vt cum quibus vna est nobis nascendi moriendique conditio, illis prodesse potius, quam inutiliter dominari deberemus: deditq; nobis Deus ipse duo instrumenta, quibus populum nobis subiectum regeremus, arma scilicet & iura. Iura quidem, vt eos in tribus naturæ præceptis, honestè viuere, alterum non lædere, & vnicuiq;, quod suum est, reddere instrueremus. Arma verò, vt quos timor pœnæ legalis à malis eorum actibus non refrænaret, hos saltem vindicis gladij seueritas compesceret à peccatis, & sic hominum coërceretur audacia, & inter improbos innocentia tuta redderetur, & vt boni quietè viuerent inter malos. Proinde ad vniuersorum, tam præsentium, quàm futurorum noticiam, harum serie volumus peruenire: quòd cum nos post fœlicem coronationem nostram, pro commodo & vtilitate huius inclyti Regni nostri Vngariæ, bini iam post sese vicibus, diuersas constitutiones (prout temporis necessitas, & rerum conditio exposcebat) ad humilimam supplicationem & intercessionem fidelium nostrorum Prælatorum & Baronum, Regnique nostri Nobilium, edidissemus. Tandem ijdem Barones, Regnique nostri Nobiles vniuersi, de singulis Comitatibus eiusdem Regni nostri, in præsenti congregatione generali, quam eisdem ad festum Beati Georgij martyris nouissimè præteritum, vrgentibus arduis necessitatibus ipsius Regni nostri, indixeramus, constituti, nostrum adeuntes in conspectum, non sine amaritudine cordis eorum, nobis detegere curauerunt in hunc modum. Quòd quamuis nos tempore ipsius fœlicis coronationis nostræ, vnicuique Regnicolarum nostrorum, tàm Magnatum & potiorum scilicet, quàm inferiorum, libertates eorum, ipsis à serenissimo Principe quondam domino Andrea Rege, prædecessore nostro fœlicis memoriæ concessas, per serenissimosque Principes, quondam dominos Ludouicum & Mathiam Reges, prædecessores nostros fœlicium recordationum confirmatas, & iam à multis retroactis annis, in compluribus suis articulis diminutas, ad vtilitatem eorum reformare & renouare, confirmareque & confirmatas obseruare, & obseruari facere promiserimus: Forent tamen pleriq; huiusmodi salubri nostro proposito & desiderio eorum se opponentes, & priuatum potius, quàm commune bonum sectantes, per quorum impedimenta, nunquam hactenus votum eorum consequi potuissent: potissimum verò, cum nos nouissimè ad ipsorum humilimam intercessionem, ad perficiendũ ea omnia, quæ à nobis maximo cum suspiramine expectabant, congregationem generalem, pro die festo Beati Martini, in anno proximè transacto, indixissemus, & Deo opitulante, in ciuitate nostra Pestiensi celebrassemus, inter delecta grana frumenti zizaniam imponendo, omnia subuertissent, & sic ipsi Barones & Regnicolæ nostri, nihil boni vna nobiscum concludentes, cum iactura rerum suarum satis grandi, ad propria remeare coacti fuissent. Quibus expositis, ijdem Barones & cæteri Nobiles, tàm potiores, quàm minores, quosdam articulos super libertatibus eorum, ipsis tam à præfato quondam domino Andrea Rege, quàm etiam alijs diuis Regibus Vngariæ concessis exaratos, Maiestati nostræ exhibuerunt & produxerunt, tenoris infrascripti: Supplicantes nostræ Maiestati

Andreæ Regis Decreta.

præfati Barones, cæteriq; Regnicolæ, humili precum cum instantia, vt consideratis eorum oppressionibus, tranquillitati istius Regni nostri, quod ab infidelibus Turcis crucis Christi persecutoribus, & cæteris eiusdem Regni nostri æmulis vndique premeretur, consulere, libertatesq; ipsorum in eisdem articulis conscriptas, renouare & confirmare, renouatasq; & confirmatas obseruare, & per alios obseruari facere dignaremur. Quorum quidem articulorum tenor talis est.

Dieta seu Conuentus generalis, in campo Rakos, tertio quoq; anno celebretur: & de pœna ad Conuentum non venientium. ART. I.

QVOD à modo, infra quatuor annorum spatia, post sese immediatè consequenterq; affutura, singulis annis ad festum sancti Georgij Martyris, vniuersis Regnicolis, tàm scilicet Prælatis, quàm Baronibus, cæterisq; Nobilibus & possessionatis hominibus, per Regiam Maiestatem in campo Rakos, vna congregatio generalis indicatur & celebretur. Celebratio autem huiusmodi congregatiouis, in quindecim diebus expleatur. Elapsis autem ipsis quatuor annis deinceps futuris, semper successiuis temporibus, singulo tertio anno, ipsa congregatio generalis, modo præmisso, celebretur. Si qui autem dominorum Prælatorum & Baronum, vel aliorum Regnicolarum, ad primum diem ipsius congregationis venire, & illic infra ipsos quindecim dies perseuerare nollet, talis, si fuerit Prælatus, vel Baro, in ducentis Marcis grauis ponderis, Octingentos florenos auri facientibus. Si autem potiores Nobiles, vel mediocres, seu inferiores fuerint, in Centum Marcis, Quadringentos florenos auri facientibus, per Regiam Maiestatem irremissibiliter exigendis, condemnentur: exceptis officialibus Regiæ Maiestatis, ac dominorum Prælatorum & Baronum, cæterorumq; Ragnicolarum, ac alijs castra finitima tenentibus, vel extra Regnum in legationibus Regijs & Regni, aut dominorum suorum, necessariò occupatis, nec non infirmis, cæcis, claudis, & nimium pauperibus, qui nequaquam venire possent, illis etiam, qui extra Regnum hoc, in peregrinationibus necessariò occupabuntur. Ita tamen, quòd si duo, vel plures fratres indiuisi fuerint, vel pater filium vnum, vel plures habuerit indiuisos: tunc sufficiat vnum illorum mittere ex se ipsis, ad Dietam: Si autem diuisi fuerint ab inuicem, per singula capita venire teneantur. Nobiles autem vnius sessionis, ex decem, vnum mittere debebunt. Si autem Comites parochiales, vel eorum Vicesgerentes, sub aliqua pactione, pecunijs scilicet aut muneribus allecti, facultatem darent cuipiam domi remanendi, tales modo simili, in centum Marcis condemnentur.

Dieta quindecim diebus finiatur

Dietæ ad primum diē non venientium pœna.

Officiales Regis, Prælatorum & Baronum.

Fratres diuisi & indiuisi.

Nobiles vnius sessionis quomodo ad Dietā mittere debeant.

Comites, & pœna.

De Octauarum, & breuium iudiciorum celebrationibus: nec non assessoribus eligendis, & eorum sallariis. ART. II.

QVOD singulis annis duæ Octauæ magnæ & integræ, videlicet sanctorum Georgij Martyris, & Michaëlis Archangeli: & similiter duæ breues, quæ iudicia breuia appellantur, videlicet Epiphaniarum Domini, & festi Beati Iacobi Apostoli, in hoc Regno celebrentur. Octauarum autem celebratio siue prima dies, incipiatur statim vigesimo die post festa prædicta, & duret per quadraginta dies. Si verò post quadraginta dies aliqua iudicia fierent, nullius sint vigoris & momenti, siue in causis leuatis, siue non leuatis. Celebrationis verò iudiciorum breuium, prima dies inchoëtur, vigesimo die post prædicta festa, & huiusmodi breuia iudicia finiantur ac durent per viginti tantummodo dies feriatos, in quibus iudicia fieri possunt: ita quòd dies festi inter hos viginti dies, pro iudicijs dirimendis non computentur. Fiant autem euocatones ad ipsa breuia iudicia, sicut ad Octauas maiores ante octo dies, vel ipso octauo die diei festiuitatum prædictarum. In his autem iudicijs omnibus, tam maioribus, quàm breuibus, vltra iudices ordinarios, etiam ex dominis Prælatis duo, & ex dominis Baronibus similiter totidem, & ex Regnicolis sedecim Nobiles potiores & præstantiores huius Regni, iurisperiti, illi videlicet, qui sapientia præsunt, ex omnibus quatuor partibus Regni, per Regiam Maiestatem, & Regnum eligantur, qui semper in iudicijs decernendis interesse debeant: ita quòd in

Octauæ quot dies durent.

Breuia Iudicia quantū durent.

Prælati & Barones iudicijs intersint.

Octauis integris, omnes illi sedecim Nobiles: in breuibus autem iudicijs, solummodo octo ex ipsis mutuatis, & alternatis scilicet inter sese vicibus, assidere teneantur. Illis autem sedecim electis Nobilibus, qui, vt præmissum est, pro causis discutiendis eligentur, domini Regnicolæ de sallarijs competentibus prouidebunt: dominis autem Prælatis & Baronibus sic electis, cæteri domini Prælati & Barones de ipsorum sallarijs prouidere teneantur. In Transyluania autem & Sclauonia, consimiliter duæ Octauæ maiores, videlicet, festorum Epiphaniarum Domini, & Beati Iacobi Apostoli, nec non duo iudicia breuia, festiuitatum Beatorum, Georgij Martyris, & Michaëlis Archangeli celebrentur. Celebratio autem ipsarum Octauarum, & breuium iudiciorum, incipiatur quinto decimo die, ante prædicta festa, & duret quindecim diebus post initium celebrationis earundem Octauarum, & breuium iudiciorum.

Nobiles sedecim pro assessoribus in iudicijs electi. Infra verò Vlad. Quart. ar. 10 Electi viginti quatuor. Assessores sallaria à quibus expectent.

De Octauis Sancti Michaëlis proximè celebrandis. ART. III.

QVOD ad festum Beati Michaëlis Archangeli proximè venturum, in omnem euentum Octauæ celebrentur.

De Magistris Protonotariis, nec non assessoribus & eorum iuramentis.
ART. IIII.

NE autem Magistri Protonotarij muneribus corrumpantur, iurent, & promittant sub illo stricto iuramento de Rakos, vnicuique iustum, rectum & diuinum facere iudicium: & idcirco stabit in beneplacito cuiuslibet causantis, si illis munera dare velit, nec ne. Verumtamen si aliquis causantium poterit hoc legitimè probare, quòd aliquis ex ipsis Magistris, cuipiam, propter eiuscemodi munera, falsum & iniustum fecisset iudicium: extunc talis Magister capite plectatur, & in amissione bonorum suorum condemnetur. Et quòd domini quoque Prælati & Barones iudicio interesse debentes, pariter cum assessoribus, debeant similiter præstare iuramentum, in forma sacramenti de Rakos, ad faciendum omnibus sine fauore, vel odio iudicium iustum. Et quòd de rustica stirpe progenitus, officium Magistri tenere non debeat, nec vnquam ex ignobili stirpe Protonotarius eligatur.

Protonotarij falsè iudicantis pœna.

Protonotarius ex ignobili stirpe nõ eligatur.

De Iudicialium literarum distributionibus, & serie in iudiciis seruanda. ART. V.

QVOD tempore distributionis iudicialium siue Birsagialium, Magistri Protonotarij per se, vel per scribas substitutos, data literarum euocatoriarum in Regesto conscribere debeant, & priores euocationes posterioribus semper prius eleuentur. Et quòd vna signatura, vel iudicialium distributio, vsq; ad exitum litis durare debeat.

Infr. Vlad. Quart. art. 2. 3. 4. 5. Iudicialis.

Consuetudines antiquæ, per Protonotarios in iudiciis allegari solitæ, conscribantur.
ART. VI.

QVONIAM autem Magistri Protonotarij, in iudicijs discutiendis, semper consuetudines Regni allegare consueuerunt, Ob hoc huiusmodi consuetudines antiquæ conscribantur, & si quæ videbuntur Regiæ Maiestati, ac dominis Iudicibus rationabiles & legitimæ, non abusiuæ, nec irrationabiles, secundum eas iudicetur. Eligatur autem Magister Adam per Regiam Maiestatem, qui easdem consuetudines conscribat, & domini Regnicolæ illi prouisionem facient, & cum eo superinde concordabunt. Supplicant etiam Regiæ Maiestati, vt & ipsa committat alicui ad conscribendum, & similiter illi prouisionem faciat.

Assessores octo in consilium admittantur, dum negotia vniuersum Regnum concernentia, in consilio tractantur, & iurent. ART. VII.

QVOD ex prædictis sedecim Nobilibus, Regia Maiestas, in negocijs illis, quæ generaliter vniuersum Regnum tangere & concernere videbuntur, semper octo in consilium suum admittat. Qui quidem Nobiles stricta fide semper iurare debebunt, quòd omnia in eo ipso consilio, fideliter & secretè, ac pro communi bono & vtilitate huius Regni agent & tractabunt.

Quinq;

Quinque casus, extra terminos Octauarum, & breuium iudiciorum per Regem examinentur, siue discutiantur. ART. VIII.

Math. Sext. art. 15. Quamuis autem vniuersæ causæ, ratione actuum potentiariorum, tàm scilicet maiorum, quàm minorum, in terminis celebrationis Octauarum, vel breuium iudiciorum, hactenus consueuerint terminari. Quia tamen Nobiles huius Regni, per Magnates & potentes, ac etiam inferioris conditionis homines, tàm domi, quàm in eorum itineribus, ac alijs occupationibus crebrò molestantur, & exindè sæpe sæpius diuersæ quærimoniæ ad aures Regiæ Maiestatis porriguntur: Maiestas autem sua, limites statutorum suorum, tanquam pius Princeps, transgredi nolens, huiusmodi querimonias hactenus, vel ad ipsas octauas, vel autem breuia iudicia consueuit prorogare. Quare statutum est: quòd à modo de cætero, vniuersæ & singulæ causæ, ratione & prætextu inuasionis domorum Nobilium, nec non detentionis, verberationis, & vulnerationis, ac interemptorum Nobilium sine iusta causa deinceps mouendæ, semper extra terminos Octauales & breuium iudiciorum, per Regiam Maiestatem, vbicunq; sua Maiestas constituta fuerit, † decidi & terminari possint. Ita videlicet, quòd tales, contra quos ratione præmissorum actuum potentiariorum querelæ deponentur, per literas præceptorias Regiæ Maiestatis, mediantibus literis exhibitorijs, ad Capitulum vel Conuentum sonantibus, ad certum terminum, per Maiestatem Regiam, in eisdem literis suis præceptorijs, iuxta locorum distantiam præfigendum, personaliter, vbicunque reperiri poterunt, aut de domibus habitationum suarum, ad comparendum coram sua Maiestate, sine vlteriori procrastinatione, per testimonium ipsius Capituli vel Conuentus admoueantur, rationem redditurі. Qui si personaliter venerint, & se expurgare poterint, benè quidem: alioquin si non venerint, vel si venerint, & se expurgare non poterint, obseruato semper Iuris ordine, in sententia capitali, ac amissione cunctorum Iurium suorum possessionariorum, rerumq; & bonorum quorumlibet, condemnentur.

Quinque casus.

† Al. adiudicari.

Maioris potētiæ pœna.

Causæ ratione damnorum & iniuriarum, post obitum Mathiæ Regis illatarum, in breuibus iudicentur. ART. IX.

Math. Sext. art. 6. Vlad. maior art. 16. Ex quo in Decreto maiori, articulo sedecimo id statutum esse dignoscitur, qualiter, & per quem modum, damna & iniuriæ temporibus disturbiorum, nouissimè post obitum quondam domini Mathiæ Regis, Regnicolis illatæ, in Octauis reacquiri possint. Sed quia Octauarum celebratio sæpius protelatur: idcirco statutum est, quòd huiusmodi iniuriæ & damna, tempore celebrationis breuium iudiciorum, modo in eodem Decreto expressato, ordine Iuris reacquiri possint, in omnibus causis iam propterea motis vel mouendis: ita, quòd si iam de facto aliquæ exinde euocationes, contra quempiam factæ fuissent, non obstante tali euocatione, ipsi actores partem aduersam teneantur ad comparendum in ipsis breuibus iudicijs, legitimè admonere. Si autem ipse actor, talibus euocationibus in ipsis Octauis vti vellet, habeat nihilominus facultatem causam suam in eisdem prosequendi.

Castra & alia iura possessionaria occupata, vsq. festum Beati Michaëlis Archangeli remittantur: & euocationes super occupationibus factæ, in breuibus iudicentur. ART. X.

QVOD occupationes castrorum, castellorum, possessionum, & Iurium possessionariorum, quæ sub nomine Maiestatis suæ, aut Mathiæ, aut post mortem eiusdem, per nōnullos factæ sunt, vsque ad festum Beati Michaelis proximè affuturum, omnino remittantur, sub nota perpetuæ infidelitatis. Si verò ratione talis occupationis iam aliquæ euocationes factæ fuissent, quòd illæ euocationes in breuibus iudicijs terminentur: ita tamen, quod non obstante priori euocatione, nihilominus tales occupatores, ratione talium occupationum, ad comparendum in ipsis breuibus iudicijs, legitimè admoneantur: & hoc, si Octauæ magnæ non celebrarentur.

Adde ad Vla. Decr. Secund. art. 4.

Conuen-

Conuentui Szenth Iog, ademptum sigillum restituatur. ART. XI.

De Conuentu Szenth Iog, vt omnino sigillum eiusdem Conuentus restituatur, ex quo non pro aliqua culpa, sed iuxta contenta generalis Decreti, inter minores Conuentus, sigillum ab eodem Conuentu fuit ablatum. Supplicant igitur domini Regnicolæ Maiestati Regiæ, ex quo etiam Maiestas sua in Regesto suo ad omnes Comitatus pridem misso, hunc articulum promisit obseruare, vt dignetur ex illo Conuentu, Heremitas, quos illuc imposuit, remouere, & Abbatem Regularem illius ordinis idoneum, in illum Conuentum instituere: quia domini Regnicolæ, sigillo illius Conuentus carere non possunt. Math. 1486 art. 59. Regestum.

Capitulum Bosznense, per totum Regnum exequutiones facere valeat.
ART. XII.

De Capitulo Boznensi statutum est: quòd ex quo eius Canonici totaliter destructi esse dignoscuntur, pro reformatione Ecclesiæ illius, quæ in honorem sancti Petri constructa est, habeant facultatem vbiq; per totum Regnum, pro testimonio Capitulari ambulare, ad instar Capituli Budensis. Ecclesia Bosznen. S. Petro dicata

Conuentum Præpositura de Saagh, in Comitatu Gemeriensi procedere posse.
ART. XIII.

Quoniam Comitatus Gemeriensis, & cæteri Regnicolæ illarum partium, pro vtilitate publica, sigillo Conuentus Ecclesiæ de Saagh carere non possunt. Pro eo statutum est, vt possint in dicto Comitatu Gemeriensi, in omnibus executionibus procedere.

Literas falsas in Capitulis obsignantium pœna. ART. XIIII.

De falsarijs, qui in Capitulis, vel Conuentibus literas falsas obsignant, vt stigma sigilli igniti in frontibus, & vtraq; facie omnium Capitularium seu Conuentualium, qui tempore falsificationis, talia agentes intererunt, inuratur: & insuper beneficia talium amittantur eo facto. Math. Sext. art. 10.

Archiepiscopi, Episcopi, & cæteri viri Ecclesiastici, Banderiati & non Banderiati, quomodo cum Rege militare debeant: & quòd minores ex portis triginta sex, vnum equitem in bellum dent. ART. XV.

Ex quo domini Archiepiscopi, Episcopi, Capitula, Præpositi, Abbates, & Cartusienses de Löuöld, nec non prior Auranæ, iuxta huius Regni laudabilem consuetudinem antiquam, pro defensione huius Regni, tàm ratione prouentuum decimalium, quàm ratione possessionum Ecclesiarum suarum, Banderia sua, secundum exigentiam prouentuum & vsum Iobagionum suorum, leuare tenentur. Ob hoc ipsi domini Archiepiscopi, Episcopi, Capitula, Præpositi, Abbates & Cartusienses, nec non prior Auranæ, eorum gentes, pro defensione Regni, iuxta limitationem infra scriptam, tenere & conseruare teneantur. Cætera autem Capitula, Conuentus, nec non Abbates & Præpositi, cæteriq; viri Ecclesiastici, tam Religiosi, quàm sæculares decimas habentes, secundum exigentiam prouentuum suorum decimalium, & vsum Iobagionum suorum. Illi verò qui decimas non haberent, instar aliorum Regnicolarum Banderia non habentium, de singulis triginta sex portis singulum vnum equitem, armis benè dispositum, dare & tenere debeant. Si autem aliqui Prælatorum, & virorum Ecclesiasticorum, sæcularia Iura possiderent, ea quæ ab antiquo Banderiata sunt, nunc quoque Banderia sua habeant, & ratione illorum, vltra cætera bona Ecclesiarum, super quibus fundata sunt, consimiliter exercituare sint obligati. Vt autem difficultatibus illis, quæ de prouentibus Banderia non habentium decimalibus, & numero Iobagionum suorum possent exoriri, via præcludatur, conclusum est: quòd in singulis Comitatibus, tot probi & fide digni homines potiores, per communitatem Nobilium eorundem Comitatuum eligantur, quot in eisdem Comitatibus Iudices Nobilium habentur, qui vnà cum eisdem Iudicibus Nobilium illius Comitatus, in quo connumeratio fieri debebit, præstitis iuramentis per eosdē, tam Adde ad Math. Sext. art. 30.

de prouentibus eorundem decimalibus, quàm numero Iobagionum suorum diligenter perquirant, & in Regesto fideliter annotent, atq; ad locum sedis iudiciariæ importent, & ibi per vniuersitatem Nobilium, iuxta conscientiosam eorum limitationem, numerus exercituantium in singulis Comitatibus describatur, & secundum hoc ipsi viri Ecclesiastici, nec non Banderiati exercituare teneantur.

Equitem armatum quidam Regnicolarum de triginta sex portis, quidam de viginti quatuor, vnius sessionis verò Nobiles de triginta sex, intertencant.

ART. XVI.

Sigism. Dec. Quint. & La disl. posthumi per totũ, de expeditionibus. Verùm adde & corrige hunc articulum per ann. 1500. Decr. ar. 21. Insuper vide nouellas constitutiones FERDINANDI super exercituatione. Poson. Ann. 1536. art. 2.3.4.23.24.26.27.28.56. Poson. Ann. 37. art. 9.13.14.16. Nouozol. Ann. 42. art. 31.32.45.46.52. Poson. Ann. 42. art. 11.19.20.21.23.25. Nouozol. An. 43. art. 11.12.13.14.21. Tirnauien. Ann. 45. art. 5.6.14.18.21.27.31.32.41. Poson. Ann. 46. art. 5.18.19.21. Tirnauien. Ann. 47. art. 13.16. Poson. Ann. 52. art. 9.10.11.12.13.14. Sopron. Ann. 53. art. 2.3.4.5. Poson. Ann. 54. art. 10. Poson. Ann. 55. art. 4.6. Poson. Ann. 56. art. 19.20.21.22. Poson. Anu. 57. art. 2. Poson. Ann. 59. art. 13.14. & ibi Prælati eximuntur à personali profectione in militiam. Poson. Ann. 63. art. 18.54. MAXIMILIANI. Poson. Ann. 1566. art. 15.16. Poson. Ann. 67. art. 23. Poson. Ann. 69. art. 24. Poson. Ann. 74. artic. 10. Poson. Ann. 75. art. 11.13. RVDOLPHI. Poson. Ann. 1578. art. 7.8.9.10.11.12. Poson. Ann. 82. art. 2. Poson. Ann. 83. art. 2.

AD vigesimum articulum maioris Decreti, hoc additum est: quòd iam non de viginti portis, sicut in Decreto continetur, sed de triginta sex portis seu sessionibus Iobagionalibus, vnus eques benè armatus detur: demptis certis Comitatibus partium inferiorum, videlicet Posega, Valko, Sirimiensi, Bach, Chongrad, Chanad, Zarand, Thoronthal, Orod, Themeswar, & Bekes, qui de singulis viginti quatuor portis, vnum Huszaronem, scutum seu clipeum, nec non lanceam, loricam & cassidem siue galeam habentem: similiter Nobiles vnius sessionis de triginta sex portis, vnum equitem armatum dare teneantur. Item hoc quoque additum est, quòd sub Banderijs dominorum Prælatorum & Baronum, pro Huszaronibus, qui sub medio Banderio pro dimidia parte hastenus dabantur, equites armati disponantur, demptis semper Comitatibus partium inferiorum prænotatis.

De officialibus Regiis, & Regnicolarum stipendia merentibus, quòd extra metas Regni etiam militare debeant. ART. XVII.

AD decimum octauum articulum, in maiori Decreto expressum, vbi continetur, Regnicolas, si quando iussu Regio exercitualiter insurgunt, non debere cogi, vt limites & metas Regni exeant exercitualiter, hoc additum est: quòd ex quo domini Regnicolæ, pro defensione Regni, stipendiarios de eorum Iobagionibus necessariò tenere habebunt. Ob hoc, quoties necesse, pro defensione huius Regni, fuerit, officiales, nec non stipendiarij, tàm Regales, quàm dominorum Prælatorum & Baronum, nec non cæterorum Regnicolarum, limites & metas Regni, secundum temporis & rerum necessitatem, egredi exercitualiter debeant, & illis nullæ metæ præfiniantur. Si autem cogente necessitate, vltra illos stipendiatos, vniuersitatem insuper Regnicolarum insurgere contigerit, tunc isto casu, ipsa vniuersitas, vltra limites & metas Regni exercituare non teneatur.

Stipendiarij Regnicolarum, quando conscribantur, & per Regem leuentur.

ART. XVIII.

VT autem Regnum hoc, ab insultibus infidelium, & cæterorum æmulorum tutius defendatur, placuit vniuersis Regnicolis, quod in omni Comitatu, per totum Regnum Vngariæ, gentes ipsæ, iuxta limitationem præscriptam, pro defensione Regni, sub nota perpetuæ infidelitatis, vsque festum beati Martini proximè affuturum, vbiq; sine defectu disponantur, & deinceps semper paratæ teneantur. Ita tamen, quòd tales gentes, sine speciali cõsensu ac voluntate Regiæ Maiestatis, nullo pacto leuari possint. Si autem

infra

infra prædictum festum Sancti Martini, aliqua necessitas huic Regno emerserit, propter quam Regia Maiestas gentibus carere non posset: extunc Maiestas sua, primum officiales suos, nec non dominos Prælatos, virosq; Ecclesiasticos Banderiatos, & gentes tenere debentes, dominosq; Barones, tandem verò, si necesse fuerit, vniuersitatem insuper Regnicolarum, pro defensione huius Regni, leuare valeat atque possit. Qualiter autem, & per quem modum prædictæ gentes leuari debeant, de hoc in Decreto maiori latius continetur.

Capitanei Regij pœna, qui exercitum Regni ad falsos rumores leuaret, quòd crimen per duellij incurrat. ART. XIX.

SI Capitaneus Regius, qui exercitum Regni leuaret, falsis rumoribus & ex industria, animoq; malignandi, studiosè id faceret, per hocq; Regiam Maiestatem & Regnum hoc defatigaret sine necessitate rationabili, in tali casu notam infidelitatis incurrat.

Banderia Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Præpositorum, Capitulorum, & numerus equitum. ART. XX.

SVNT autem isti viri Ecclesiastici, qui Banderia eorum ordine infrascripto semper leuare, & cum eisdem exercituare tenebuntur. Archiepiscopus Strigoniensis, Banderia duo: Archiepiscopus Colocensis, Banderium vnum: Episcopus Agriensis, Banderia duo: Episcopus Varadiensis, Banderium vnum: Episcopus Quinqueecclesiensis, Banderium vnum: Episcopus Transyluaniensis, Banderium vnum: Episcopus Zagrabiensis, Banderium vnum: Episcopus Iauriensis, equites ducentos: Episcopus Vesprimiensis, equites ducentos: Episcopus Vaciensis, equites ducentos: Episcopus Chanadiensis, equites centum: Episcopus Sirimiensis, equites quinquaginta: Episcopus Nittriensis, equites quinquaginta: Abbas Pechuaradiensis, equites ducentos: Abbas Varadinipetri, equites ducentos: Abbas Saxardiensis, equites centum: Abbas Sancti Martini, equites ducentos: Fratres Cartusienses de Löuöld, equites ducentos: Prior Auranæ, Banderium vnum: Abbas de Zobor, equites quinquaginta: Capitulum Strigoniense, equites ducentos: Capitulum Agriense, equites ducentos: Capitulum Varadiense, equites ducentos: Capitulum Transyluaniense, equites ducentos: Capitulum Quinqueecclesiense, equites ducentos: Capitulum Bachiense, equites quinquaginta: Præpositus Albensis maior cum Capitulo suo, & Præposito minori eiusdem loci, equites centum: Præpositus Thitaliensis, equites quinquaginta.

De Regali Banderio, & Regiorum officialium. ART. XXI.

QVIA autem Regia Maiestas, vltra Banderium suum Regale, sub quo mille equites armati teneri consueuerunt, nec non conseruationem castrorum finitimorum, de suis prouentibus Regalibus, quosdam insuper officiales Banderiatos necessariò tenere habet. Placuit igitur eos omnes hîc seriatim annotare. Banderium Regale equites mille: Waiuoda Transyluaniensis, Banderium vnum: Comes Siculorum, Banderium vnum: Banus Croatiæ, Banderium vnum: Comes Themesiensis, Banderium vnum.

De Baronibus, qui cum viris Ecclesiasticis Banderiatis exercituare seu militare tenentur. ART. XXII.

SVNT præterea domini Barones in hoc Regno, videlicet, Laurentius Dux de Wylak: nec non Comites perpetui & liberi, Spectabiles & Magnifici domini, Stephanus de Zapolya, Comes perpetuus terræ Scepusiensis, Regniq; Vngariæ Palatinus & Iudex Comanorum. ITEM Comites de Bozin, & de Sancto Georgio, ac Comites de Frangepanibus, & de Corbaina. ITEM dominus Comes Petrus Gereb de Wingarth, Iudex curiæ Regiæ Maiestatis, cæteriq; domini Barones, qui vna cum præfatis dominis Prælatis & Officialibus Banderia habentibus, secundum numerum Iobagionum suorum exercituare tenebuntur. Despotus autē equites mille dare tenebitur. Dux Laurenti⁹, dominus Comes

Scepusiensis, dominus Comes Petrus Gereb, Bartholomæus Dragffi de Belthôk, Waiuoda Transyluanus, Iosa de Som Comes Themesiensis, Nicolaus Banffi de Also Linda, Georgius de Bathor, Ioannes Ernust de Chaktornya, Mathias Pangracz de Dengeleg, Emericus de Peren, Gabriel de Peren, Ioannes Bebek de Pelsôk, Stephanus de Rozgon, Anthonius de Palocz, Ioannes de Homonna, Ladislaus de Kanisa, Ioannes de eadem, Georgius de eadem Kanisa, Thomas Groff, Comes de Bozin, Petrus similiter Groff, de eadem, Franciscus similiter Groff, Nicolaus de Széch, Georgius Pankircher, de Zalonok, Ioannes Elerboh de Monyorokerek, Sigismundus Orszagh de Gwth, Sigismundus Kompolth de Naua, Sigismundus de Losoncz, Sigismundus de Leua, Blasius de Raska, Andreas Both de Baina, Ioannes Ongor de Nadasd, Ioannes Banffi de Bolondoch, Franciscus de Hederuara, Stephanus Iaxith de Nagylak, Franciscus Berizlo de Grabaria, Ioannes Berizlo de eadem, Albertus de Zokol. Despotus autem cum Huszaronibus mille, Belmusauich cum omnibus Huszaronibus suis.

De inscriptionibus sex Ciuitatum, & Lusatiæ, quòd literæ ab illis exigantur.
ART. XXIII.

QVOD inscriptiones super sex Ciuitatibus, & Lusatia, Maiestas Regia, prout in Decreto maiori est expressum, eliberabit, & omni diligentia laborabit, huiusmodi literas ab illis exigere.

A Morauis & Silesitis, nec non Lusatia, iuramentum feudi Regi Vngariæ, & non Bohemiæ, præstandum. ART. XXIIII.

QVOD Maiestas Regia, dabit huic Regno literas testimoniales, super iuramento feudi nuper Maiestati suæ à Morauis & Silesitis, nec non Lusatia facto, quòd huiusmodi iuramentum fidelitatis, non accepit ab eisdem, tanquam Rex Bohemię, sed tanquam Rex Vngariæ, nec tanquam à subiectis Regni Bohemiæ, sed tanquam à feudetarijs huius Regni, & ex inscriptione huic Regno Vngariæ legitimè obligatis.

De Coronæ sacræ conseruatione, quòd eam Barones custodiant, & non Prælati.
ART. XXV.

QVOD sacram Coronam huius Regni, domini Prælati non teneant, sed solummodo domini Barones, & sæculares.

Rex indigenis, etiam vltra centum colonos conferre potest. ART. XXVI.

Vide Ann. 1492. ar. 9. & 1495. a. 2

IN Decreto maiori ita prius ordinatum fuit & conclusum, quòd Maiestas Regia proprio motu, & per se ipsam, vsq; ad Centum Iobagiones conferre possit quibuscunq; voluerit: vltra verò ipsum numerum, cum consilio dominorum Prælatorum & Baronum &c. Quod dominis Regnicolis videtur inconueniens & illicitum: & idcirco noluit constringere potestatem & autoritatem Maiestatis suæ in aliquo, demptis duntaxat forensibus & externis, quibus nolunt in hoc Regno collationes fieri, neq; beneficiorum Ecclesiasticorum, neq; etiam sæcularium possessionum.

Saluus conductus, quadraginta dierum detur infidelibus & accusatis.
ART. XXVII.

ITEM quòd quilibet infidelis, vel Maiestati Regiæ accusatus, saluum conductum à sua Maiestate habeat infra quadraginta dies Maiestatis suæ præsentiam & Curiam adeundi, & iterum compositis vel non compositis rebus, sine omni impedimento iterato redeundi habeat facultatem.

Metarum finitimarum rectificatio. ART. XXVIII.

QVOD Maiestas Regia, inter Regna Vngariæ & Poloniæ, nec non Vngariæ & Morauiæ, & similiter Austriæ & Alemaniæ, metas faciat rectificari & distingui, & hoc pro tollenda vlterioris dissensionis materia. Metas etiam ex parte Turcorum, dignetur sua Maiestas Regno Vngariæ reformare.

Tricesi-

Tricesimæ in locis antiquis exigantur, sed non de rebus minutis. Pœna peculatorum, siue fraudatorum prouentuum Regalium. ART. XXIX.

QVIA exactores Tricesimarum Regiæ Maiestatis, sæpe sæpius Regnicolas in hoc opprimere consueuerunt, quòd ipsi priuato lucro eorum gaudentes, non in antiquis & consuetis locis, neque de his tantummodo, de quibus exigi deberent, sed etiam de minutissimis rebus, in nouis per eosdem adinuentis locis, Tricesimas, non sine ipsorum Regnicolarum damno & incommodo, in visceribus Regni exigere consueuerunt. Quare, vt tales abusiones de medio tollerentur, placuit hic inferius, omnia illa loca, in quibus Tricesimæ deinceps semper exigi deberent, annotari decernendo, vt præter loca subscripta, Tricesimæ nullibi locorum exigantur, sed alia omnia loca nouiter adinuenta, exceptis tantummodo tribus locis Tricesimarum, videlicet, Budensis, Albensis, & Pathay, penitus aboleantur. Postquam autem Maiestas Regia omnes illas Tricesimas, quæ nunc apud manus præfati domini Stephani Comitis & Palatini pro pignore habentur, ab eodem redemerit, dignetur tandem Maiestas sua, & ipsa tria loca Tricesimarum abolere. Soluantur autem Tricesimæ de illis solummodo rebus, quæ extra Regnum deferuntur, quæ verò extra metas non educerentur, de illis nequaquam exigantur. De minutissimis etiam rebus, infra valorem vnius floreni, nulla Tricesima soluatur, prout in maiori Decreto continetur. Et quia frequenter accidit, quòd ipsi negotiatores, cum tanta comitiua pecudes & pecora abigere consueuerunt, quòd Tricesimatoribus illis resistere non valentibus, huiusmodi animalia absque solutione Tricesimarum, vel violenter, vel autem clandestinè expellunt, in diminutionem prouentuum Regaliũ. Quare, vt huic malo, debito remedio occurratur, sancitum est: quòd quicunq; de cætero in præmissis culpabiles reperiri poterunt, & eorum animalia per Tricesimatores auferri non poterunt: extunc tales nihilominus in æstimatione huiusmodi animalium, vt præmissum est, furtim, vel violenter abactorum, ordine iuris contra ipsos Tricesimatores, conuincantur.

Vide Decr. Ann. 1495. art. 26. An. 1500. artic. 26. & Ann. 1504. a. 28.

Tricesimæ de quibus rebus debẽtur.

Tricesimas fraudantiũ pœna.

Vectigalium exactores Vngari sint, & non externi. ART. XXX.

QVOD exactores vectigalium, non fiant alij, nisi Vngari, & non forenses, neque alieni.

Pecora & pecudes vltra metas Regni non emittantur, equi, armenta equorum, aurum & argentum non educantur: & de pœna transgredientium.

ART. XXX.

QVOD pecudes & pecora per Regnicolas quoscunque, extra metas & terminos Regni non educantur, nisi vsq; loca Tricesimarum infra scripta, in quibus permutationes rerum fieri debebunt, neq; etiam forenses quipiam vltra ipsa loca Tricesimarum, vel aliàs ad emendum quæcunque animalia, cum rebus eorum venalibus ad hoc Regnum audeant intrare, sed ad deputata loca veniant, & in eisdem locis, inter Regnicolas & forenses, permutationes huiusmodi rerum & animalium fieri debeant. Equi autem de cætero non educantur, similiter & equaces. Nullus insuper hominum, cuiuscunq; status & conditionis existat, aurum vel argentum conflatum, nisi in monetas redactum, de hoc Regno, quacunq; ex causa, educere præsumat, prout in Decreto maiori latius continetur, Quicunq; autem contra præmissa, vel aliquod præmissorum, secus facere attentauerint, & per aliquos deprehendi poterint, habeant tales, huiusmodi aurum & argentum vniuersum, nec non pecudes & pecora, & quaslibet res talis transgressoris auferendi, & insuper aurum & argentum educere volentem captiuandi omnimodam potestatem. Cuius quidem auri & argenti, nec non rerum & bonorum ablatorum, duas partes Regiæ Maiestati præsentare teneantur, tertiam autem partem, pro labore suo reseruent.

In equorum eductione, auro & argento exportando, societatem inire cum forensibus, sub nota infidelitatis, nemo audeat. ART. XXXII.

Adde hunc articul. Vlad. Secũ. art.4. Super nota infidelit.

QVOD nullus Tricesimatorum, seu alterius cuiusuis status & conditionis hominum, cum forensibus quibuspiam, tàm in eductione equorum & equarum, quàm etiam in extrahendo auro & argento conflato, aliquo quæsito colore, societatem inire seu contrahere præsumant, sub nota perpetuæ infidelitatis.

Loca depositionum vbi esse debeant. ART. XXXIII.

Vlad. Maior art. 103. Vlad. Quar. art. 24.

QVIA autem super locis depositionum inter Ciuitates Regales, quotidie plurimæ lites & differentiæ oriri consueuerunt: huiusmodi autem contentiones, non nisi ex eorum priuilegijs facilè discerni possunt. Idcirco Maiestas Regia, visis iuribus partium, decernat sola de hoc, id quod melius erit faciendum.

Tricesimarum antiqua loca. ART. XXXIIII.

Supr. Eiusd. art. 29.

LOCA autem Tricesimarum antiqua sunt ista. ARVA est capitalis Tricesima, THRINCHINIVM est capitalis Tricesima, Szakolcza, Leuà, Belus, Besztercze, Solna, Wihel, Tirnauia, Verbo sunt filiales ad eandem. POSONIVM est capitalis Tricesima, Orozwar, Iarendorff, Neusidel, Zarand, Malaczka, Schwezen, Geyrenn, Stonffa, Szennicze sunt filiales ad eandem. SOPRONIVM est capitalis Tricesima, Rwse, Trallendorff, Szenth Marthon sunt filiales ad eandem. CASSOVIA est capitalis Tricesima, Leuchouia, Barthfa, Kesmark, Lublyo, Sztropko, Homonna sunt filiales ad eandem. ITEM in Sclauonia, Zagrabia, Nedelcze, Warasd, Muraszombach sunt capitales Tricesimæ, Szombathel, loco Küszegh, Pinkua földe, Radafalua, Hidegkuth, Raczkanisa, Vinicze, Krapina, Stubicza, Stanisniak, Topozka, Kosztthanycza sunt filiales ad easdem. NANDORALBA est capitalis Tricesima, Kelpen, Sabacz, Archy, Barich, Szenth Demeter, Racha, Pothos, Apaiocz, Wyuar, sunt filiales ad eandem. THEMESVAR est capitalis Tricesima, Karansebes est filialis ad eandem.

Nobiles & Ecclesiastici Tricesimam & tributa, de rebus ad necessitatem domorum emptis: præterea Nobiles etiam de quæstu ipsorum, tributa non soluant.

ART. XXXV.

Nobiles. Presbyteri. Monachi. Comité inter & querulanté mulcta perceptę indebitè Tricesimæ, diuiditur. Tricesimatoris à Nobilibus tricesimá exigétis pœna. Supr. Vlad. Prim. ar. 27 Nobiles de suo quæstu tributum non soluant

QVOD nullus Tricesimatorum ac tributariorum, ac ipsorum vicesgerentium, de rebus & bonis per Nobiles, Presbyteros, ac Monachos, ipsorumq; homines, ad necessaria domorum eorundem emendis, aliquam Tricesimam, aut tributum, (prout hactenus consueuerunt) contra eorundem libertates exigere valeat. Si verò quispiam id faceret, Nobilis, aut Presbyter, vel Monachus taliter spoliatus, vel in libertate læsus, domino illius tributi, si in propinquo inueniri potest, alioquin Comiti Parochiali illius Comitatus, in quo huiusmodi tributum exigitur, querelas deponere debeat, & ille scita prius superinde mera veritate, duplicem satisfactionem, hoc est, accepti tributi duplum reddere querulanti teneatur, sub pœna duarum Marcarum, inter Comitem & querulantem æqualiter diuidendarum. Tricesimator verò, si contra fecerit, tunc huiusmodi querela contra eundem Regiæ Maiestati porrigatur. Et si Maiestas sua, ex literis Inquisitorijs Comitis vel Vicecomitis, & Iudicum Nobilium illius Comitatu, in quo talis Tricesima exigitur, per ipsum Tricesimatorem iniustam Tricesimam exactam fuisse compererit: extunc vltra duplum receptæ Tricesimæ nec non expensas querulantium, ipse Tricesimator per Maiestatem Regiam, acriter puniatur. Si autem ipse querulans iniustas querimonias deposuisse compertus fuerit, modo simili contra parté aduersam, in duabus Marcis conuincatur. Quoniam autem plurimæ Ciuitates & possessiones Regales in hoc Regno, de singulis rebus eorum venalibus & mercibus, per totum Regnum à solutione tributi exemptæ & supportatæ esse dignoscuntur: ob hoc multo magis, Nobiles istius Regni, quorum prædecessores, Regnũ hoc cum effusione sanguinis ipsorum acquisierunt & defensarunt, & ipsi quoq; ac eorum posteri, necessariò defensare & protegere habent,

tàm

tàm ſcilicet potiores, quàm minores, ſi quæſtum aliquem facerent, cum rebus venalibus, de tali quæſtu, tributum ſoluere non teneantur. Ita tamen, quòd ſi aliquis Nobilium quempiam ruſticorum ſeu ciuium, talem videlicet, qui tributum ſoluere teneretur, ſibi in ſocium aſſumeret, & illum penes ſe, abſq; ſolutione tributi abducere vellet, & de hoc tributarius poſſet certificari, tales res venales ſeu mercimoniales, ipſe tributarius, auferendi ab vtroq; plenam atq; omnimodam habeat poteſtatis facultatem. Tributi à ſolutione liberi, non liberum penes abducẽtis pœna.

Falſas vias in territorio aliorum obſeruantis pœna. ART. XXXVI.

QVAMVIS in Decreto maiori, id ordinatum fuerit & ſtabilitum, quòd nemo in terris aliorum, vias falſas ſtare & cuſtodire valeret: ſed quia contra tranſgreſſores huiuſmodi Decreti, nulla ibidem pœna determinata fuiſſe reperitur. Pro eo ſtatutum eſt, quòd nemo Tributariorum, in terris ſeu territorijs aliorum, vias falſas cuſtodiendi & ſtandi, in eademq; via falſa, itinerantibus obſiſtendi habeat facultatem, ſub pœna amiſſionis eiuſdem tributi: ſed vnuſquiſq; tributa habens aliqua, huiuſmodi vias falſas in propria terra, & per conſequens illius poſſeſſionis, in qua videlicet tributum exigitur, cuſtodiri faciat, prout continetur in Decreto. Math. Sext. art. 35. Vlad Prim. art. 87.

Sal Regius in antiquis Cameris deponendus eſt. ART. XXXVII.

QVOD ſales Regales in Cameris antiquis, & non in locis nouiter adinuentis deponantur: huiuſmodi autem loca nouiter exquiſita, penitus aboleantur.

De iudicio inter Nobiles & liberas Ciuitates Regias cognoſcendo. ART. XXXVIII.

QVOD liberæ Ciuitates, videlicet, Buda, Peſth, Caſſouia, Poſon, Sopron, Barthfa, Eperies, Tirnauia, nec non Lewchouia, Monſgræciæ, & omnes aliæ liberæ ciuitates, earum deniq; incolæ, Nobilibus & poſſeſſionatis hominibus iniurias aliquas ſeu damna inferentes, ſi talis ciuitas, ſeu incola & ciuis iniuriam & damna inferens, habuerit poſſeſſiones & Iura poſſeſſionaria in aliquo Comitatu, & ex illis bonis Nobilem læſerit ſeu damnificauerit, ſi videlicet tales læſiones ſeu damnificationes, factum minoris potentiæ tangere dignoſcuntur: teneatur propterea in illo Comitatu, vbi illa bona habet, coram Comite iuri ſtare. Si verò talis ciuitas ſeu ciuis, nulla iura poſſeſſionaria in aliquo Comitatu habuerit, & Nobilis vel aliquis homo poſſeſſionatus, contra priuatam perſonam, vel cæteros tantummodo, & non cum tota communitate, ſeu ciuitate, cauſam ſeu lites habuerit: extunc, talis Nobilis & poſſeſſionatus homo, teneatur cauſam ſuam coram Iudice illius agitare, & proſequi. Si autem talis Nobilis & poſſeſſionatus homo, contra totam ciuitatem, vel è contra ciuitas ipſa contra Nobiles & alios poſſeſſionatos homines, cauſam aliquam ratione actuum potentiariorum maiorum, vel iuris poſſeſſionarij, mouere prætenderet: extunc talis cauſa, coram Perſonali præſentia Regiæ Maieſtatis, habita ſuperinde legitima euocatione, moueatur, & ordine iuris terminetur. Et ſi aliqua partium in huiuſmodi cauſa contra ſeſe in proceſſu iuris, coram ipſa perſonali præſentia, quouis modo ſuccubuerit, ſi talis cauſa, factũ iuris poſſeſſionarij, tangere dignoſcitur: extunc talis pars, non in maiori onere, quàm ſolummodo in ducentis florenis auri conuincatur. Si autem huiuſmodi cauſa factum inuaſionis domorum, nec non detentionis, verberationis, vulnerationis, ac interemptionis Nobilium concernere agnita fuerit: extunc patratores huiuſmodi actuum potentiariorum, in ſententia Capitali, ac amiſſione cunctorum bonorum ſuorum, mobilium & immobilium condemnentur, prout hactenus fuit obſeruatum. Caſu autem, quo aliquis ciuis, ſub aliquo domino ſeu Nobile in hoc Regno vineas, vel aliquas alias hæreditates habuerit, & quippiam in territorio huiuſmodi deliquerit, aut aliquem damnificarit, in tali caſu idem ciuis teneatur coram domino illo terreſtri, ſub quo hæreditates habet, iuri ſtare.

Inter liberas Ciuitates & Nobiles quomodo iudiciũ adminiſtrari debeat. Vid. Tripar. Part. 3. Tit. 19. Item Sigiſ. Secun. art. 4 & art. 12. Eiuſd. Tert. art. 11. Ciues ex poſſeſsionibus Nobilẽ lędẽtes, corã Comitatu in iudicium cõueniũtur. Ciues priuati coram ſuo Iudice iuri ſtare debent. Ciuitas tota coram Perſonali præſentia conuenitur. Ciuitates & Nobiles, inter ſe litigãtes ſi ſuccũbant, quomodo condemnẽtur.

Ciues in alieno territorio hæreditates habẽtes, ratione delicti ibi patrati, corã domino loci, iuri ſtare debẽt.

Libertas abrogatur Vissegradiensis ciuitatis. ART. XXXIX.

Damas castrum.

LIBERTAS ciuitatis Vissegradiensis,& pertinentiarum eiusdem, necnon similiter pertinentiarum castri Damas, ex quo libertati Regni præiudicat, simpliciter aboleatur.

Liberæ ciuitates in suis libertatibus conseruentur. ART. XL.

MAIESTAS Regia, vniuersas liberas ciuitates & alias personas bene meritas, in antiquis eorum libertatibus conseruare dignetur. Imò supplicant domini Regnicolæ Maiestati suæ, vt quemadmodum Maiestas sua iam priuilegia eorum super libertatibus ipsorum confirmauit,ita in eisdem conseruare dignetur.

Nonas de vinis & frugibus,ciues in aliorum territoriis vineas & terras habentes,terrestribus dominis soluant. ART. XLI.

Vlad.Quar. art. 27. Vlad. Sext. art. 15. Eiusd.Sept. art. 58.

CIVES Budenses,Albenses,& de Zalomkomen, & aliæ quælibet ciuitates tam Regales,quàm aliorum quorumcunq;, in terris aliorum vineas habentes, seu araturas facientes,dominis terrestribus nonas soluere teneantur, prout continetur in Decreto.

Castra finitima amittentes Officiales, puniri debent denegatione gratiæ Regiæ. ART. XLII.

QVONIAM sunt nonnulli officiales,qui ex eorum negligentia & indebita conseruatione,nonnulla castra finitima amiserunt, & post amissiones, tam notabiles & huic Regno damnosas,non solùm impunitate gaudent, sed insuper alia castra pro salario eorum retinent. Quare statutum est,vt Regia Maiestas absq; consensu Regnicolarum, ijs, qui aliqua castra finitima, propter ipsorum negligentiam & incautam conseruationem amisissent, vel amitterent in futurum, gratiam non faciat, sed illos iuxta ipsorum demerita castiget & puniat,iuxta contenta generalis Decreti. Sunt autem hi,qui huic Regno in amissionibus castrorum notabilia damna intulerunt. Nam quondam Ladislaus de Egeruara,castra Thersacz & Nerethua: Franciscus Haraszthi,castrum Kozorouac: Georgius verò Popouigh,consimiliter castrum Komothin, tempore Maiestatis Regiæ, amiserunt.

Castrorum finitimorum perlustratio, ad Palatinum & Iudicem Curiæ,seu eorum homines pertinet. ART. XLIII.

Singulis annis duo Iudices Regni,videlicet,domini Palatinus & Iudex Curiæ Regię, homines suos,penes hominem Regium iuramento de Rakos, de dicenda veritate,& fideliter,sine personarum fauore ad Regiam Maiestatem referenda,iuratos deputare debeant,qui castrorum finitimorum conditiones & status, ac ædificationes, vel custodias & conseruationes, nec non machinas ac ingenia,& victualia atq; stipendiarios, iuxta dispositionem tenere debentes,aliosq; opifices seu artifices,bis in anno reuideant, & Maiestati Regiæ fideliter referant. Ita quòd tales conspicientes castra finitima, vadant diuerso tempore, & non simul & semel, sed seorsum, ita quòd homo Regiæ Maiestatis nesciat,quando homines dominorum Palatini & Iudicis Curiæ vadunt, & illi similiter ignorent,quando iste ibit, ne muneribus corrumpantur,& vt eo fidelius illa valeant referre, & facilius etiam cognosci possit, si falsitatem & mendacium dixerint. Si verò illi, vel alter eorum,aliquas in castris finitmis negligentias & defectus, vel etiam personarum ibi constitutarum exorbitantias subticuerint, & fideliter pro fauore aliquorum officialium non retulerint,pœnam capitis subeant eo facto, & bona ipsorum vniuersa, ad collationem Regiam deuoluantur. Expensas autem talibus, Maiestas Regia dare debeat.

De Comite Themesiensi: & quòd singulis Comitatibus, singuli Comites deputentur, exceptis Pestiensi & Pilisiensi Comitatibus. ART. XLIIII.

COMES Themesiensis,vltra honorem vnius Comitatus, in quo castrum Themesiense

siense situm est, tenere nequeat, nec aliquis Comitatuum à cæteris Regni Comitatibus amplius sequestretur. Et vnusquisque Comitatus suum proprium Comitem, de Comitatu eodem, aliquem ex potioribus habeat, demptis Comitatibus Pestiensi & Pilisiensi, qui Comites habere non consueuerunt, antiqua eorum libertate requirente.

Interregni tempore, nempe decedente Rege sine hæredibus, Oratores principum ad Comitia Regni venire prohibeantur. ART. XLV.

ITEM statutum est: quòd decedente Rege Vngariæ sine hæredibus, si quando Regnum hoc, Regia dignitate vacare contigerit, quotiescunque vniuersitatem Regnicolarum, pro eligendo nouo Rege conuenire continget, nullus Oratorum forensium, qui sæpenumero plures à Regibus & Principibus, ad seducendum dominos & vniuersitatem, aduenire solent, ad ipsam conuentionem admittatur, vt eo commodius de nouo Rege prouideatur. Ipsi enim Regnicolæ prouidebunt, vt ille, quem elegerint, cum honore inducatur.

Interregnū. Oratores Principum ad conuentum, in quo Rex eligitur, non admittantur.

Nota infidelitatis damnatorum Officiales, castra dominorum suorum defendere contra Regem & Regnum, conditionaliter permissi, de damnis tamen illatis satisfacturi. ART. XLVI.

SI quipiam Nobilium & Regnicolarum, castra seu fortalitia quæcunq;, à dominis ipsorum pro officiolatu tenuerint, & durante tali officiolatu, domini illorum, propter aliquos excessus notam infidelitatis incurrerent, cuius occasione Regia Maiestas, aut Regnum hoc, huiusmodi castra siue fortalitia, per vim, aut aliter ab ipso officiali rehabere niteretur, illeque honori & humanitati suæ, militarique officio satisfacere cupiens, castra seu fortalitia domini sui, viriliter & fideliter defensando, aduersus Regiam Maiestatem, aut etiam totum Regnum se opposuerit, damnaq; & nocumenta exinde ipsis Regnicolis intulerit: nihilominus talis officialis notam infidelitatis non incurrat, verùm de damnis quibuscunq; illatis, teneatur omnibus plenariam impendere satisfactionem. Vbi verò ipse officialis, postea quam dominus suus tali nota infidelitatis fuisset offuscatus, se in seruitium illius adiunxisset, & sic honorem alicuius castri vel fortalitij ab eo adeptus fuisset, tunc isto casu is articulus sibi minimè videatur suffragari, sed eadem nota infidelitatis condemnetur.

Comani, Philistæi & Rutheni, Nobilium colonos non abducant, alioquin coram Palatino conueniantur. ART. XLVII.

QVIA Comani, Philistæi & Rutheni in hoc Regno commorantes, in abductionibus Iobagionum, & in licentijs capiendis, contra libertates Nobilium & statuta Regni, plurimas quotidie iniurias & præiudicia, indicibilesq; & inauditas exactiones, in educendis ipsis Iobagionibus, ipsis Nobilibus inferunt, neque officiales Maiestatis Regiæ & eorum vicesgerentes, eosdem à talibus insolentijs compescunt. Quare, vt huiusmodi dissensionis materia eradicetur, statutum est: quòd ex quo ex Comanis & Philistæis, ac Ruthenis, ad bona Nobilium nullus abire permittitur, sic neque de cætero Iobagiones Nobilium, per officiales Maiestatis Regiæ, vel dictos seruilis conditionis homines, in medium ipsorum causa commorandi abducantur. Si autem ipsi officiales, aut prædicti Philistæi, Comani & Rutheni in medium ipsorum aliquos Iobagiones, contra præsentem statutionem abduxerint, super hoc ipsi, coram Palatino Regni, legitimè requirantur.

Comani. Philistæi. Rutheni.

De Comanorum & Philistæorum differentiis, ratione metarum exortis contra Nobiles, per Magistros Protonotarios reuidendis. ART. XLVIII.

QVONIAM autem Maiestas Regia, superioribus annis obtulerat, illas dissensiones, quæ ratione metarum & aliarum occupationum, inter Nobiles ac Comanos, & Philistæos

stæos exortæ sunt, velle facere rectificari. Ob hoc supplicant Maiestati suæ domini Regnicolæ, vt pro rectificandis ipsis metis & differentijs, dignetur aliquos Magistros Protonotarios deputare.

Decimæ argento non redimantur. ART. XLIX.

Andreæ An. 1222.ar.20 DECIMÆ, non argento, aut pecunijs, sed sicut terra protulerit fruges & vina, iuxta contenta Decreti quondam domini Andreæ Regis, in perpetuum exigantur.

Sedecimæ, vel quartæ, plebanis quibus debentur, soluantur. ART. L.

Sedecimæ, quartæ. ARCHIEPISCOPI, & Ecclesiarum Prælati, Capitula, Conuentus, atq; Abbates, plebanis Ecclesiarum, his scilicet, quibus tenentur, secundum consuetudinem hactenus obseruatam, de prouentibus eorum decimalibus quartas soluant, & quibus non tenentur, non soluant. Si quipiam autem plebanorum, circa illas quartas aliquod ius habere prætenderent, ordine Iuris requirere teneantur.

Decimarum exactio, aceruì examinatio, & de quibus decimæ persoluantur. ART. LI.

Supr. Vlad. Secũ.ar.37. vsq; ad art. 45. Item Matth. Sex. art.41. infra Vlad. Tert. art.54. Decimarũ conuectura. ADVENIENTE tempore decimationis, Iudex cuiuslibet villæ, de qua decimæ recolligi debebunt, teneatur illi Vicearchidiacono, ad quem spectant, significare tempus decimationis, vt ille admoneat decimatorem, & significet eidem, quatenus veniat infra duodecim dierum spatia ad decimandum. Qui si aduenerit, tandem diebus ad id necessarijs, decimationem iusto modo perficiat, & vnusquisq; colonorum teneatur decimas ex se prouenientes, ad illum locum, quem decimator in facie eiusdem possessionis disposuerit, importare, & pro labore decimam partem accipiat. Si autem infra illos duodecim dies decimator non venerit, villicus, seu Iudex eius loci, decimationem nihilominus in campo teneatur perficere, & decimas ipsas in campo ad sortem decimatoris relinquere. Si autem postea decimator aduenerit, tunc Iudex seu villicus ipsius villæ, modo antedicto, pro decima parte, cum colonis singulis eiusdem possessionis, teneatur decimas ipsas facere importari. Ita tamen, quòd si ipse decimator, super importandis huiusmodi decimis facilius posset concordare cum aliquo, habeat super hoc facultatem quomodo voluerit disponendi. Quòd si decimator ipse, de iniusta decimatione eo absente facta, ipsi Iudici credere nollet, iuramentum super hoc ab eo exigere valeat, & sic verbis illis acquiescat. Compositorem autem aceruì solus decimator disponat, & in expensis suis viuat. Iudex autem villæ teneatur illi decimas soluere. Quoniam autem iam sæpius contentiones exortæ sunt, de quibus rebus terræ nascentibus decimæ exigi debeant. Ad tollendum igitur omnes huiusmodi altercationes, placuit, vt tantummodo de his rebus, videlicet frugibus, vinis, siligine, hordeo, auena, & spelta, vulgò Thenkel, & non alijs, decimæ per totum Regnum Vngariæ exigantur.

Decimæ de quibus terræ fructibus exigantur.

Christianitatis & messoriæ pecuniæ, ab his soluantur, qui decimas ex vinis aut frugibus non soluunt. ART. LII.

DE pecunijs Christianitatis & messorialibus, quæ hactenus valde abusiuè exigebantur, taliter determinatum est: quòd ex quo ipsi domini Prælati & viri Ecclesiastici, ratione prouentuum eorum decimalium, gentes eorum, de cætero pro defensione huius Regni necessariò tenere habebunt. Sunt autem quam plurimi rusticorum, qui nec vineas habentes, neq; etiam araturas facientes, de quibus eisdem dominis Prælatis decimæ prouenire deberent, absq; solutione vllarum decimarum, in plerisq; locis commorantur, seque Christianos esse, prædictis Prælatis Ecclesiarum, sub quarum Diocæsibus degunt, minimè recognoscunt. Quare, vt de cætero inter ipsos Prælatos Ecclesiarum, & Christicolas, debitus ordo obseruetur, statutum est: quòd à modo imposterum, omnes & singuli rustici seu Iobagiones quorumcunque, qui siue de vinis, siue de frugib⁹ & bladis ipsorum, in Diocæsi quorumcunque dominorum Prælatorum & virorum Ecclesiasticorum

sticorum, decimas soluerint, tales nec pecunias Christianitatis, neque etiam messoriales soluere debeant. Messores autem de portionibus sibi pro labore eorum, ab his tantummodo, qui decimas soluere hucusq; consueuerunt, & non Nobilibus prouenire debentibus, decimas soluant. Pecunias autem Christianitatis aut messoriales non soluant, nec interim portiones eorum de campo abducere seu excipere audeant, donec eorum portiones, vna cum rebus decimalibus colonorum, decimabuntur. Illi autem, qui nec ex vinis, nec frumentis seu bladis decimas soluerint, pro pecunijs Christianitatis, sex tantummodo denarios teneant.

Messores rusticorum de suis portionibus decimas soluant

Christianitatis pecuniam, qui soluant.

Cathedraticum censum Archidiaconi ab integris Ecclesijs vnum florenum, à medijs Ecclesijs, dimidium accipiant. ART. LIII.

QVIA Archidiaconi Ecclesiarum, prouentus eorum Cathedraticos à plebanis Ecclesiarum valde abusiuè exigere consueuerunt. Quare, vt huiusmodi praua abusio extinguatur, statutum est: quòd à modo, de singulis Ecclesijs, quæ integræ vocantur, non plus quam vnus florenus: quæ verò mediæ medius florenus, & sic consequenter pecuniæ Cathedrales, ab ipsis plebanis exigantur.

Adde Vlad. Quar. ar. 38

Agnellos & apes decimandi modus. ART. LIIII.

QVIA hactenus ex decem agnellis, vnus pro decimis ablatus est, & insuper pro reliquis nouem, pro singulis scilicet duo denarij soluebantur, statutum est: quòd à modo deinceps, non amplius quam solummodo pro singulis agnellis, vnus denarius persoluatur, & similiter pro apibus. Ita quòd postquam hæc decimata fuerint, decimator ille infra spatium vnius mensis abducere teneatur.

Episcopi bona secularia pro Ecclesijs non impetrent, emant, vel titulo pignoris accipiant: Bona etiam Ecclesiarum, sæculares sibi non vsurpent.

ART. LV.

EPISCOPI, Ecclesiarum Prælati, vel eorum alter, pro persona sua & Ecclesiæ suæ, possessiones & iura possessionaria sæcularia, nec à Regia Maiestate quomodo impetrare, neque pecunijs eorum, iure perpetuo emere & comparare, aut titulo pignoris habere possint & valeant: & è conuerso domini Barones & sæculares, bona Ecclesiarum pro se non vsurpent, neque se illis aliquo pacto intromittant.

Bona Ecclesiarum sæculares non v-

Beneficia duo, siue duas dignitates persona quæcunque Ecclesiastica tenere aut possidere non valeat. Item beneficia ad Romanam curiam alicui obligata, intra vnum annum liberentur, & externis beneficia non conferantur.

ART. LVI.

NEMO ex dominis Episcopis & Ecclesiarum Prælatis, alijsq; personis Ecclesiasticis, duas dignitates, aut alia beneficia Ecclesiastica, etiam minutissima tenere, gubernare & vti valeat, dempto solummodo Episcopo Bosznensi pro tempore constituto, qui duo tantummodo beneficia Ecclesiastica, & non plura, tenere valeat, ex quo deficit in prouentibus, & castra quædam finitima necessariò tenere habet. Ab illis autem, qui iam de facto duo beneficia Ecclesiastica, vel plura haberent, præter illud, quod ipsi beneficiati ex illis pro se retinere maluerint, vsque festum Beati Iacobi Apostoli proximè venturum, per Maiestatem Regiam auferantur, & personis idoneis conferantur. Similiter etiam illæ personæ, quæ aliqua beneficia Ecclesiastica, siue magna, siue parua, quibuscunq; personis ad Curiam Romanam obligassent infra vnius integri anni spatium, à data præsentium constitutionum computando, teneantur ea liberare: alioquin per Maiestatem Regiam occupentur, & personis idoneis, Regnicolis scilicet, & non forensibus, conferantur.

Bosznensis Episcopus.

Extranei.

Comitatus honor Ecclesiasticis personis non conferendus, nisi priuilegiatis à sanctis & primæuis Regibus. ART. LVII.

MAIESTAS Regia, nemini ex ipsis dominis Episcopis & Prælatis, alijsque viris Eccle-

Ecclesiasticis, honorem vel officiolatum Comitatus, etiam pro tempore dare & conferre valeat, sed personæ sæculari benè meritæ, & ex Nobili prosapia ortæ, ac in ipso Comitatu personalem residentiam agenti, honor huiuscemodi per Regiam Maiestatem detur & conferatur, demptis duobus Comitatibus, Pestiensi & Pilisiensi, qui ex antiqua eorum libertatis prærogatiua, Comites habere non consueuerunt, quòd illi in eadem libertate permaneant. Ab illis verò quibus perpetuo, aut alio quocunq; iure, honor alicuius Comitatus hactenus collatus & datus fuisset, per ipsam Regiam Maiestatem auferatur, & modo præmisso conferatur, nisi per sanctos Reges superinde aliquas collationes, siue priuilegia habuerint, quas producant, si qui habent, infra congregationem præsentem: alioquin inuigorosæ relinquantur, & similiter tales honores personis sæcularibus conferantur.

Pestiensis & Pilisiensis Comitatus.

Sācti Reges.

Præpositura & Abbatiæ Regulares, personis Regularibus & conuenientem habitum gestantibus conferantur. ART. LVIII.

Matrimonia contrahuntur in ordinis blasphæmiam.
Vlad. Quar. art. 32. huc refer.
Sub pœna amissionis beneficij.

QVIA sunt plures Clerici, Præposituras & Abbatias Regulares habentes, qui in habitu laicali vel sæculari per plures annos prouentus huiusmodi Ecclesiarū exhauriunt, & tandem locupletes effecti, in blasphæmiam illius ordinis, vel matrimonia contrahunt, vel autem sæculares Presbyteri efficiuntur, & sic bona Ecclesiarum consumunt. Quare statutum est: quòd huiusmodi Præposituras & Abbatias Regulares, Clerici initiati, vel alij sæculares Clerici, vel Presbyteri sine habitu regulari tenere non possint. Sed infra anni spatium, habitum illius ordinis, sub pœna amissionis illius beneficij, induere & assumere teneantur.

Clerici, in habitu Sæculari beneficia non possideant. ART. LIX.

NVLLVS Clericorum Sæcularem & laicalem habitum deferentium, aliqua beneficia Ecclesiastica, etiam ad breue temporis spatium, in habitu eodem Sæculari perseuerare volens, tenere & gubernare valeat.

Causis in prophanis nullus ad forum Spirituale citetur. ART. LX.

Comitis in præsentiam Nobiles citandi.

IN causis Sæculare forum tangentibus, neminem Regnicolarum Presbyteri, vel alij quicunq; citare præsumant ad iudicium Spirituale. Sed si ignobiles sint citandi, in præsentia domini terrestris: si verò Nobiles, in præsentiam Comitis, vel Vicecomitis & Iudicum Nobilium illius Comitatus, in quo tales citandi commorantur, legitimè requirantur.

Causis in prophanis nemo cogatur respondere coram Iudicibus Spiritualibus.
ART. LXI.

Math. Sext. art. 45.

IVDICES Spirituales, neminem compellant ad respondendum coram se in causis prophanis, sub pœna excommunicationis vel aliter: alioquin dato, quòd quispiam hominum, errore vel ignorantia ductus, vel metu sententiæ respondeat, nullius sint momenti, & propter excommunicationem, homagium excommunicati persoluat. Quia Regnicolæ per ipsos Iudices Spirituales, per tales coactiones & illicitas excommunicationes, plurimum aggrauantur.

Excommunicatio.

Spirituales iudices, factum Iuris possessionarij non iudicent. ART. LXXII.

Vlad. Prim. art. 46.

SI aliquis Iudicum Spiritualium quempiam Regnicolarum ratione iuris possessionarij coram se citauerit, & causam factum ipsius iuris possessionarij tangere agnoscens, in huiusmodi causa ad vlteriora processerit: extunc in æstimatione talis iuris possessionarij, coram iudicibus Regni ordinarijs condemnetur.

Causæ ad sedem Apostolicam, per appellationem tantum, & non per querimoniam deducantur. ART. LXXIII.

Vlad. Maior art. 45.

QVIA ex concessione venerabilium Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum

rum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, olim in Concilio Constantiensi constitutorum, Regnum hoc in eo priuilegiatum esse cõstat, quòd nullus extrahatur extra istud Regnum ad iudicia, autoritate literarum Apostolicarum, nisi cum causæ aliquæ per appellationem legitimè fuerint ad sedem Apostolicam deuolutæ. Sunt autem plures, qui contra libertates huiusmodi, complures Regnicolas, tàm Spirituales, quàm Sæculares, vigore conquestuum, turbant & molestant. Quare statutum est, prout etiam in Decreto maiori continetur, quòd nullus extra Regnum istud, nisi per viam appellationis extrahatur. Portatores autem conquestuum, siue sint Spirituales, siue Sæculares, siue Religiosi, captiuentur, & manibus Regiæ Maiestatis præsententur, ad Turrim mancam pro infligenda illis pœna imponendi. Quia autem sunt nonnulli, qui exemptionis priuilegio à sede Apostolica gaudentes, nequeunt coram iudicibus Spiritualibus, in hoc Regno commorantibus attrahi in litem, vt contra tales, huiusmodi conquestus siue rescripta Apostolica liberè apportentur, extra tamen hoc Regnum, vigore ipsius, non aliter, nisi modo præmisso, per appellationem extrahantur. Appellationis per viã. Turris manca,

De sigillaribus pecuniis, Episcopus Iauriensis & Abbas S. Martini, sua iura producant. ART. LXIIII.

QVIA ad Ecclesiam Iauriensem, & Abbatiam sancti Martini sacri montis Pannoniæ, nouæ pecuniæ sigillares adinuentæ fuisse, & pro vno quoque vase, vel etiam pro vna tina, duodecim denarij, indebitè & modo abusiuo exigi dicuntur, & vtrum Episcopus, vel Abbas, ipsarum Ecclesiarum, super talibus exactionibus aliqua iura habeant, vel non, euidenter non constat. Quare, ad tollendum omne dubium, statutum est, quòd tàm Episcopus, quàm Abbas dictarum Ecclesiarum, iura eorundem, si quæ habent, super exactionibus prænotatis, ad Octauas festi Beati Michaëlis Archangeli proximè affuturi, absque vlteriori dilatione, producere teneantur, quibus visis, quod iustum fuerit decernatur. Iura Episcopi & Abbatis,

Episcoporum contractus cum sæcularibus de bonis immobilibus, cassantur, etiam interueniente pecunia, quæ eo casu, restitui debet. ART. LXV.

STATVTVM est, si quis Regnicolarum, cum dominis Archiepiscopis vel Ecclesiarum Prælatis, aut eorum altero, cæteris etiam viris Ecclesiasticis in hoc Regno existentibus, ratione bonorum & iurium possessionariorum quorumcunque, & præsertim ad Maiestatem Regiam deuoluendorum, aliquos contractus, vel etiam aliqua obligamina hucusque qualitercunque fecisset, vel faceret in futurum, tales contractus, atque huiusmodi obligamina, nullius sint roboris & firmitatis: Imò vniuersæ literæ, in quibuscunq; locis credibilibus superinde emanatæ & confectæ, inanes habeantur, etiamsi esset consensus Regius super hoc impetratus. Hoc tamen excepto: si quispiam fortassis Prælatorum, ad huiuscemodi bona, iam de facto aliquas pecunias dedisset, & apertè de datis per eum pecunijs constaret, tali eiuscemodi pecuniæ restitui debent, quibus restitutis, bona illa tandem sint libera. Episcoporũ contractus cum sæcularibus. Episcopi pecuniæ, ratione bonorũ alicui datæ, eidem restituuntur,

Plebani Ecclesiarum, inuitis patronis, non confirmentur. ART. LXVI.

PRÆLATI Ecclesiarum, inuitis patronis Ecclesiarum, plebanos ad recipiendam inuestituram seu confirmationem astringere non velint.

Beneficia Ecclesiastica iuuenibus, indoctis, incapacibus & idiotis, non sunt conferenda. ART. LXVII.

SVNT præterea pleriq; dominorum Prælatorum & virorum Ecclesiasticorum, qui collationibus beneficiorum Ecclesiasticorum, in ignominiam toti⁹ ordinis Clericalis, abutentes, illa, non personis idoneis & benemeritis, sed iuuenibus & indoctis, ad eaq; beneficia penitus incapacibus, absq; consensu Regiæ Maiestatis conferre, illisq; titulum huiusmo- Iuuenes indocti.

huiusmodi beneficiorum asscribentes, soli prouentus eorundem exhaurire, & in vsus proprios conuertere, sicq; cultus Diuini, propter tales abusiones, quotidie in Ecclesijs DEI negligi consueuerunt. Quia autem libertate antiqua huius Regni requirente, collationes quorumcunque beneficiorum, in omnibus Ecclesijs Regni, in quibus Regia Maiestas ius patronatus habere censetur, ad Maiestatem suam spectare dignoscuntur. Quare statutum est, quòd à modo de cætero, ipsi domini Prælati & viri Ecclesiastici, in eorum Ecclesijs, quibus ex prouisione Regiæ Maiestatis præsunt, absq; annuentia & consensu Regiæ Maiestatis, nulla beneficia Ecclesiastica pro tempore vacantia, conferre possint. Ab illis autem personis iuuenibus, atque idiotis & indoctis, quibus aliqua beneficia Ecclesiastica, absque consensu Maiestatis Regiæ collata fuissent, per Regiam Maiestatem auferantur, & personis idoneis conferantur. Deinceps autem dignetur Maiestas sua taliter prouidere, quòd huiusmodi beneficia Ecclesiastica, quæ animarum sunt refocilamina, sicuti per Maiestatem suam, ita etiam per viros Ecclesiasticos, quibus ad hoc facultatem concesserit, personis tantummodo adultis & benemeritis, & non iuuenibus, neque idiotis conferantur, vt seruitia Diuina in Ecclesijs sacræ Coronæ huius Regni subiectis, eo sedulius peragantur.

Beneficia Ecclesiastica. Senibus, & non extraneis beneficia conferantur.

A Synodo Episcopali Sacerdotes, Plebani Ecclesiarum pecuniis non se rediment, sed omnes in Synodo compareant. ART. LXVIII.

PRÆLATI Ecclesiarum, Synodum, quam in eorum Ecclesijs, pro extirpandis vitijs, & plantandis moribus Plebanorum, in Diocæsibus suis constitutorum, ex institutione Canonica necessariò celebrare habent, pro pecunijs, sicuti quidam ex eis hactenus facere consueuerunt, relaxare, aut Plebanos eosdem propter relaxationem huiusmodi Synodi, in aliquo taxare, neque etiam Plebani quipiam, se ipsos ab ipsa Synodo, quouis modo redimere præsumant.

Synodus Episcopalis, pro extirpādis vitijs & plantandis moribus fit. Ad Synodū aditū Episcopi Plebanis non relaxent.

Plebani per Episcopos non taxentur, nisi semel pro charitatiuo subsidio, ad redemptionem Bullarum Pontificalium. ART. LXIX.

QVONIAM sunt nonnulli Ecclesiarum Prælati, qui iam ex quadam praua abusione, Plebanos Ecclesiarum per impositiones taxarum, pro suo libitu, plurimum opprimere consueuerunt: illi verò Plebani, sub hoc onere gementes, interdum calices & cætera bona Ecclesiarum diripere, cum illisq; se ab huiusmodi taxis redimere, interdum verò egestate coacti, Ecclesias eorum deserere, & alio aufugere coguntur, propter quod ipsi domini Prælati, crebrò ad Parochianos illorum interdictum Ecclesiasticum imponere, sicq; illos aggrauare non verentur. Quare statutum est, quòd ipsi Prælati Ecclesiarum, nunquam de cætero, nisi semel, pro redemptione Bullarum suarum, & hoc quidem cum moderatione debita, à Plebanis Ecclesiarum suarum Diocæsium, charitatiuum potius, quam coarctatiuum subsidium petere & exigere, vel eos quouis modo ad eorum libitum taxare, neque etiam propter ipsos Plebanos, parochianos eorundem per interdicta Ecclesiastica turbare seu molestare debeant. Plebani Ecclesiarum, taliter se gerant in eorum Ecclesijs, quòd bona Ecclesiarum per eos non dissipentur.

Charitatiuū subsidium semel à Plebanis petendum. Et infra Vlad Quin. art. 12.

Bona Ecclesiarum per Plebanos non dissipentur.

Officia duo tenere possunt, Palatinus, Comes curiæ, & Banus Dalmatiæ. ART. LXX.

NVLLVS Baronum, aut Nobilium Regni, secundum contenta Decreti quondam domini Andreæ Regis, duas dignitates seu officiolatus, præter Palatinum & Iudicem Curiæ, ac Banum Regnorum, Dalmatiæ, Croatiæ & Sclauoniæ, tenere possit & valeat. Hoc excepto, quòd si aliquando necessitas ingrueret, propter quam meritò deberent alicui personæ, duæ, vel etiam tres dignitates vel officiolatus conferri, quod Maiestas Regia non faciet, nisi cum consensu & consilio dominorum Prælatorum & Baronum.

Andreæ An. 1222. a. 30

Comites

Comites & Vicecomites causas Comitatus sui, sine literis præceptorijs cognoscant, & executioni demandent, vel causa meritò ita poscente, etiam appellationi deferant. ART. LXXI.

SVNT nonnulli Vicecomites & Iudices Nobilium in plerisque Comitatibus, qui in causis coram eisdem motis vel mouendis, absque speciali mandato Regiæ Majestatis procedere, vel autem, dum suam tulissent sententiam, eandem debitæ executioni demandare, aut interueniente appellatione, in Curiam Regiam transmittere recusant. Quare, vt causantium parcatur laboribus & expensis statutum est: quòd Comites, Vicecomites & Iudices Nobilium, vniuersas causas, sedem iudiciariam concernentes, à modo de cætero, absque speciali mandato Regiæ Majestatis, coram se acceptare, atque causantibus ipsis, obseruato Iuris ordine, ex parte quorumlibet, debitam justiciam facere, & si non fuerit appellatum ab eadem sententia quam tulerunt, debitæ executioni demandare: Si autem appellatio interuenerit, in Curiam Regiam, more solito, transmittere teneantur, sub pœna amissionis officiorum suorum.

Comes sine præceptorijs causas discutiet.

Arma, & victualia infidelibus non vendantur. ART. LXXII.

QVOD officiales finitimi, nec non mercatores, ac alterius cuiusuis status & conditionis homines, Turcis, aut alijs quibuslibet infidelibus, arma, victualia, cultellos, seu quæcunque ingenia, sub nota perpetuæ infidelitatis, vendere vel commutare non præsumant.

Profugos à Turcarum imperio, nemo molestet vel impediat, sub nota perpetuæ infidelitatis. ART. LXXIII.

NVLLVS officialium castra finitima tenentium, nec non alterius cuiusuis status hominum, illos, qui de dominio seu terris Turcorum, ad limites huius Regni, vel etiam ad hoc Regnum clandestinè aufugerint, in personis, vel rebus eorum, quouis modo audeat de cætero impedire seu damnificare, sub nota perpetuæ infidelitatis.

Refer ad Vlad. Decr. Secun. ar. 4. profugi

De Telonijs. ART. LXXIIII.

QVONIAM in Decreto Serenissimi Principis, quondam domini Ludouici Regis, olim etiam per quondam dominum Mathiam Regem, tempore suæ coronationis confirmato, id constitutum esse constat: quòd tributa iniusta, super terris siccis & fluuijs ab infra descendentibus, & supra euntibus, non exigantur, nisi in pontibus & nauigijs ab vltra transeuntibus persoluantur. Qualiter autem, & per quem modum, aut per quos, & an iustè vel iniustè huiusmodi Telonia, in locis huiusmodi Teloniorum exigantur, absque debita inuestigatione resciri non possunt, nec de hoc in præsentiarum finalis determinatio fieri potest. Pro eo conclusum est: quòd in singulis Comitatibus, in quibus eadem Telonia exiguntur, certi potiores ex Nobilibus eligantur, qui sub stricto iuramento, de numero, ac modo, & qualitate exactionis Tributorum, diligenter faciant inquisitionem, & in Regesto fideliter conscribant, conscriptaque ad futuram congregationem generalem proximè celebrandam, coram Regia Majestate, nec non dominis Prælatis & Baronibus, cæterisque Regnicolis, sub eorum sigillis præsentare teneantur, vt his visis prouideatur quod pro vtilitate publica melius erit faciendum.

Ludo. Ann. 1351. ar. 8. Mat. Regis Secũ. ar. 15. Eiusd. Sext. art. 35, & 36.

NOS igitur, cuius interest, ex suscepti regiminis nostri officio, tranquillo statui dicti Regni nostri prouidere, supplicationibus præfatorum Baronum, Procerumque, & Nobilium dicti Regni nostri, tanquam iustis & rationalibus inclinati, præscriptos articulos, commune bonum, ac quietum statum, & vtilitatem ipsius Regni nostri in se continentes, acceptantes, approbantes & ratificantes, eosdemque articulos ac omnia in ipsis contenta innouantes, perpetuò valituros & duraturos confirmamus. Nosque omnia & singula in ipsis specificata, inuiolabiliter ob-

ter obseruare, & per alios obseruari facere promittimus & obligamus, præsentis scripti nostri patrocinio mediante. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, præsentes literas nostras priuilegiales, sub appensione secreti sigilli nostri, quo, vt Rex Vngariæ, vtimur, communitas, duximus concedendas. Datum Budæ quadragesimo die congregationis generalis antedictæ. Anno Domini Millesimo, Quadringentesimo, Nonagsimo octauo: Regnorum nostrorum anno Vngariæ, &c. octauo: Boëmiæ vero vigesimo octauo. Venerabilibus in Christo patribus, dominis, Thoma Strigoniensis, & Petro Colocensis, Ecclesiarum Archiepiscopis, nec non Illustrissimo ac Reuerendissimo Ipolito Estensi de Aragonia, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diacono Cardinali, Agriensis, Osualdo Zagrabiensis, Ladislao Gereb, Transyluaniensis, Dominico Varadiensis, Sigismundo Quinqueecclesiensis, Francisco Iauriensis, Ioanne Vesprimiensis, Nicolao de Bathor Vaciensis, Luca Chanadiensis, Anthonio Nittriensis, Sirimiensis sede vacante, Gabriele Bosznensis, Briccio Tiniensis, Michaële Segniensis, & Christophoro Modrusiensis, Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei fæliciter gubernantibus. Item Spectabili, & Magnificis, Stephano de Zapolya Comite perpetuo terræ Scepusiensis, Regni nostri Vngariæ Palatino & Iudice Comanorum, Comite; Petro Gereb de Wingarth Iudice Curiæ nostræ, Bartholomæo Dragffi de Belthôk, Waiwoda nostro Transyluaniensi, & Comite Siculorum nostrorum, Georgio de Kanisa, Regnorum nostrorum Dalmatiæ Croatiæ & Sclauoniæ, Petro Tharnok de Machkas, & Iacobo Gerlistye Zewriniensibus, Banis, Iosa de Som, Comite Themesiensi, & generali Capitaneo partium Regni nostri inferiorum, officio Magistri Thauernicatus nostri vacante, Nicolao Banffi de Lindwa, Ianitorum, Emerico de Peren, Dapiferorum, Stephano de Kanisa, Pincernarũ, Blasio de Raska, Cubiculariorum, & Ioanne Ernusth de Chaktornya, Agazonum nostrorum Regaliũ Magistris, alijsque compluribus Regni nostri officia tenentibus & honores.

VLADISLAI REGIS VNGARIÆ DECRETVM QVARTVM, ANNO DOMINI M. D. EDITVM.

Seu additiones ad Decretum minus, in ordine tertium.

Nos Vladislavs, Dei gratia, Vngariæ, Boëmiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Seruiæ, Galitiæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæque Rex nec non Silesiæ, & Lucemburgensis Dux, ac Morauiæ & Lusaciæ Marchio. Memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes quibus expedit vniuersis. Quòd cum superiobus his diebus, nobis hoc inclytum Regnum Vngariæ Dei benignitate adipiscentibus, illudque, domi, forisque ab omni hostilitate, & inimica inuasione tutum & tranquillum vndique reddentibus, domini Prælati & Barones, cæterique Proceres ac Nobiles, & vniuersi Regnicolæ nobis supplicarunt, vt pro vlteriori quiete, cõmodo, & vtilitate huius Regni, regiminisque & status nostri fœlici incremẽto, certas etiam constitutiones & Decreta sancire, atque conuulsam & dilaceratã, multumque diminutã illam veterum eorum libertatẽ, eisdem innouando restituere, & gratiosè confirmare dignaremur. Nos, qui omni eo tempore, quo Diuina dispositione & auspicio, Regium culmen consecuti sumus, & in omnibus actionibus nostris cogitationibusque, nullam magis præcipuam curam gessimus, gerimusque vel in præsentiarum, quam vt hoc ipsum Regnum, & eiusdem incolas, subditos videlicet nostros fideles, in tranquilla pace, sub bonis legibus, & vnũquenque ordinem ac statum, in antiqua sempiternaque libertate conseruare possimus. Eiuscemodi ipsorum petitionibus moti, per hoc triennium, in assecutionem huius rei, pro singulo festo Beati Georgij Martyris, singulam vnam Dietam, & generalem omnium Regnicolarum Conuentum, in campo Rakos celebrauimus: atque (Rakos.) ad ipso-

ad ipsorum dominorum Prælatorum, Baronum & Procerum, atque cæterorum Nobilium supplicationem, certos etiam articulos, quos vnanimiter concluserunt, in formam eiusdem generalis Decreti, redegimus. Verùm, quòd nonnulli articuli propter temporis breuitatem, & negotiorum pluralitatem, aliaque impedimenta, in ipsis prædictis Dietis finiri & determinari, & ad ipsum Decretum inscribi non poterant, sed sic imperfecti & indecisi, ad hanc Dietam reiecti fuerant: eam ob causam ijdem articuli, in præsenti Dieta festi Beati Georgij Martyris, in prædicto campo Rakos, in hunc, qui sequitur modum, conclusi & determinati extiterunt.

Comitia celebrentur, iuxta modum præscriptum in tertio Decreto, & Prorogationes, Prælatis & aliis ex causa semel in omnibus iudicijs, seruentur. ART. I.

IN primis, quòd articulus primus minoris Decreti, de congregatione Regnicolarum generali deinceps celebranda, iuxta formam & continentiam eiusdem Decreti, semper obseruetur; circa quem articulum additum est: Quod clausula illa, exceptis illis, qui in peregrinationibus extra Regnum occupabuntur, intelligatur semel etiam in Octauis, vel breuibus iudicijs quomodolibet celebrandis. Sic videlicet, vt, tam domini Prælati, quàm Barones, cæterique Regnicolæ, dum in peregrinationibus extra Regnum hoc, & vltra partes marinas occupabuntur, semel, vt præfertur, propter absentiam & non venientiam, in aliquo onere seu grauamine non conuincantur. Illis quoque, qui in gymnasijs, & studio literalis scientiæ præoccupati fuerint, clausula prædicta, modo simili, semel, & non plures, suffragari debebit.

Vlad. Tert. art. 1

Prorogationes, peregrinantibus & studentibus extra Regnum, semel obseruetur. Math. Secũ. art. 6. 8. Vlad. Prim. art. 71.

Iudiciorum celebratio quomodo fiat, & quot diebus duret. ART. II.

ITEM quòd supra articulo secundo minoris Decreti, de celebrationibus Octauarum, & breuium iudiciorum limitatum & conclusum est, vt singulis annis duæ Octauæ magnæ & integræ, Beatorum scilicet Georgij Martyris & Michaëlis Archangeli, quadraginta diebus durantes, iuxta continentias ejusdem Decreti, celebrentur. Breuia verò iudicia, pro festiuitatibus Beati Iacobi Apostoli et Epiphaniarum Domini, hactenus celebrari solita, de cætero cessent: & illa eadem breuia iudicia, super vniuersis actibus potentiarijs, post obitum Serenissimi Principis quondam domini Mathiæ Regis felicis reminiscentiæ, per quoscunque & quomodocunque illatis, patratisque & commissis, ac in futurum quomodolibet committendis, à modo imposterum, successiuis semper temporibus, ad tricesimum secundum diem, diei, euocationis ex hinc fiendæ computando, semper & continuò iudicari debebunt, iuxta consuetudinem aliâs in iudicijs obseruatam. Causæ autem, & euocationes, ad præterita breuia iudicia festiuitatum, Beati Iacobi Apostoli & Epiphaniarũ Domini prædictarum, motæ, & de facto intentatæ, in eisdem breuibus iudicijs quorum celebratio, vigesima die festi Beati Iacobi Apostoli proximè ventura, inchoabitur, & inde semper continuabitur, ante alias causas, à modo deinceps mouendas leuentur atque adiudicentur.

Vlad. Tert. art. 2.

Causarum secundum vetustatem leuatio, quomodo intelligenda. ART. III.

ITEM quintus articulus de Iudicialium distributione, de qua hactenus non modica inter causantes contentio suborta fuerat, sic intelligendus est: quòd euocationes priores, secundum formam eiusdem Decreti, posterioribus semper prius leuentur atque iudicentur. Ita videlicet, quòd postquam causæ aliquæ leuatæ, exindeque communes inquisitiones, vel literarum aut literalium instrumentorum exhibitiones, cæterique huiusmodi causarum processus de iure subsecuti fuerint; extunc tales causæ leuatæ, aut de facto adiudicatæ, in Octauis tunc proximè, aut immediatè subsequentibus, ac affuturis, terminoque breuium iudiciorum, ad

Adde supra Vlad. Tert. art. 5.

Iudicialis.

quem ſcilicet reportatio ſeriei talis modi proceſſus vel executionis fieri debebit, rurſus,& iterum ante alias cauſas leuentur, & finaliter terminentur; quibus finitis & determinatis,reſiduæ cauſæ nondum leuatæ, ſecundum ſeriem Regeſti tandem iudicentur.

Regeſtum.

Cauſæ ſemper pro antiquitate citationum leuentur. ART. IIII.

SI quempiam Regnicolarum literas euocatorias ſecundum data ſua,alijs priores habere,ſed aliquibus negotijs ſuis præpedientibus,in prima,aut ſecūda,ſiue tertia diſtributionibus,in Octauis & breuibus judicijs fiendis,non intereſſe contigerit: extunc Magiſtri Protonotarij,non obſtantibus hujuſmodi diſtributionibus factis, eaſdem cauſas vel literas euocatorias,ſecundum data earundem,in ſuo loco,priori ſcilicet,vel medio,vbi decebit,ſemper locare,& inſcribi facere teneantur. Et quòd Regeſtum in primis Octauis,vel termino breuium iudiciorum conſcriptum,vſque ad exitum ſuum debeat durare. Nihilominus, ſi quis cauſantium in ſequentibus Octauis, vel termino breuium iudiciorum,ſignaturas aut literas Iudiciales de nouo facere voluerit,vt ſcilicet alteram partem per non comparitionem aggrauare,aut cauſam in ſuperſtites alicuius cauſantis medio tempore decedentis, condeſcendi facere poſſet,liberam faciendi habeat facultatem. Cauſa tamen ipſa locum aliàs in prioribus Octauis,aut breuibus iudicijs,in ſerie ſcilicet Regeſti præmiſſi ſuperinde conſcripti,denotatum habere & adiudicari debebit.

Regeſtum, Iudicialis, Signatura idem.

Iudiciales per Protonotarios omnibus oſtendantur. ART. V.

QVOD copiam Regeſti,iurati aſſeſſores iudicio intereſſe debentes,ſemper habere debent, & vnicuique cauſanti Regeſtum ipſum conſpicere volenti, tam ijdem aſſeſſores iurati,quâm Magiſtri Protonotarij oſtendere teneantur.

Cauſæ appellatæ, Regnorum Dalmatiæ,Croatiæ,Sclauoniæ,& Tranſyluaniæ,coram Iudice Curiæ Regis,& quando diſcutiantur. ART. VI.

CAVSÆ Nobilium Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ & Sclauoniæ, partiumque Tranſyluaniæ,in Curiam Regiam, per viam appellationis tranſmiſſæ & deductæ, coram Iudice eorum ordinario, domino ſcilicet Comite & Iudice Curiæ Regiæ Majeſtatis,ſic determinentur,vt qualibet die Octauarum,vel breuium iudiciorum, extra omnem ſeriem & ordinem Regeſti,vna cauſa alternatim diſcutiatur.

Iudex Curiæ ſpecialis, Iudex appellationum, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c.

Appellationum in reuiſione,qui intereſſe apud Regem poſſint. ART. VII.

SI aliquæ cauſæ per iudices ordinarios, nec non Magiſtros Protonotarios,& alios ſedis iudiciariæ aſſeſſores adiudicatæ, ad intereſſentiam aut præſentiam Regiæ Majeſtatis,per partem in cauſa ſuccumbentem & conuictam,deductæ & prorogatæ fuerint,tunc tempore diſcuſſionis & reuiſionis huiuſmodi cauſarum, præfati iudices ordinarij,Magiſtri Protonotarij,& cæteri ſedis iudiciariæ coaſſeſſores, intereſſe poterunt: attamen ad vlteriorem & euidentiorem earundem cauſarum diſcuſſionem,verba facere non valebunt.

Iudices,tempore diſcuſſionum ſuarum cauſarum,cum ſibi addictis ex ſede exire debent: & de protonotariorum ſcribis. ART. VIII.

QVILIBET dominorum Prælatorum & Baronum, Iudicum ordinariorum Regni,Magiſtrorumque Protonotariorum,cæterorumque ſedis iudiciariæ aſſeſſorum,cuius ſcilicet cauſa leuabitur, tempore diſcuſſionis eiuſdem cauſæ, perſonaliter,vel ſi fuerit Iudex ordinarius,cum Magiſtro Protonotario, viceſgerenteque ſuis,reliqua etiam familia: cæteri verò cum eorum comitiua, & ſimiliter familia exire de ſede Iudiciaria teneantur. Et quòd quilibet Magiſtrorum Protonotariorum,præter vnum ſcribam iuratum, in ſedem Iudiciariam ſecum importare, & in ſedem locare non poſſit. Nihilominus & alios ſcribas,in domum ſedis iudiciariæ valeat inducere,ſed non in medium cæterorum coaſſeſſorum computare,qui in ſilentio per omnia illic aſtare debebunt.

Iuratus notarius ſiue ſcriba.

Sclauoniæ, & Transyluaniæ Regnis, quomodo Iudicia celebrentur. ART. IX.

QVONIAM celebrationes Octauarum & breuium judiciorum, in Regno Sclauoniæ, & partibus Transyluanis, iuxta formam Decreti minoris fiendæ, libertati & consuetudini eiusdem Regni Sclauoniæ, partibusque Transyluaniæ præiudicare planè dignoscuntur. Propterea statutum est: quòd in Transyluania, solummodo Octauæ festi Epiphaniarum Domini annuatim celebrentur, reliquæ autem Octauæ deponantur. In Regno autem Sclauoniæ, valeant aliæ quoque Octauæ celebrari: attamen non eo ordine, quo in Decreto positum erat, sed iuxta antiquam & approbatam consuetudinem eorum aliàs semper obseruatam, celebrentur.

In Iudicijs Regni, & consilio huius Regis; quot & quæ personæ interesse debuerint. ART. X.

ITEM pro clariori explanatione articulorum, secundi, sexti & septimi, minoris Decreti, sancitum est: quòd vltra illos sedecim iuratos assessores iudicio interesse debentes, ex dominis Prælatis quatuor, & ex dominis Baronibus totidem Iurisperiti, & prudentia cæteros præcellentes, per Regiam Majestatem eligantur, qui in Octauis magnis & integris, omnes interesse debeant. In breuibus verò iudicijs per amplius continuè celebrandis, solummodo duodecim ex eisdem mutuatis & alternatis inter sese vicibus, assidere teneantur. Illi itaque duodecim electi per integrum medium annum, & residuis similiter duodecim, per alium medium annum, in consilium Regiæ Majestatis semper admitti & interesse debeant. Qui stricta fide Regiæ Majestati, & vniuersis dominis ac Regnicolis iurare super eo tenebuntur, quòd ipsi in eodem consilio, omnia ipsa, quæ ad fidelitatem & incrementum Regiæ Majestatis ac libertatem & commune bonum totius Regni cedere videbuntur, fideliter tractabunt. Et illi electi, semper & continuè Budæ, alternatis, modo prætacto, vicibus interesse, ac consuetudines & iura Regni, quæ in iudicijs allegari consueuerunt, explanare & conscribi facere, ad futurasque conuentiones Regnicolarum generales, juxta seriem Decreti celebrandas, semper coram Regia Majestate, ac dominis Prælatis & Baronibus, vniuersitateque Regnicolarum exhibere & præsentare teneantur. Vbi, si quæ earundem Regiæ Majestati, ac dominis Prælatis & Baronibus, cæterisque Regnicolis rationabiles & iustæ videbuntur, acceptentur & approbentur. Si quæ ipsorũ irrationabiles, & modo abusiuo confectæ & scriptæ dignoscentur, per Regiam Majestatem, dominosque Prælatos & Barones, vniuersitatemque Regnicolarum, in melius reformentur. Quibus tandem per omnia explanatis, conscriptisque & approbatis, secundum easdem, & eadem iudicetur. De salario autem eorundem juratorum, de medio scilicet Regnicolarum electorũ, ijdem Regnicolæ: de dominorum autem Prælatorum & Baronum similiter salarijs, cæteri domini Prælati & Barones prouidere tenebuntur. Illi verò sedecim iurati, & ex dominis Prælatis quatuor, & ex Baronibus totidem ex quatuor partibus Regni, per Regiam Majestatem, & vniuersum Regnum eligantur, qui singulo tertio anno, in congregationibus scilicet Regnicolarũ deinceps celebrandis, alterari & mutari, officiaque sua deponere debebunt: ita tamen, quòd si qui illorum Regiæ Majestati, ac dominis Prælatis & Baronibus, cæterisque Regnicolis ad id idonei, aptique & acceptabiles videbuntur, illi rursus eligi valeant. Quicunque autem eorum, vltra ipsum triennium officiũ tale deponere voluerit, liberam deponendi habeat potestatem. Hoc declarato, quòd si medio tempore aliquis eorum, nutu Diuino, ab hac luce decesserit: extunc Regia Majestas, cum cæteris electis & iuratis, loco illius aliũ, qui videbitur, eligere valeat, nòn expectata cõgregatione generali Regnicolarum prænotata. Hoc quoque non prætermisso, quòd si quempiam præscriptorum viginti quatuor electorum, medio tempore, dum scilicet non sua series verteretur, ad Octauas vel breuia judicia, aut in Curiam Regiam aduenire contigerit, semper ad sedem iudiciariã, & consilium Regiæ Majestatis, in medium scilicet cætero-

Iura & consuetudines Regni conscribantur.

Assessorum salarium.

Electi viginti quatuor.

 cætero-

cæterorum suorum coassessorum & coniuratorum admitti, & se locare valeat. Cæteri insuper domini Prælati & Barones, aliâs in consilio Regiæ Majestatis residentes, more aliâs consueto, in consilium suæ Majestatis prænotatum, semper admittantur.

Literæ adiudicatoriæ, in sede lectæ, & per Protonotarios subscriptæ extradentur ART. XI.

CONCLVSVM est, quòd Magistri Protonotarij, vniuersas literas adiudicatorias, factum iurium possessionariorum, aliorum etiam notabilium negotiorum tangentes, post earum editionem & conscriptionem, in sedem iudiciariam importare, & ibi coram cæteris Magistris Protonotarijs & assessoribus perlegere, non intelligentibus autem, vulgari sermone interpretari debeant, ne literæ ipsæ aliter, quam sententia prolata fuisset, emanentur. Si verò in confectione ipsarum literarum adiudicatoriarum, adeò grandis labor inesset & occureret, vt infra celebrationem Octauarum, literæ illæ confici, conscribique et expediri non possent: extūc Magistri Protonotarij, expiratis eisdem Octauis, & expeditis huiusmodi literis adiudicatorijs, coram prædictis iuratis assessoribus in consilio Regis, iudicijsque continuè interesse debentibus, Magistris etiam Protonotarijs, si qui intereruut perlegere, modoque prætacto interpretari teneantur, ac si iuxta latam in ea sententiam scriptæ & emanatæ, ac per eosdem iuratos assessores admissæ & approbatæ fuerint, ibidem in præsentia eorundem juratorum assessorum Magistri Protonotarij sese subscribere, scriptaque manuum suarum, ad easdem literas apponere teneantur.

Extradata Iudicialium quomodo scribantur, & per fenestram clara & intelligibili voce publicentur. ART. XII.

Math. Sext. art. 20. Vlad. maio. art. 69.

QVONIAM per completiones terminorum, nonnulli Regnicolarum, potissimum ex negligentia & inanimaduertentia Procuratorum suorum, crebrò damnificari solent & aggrauari. Pro eo statutum est, quòd à modo inposterum, Magistri Protonotarij, tempore destributionis literarum Iudicialium, semper extradata earundem sic scribere debeant, extradata, si tertia non est, & vltra hoc, si ex processibus seriebusque hujusmodi literarum causalium, completionem terminorum emanare debere compertum fuerit: tunc ijdem Magistri Protonotarij, tales completiones, per fenestram, alta & intelligibili voce publicare & pronunciare, & si easdem nemo prohibuerit, tandem extradare teneātur. Prohibitiones verò facientes, statim respondere debebunt.

Euocationes, non secundum loci distantiam, sed ad Tricesimum secundum diem, fieri debent: partes iam non personaliter, sed per Procuratores compareant: in quinq; casibus si personaliter non adsit, Procuratorem non reuocet. ART. XIII.

Quinque casus.

ITEM articulus Octauus, de quibusdam causis, extra terminos Octauarum & breuium iudiciorum, per Regiam Majestatem discutiendis, sic limitatus & conclusus est; quòd admonitiones ipsæ, super illis quinque casibus, puta, verberatione, vulneratione, interemptione, indebita detentione, & inuasione domus seu Curiæ Nobilium, per literas Regiæ Majestatis præceptorias, iuxta contenta articuli huius, fiendæ, non iuxta loci distantiam, secundum scilicet magis & minus, sicuti consueuerunt, sed semper ad Tricesimum secundum diem diei admonitionis ex hinc fiendæ, mediantibus literis exhibitorijs, ad Capitulum vel Cōuentum sonantibus, computando, de cætero fieri debeant, à modoque inposterum, non personaliter, prout hactenus solitum erat, sed per Procuratorem suum, si voluerit, quisque compareat: nihilominus tamen, in præmissis quinque casibus, si personaliter non venerit, Procuratorem suum nunquam reuocare valeat.

Non personaliter. Reuocari Procurator in quinque casibus nequit.

Fœmina

Fœminæ euocantur, casu quo violentiæ, quarum ratione euocandæ sint, in bonis ipsas concernentibus patratæ sunt, & cum tutricum officio suorum liberorum persunguntur, aliâs non, sed pro eis mariti euocantur. ART. XIIII.

PRÆTEREA quòd vxores quorumcunque Nobilium, viuentibus earundem dominis et maritis, ratione quorumcunque actuum potentiariorum, tam præmissorum quinque casuum, quàm aliorum quorumcunque, nec in Curiam Regiam euocari, nec autem in præsentiam Regiæ Majestatis, per literas suas præceptorias admoneri possint, sed domini & mariti earundem, super vniuersis actibus potentiarijs, legitimè requirantur, nisi bona illa, & iura possessionaria, de quibus huiusmodi actus potentiarij committuntur, aut de facto commissi sunt, vxores & non maritos concernant. Nam hoc casu, tam vxores, quàm mariti talium, si etiam ignobiles & impossessionati forent, & in Curiam Regiam euocari, & in præsentiam Regiæ Majestatis semper admoneri possint. Nihilominus mulieres ipsæ, per Procuratores solito more, ipsos scilicet, si necessarium fuerit reuocando, respondere debebunt. Idem etiam est intelligendum de mulieribus viduatis, quæ defunctis ipsarum maritis & dominis, hæredes superstites habere, sed illis in tenera ætate constitutis, bona aliqua, vel iura possessionaria ipsorum hæredum possidere dignoscuntur, de quibus tandem actus potentiarij committuntur: tales quoque infra illud temporis spatium, quo hæredes superstites earundem, in adultam ætatem peruenerint, semper & admoneri, & euocari possunt, vt tamen præfertur, per Procuratores ipsarum, more aliâs consueto, respondere tenebuntur: & quòd articulus iste tantummodo de actibus potentiarijs, post editionem Decreti minoris committendis, intelligatur.

Procuratoris reuocatio, sub eodem termino, excepto vltimo die, cum sex florenis auri: post terminum, cum florenis ducentis fieri potest. ART. XV.

ITEM super articulo quinquagesimo primo maioris Decreti, super reuocatione Procuratoria, conclusum est: quòd articulus ille, solummodo de longis causis, in quibus processus iuridici subsequi solent, intelligatur, super quibus quidē causis, per omnia etiam obseruetur. In causis autem breuibus, prout in insinuationibus, & hujusmodi, in quibus videlicet processus causarum nondum interuenerunt, quilibet causantium, etiam post latam & pronuntiatam sententiam, Procuratorem suum reuocare poterit. Ita quòd ipsa die, qua sententia pronuntiabitur, absque quolibet onere causam suam inhibere, & Procuratorem reuocare: postea verò infra Octauarum celebrationem, dempta duntaxat extrema die ipsarum Octauarum, & hoc quoque si calumniosè vel fraudulenter agere prætenderet, semper cum minori onere, sex scilicet florenos auri: demum autem, Octauis eisdem expiratis cum quinquaginta Marcis grauis ponderis, ducentos florenos auri facientibus Procuratorem suum, reuocare possit. Præterea, deliberatum est, vt iudiciariæ quoque deliberationes, quæ in terminis breuium iudiciorum proximè præteritis, sub colore huius articuli, contra plerosque causantes pronuntiatæ fuerunt, viribus destitutæ habeantur: proindeque hujusmodi causantes Procuratores eorum reuocandi causamque suam prósequendi habeant potestatis, facultatem. Hoc tamen interiecto: quòd si quipiam causantium, cum, aduersa parte iam de facto concordassent, eiuscemodi concordiæ, iuxta tenorem literarum superinde emanatarum, in suis vigoribus relinquantur.

Procuratoris reuocatio, in quibus causis fieri posit.

Adde huc Tripart. part. 2. tit. 72. et 79. par. 3. tit. 3. part. 2. tit. 80. part. 3. tit. 6. Ferdinand. Poson. Ann. 50. art. 56.

Dotalitiorum & paraphernalium causæ, extra seriem cognoscuntur. ART. XVI.

ITEM quod vniuersæ causæ, in facto dotalitiorum & rerum paraphernalium, à modo deinceps quomodolibet motæ, in Octauis & breuibus iudicijs, post admonitionem & euocationem exhinc factam, primitus celebrandis & occurrentibus, extra omnem seriem & Regestum leuari, adiudicarique possint.

Cōtrados & paraphernum.

De impignoratis castris & castellis, per Sigismundum & Mathiam Reges ART. XVII.

QVONIAM autem temporibus Serenissimorum Principum, quondam dominorum SIGISMVNDI & MATHIAE, aliorumq; nonnullorum Regum Vngariæ, fœlicium recordationum, plurimi Boëmorum Polonorum, & aliarum externarum nationum, Regnum hoc per bella subintrantes plurima castra, castella, & alias municiones, aut per obsidionem, aut per viam proditionis, in manus eorum deuenisse, de quibus tandem non modica spolia fecisse, incendia etiam commisisse, & alia notabilia damna vniuerso Regno intulisse planè dignoscuntur: propter quod talia castra, castella vel municiones, præfati domini Reges, aut cæteri Regnicolarum, ne scilicet Regnum hoc per eosdem, extremum in periculum præcipitaretur, in certis pecuniarum summis, eiusmodi æmulis, pignoris vel alio quouis titulo inscribere & obligare coacti fuerunt. Quibus quidem castris & cæteris municionibus, aut per satisfactionem, aut per formam concordiæ, Regno huic per eosdem æmulos resignatis, literas hujusmodi inscriptionales, nonnulli eorum apud se reseruassent, quarum vigoribus, hæredes & posteritates ipsorum, plures Regnicolarum, in eorum iuribus in præsentiarū perturbare damnificareq; prætendunt. Propterea statutum & conclusum est: quòd vniuersæ literæ impignoratitiæ vel inscriptionales, modo & temporibus prænarratis emanatæ, aliæ quoque illis similes, quomodolibet confectæ, si per actores vel acquisitores talium bonorum, de iniusta expulsione, indebitaque ablatione eorundem bonorum, probabile documentum, euidensq; testimonium fieri & produci non poterit, viribus per omnia destitutæ habeantur.

Iuramenta in Vngaria, Croatia, Sclauonia & Transyluania, in eodem termino deponi alicui adiudicata, quomodo sint deponenda. ART. XVIII.

QVONIAM plurimi Regnicolarum, tàm in Vngariæ, quàm Croatiæ ac Sclauoniæ Regnis, partibusq; Transyluaniæ, bona & iura possessionaria possident in quibus Octauæ vno & eodem termino sæpenumero celebrari consueuerunt. Quapropter statutum est: quòd si in hujusmodi Octauis cuipiam talium Regnicolarum, aduersus causantes juramenta in vno & eodem termino, hic & illic præstanda adiudicarentur: extunc si quod illorum in termino ad id præfixo deponere non poterit, in onere & grauamine, ex hinc subsequutis non conuincatur, sed deposito vno eorundem, valeat postea in alio termino, juxta loci distantiam deponere & reliquum, & hoc eo modo, quòd postquam juramentum vnum quis deposuerit, subitò teneatur accedere iudicem suum ordinarium, qui pro depositione secundi juramenti terminum competentem, mediantibus literis exinde emanandis, (Id est, certificata.) eidem præfigat, in quo etiam termino, eiusmodi juramentum deponat, altera parte superinde prius auisata.

Repulsio quomodo fieri debeat. ART. XIX.

(Math. Sext. art. 16. Vlad. Quin. artic. 4. & Vlad Prim. art. 57. Repulsione nō curata in bonis iure obtentis se locâtis pœna. Repulsionem cum gentib. facientis pœna.)

ITEM ex quo in repulsionibus, vtrum cum gentibus, aut per solam ostensionem gladij fieri debeant, variæ contentiones & incommoditates emergere consueuerunt. Ad tollendum igitur omne dubium, & euitandum causantium periculum, sancitum est: quòd Repulsiones ipsæ, à modo de cætero, non cum gentibus & manibus violentis, sed per solam ensis vel gladij euaginati ostensionem, semel tantum, & non pluries, juxta contenta maioris Decreti, sub pœna ibidem denotata, fieri valeant. Ita videlicet, quòd si actor siue pars triumphans, contra hujusmodi formam repulsionis violenter in juribus possessionarijs reobtentis se locauerit: extunc in amissione causæ, hoc est, illorum jurium possessionariorum reobtentorum cōuincatur, & conuinci debeat eo facto. E cōuerso verò, si pars in causa succumbens & conuicta, cum gentibus, aut violenter contra partem triūphantem se opposuerit, & ipsam

& ipsam ab ingressu talium iurium possessionariorum reobtentorum repulerit, eadem pœna condemnetur. Salua insuper serie majoris Decreti superinde stabiliti remanente. Hoc adiecto, quòd pars conuicta & repulsionem faciens, à die reobtentionis huiusmodi iurium possessionariorum, nullam penitus taxam extraordinariam, super eisdem iuribus possessionarijs exigere valeat, sed iustis duntaxat prouentibus eorundem, infra finalem causæ decisionem, sit contenta, ne superinde iura ipsa possessionaria desolentur. Et quòd in literis repulsorijs, nomina vicinorum & commetaneorum, qui eiuscemodi repulsioni intererunt, à modo deinceps semper conscribantur, ne in ipsa repulsione fraus aliqua subsequatur. Repulsionē faciens, bonis super quibus eam fecit, taxam extra ordinariam non imponat. Vicinorum & commetaneorum nomina cōscribantur, in literis super Repulsione relatorijs.

De occupationibus castrorum, possessionumq; tempore Mathiæ Regis, seruetur per omnia minus Decretum. Art. XX.

Item articulus Decimus minoris Decreti, de occupationibus castrorum, castellorum, possessionum & iurium possessionariorum, sub nomine quondam domini Mathiæ Regis, &c. piæ memoriæ, aut post mortem eiusdem, quomodocunque, & per quoscunque factis, seruetur & prosequatur, modo ordineque in eodem Decreto denotatis. Math. Sext. art. 15.

Exercituandi siue militandi modus, quo ad gentes suppeditandas per Regnicolas Art. XXI. Super Vlad. Tert. ar. 16.

Item super articulo sedecimo, de equitibus armatis, per Regnicolas disponendis, sana deliberatione Regiæ Majestatis, dominorumq; Prælatorum & Baronum, cæterorumq; Regnicolarum præhabita, conclusum est & determinatum: quòd vniuersi Regnicolæ, tàm Ecclesiastici, quàm Sæculares, qui in serie ipsius minoris Decreti, inter dominos Prælatos & Barones, cæterosq; Banderiatos ad exercituandum non fuere computati, demptis duntaxat Egregijs, Ioanne Bornemisza de Berzencze Thezaurario, Petro Pogan de Cheb, Ioanne Podmaniczkij de Podmanin, Georgio Morede Chula, Marco Horwath de Kamichacz, Emerico & Martino Czobor de Czobor szent Mihal, Francisco Balassà de Gyarmath, Laurentio Bradach de Lodomercz, Francisco de Harazth, & Osualdo de Korlatkew, aulicis Regiæ Majestatis, qui de bonis & possessionibus ipsorum, gentes pro Regni defensione, per se modo infrascripto conseruare debebūt, vniuersa eorum bona, possessionesq; & iura possessionaria, in medium Nobilium non Banderiatorum, consequenterq; illorum Comitatuum, in quibus huiusmodi bona & possessiones habentur, connumerare computareque, & pecunias, in medium eorundem ad exercituandū de illis dare teneantur, nec quisquam illorum de cætero è medio eorundem, quouis quæsito colore, se abstrahere & excipere præsumat. Vniuersa etiā bona, & quælibet iura possessionaria quorumcunque dominorum Banderiatorum, apud manus Nobilium Banderia non habentium, titulo pignoris existentia & habita, inter bona eorundem Nobilium, ad sortem conseruationis gentium, modo prædeclarato computentur. Si qui autem Regnicolarum reluctantes, in contrarium præmissorum quicquam facere attentauerint: extunc per Comitem vel Vicecomitem parochialem illius Comitatus, vbi huiusmodi contrarium committeretur, tales reluctantes, per omnia opportuna remedia, & præsertim Birsagiatione bonorum & iurium possessionariorum eorundem, ad præsentem constitutionem obseruandam arctius compellantur. Casu autem quo Comes ipse, ad hoc ipsum exequendum negligens foret, vel forte contrarium ejuscemodi per semetipsum inferri dignosceretur: tunc per vniuersitatem & gentes Nobilium ejusdem Comitatus, idem Comes puniatur. Si verò tales reluctantes vel de facto damnificati, aliquem superinde in causam conuenirent: extunc contra in causam attractum, in facto calumniæ conuincantur. Hoc non prætermisso: quòd aulici Regiæ Majestatis, modo prætacto nominatim exempti, gentes eorū sic cōseruabunt, vt dum & quādocūque, Comes birsagij exactione ad obseruationē iurium cogit.

bona

bona & possessiones cæterorum Regnicolarum, pro ipsarum gentium conseruatione dicabuntur: extunc etiam bona & possessiones hujusmodi exceptorum, per dicatores Nobilium Comitatuum dicentur, & pecuniæ dicatæ exigantur, exactæque tandem manibus illorum tradantur, ne coloni Regnicolarum ad bona illorum, ratione non exactionis pecuniarum moraturi confluant: maximè autem, vt numerus gentium subticeri, cælarique & diminui non possit. Qui quidem exempti, gentes eorum, dum in seruitijs & legationibus Regiæ Majestatis, extra hoc Regnum præoccupati non fuerint, semper circa gentes Nobilium & Comitatuum dare, & cum eisdem, quo necessarium erit, mittere teneantur. Dum autem Regia Majestas in persona propria se mouebit: extunc non cum gentibus Nobilium, sed cum sua Majestate, gentes ipsas dare mittereque debebunt. Hoc etiam declarato: quòd postquam tales exempti, seruitio Regiæ Majestatis renuntiauerint, & in Curia suæ Majestatis versari neglexerint, vel fortè post decessum eorum, hæredes & posteritates talium, ad ipsarum gentium conseruationem ineptæ & inhabiles videbuntur, exemptio prænotata illis suffragari minimè possit. Et quòd Coci Regiæ Majestatis, in possessionibus Zakachy & Wyd vocatis, cõmorantes, modo simili exempti sint: nemoque Nobilium ad bona & Iura possessionaria ipsorum Cocorum, aliquos Iobagiones, de cætero transmittere debebit, neque ipsi Coci cæteris Nobilibus per contrarium, aliquos ex eorum Iobagionibus per amplius transmittere tenebuntur.

Coci Regis.

Gentes conseruent domini Prælati, secundum Regestum Sigismundi Imperatoris, aliæ personæ Ecclesiasticæ secundum Decretum Vladislai minus. ART. XXII.

Regestum Sigismundi Imperato.

QVOD conseruatio gentium, per dominos Prælatos & viros Ecclesiasticos Banderiatos, pro Regni defensione fienda obseruetur secundum Regestum quondam domini Sigismundi Imperatoris & Regis, in domo Thauernicali Regiæ Majestatis repositum. De cæteris verò personis Ecclesiastcis non Banderiatis, decimas tamen habentibus, quantũ ad gentium conseruationem, seruetur ordo & continentia Decreti minoris, articulus videlicet decimus quintus, superinde conscriptus.

Vladis. ann. 1498. art. 15.

Coronæ conseruatio duobus dominis sæcularibus committenda. ART. XXIII.

AD conseruationem Sacræ Coronæ Regni, dum necessarium opportunumque fuerit, semper de dominis sæcularibus duo fideles, & non plures, per Regiam Majestatem, ac vniuersos dominos Prælatos & Barones, cæterosque Regnicolas eligantur.

Ciuitatibus liberis libertates & consueta loca depositionum, seruentur. ART. XXIIII.

Vlad. maio. art. 103. & Vlad. Tert. art. 33.

ITEM quòd Ciuitates liberæ Regiæ Majestatis, in earum justis iuribus, approbatisque consuetudinibus, prout sua Majestas vniuersa earum priuilegia iam de facto confirmauit, de cætero semper conseruentur. Loca etiam depositionum, pro rebus venalibus permutari solitis, hactenus consueta, iuxta morem & consuetudinem earum hucusque semper obseruatam, fiant & permaneant, ne Regno huic damna superinde quoquo mogo sequantur.

Depositionum loca.

Equi, nec in magno, nec in paruo numero educantur. ART. XXV.

E. Vlad. an. 1498. art. 31, & 32.

ITEM quòd equi de hoc Regno, gregatim, aut seorsum de cætero non educantur, prout etiam in minori Decreto exinde mentio conclusioque habetur.

Tricesimatorum, in locis non consuetis Tricesimas exigentium, pœna. ART. XXVI.

ITEM circa articulum Vigesimum nonum, super exactione Tricesimarum, est additum: quòd si Tricesimatores à modo in posterum, Tricesimas aliquas, in locis ad Tricesimarum exactionem in Decreto minori non specificatis, exigere & extor-

extorquere quoquo modo attentauerint: ſi quid impedimenti tales Triceſimatores, in rebus, vel perſonis eorum per quempiam incurrerint, vigore præſentis ſtatuti, per omnia ſufferre tolerareque debebūt. Vias nihilominus falſas Triceſimatores, more ſolito, pro locis antiquis Triceſimarum in Decreto ſpecificatis, ſtare cuſtodireque poſſunt. Vias falſas Triceſimatores cuſtodiant.

Nona frugum & vini, ab omnibus colonis exigatur. ART. XXVII.

ARTICVLVS Quadrageſimus primus minoris Decreti, ſuper ſolutionibus nonarum ciuitatum, modo & ordine in eodem Decreto expreſſatis, per omnia ſemper obſeruetur. Circa quem articulum additum eſt & concluſum: quòd à modo impoſterum, ſucceſſiuis ſemper temporibus, tàm Regia Majeſtas, quàm domini Prælati & Barones, Nobileſque & Proceres Regni vniuerſi, in toto Regno Vngariæ, & partibus ſibi ſubiectis, ab vniuerſis & ſingulis eorum Iobagionibus araturas facientibus, & vineas habentibus, non Akones, prout in certis locis ſolebant, ſed nonam partem omnium frugum, cæterarumque ſegetum decimari ſolitarum, & vinorum ipſorum, modo & ordine in minori Decreto, articulo quadrageſimo ſeptimo denotatis, exigant & exigi faciant, ſub pœna ibidem ſpecificata. Supr. Vlad. Tert. ar. 41.

A Comitatibus villæ abſtractæ, ad eoſdem Comitatus redeant. ART. XXVIII.

CIRCA articulum Quadrageſimum quartum, de Comite Temeſienſi, additum eſt & ſancitum: quòd vniuerſæ ciuitates, oppida, poſſeſſiones, & quælibet iura poſſeſſionaria, quorumcunque dominorum, Prælatorum & Baronum, cæterorumque Regni Nobilium, quæ aliâs de modo aliquorum Comitatuum, aut per literas exemptionales Sereniſsimorum Principum Regum Vngariæ, aut alio quouis quæſito colore, ad alios Comitatus, ad hæc vſque tempora, quomodolibet translatæ & deductæ, rurſus & iterum in mediū illorum Comitatuum, de quorum † membris abſtractæ fuiſſent & translatæ, reducātur & modis omnibus remittantur. Demptis tamen illis bonis & iuribus poſſeſſionarijs translatis, ſuper quibus literæ vel priuilegia, factum eorundem iurium poſſeſſionariorum translatorum tangentium & concernentiū, nomine & titulo illius Comitatus, in quo eadem jura poſſeſſionaria in præſentiarum habentur, confectæ ſunt & emanatæ: quas & quæ ſi qui Regnicolarum habent, vigeſimo die feſti Beati Iacobi Apoſtoli proximè venturo, in termino ſcilicet celebrationis breuium iudiciorum, coram Regia Majeſtate, cæteriſque juratis electis in conſilio ſuæ Majeſtatis iudicijſque intereſſe debentibus, producere teneantur: alioquin eædem quoque literæ & priuilegia, inanes & vigore deſtituta relinquantur. † Al corpore.

Nonæ dominorum terreſtrium, ante actionem decimarum exigantur. ART. XXIX.

ARTICVLVS Quadrageſimus nonus, de decimis, prout in Decreto minori poſitus eſt, obſeruandus relinquitur. Sed quia ſuper connumeratione & ſolutione earundem decimarum, plurimæ differentiæ, inter Spirituales et ſæculares perſonas hactenus habitæ fuerunt. Propterea vniuerſis differētijs, partes inter eaſdem ſedatis, exinde concluſum eſt: quòd à modo in futurum, ſucceſſiuis temporibus, decimæ dominorum Prælatorum & perſonarum Eccleſiaſticarum, hoc modo ſoluantur. Primum domini terreſtres, tàm de ſegetibus decimari ſolitis, quàm etiam de vinis, nonas eorum ſolitas exigant, & quicquid à nonis reſiduum fuerit, de eo ſolummodo, domini Prælati & Eccleſiaſticæ perſonæ decimas colligant: & quòd decimæ vinorum, non circa feſtum Beati Martini Epiſcopi & Confeſſoris, prout hactenus pleriſque in locis fieri ſolebat, ſed tempore vindemiæ colligantur, modo & ordine, in decimationibus ſegetum, iuxta contenta eiuſdem minoris Decreti, fieri ſolitis, per omnia ſemper obſeruatis. Hoc quoque adiuncto: quòd illi, qui Nobiles vnius ſeſſionis &

li, qui hactenus à solutionibus decimarum semper exempti fuerunt, prout sunt Nobiles vnius sessionis in eorum terris proprijs, & prædiales Ecclesiarum, saluis tamen iuribus ipsarum Ecclesiarum. Rutheni quoque Regiæ Majestatis, in Nagy Orozfalu residentes, etiam de cætero, ad solutionem decimarum non compellantur. Hoc tamen declarato: quòd si ipsi Rutheni Regiæ Majestatis, aliqua prædia, aut pecuniaria emptione, aut alia quouis quæsito colore, pro se vsurpassent, de quibus videlicet prius decimæ solutæ fuissent, ipsi quoque de illis decimas soluere teneantur.

prædiales decimam nō soluunt. Rutheni Regis. Rutheni de terris emptis decimā soluere tenentur.

Per decimatores, vltra debitam decimam, à colonis pullus non exigatur. ART. XXX.

CIRCA articulum Quinquagesimum quartum, de decimis agnellorum, additum est: quod illa abusio, quæ in plerisque Comitatibus Regni, contra formam hujus articuli fieri consueuit, vt scilicet vltra ipsam iustam decimam, de singulis sessionibus & portis, decimatores singuli vnum pullum exigant, perpetuò aboleatur.

Georgius electus Vesprimiensis, Secretarius Regis, duas dignitates tenere potest. ART. XXXI.

ARTICVLVS Quinquagesimus sextus minoris Decreti, de viris Ecclesiasticis, qui duo beneficia tenere non possunt, modo & ordine in eodem Decreto specificatis, semper obseruetur, & Regia Majestas eum obseruari faciat. Quia tamen Reuerendissimus dominus Georgius, electus Ecclesiæ Vesprimiensis, & Secretarius Regiæ Majestatis, vniuerso Regno, à pluribus iam annis benè meritus esse constat, sine intermissione etiam, in Curia & seruitijs Regiæ Majestatis versatur & occupatur. In primis igitur eiusdem Regiæ Majestatis, demumque dominorum Prælatorum & Baronum, cæterorum etiam omnium Regnicolarum sano ad id accedente consilio, conclusum est: quòd idem dominus Georgius, pro tot tantisque fidelium suorum seruitiorum dignis meritis, Præposituram Ecclesiæ Sanctæ Trinitatis de superioribus calidis aquis Budensibus, vltra Episcopatum Vesprimiensem prænotatum, simul cum gentium conseruatione, de bonis & juribus possessionarijs eiusdem Præpositurae pro Regni defensione fienda, tenere, gubernareque & vti, vita sua durante, valeat atque possit.

Abbatiæ & Præposituræ Regulares, sæcularibus non conferantur. ART. XXXII.

Vlad. Decr. Ter. art. 58.

ITEM circa articulum Quinquagesimum octauum, de Clericis, Præposituras & Abbatias Regulares tenentibus, additum est: quòd Regia Majestas huiusmodi Præposituras & Abbatias, quibuslibet Clericis in habitu sæculari, contra formam huiusmodi constitutionis tenentibus, absque quauis dilatione auferre, & fratribus Regularibus illius ordinis professis, conferre dignetur.

Ciues ciuitatum liberarum, in causis prophanis, ad Ecclesiasticum Iudicem non citentur. ART. XXXIII.

Math. Ann. 1462. ar. 3. Vlad. verò Ter. art. 61.

ARTICVLVS Sexagesimus primus, quòd in causis prophanis nullus citetur ad judicium Spirituale, suo modo semper obseruetur. Hic insuper articulus intelligatur etiam de ciuibus Ciuitatum liberarum Regiæ Majestatis, vt ipsi quoque, in vniuersis causis inter, sese motis & vertentibus, & non Spirituale forum, sed sæculare iudicium concernentibus, non in alicujus Prælati seu Vicarij, sed in eorum iudicis duntaxat præsentiam citari possint.

Fiscales Ecclesiarum cessare debere. ART. XXXIIII.

ITEM quòd fiscales Ecclesiarum cessent, & in perpetuum aboleantur. In causis autem, quæ forum Ecclesiasticum, & quæ sæculare iudicium concernunt, iuxta formam huius Decreti minoris, quisque causantium procedat.

Vicari

Vicarij Vngari sint, & Procuratores cum Vicarijs in iudicio non sedeant.
ART. XXXV.

ARTICULUS Sexagesimus primus, quòd nemo compellatur per Iudices Spirituales ad respondendum coram se in causis prophanis, prout in Decreto minori positus est, obseruetur. Circa quem additum est: quòd Vicarij dominorum Prælatorum & aliarum personarum Ecclesiasticarum, non forenses & alienigenæ, sed Vngaricæ solummodo nationis existant, ne propter non intelligentiam idiomatum & sermonum Vicariorum, ipsi causantes, tàm interpretibus, quàm etiam Procuratoribus eorum superfluas solutiones facere; potissimum verò, ne in responsionibus eorum, medio interpretũ fiendis, deuiare, causam quoque ipsam amittere cogantur. Et quòd in foro Spirituali Procuratores in sede iudicaria Vicariorum, tempore discussionis quarumcunque causarum, in quibus ipsi agunt, vna cum Vicario, sicuti hactenus consueuerunt, pariter sedere non audeant, sed de sede, consequenterque domo iudicaria, protunc exire teneantur.

Procuratores tempore discusionis causarũ, cum Iudicibus nõ sedeant.

Plebani in rebus sæcularibus dominorum Prælatorum non occupentur. ART. XXXVI.

ITEM quoniam nonnulli dominorum Prælatorum & virorum Ecclesiasticorum, plebanos Ecclesiarum barochialium, Diocæsibus eorundem subiectorum, ad decimandum sæpenumero mittere solent: illis autem plebanis in decimatione vacantibus & occupatis, plures Christicolarum & parochianorum, absque salutari confessione, & Sacramenti Eucharistiæ sumptione decedere, infantesque sine Baptismo extingui consueuerunt. Quapropter ordinatum est, vt à modo imposterum, nemo eorundem plebanorum, in factis decimarum, vel arduis cæteris quoq; rebus, per dominos Prælatos & viros Ecclesiasticos, occupari compellantur.

Literæ Iaurensis, & Abbtiæ Sancti Martini Ecclesiarum super pecunijs sigillaribus, in iudicio producantur, & secundum eas quod iustum videbitur, decernatur. ART. XXXVII.

SUPER articulo Sexagesimo quarto, de pecunijs sigillaribus Ecclesiæ Iauriensis, & Abbatiæ Sancti Martini sacri montis Pannoniæ, deliberatum est: quòd literæ ipsæ, quarum vigoribus, ejuscemodi pecuniæ sigillares exigi consueuerunt, in Octauis primitus celebrandis, in sede judiciaria Regiæ Majestatis producantur ex quarum tenore, quod iustius videbitur decernatur: alioquin, si literæ ipsæ in eisdem Octauis exhibitæ non fuerint, viribus per omnia destitutæ relinquantur, pecuniæque ipsæ postea nunquam exigantur.

Cathedratica ab Ecclesijs penitus desolatis non exigantur, & quarum prouentus diminuti sunt, etiam Cathedratica diminuantur. ART. XXXVIII.

CATHEDRATICA in possessionibus & Ecclesijs penitus & per omnia desolatis, non exigantur: in illis autem possessionibus & Ecclesijs, quæ aut ignis voragine combustæ, aut pestilentiæ morbo percussæ, adeò desolatæ dignoscuntur, vt vix aliqui colonorum easdem inhibitarent, qui etiam plebanum parochialem, vix, aut nunquam habere possunt, solutio hujusmodi Cathedraticorum, per homines dominorum Prælatorum & virorum Ecclesiasticorum, quorum de ipso Cathedratico interest prouidere, per Vicecomites & Iudices Nobilium illorum Comitatuum, vbi ipsæ possessiones & Ecclesiæ existunt deputatos, iustè rectèque moderentur: ita videlicet, vt vbi possessio & Ecclesia in prouentu multum decreuit, iuxta conscientiosam limitationem eorundem, decrescat etiam solutio Cathedraticorum: sic tamen, vt postquam possessiones & Ecclesiæ tales restauratæ fuerint, Cathedratica consueta soluere teneantur.

Et Vlad. Ter. art. 53. Cathedraticum.

Taxa literarum, fiat secundum Decretum Sigismundi Imperatoris. ART. XXXIX.

QUOD redemptiones literarum adiudicatoriarum, donationaliumq; & confirmationalium, fiant iuxta contenta Decreti quondam domini Sigismundi Imperatoris & Regis.

Sigis. Sext. ar. 10. et 11.

De Telonijs, & eorum sublatione vel moderatione. ART. XL.

Math. Sext. art. 35. & 36. Minor. Decr. Vlad. art. 74.

De tributis siccis & aridis, ac super aquis ab infra & supra euntibus, exigi solitis, conclusum est: quòd juxta, contenta minoris Decreti, de singulis Comitatibus Regni, Telonia hujusmodi, per electos & juratos, in eisdem Comitatibus ad id deputandis revideantur; reportatio tamen executionis & revisionis ipsorum tributorum, non ad Conventionem generalem Regnicolarum, deinceps celebrandam, sed ad festum Beati Michaëlis Archangeli proximè venturum, fieri debet, hoc modo: quòd universi domini Prælati & Barones, cæteræque personæ, tàm Ecclesiasticæ, quàm sæculares, hujusmodi tributa habentes, omnia eorum jura super eisdem tributis habita, in sede judiciaria illorum Comitatuum, in quibus illæ Telonia sita sunt, coram prædictis electis & juratis, qui ad tributorum revisionem deputabuntur, exhibeant, & ibi revideantur, qualiter Telonia ipsa quisque possideat, aut quantum de uno quoque curru, cæteris etiam rebus itinerantium exigat. Idem etiam est faciendum de Telonijs, pontes vel repleturas habentibus, ut scilicet de quantitate pontis vel repleturæ, ac simul solutionis tributi, ijdem electi & jurati conscientiosè per omnia experiantur. Quibus sic habitis, totam seriem revisiones, exequutionis, qualitatisque & quantitatis prædictorum, ipsi ijdem electi & jurati, per literas eorum, sub sigillisque ipsorum, ac Viceeomitum & Iudicum Nobilium illorum Comitatuum, ubi scilicet exequutiones ipsæ fuerint, absque tamen verbalibus tenoribus literarum, coram eisdem superinde productarum, ad festum Beati Michaëlis Archangeli prænotatum, Regiæ Majestati, ceterisque juratis & electis, in consilio suæ Majestatis judicijsque interesse debentibus, conscientiosè, qualis scilicet eisdem superinde constiterit certitudo veritatis, conscribere, transmittereque teneantur. Quibus postea per Regiam Majestatem, ac prænotatos juratos electos, per omnia revisis & intellectis, limitabitur & concludetur, quæ illorum tributorum distrahi & aboleri, quæ de cætero semper exigi valeant. Superfluam præterea exactionem quorumcunque tributorum, si quæ videbuntur, Regia Majestas, una cum eisdem juratis suis Consiliarijs, rectè per omnia moderabitur.

A Teloniorum solutione exemptionem prætendentes, privilegia producant: quorum data cum donationibus dominorum Telonij conferantur, & antiquiores observentur.

ART. XLI.

Civitates liberæ, non tenentur super exemptione earum à Telonijs solvendis, tanquam notoria, literas producere.

Præterea universæ civitates, oppida & possessiones quorumcunque dominorum Prælatorum, Baronum, cæterorumque Regnicolarum, quæ super tributaria solutione sese exempta, privilegiaque & jura superinde habere allegant, demptis duntaxat octo civitatibus liberis Regiæ Majestatis, scilicet, Budensi, Cassoviensi, Posoniensi, Tirnaviensi, Sopronïensi, Barthfa, Eperies & Pesthiensi, quæ per notoriam eorum libertatem, ab omni & quovis Teloniarij tributi solutione exemptæ existunt, tempore exequutionis & revisionis præscriptorum tributorum, universa earum jura, super hujusmodi libertate vel exemptione habita, coram præscriptis electis & juratis, & revisionem Teloniorum, modo prætacto, deputandis, producant: quorum etiam seriem ijdem electi, Majestati Regiæ & dictis juratis suis Consiliarijs, mittere tenebuntur, ut tamen præfertur, absque tenore ipsarum. Et si jura illa sive libertates valebunt, observentur: sin minus, per Regiam Majestatem & eosdem juratos invalidentur. Et hoc eo modo, quòd si literæ factum tributorum tangentes, secundum data earum, literis exemptionalibus priores repertæ fuerint, tales exemptiones nullius sint firmitatis: è converso, si literæ exemptionales, similiter data earum, literis factum Teloniorum concernentibus, priores extiterint, tales semper observentur. De civitatibus etiam Montanarum Regiæ Majestatis, idem est intelligendum, ut ipsi quoque jura eorum, super tributaria exemptione, si quæ habent, modo prænarrato exhibeant: interim autem observetur consuetudo, in eorum libertatibus hactenus observata.

Nobiles

Nobiles obscuriores, literis Vicecomitum à Telonij solutione se tueantur.

ART XLII.

ITEM quòd vniuersi Nobiles, de quorum Nobilitate Tributarijs non constaret euidenter, à Vicecomitibus & Iudicibus Nobilium illorum Comitatuum, in quibus resident, literas super eorum vera Nobilitate impetrent. Et dum per Tributarios, contra formam illarum literarum, tales Nobiles, ratione quæstuum rerum suarum, seu cæterorum quorumcunque negotiorum præpediti, vel ab eisdem fuerint exacta tributa: extunc dominus tributi illius, ad requisitionem talis Nobilis, Tributarium, qui hoc ipsum attentauit, manibus Comitis vel Vicecomitis captum tradat & assignet, de illatis damnis satisfacturum. Si autem dominus ipse tributi hoc facere nollet, aut non posset quouis modo: extunc idem dominus in Centum florenis auri, partim iudici, & partim Nobili læso persoluendis, ordine iuris obseruato, semper conuincatur & conuinci debeat eo facto. Comes.

Decreta diuturna sint, & ab omnibus obseruentur. ART. XLIII.

ITEM quòd cæteri & reliqui omnes articuli, in minori Decreto specificati, modo & ordine in eisdem expressatis, per omnia semper obseruentur.

NOS igitur præscriptos articulos, de verbo ad verbum, sine variatione & immutatione aliquali, præsentibus insertos, quia perfectionem & completionẽ præmissorum aliarum constitutionum & Decretorum nostrorum tangere dignoscebantur, acceptauimus, approbauimus & ratificauimus: nosque eosdem, & omnia in eis specificata, inuiolabiliter obseruare, ac cum alijs obseruari facere promittimus & obligamus, præsentis scripti nostri patrocinio mediante. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam, præsentes literas nostras priuilegiales, appensione secreti sigilli nostri, quo vt Rex Vngariæ vtimur, communitas, dandas duximus & concedendas. Datum in campo Rakos prænarrato, quindecimo die diei congregationis nostræ generalis prænotatæ, Anno Domini, Millesimo, Quingentesimo: Regnorum nostrorum Vngariæ, anno decimo: Boëmiæ verò Tricesimo. Reuerendissimis, & Venerabilibus in Christo patribus, Thoma Strigoniensis, Legato nato, summo & Secretario Cancellario nostro, & Petro Colocensis, Ecclesiarum Archiepiscopis: Illustrissimo, Reuerendissimoque Ipolito Esthensi de Aragonia, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diacono Cardinali, Agriensis, Luca Zagrabiensis, Ladislao Gereb, Albensis Transyluaniæ, Dominico Varadiensis, Sigismundo Quinqueecclesiensis, Georgio electo Vesprimiensis, Francisco Iauriensis, Nicolao de Bathor Vaciensis, altero Nicolao de Chak, electo Chanadiensis, Anthonio Nitriensis, Nicolao de Bochka electo Sirmiensis, Gabriele Bosznensis, & Briccio Tininiensis, Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias DEI fœliciter gubernantibus. ITEM Spectabilibus & Magnificis, Petro Gereb, de Vingarth, prædicti Regni nostri Vngariæ Palatino, & Iudice Comanorum, honore Iudicatus Curiæ nostræ vacante, Petro Comite de Bozyn, & de Sancto Georgio, Waiuoda nostro Transyluano, & Comite Siculorum, Ioanne Coruino, Oppauiæ & Lipthouiæ Duce, nec non Regnorum nostrorum Dalmatiæ, Croatiæ & Sclauoniæ Bano, Petro Tharnok, de Machkas, & Iacobo de Gerlistyæ, Zewrenien. Banis Iosa de Som Comite Themesiensis, & generali Capitaneo partium Regni nostri inferiorũ, Blasio de Raska Thauernicorum, Nicolao Banffi de Lyndwa, Ianitorum, Emerico de Peren, Dapiferorum, Stephano de Kanisa Pincernarum, & Ioanne Ernust de Chaktornya, Agazonum nostrorum Regalium Magistris, Petro Pogan de Cheb, Comite Posoniensi, alijsque quam pluribus Comitatus Regni nostri officia tenentibus & honores.

VLADISLAI REGIS VNGARIÆ DECRETVM QVINTVM, ANNO DOMINI M. D. IIII. EDITVM.

NOS VLADISLAVS DEI gratia, Vngariæ, Boëmiæ Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Seruiæ, Gallicíæ, Nodomeriæ, & Comaniæ Bulgariæque Rex, nec non Silesiæ & Lucemburgensis Dux, Marchioq; Morauiæ & Lusaciæ: Memoriæ commendantes tenore præsentium, significamus quibus expedit vniuersis: quòd cum nos post assumptionem ad hujus Regni, & Regiæ dignitatis culmen fœlicemque Coronationem nostram, Diuina benignitate & dispositione factam inclytum hoc Regnum nostrum Vngariæ, domi forisque, ab omni hostilitate, tutum tranquillumque reddidissemus, ac tandem ad humilimam fidelium nostrorum dominorum Prælatorum & Baronum, cæterorumque Regnicolarum supplicationem, varijs, vicibus, varias etiam constitutiones & statuta, pro fœlici statu & quiete, ac libertate ejusdem Regni nostri, pro temporum necessitate, & rerum condititione, vna cum eisdem edidissemus. Quia nonnulli articuli ad completionem & perfectionem præmissarum aliarum constitutionum nostrarum, summè necessarij, propter temporis breuitatem, & negotiorum pluralitatem, hactenus finiri terminarique nequierant. Ad eorundem igitur explanationem, cæterorum etiam dicti Regni nostri Vngariæ negotiorum expeditionem, dum Dietam seu Conuentionem generalem, vniuersis dominis Prælatis & Baronibus, cæterisque Regnicolis nostris, pro hoc festo Beati Georgij Martiris proximè transacto, ad campum Rakos, vigore generalis Decreti nostri, indixissemus, & ad eandem omnes conuenissent, atque pro fœlici statu dicti Regni nostri, plurima ibidem nobiscum vna tractassent, ijdem domini Barones, Proceres & Nobiles, cæterique Regnicolæ nostri inter cæteros eorum tractatus & conclusiones, quosdam articulos de nouo formatos & conceptos, Majestati nostræ obtulerunt: Supplicantes humiliter, vt eosdem articulos, ratos, gratos & acceptos habere, ac pro communi bono & tranquillitate ipsius Regni nostri, Regia nostra authoritate approbare, ratificare & confirmare, confirmatosque obseruare & obseruari facere dignaremur. Quorum quidem articulorum series sequitur hoc modo.

Subsidium seu contributio Regi, à singulis dominis & Comitatibus non offeratur, domi aut priuatim, sed in Dieta aut congregatione generali, communi omnium consensu: & pœna eorum qui secus fecerint.

ART. I.

Zilagi ar. 13. Vlad. Secū. art. 25. & 26. E. Tert. art. 1. de Dietis.

QVONIAM sæpenumero fieri solet, quòd Regnicolæ de Dietis & Conuentionibus eorum generalibus, confuso fine discedunt, qui postquam ad propria remeant, & à sese separantur, alter alterius intentionem & propositum non perpendentes, pleri[que] dominorum & Comitatuum, proprio motu, aut aliorum suggestu, interdum etiam priuato pro lucro, contributionem aliquam seu subsidium Regiæ Majestati eorum demedio offerunt. Quo considerato, cæteri Comitatus in se diuisi, hujusmodi oblationi alij consentiunt, alij verò contradicunt, & sic seditione tumultuque, ac dissensione inter eos suborta, vnus in alium diffamatoriè, tanquam libertatis Regni turbatorem inuehitur: quo fit, vt pax & concordia, amorisque dilectio, inter eos nusquam habeatur: Regia Majestas etiam tam multoties in eorum medium mittere solet, vt sæpe lucrum seu fructum, quem exinde speraret, solis in expensis nuntij vel dicatoris consumat. Præterea, bona & jura possessionaria illorum, qui Regiæ Majestati ita faciendum consulunt, semper relaxantur, sicque non commodum & fructus Majestati suæ, sed expensarum duntaxat superflua positio, & Regnicolis aperta manifestaque seditio exinde reportatur. Ad extinguendum igitur & euellendum hujusmodi periculum, conclusum imprimis est:

Pax, cōcordia, & mutua dilectio, etiam num desideratur.

mis est: quòd si temporum in processu, adeò grauis necessitas & periculum Regno huic immineret, vt secus fieri non posset, nisi Dieta generalis per Regiam Majestatem ad campum Rakos, locum scilicet consuetum, indiceretur: extunc si quid subsidij seu contributionis, ad euitandum & propellendum huiusmodi Regni periculum, Regiæ Majestati illic offerretur aut præstaretur, communi omnium dominorum Prælatorum, Baronum, ac cæterorum Regni Nobilium consensu, offeratur & præstetur: nemoque postea se à solutione hujusmodi subsidij vel contributionis, retrahere & præcauere possit. Si quipiam verò Comitatuum, motu proprio, & non de consensu & voluntate totius Regni, extra scilicet Conuentiones Regnicolarum generales, contributionem aliquam, seu quodcunque subsidium, præter solitum lucrum Cameræ, contra videlicet antiquam Regni libertatem, Regiæ Majestati quouis modo & quouis colore exquisito offerrent aut præstarent: extunc vniuersitas Nobilium huiusmodi Comitatus, vniuersaliter, in pœna fidefragij seu periurij, amissioneque honoris & humanitatis, conuicta & condemnata, & à consortio cæterorum Nobilium Regni relegata & segregata habeatur eo facto. Qui quidem Nobiles sic condemnati, in Conuentionibus Regnicolarum generalibus postea celebrandis, per vniuersitatem Regnicolarum, iuxta eorum voluntatem, tanquam periuri, honoreque & humanitate priuati, ac à consortio ipsorum segregati, tàm in rebus & bonis, quàm personis eorum puniri, castigarique & damnari valeant atque possint. Nisi forsitan aliqui ex Nobilibus talis Comitatus condemnati, sese innocentes & immunes, facto aut negotio in huiusmodi extitisse esseque, testimonio credibili & documento euidenti, ibidem comprobare & expurgare possint.

Rakos. Subsidium ad auertenda & propellanda Regni pericula offertur. Subsidium vel dicam, extra Dietā Regi offerētium pœna. Lucrum Cameræ. Periurium.

Comitum iurare nolentium pœna: & quòd Vicecomites, per supremos Comites eligantur, non tamen absque consensu Comitatus. ART. II.

ITEM quod honores Comitatuum, iuxta contenta Decreti minoris fiant, hoc addito: quòd quilibet Comes principalis, iuramentum, iuxta formam Decreti coram Regia Majestate & assessoribus sedis iudiciariæ eiusdem, qui tum aderunt, præstare teneatur. Si quispiam verò illorum, iuramentum huiusmodi præstare quouis modo recusauerit, talis honore ipso destituatur. Et quòd Vicecomitē quemlibet Comes Porachialis, de numero & cætu verorum Nobilium ipsius Comitatus cuius honore fungitur, eligat: quem tamen absque cousensu & voluntate Nobilium illius Comitatus eligere nusquam valeat, neque possit. Hoc quoq; declarato: quòd nemo exterarum nationum, & aliorum quorumcunq;, extra hoc Regnum agentium seu residentium, honores Comitatuum de cætero tenere & gubernare possit. Ab eisdem autem qui haberent, Regia Majestas auferendi, & cui maluerit conferendi habeat, vigore præsentis constitutionis, facultatem.

Math. Sext. art. 60. Comes esse non potest externus, aut extra Regnum residens.

Comitatuum honores in perpetuum non conferantur. ART. III.

PRÆTEREA, à modo deinceps, honores Comitatuum, nemini in perpetuum conferat. A dominis verò Prælatis, qui in exhibitione literarum à sanctis Regibus super collatione Comitatuum emanatarum, iuxta contenta minoris Decreti iam defecerunt, honores ipsorum Comitatuum auferat. Et si Comites vel Vicecomites, contra formam præsentis articuli constituti, aliquam deliberationē vel processum iuridicum facerent, nullius sit vigoris atque firmitatis.

And. 1222. art. 14. Vlad. Tert. arti. 57.

Repulsionis secundæ pœna est nota infidelitatis. ART. IIII.

IN quocunq; negotio, & qualibet iudiciaria deliberatione, Repulsio, iuxta contenta Decreti, semel fieri possit. Secundariò autem quicunq; repulsionē fecerit, in nota perpetuæ infidelitatis conuincatur, directæq; & æquales duæ partes cunctorum bonorum & iurium possessionariorum talis conuicti, Regiæ Majestati, & tertia pars

Math. Sext. arti. 16.

Nota infidelitatis bona cōdemnati, bifariam diuiduntur.

cia pars Actori, vigore hujusmodi notæ infidelitatis, simul cum sua proprietate, in perpetuam hæreditatem cedant. Regiaq; Majestas quoad portionem Actoris, talibus condemnatis, non aliter, nisi habita cum aduersa parte superinde concordia gratiam facere possit.

Math. Sext art. 14.

Communis inquisitionis, & oculatæ reuisionis turbatores, pœna maioris potentiæ conuincantur. ART. V.

Oculata reuisio.

TVRBATORES communis inquisitionis, & oculatæ reuisionis, in facto maioris potentiæ de cætero semper cunuincantur: ita tamen, si hostiliter vel aliquo euidenti alio modo turbarent, vt communis inquisitio, seu oculata ipsa reuisio celebrari non possit.

Vide de occupationibus recētia iura Ferdin. Nouizol. Ann. 1542. art. 1. 2. 9. & 14. Poson. 42. artic. 1. Nouizol. Ann. 43. ar. 1. 2. 3. 4. Tirnauien, Ann. 45. ar. 2. Posō. 54. ar. 15. Posō. 63. ar. 43. Posō. 59. ar. 43. Poson. 63. art. 44. Tripart. Parte Tert. tit. 7. & 26.

Occupationes nouæ, in breuibus iudicijs, extra omnem seriem adiudicentur. ART. VI.

NOVÆ occupationes bonorum, & quorumcunq; jurium possessionariorum post obitum Serenissimi Principis quondam domini MATHIÆ Regis, fælicis memoriæ, ad hæc vsque tempora qualitercunq;, & per quoscunq;, ac negotio in quocunq; factæ vel fiendæ, facta superinde legitima euocatione, in terminis breuiū iudiciorum, extra omnem seriem Regesti, semper leuari, adiudicari, terminariq; possint. Et quòd literæ super eisdem occupationibus, instar aliorum actuum potentiariorum, sub sigillis omnium Iudicum ordinariorum Regni, emanentur.

Pignoratum Ius in sede Comitatus, vsq; ad Centum florenos potest adiudicari, sine mulctis. ART. VII.

VNIVERSÆ causæ, in facto iurium possessionariorum impignoratorum deinceps mouendæ, etiam in sede Iudiciaria quorumcunq; Comitatuum, vsque ad numerum Centum florenorum, sed non vltra, liberè adiudicari possint: Sine tamen pœnis, & grauaminibus in Decreto superinde specificatis, quæ in Curia solummodo Regia imponi & adiudicari valebunt. Hoc quoque adiecto: quòd si pars aduersa, causam suam per viam appellationis, in Curiam Regiam deducere voluerit, liberam deducendi habeat facultatem.

Vicecomitum facultas iudicandi ad decem iugera terrarum, pratorum & syluarum. ART. VIII.

Occupata bona in qua quantitate Vicecomites adiudicare possūt.

PRÆTEREA, nouæ quoque occupationes terrarum arabilium, & pratorum ac syluarum, vsque ad numerum decem iugerum se extendentium, & non magis, post obitum præfati quondam domini Mathiæ Regis, quomodolibet, & per quempiam factæ vel fiendæ, in dicta sede Iudiciaria Comitatuum requiri & adiudicari similiter possint, cum additione seu conditione prænotata.

Comitum pœna, facere exequutionem negligentium. ART. IX.

Comitis pœna, executionem non facientis.

SI quicunque Comitum vel Vicecomitum, in factis & causis quorumcunque Nobilium, à modo deinceps coram eisdem motis & adiudicatis, aut in præsentiam eorundem, per literas Iudicum ordinariorum Regni remissis executionem aliquā officio eorundem incumbendam, legitimè requisiti, juxta contenta Decreti, facere neglexerint: extunc tales Comites vel Vicecomites, ad tricesimum secundū diem diei euocationis ex hinc fiendæ computando, in Curiam Regiam, in præsentiam scilicet Iudicum ordinariorum Regni, legitimè euocari valeant, ibique extra omnem seriem Regesti, causa huiusmodi leuari, & adjudicari possit. Vbi si ijdem Comites vel Vicecomites, negotio in ipso culpabiles comperti fuerint, in Centum florenis auri, partim Iudici, & partim actori, ac insuper in expensis ac damnis in prosecutione huiusmodi factis & perpessis, eidem actori duntaxat persoluendis cōuincantur, & conuicti habeantur eo facto.

Regestum causarum. Floreni cētum.

Regis authoritas in conferendis bonis Ecclesiasticis & Secularibus, Regnicolis & non externis ART. X.

ITEM quia in donationibus & collationibus bonorum, & iurium possessionariorum ad Regiam Majestatem deuoluendorum, omnes fermè constitutiones Regni hactenus factæ, inter se discrepare videntur. Semota igitur omni ambiguitate & discrepantia, deliberatum est: vt Regia Majestas, iuxta suam voluntatem, de cunctis iuribus possessionarijs, ad ipsam deuoluendis, liberè disponere, externis tamen nationibus, prout etiam in Decreto priori cauetur, nulla iura possessionaria, Ecclesiastica videlicet & Sæcularia, conferre possit. Externis nulla bona confereda.

Nouum iudicium cum inhibitione impetrantis, & literas relatorias infra terminum excipere negligentis pœna. ART. XI.

ITEM quicunq; Regnicolarum, in quocunq; negocio, nouum iudicium impetrauerit, ac partem alteram ab executione literarum adiudicatoriarum quarumcunq; prohibuerit, & super executione huiusmodi noui iudicij, habita prohibitione, infra terminum reportationis seriei ipsius noui iudicij, literas relatorias extrahere neglexerit, sicque partem alteram in executione talis modi literarum adiudicatoriarum perturbauerit, talis in facto calumniæ condemnetur, actorque causam suam obtentam habeat, & actione sua potiatur eo facto. Calumnia.

Charitatiuum subsidium per Ecclesiarum Prælatos, non nisi semel à Plebanis exigatur. ART. XII.

QVONIAM sunt nonnulli Ecclesiarum Prælati, qui Plebanos Ecclesiarum, Diocesibus eorum subiectarum, nomine charitatiui subsidij taxare solent, adeò, vt interdum & calices, & alia Ecclesiarum bona, per eosdem Plebanos necessitate adurgente diripiantur: nonnullæ etiam ipsarum Ecclesiarum Rectoribus, longa per tempora vacant. Propterea ordinatum est: quòd à modo deinceps nullus omnino dominorum Prælatorum, infra quatuor integrorum annorum, à die electionis & cofirmationis suæ computando, spacia, Plebanos Ecclesiarum suarum, quouis modo taxare possit. Transacto verò ipsorum quatuor annorum spacio, semel, & nunquam amplius, charitatiuum potius quam coarctatiuum subsidium, iuxta videlicet prouentuum Plebanorum exigentiam, ad redemptionem Bullæ suæ, ab eisdem Plebanis pro se habere & exigere, valeat atque possit. Si verò infra terminum dictorum quatuor annorum, talis Prælatus alio beneficio vel Prælatura potietur, sequens Prælatus itidem facere debebit. Vlad. Tert, art. 69.

Differentia inter Nobiles Comitatuum, Albensis, Simigiensis, & Zaladiensis, ac Capitulum Vesprimiense, ratione quartarum, iuridicè reuideatur. ART. XIII.

ITEM quòd differencia inter vniuersitatem Nobilium, Albensis, Simigiensis & Zaladiensis, Comitatuum ab vna, ac Capitulum Ecclesiæ Wesprimiensis ab alia partibus, prætextu solutionis quartarum Plebanorum, jam dudum intentata, in Octauis post præsentem Dietam primitus celebrandis, coram Regia Majestate, Iudicibusq; Regni ordinarijs, iudicium & justicia, ac finalis conclusio celebretur & administretur.

Procuratoriæ literæ, studiorum, peregrinationis & seruitij causa extra Regnum absentium, valent vsque ad eorum reditum. ART. XIIII.

LITERÆ Procuratoriæ quorumcunque Regnicolarum, qui causa studij, ac seruitij seu peregrinationis extra Regnum hoc occupabuntur, infra illud temporis spacium quo ab inde redibunt, si fassionem & constitutionem Procuratoriam ita fecerint, vigorosæ habeantur, & in iudicijs locus eis detur.

Responsio propria in Iudicio facta non reuocatur. ART. XV.

QVONIAM exhibitione quarundam literarum adiudicatoriarum, contra vetustam hujus Regni consuetudinem, quædam abusio introducta esse visa & com-

perta extitit, vt scilicet aliquis propriam responsionem suam in iudicio factam, reuocare posset & valeret. Ob hoc deliberatum est, vt talis abusio de cætero cesset, & nunquam admittatur, omniaque iudicia sub colore huius abusionis, qualitercunque, & in quibuscunque negotijs facta, nullius sint vigoris atque firmitatis.

Colonis migrantibus licentia per Iudices Nobilium accipiatur. ART. XVI.

Vlad. Secũ. art. 18. & 22. Item Vlad. maio. art. 93. & 94.

ITEM ex quo articuli in minori Decreto, super Iobagionum abductionibus & detentionibus conscripti, inter se aperte contrariari videntur, aliásque plurima & indicibilia scandala in huiusmodi abductionibus & detentionibus Iobagionum, ob exiguitatem pœnæ in Decreto superinde expressatæ, per totum ferè Regnum Vngariæ, dietim emergunt. Ad extinguendum igitur tale incommodum, ordinatum est: quòd à modo inposterum, nemo Iobagionem alterius, nisi per Iudicem Nobilium illius Comitatus, vbi Iobagio ipse residet, licentiare valeat. Et quicunque hujusmodi Iobagionem in aliquo excessu vel debito, reum esse asserit: extunc infra quindecim dies acceptæ licentiæ, coram eodem Iudice Nobilium, per dominum terrestrem, aut officialem seu Iudicem illius possessionis, vbi Iobagio talis residet, iudiciũ & iustitia administretur. Et si facta huiuscemodi iudicij & iusticiæ administratione, se idem colonus vel Iobagio, de excessu aut debito sibi obiecto expurgare seu exonerare poterit: extunc ibidem in præsentia dicti Iudicis Nobilium, ad locum quem maluerit, liberè dimittatur. Quicunque autem contra formam præsentis articuli Iobagionem aliquẽ abduxerit, vel indebitè retinuerit, in viginti quinque Marcis grauis ponderis, Centum florenos auri facientibus, inter actorem ab vna, & Comitem parochialem, ac Iudices Nobilium illius Comitatus, ab alia partibus, æqualiter diuidendis, conuincantur eo facto. Idemque Comes, vel Vicecomes, & Iudices Nobilium, de eisdem Centum florenis, sibi & parti aduersæ, de bonis mobilibus talis violenti abductoris vel retentoris, si reperiri poterunt: sin autem, de iuribus possessionarijs ejusdem, accepta tamen primum à Iudice Nobilium superinde mera rei veritate, statim satisfaciendi habeant potestatis facultatem. Turbatores verò talis Iudicis Nobilium, tempore huiusmodi licentiationis, vel iudicij & justiciæ impensionis, si qui fierent, eadem pœna condemnentur, qua turbatores hominum Regiorum & testimoniorum Capitularium, seu Conuentualiũ, in executione procedentes, vigore Decreti condemnari solent.

Vide nouas constitutiones super migratione colonorum Ferdi. Impe. annorũ 1547. 48. 50. 52. 53. 54. 55. & 56. suis locis.

Mensura bladorum & vinorum, per totum Regnum vna seruetur. ART. XVII.

ITEM quòd per totum Regnum Vngariæ, vna & eadem mensura, ad vendendum & emendum fruges & blada atque vina formetur, cum qua vbique in Regno Vngariæ emptores & venditores vtantur: precium tamen, iuxta locorum abundantiam vel caristiam rerum emendarum vel vendendarum fiat.

Venatio & aucupium rusticis prohibitum. ART. XVIII.

EX quo plurimi colonorum & incolarum, quorumcunque dominorum Prælatorum & Baronum, cæterorumque Regnicolarum, derelictis & postpositis fermè vinearum & agrorum culturis, soli venationi & aucupio insistunt, adeò vt non modo feriatis, verùm etiam Dominicis diebus, & alijs Sanctorum festiuitatibus, imò & ipsa Sacratissima Natalis Dominicæ die, venationes exercent, per quas in DEVM, præcepti sui non obseruatione, peccare, & dominos eorum terrestres prouentuum ipsorum sublatione defraudare non verentur, quin potius, & soli ipsi hoc infructuoso labore capti, mendicitati plerumque subijciuntur: nonnulli verò victu & amictu deficientes, ad extremum, furtum & rapinas committere coguntur, sicque suspendio, aut aliorum prauorum supplicio crebrò intereunt. Vt igitur huic incommoditati, remedio debito occurratur, statutum est: quòd à modo inposterum, nemo colonorum & rusticorum huius Regni, venationes ceruorum, damularum, leporumque & aprorum: Item aucupia fascianorum, perdicum

dicum & Cæsareorum, vulgò Chaszar madara nuncupatorum, quouis modo,& quauis arte exercere præsumat: sed vnus quisque illorum culturis agrorum,pratorumque & vinearum, ac cæteris manualibus artificijs, vnde & sibi ipsi,& eius domino terrestri fructum & commodum reportare possit, insudare & intendere debeat, sub pœna solutionis trium florenorum, per dominum terrestrem tali coloni,qui venationem & aucupia exercet, aut per eum in cuius territorio talis colonus deprehenderetur,irremissibiliter exigendorum. Si verò vterque illorum, in exigenda hujusmodi pœna negligens foret,seu fauore illius coloni ductus, pœnam ipsam exigere nollent,tunc per Vicecomitem & Iudices Nobilium talis Comitatus, vbi id fieri contingit, eadem pœna solutionis,à Nobili seu domino terrestri, qui scilicet colono venanti vel aucupanti pepercit, vigore præsentis statuti irremissibiliter exigatur.

Nobiles vina educentes à Ciuibus Cassouiensibus & Sopronienfibus non molestentur.

ART. XIX.

Cassouiensium & Sopronien, abusio, in Nobilbus uina vehentibas molestandis, tollitur.

QVONIAM Ciues Cassouienses & Supronienses, nescitur quo titulo concessionis,in deductionibus vinorum ad partes superiores, contra libertatem Regnicolarum sibi quasdam abusiones, & prærogatiuas introducere, Nobilesque ipsos, & cæteros partium superiorum Regnicolas, per solitas & consuetas vias proficiscentes in ipsorum medium,cum curribus & equis,ac vinis eorum impellere cœperunt.Ideoconclusum est: quòd hujusmodi prauæ abusiones, in præjudicium Regnicolarum,& absque eorum pari voluntate & consensu, qualitercunque introductæ,penitus & in perpetuum abolitæ sint, & habeantur.

Inscriptio sex Ciuitatum, & Lusatiæ quo in statu sit, Rex fideles suos edoceat.

ART. XX.

AD articulum Vigesimum tertium, de inscriptionibus sex ciuitatum, & Lusatiæ: ex quo super hoc, vtrum literas inscriptionis super eisdem sex ciuitatibus, & Lusatia,Regia Majestas ab eis exigerit, nec ne, Regnicolæ nondum intelligere potuerunt. Ob hoc supplicant suæ Majestati, vt eosdem exinde certiores efficiat: quia nolunt vt à Sacra Corona hujus Regni,quouis modo,contra vim inscriptionis alienentur.

An iuramentum fidelitatis à Morauis & Silesitis,tanquam feudatarijs Regni,exactum sit.

ART. XXI.

SVPER articulo Vigesimoquarto,de iuramento feudi,à Morauis & Silesitis, nec non Lusatia exacto, nondum ipsi Regnicolæ certificari potuerunt, vtrum sua Majestas juramentum fidelitatis accepit ab eisdem, tanquam Rex Vngariæ, & non tanquam Rex Boëmiæ, nec tanquam à subditis Regni Boëmiæ,sed tanquam à feudatarijs hujus Regni,nec ne. Idcirco cupiunt super inde à sua Majestate certificari per suas literas:quia nequaquam volunt ab inscriptione olim huic Regno facta,quouis modo discedere.

Ciuitatis Sopron & Bartsa impignoratæ per Regem,redimantur. ART. XXII.

Ex quo Regia Majestas,contra articulum Vigesimum Octauum minoris Decreti, nec non antiquas laudabilesque constitutiones Regni, ciuitatem Sopronienfem vna cum Comitatu, ac etiam ciuitatem Bartsa dicitur extraneis inscripsisse. Præterea Moraui in confinibus,& intra veras metas huius Regni, nonullas jam occupationes, post obitum quondam domini Mathiæ Regis dicuntur fecisse,& cum hoc multas terras,ad dominium & proprietatem illorum distrahere velle. Ob hoc Regia Majestas, bona inscripta redimere, metasque & confinia ipsius Regni rectificare dignetur.

Excommu-

Excommunicantes, vel inter dictum indebitè pro decimis ponentes, coram Rege conueniantur. Art. XXIII.

† Al: fulminationes. Math. Sext. art. 41.

QVONIAM propter indebitas decimas, nec non excommunicationes & interdictorum† impositiones, per dominos Prælatos & viros Ecclesiasticos, ac factores eorum, crebò etiam per eos, quibus decimas ipsorum arendare solent, Regnicolæ & eorundem coloni sæpenumero grauantur. Quæ vt de cætero fieri nequeant, statutum est: quòd dum, & quandocunque quispiam Regnicolarum, vel colonorum ipsorum, prætextu hujusmodi indebitarum decimarum, excommunicatione aut interdicto grauatus fuerit: extunc ipsi domino Prælato, cuius Diocæsi subesse dignoscitur, vel aliæ personæ Ecclesiasticæ, cui videlicet decimæ solui debent, si in domo sua, aut alias in propinquo reperiri poterit: sin autem, factori eius seu persona ipsius constituto, primum significare teneatur. Et si satisfactionem ac recompensam per eosdem de illatis habuerit, benè quidem: alioquin ad Tricesimum secundum diem diei euocationis ex hinc fiendæ computando, tales Regiæ Majestatis, vbicunque constituta fuerit, per literas præceptorias suas, & exhibitorias: Regia Majestate verò absente, Locumtenentis eiusdem, euocentur in præsentiam, ex parte quorum indilatè iudicium & iusticia ibidem administretur. Vbi si Nobilis, vel colonus, priuata in persona indebitè decimatus, excommunicatus vel interdicto molestatus extitisse compertus fuerit, in homagio talis Nobilis, seu coloni: Si verò tota possessio, seu coloni eodem modo grauati fuisse comperirentur, in Centum florenis auri, partim Iudici, & parti mactori persoluendis, ijdem domini Prælati, & eorundem factores atque decimatores conuincantur.

Prælati Banderiati, exercituare cum officialibus & stipendiarijs Regis, tenentur. Art. XXIIII.

Vlad. Tert. ab art. 15. vsque ad art. 22.

AD articulum decimum quintum, & vigesimum Decreti minoris, de dominis Archiepiscopis, Episcopis, & cæteris viris Ecclesiasticis, Banderiatis & non Banderiatis, decimas tamen habentibus, istud additum est: quòd quilibet eorum, iuxta limitationem in eodem Decreto minori expressatam, gentes suas semper paratas habere tenereque, & easdem necessitate ingruente, dum scilicet & quando, gentes, officialesque & stipendiarij Regiæ Majestatis, quæ primò & ante omnia leuari debent, ad tutelam defensionemque Regni non sufficerent, statim leuare, & illo quo opus erit mittere, & tam diu, quoadusque necessarium erit, inibi conseruare. Vbi verò hostium tanta fuerit multitudo, vt stipendiarij & officiales Regiæ Majestatis, gentesq; dominorum Prælatorum & virorum Ecclesiasticorum hostibus illis resistere non sufficiunt, tunc postea gentes quoq; dominorum Baronum, ac tandem cæterorum Regnicolarum leuari, & in auxilium ac succursum illorum mitti debebunt, sub nota perpetuæ infidelitatis, pœna scilicet, in Decreto minori superinde declarata.

Hoc ius correctum est, per iura recentia Ferdin. Maximil. & Rudol. imp.

Citationes in foro Ecclesiastico cum expositione decernantur. Art. XXV.

CITATIONES in foro Ecclesiastico, non nisi cum expositione, à modo inposterum decernantur: & si ex hujusmodi expositione causa ipsa prophana esse, aut aliàs forum Ecclesiasticum non concernere agnita fuerit, Vicarij causam ipsam in eorum præsentiam nullatenus acceptent, sub pœna in minori Decreto expressata.

Plebani, patronis inuitis, confirmari non debent. Art. XXVI.

SOLENT nonnulli dominorum Prælatorum, vniuersos plebanos Diocæsibus Ecclesiarum ipsorum subiectos, ad id coarctare, vt postquam ad plebaniam eliguntur, statim Episcopo ipsorum se præsentare, ipsisq; iuramentum præstare, ac ab eis literas superinde habere & excipere teneantur, quod in manifestam perniciem No-

em Nobilium vergit, cum à tempore Sancti Regis Stephani, liberam ſemper pro ſe plabanos eligendi habuerunt facultatem. Ideo ordinatum eſt, ut de cætero, nemo plebanorum ad hoc teneatur, nec quiſquam illorum, invitis patronis, confirmetur. Nam aliter coloni illius poſſeſſionis, ubi id contingit, decimas Prælato eorum reddere nullatenus præſumant, ſed in conſervationem caſtrorum finitimorum decimæ ipſæ convertantur.

Abbatiæ & Præpoſituræ Religioſis conferantur. ART. XXVII.

NEMO in habitu ſæculari, Præpoſituras & Abbatias Regulares de cætero tenere & gubernare poſſit. Nam etiam hactenus contra DEUM & in blaſphæmiam DEI, ipſæ Præpoſituræ & Abbatiæ gubernatæ exiſtunt. Et quòd univerſas Abbatias & Præpoſituras, ordinibus ſuis, Abbatibus ſcilicet & Præpoſitis Regularibus, Regia Majeſtas, contemplatione primum omnipotentis DEI, illorumque Sanctorum, quorum in honorem Eccleſiæ ipſæ fundatæ & dedicatæ exiſtunt, ab Eccleſijs, quibus annexæ ſunt, ſeparandas, reddere & reſtituere dignetur. Dempta Abbatia ſeu Eccleſia Petri Varadini, quæ ex annuentia Regiæ Majeſtatis, dominorumque Prælatorum & Baronum, ac univerſorum Regnicolarum, Archiepiſcopatui Colocenſi, honeſtis ex cauſis & rationibus, jam pridem annexa extitit, in qua nihilominus Divina officia ſedulò integerrimè peragantur.

Equorum armenta, & pecorum greges è Regno non debere pelli: ſed intra Regnum externis vendi. ART. XXVIII.

ITEM ordinatum eſt & concluſum: quòd de hoc Regno Vngariæ & partibus ſibi ſubjectis, à modo deinceps, boves & equi, & alia pecora, gregatim aut aliter extra Regnum per neminem, quovis modo, educantur. Si qui autem homines exterorum Regnorum hujuſmodi boves, equos & pecora habere voluerint, in medium Regni hujus accedant, ut etiam Triceſimas, non Regnicolæ, ſed illi ſolvant. Si qui vero Regnicolarum contrarium facere attemptarent: extunc univerſos boves & equos, ac alia pecora, unuſquiſque Regnicolarum, in cujus territorio reperiuntur, auferendi, & quo voluerit, faciendi liberam habeat facultatem. Infra tamen feſtum Nativitatis Beati Ioannis Baptiſtæ proximè venturum, & non amplius, ſi qui aggregatos habent boves, educere liberè valeant atque poſſint.

Teloniatores, Nobiles in Telonijs moleſtantes, in Curiam Regiam evocentur. ART. XXIX.

QVIA plurimi Tributarij, Nobiles Regni contra eorum libertates continentiasque noviſſimi Decreti, in Telonijs taxare ſolent, qui ut de cætero ceſſent, ſtatutum eſt: quòd ſi quis Nobilium, per quoſcunque Tributarios læſus aut damnificatus, cauſam ſuam in Curia Regia, & non ſede Iudiciaria Comitatus proſequi voluerit: extunc ad Triceſimum ſecundum diem, in Curiam Regiam, Iudicum ſcilicet ordinariorum Regni in præſentias, tales Tributarij, ſeu eorum domini evocari poſſint, ex parte quorum ſtatim judicium & juſticia fiat.

Pro Tranſmiſſionibus Regnorum, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ & Tranſſylvaniæ revidendis quadraginta diebus judiciorum, quatuor addantur, in quibus cauſæ ejuſmodi diſcutiantur. ART. XXX.

Ex quo cauſæ Nobilium Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ & Sclavoniæ, ac partis Tranſylvaniæ, in Curiam Regiam per viam appellationis tranſmiſſæ, de Octavis ad quas tranſmittuntur, in alias ſequentes Octavas ſæpenumero protelantur, cum potiſſimè ob multitudinem cauſarum Nobilium hujus Regni, illæ levari & adjudicari nequeant. Ea propter ſtatutum eſt, ut ultra illos quadraginta dies, quibus Octavæ majores celebrari ſolent, quatuor dies addantur, in quibus Magiſtri cauſæque

causæque præmissæ Nobilium dictorum Regnorum, coram Iudice eorum ordinario, diebus in eisdem iudicentur effectiuè, atque terminentur.

Decreta in vnum corpus redigantur. ART. XXXI.

POSTREMO, quod Regia Majestas omnia Decreta sua & statuta, in diuersas partes hactenus posita, in vnam formam Decreti iam redigi faciat.

NOS igitur, qui Regnum nostrum prænotatum, in tranquilla pace, sempiternaque libertate, semper tenere & gubernare cupimus, præscriptos articulos, de verbo ad verbum, sine variatione immutationeq; aliquali præsentibus insertos, quia completionem & perfectionem aliarum, vt præfertur, constitutionum nostrarum, atq; commune bonum dicti Regni nostri tangere & concernere dignoscebantur, acceptauimus, approbauimus & ratificauimus: imò acceptamus, approbamus & ratificamus: nosque omnia in eisdem articulis specificata inuiolabiliter obseruare, & cum alijs obseruari facere promittimus & obligamus, præsentis scripti patrocinio mediante. In cujus rei memoriam firmitatemque perpetuam, præsentes literas nostras priuilegiales, appensione sigilli nostri secreti, quo, vt Rex Vngariæ vtimur, communitas, dandas duximus & concedendas. Datum in campo Rakos prænotato, Quinto decimo die diei generalis nostræ congregationis prænarratæ. Anno Domini Millesimo, Quingentesimo quarto: Regnorum nostrorum, Vngariæ &c. anno Decimo quarto: Boëmiæ verò Tricesimo quarto. Reuerendissimis, Reuerendisque in Christo patribus dominis, Thoma Tit. Sancti Martini in montibus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali, Strigoniensis, summo & Secretario Cancellario nostro, ac Gregorio de Frangepanibus Colocensis & Bachiensis, Ecclesiarum Canonicè vnitarum Archiepiscopis: Illustrissimo Reuerendissimoque domino Ipolito Esthensi, de Aragonia Cardinali, Agriensis, Luca Zagrabiensis, Nicolao de Bachka Transyluaniensis, Georgio Varadiensis, Cancellario nostro, Sigismundo quinqueecclesiensis, Reuerendissimo domino Petro Tit. Sancti Cyriaci in Thermis dictæ Romanæ Ecclesiæ similiter Presbytero Cardinali, Vesprimiensis, Francisco Iauriensis, Nicolao de Bathor Vaciensis, altero Nicolao de Chak Chanadiensis, Sigismundo Thurzo Nittriensis, Stephano Sirimiensis, & in iudicijs personalis præsentiæ nostræ Locumtenentis, Nicolao Hesserew Bosznensis, & Briccio Tininiensis, Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias DEI fæliciter gubernantibus. ITEM Spectabilibus & Magnificis, Emerico de Peren, Comite perpetuo Comitatus Abauywariensis, Regni nostri Vngariæ prædicti Palatino & Iudice Comanorum, Comite Petro, Comite de Sancto Georgio & de Bozin, Iudice Curiæ nostræ Waiuodaque nostro Transyluano & Siculorum Comite, Ioanne Coruino Liptouiæ Duce, ac Regnorum nostrorum Dalmatiæ, Croatiæ & Sclauoniæ, Barnaba Belai & Iacobo de Gerlisthze Zentmien. Banis, Iosa de Som Comite Themesiensi, ac generali partium Regni nostri inferiorum Capitaneo, Blasio de Raska, Thauernicorum, Moyse Buszlay de Gergellaka Ianitorum, Michaële de Palocz Pincernarum, Emerico Deesij Dapiferorum, Ioanne Ernust de Chaktornya Agazonum, Gabriele de Peren, & Ioanne Podmaniczky, Cubiculariorum nostrorum Regalium Magistris, alijsque compluribus, Regni nostri Comitatus tenentibus & honores.

VLADIS-

VLADISLAI REGIS VNGARIÆ DECRETVM SEXTVM, ANNO DOMINI M. D. VII. EDITVM.

Vel, vt ab alijs intitulatur.

ARTICVLI VLADISLAI REGIS, IN CAMPO RAKOS, IN Dieta omnium Prælatorum, Baronum ac Nobilium Regni Vngariæ, pro festo Beati Georgij Martyris, Anno Domini M. D. VII. editi.

Sententiæ Iudicum executioni demandari debent, etiam mediante Brachio Regali.

ART. I.

PRIMO, vt iudicia & iudiciariæ deliberationes frustra de cætero ne fiant, sed actor obtento iam iure suo quod acquisiuit, & causam exinde suscitatam ad finem vsque perduxit, † irremissibiliter potiatur: statutum est, prout etiam in Dieta festi Beati Michaëlis Archangeli, in Anno Domini Millesimo, Quingentesimo quinto euoluto, conclusum, & per Regiam Maiestatem approbatum erat: quòd à modo de cætero, dum & quandocunque in aliqua causa, finalis executio fieri, & vlterior processus in prosecutione ipsius causæ requiri non debebit, sed vsque ad notam infidelitatis causa eadem deducta fuerit, & Regia Maiestas superinde requisita, bona & iura possessionaria, vel pecunias, aut alias res in iudicio reobtentas, per arma, gladioque & Regia potentia (per quæ iudicio non parentes coërceri solent) actori reddi & † restaurari, ac ipsum in dominium eorundem bonorum reobtentorum introduci & collocari facere statuerit: extunc Iudex ordinarius illius causæ, coram quo causa huiusmodi ad finem deducta est, vel etiam Maiestas sua, si ita voluerit, literas adiudicatorias, more solito, conficiat, & literis in eisdem, dominos Palatinum, aut Iudicem Curiæ Regiæ, seu supremum & generalem Capitaneum totius Regni, pro tempore constitutos, loco Regiæ Maiestatis requirat: qui personaliter penes huiusmodi literas adiudicatorias, sub perpetua amissione dignitatum & officiorum suorum, statim gentes aut stipendiarios eorum proprios, ac dominorum & Nobilium illius Comitatus, vbi taliter conuictus moram trahit, ac bona iudicialiter reobtenta adiacere dignoscuntur, si sufficiunt, aliter autem vigore præsentis statuti, aliorum quoque dominorum & vicinorum Comitatuum, & si opus fuerit, etiam totius Regni Vngariæ leuare, & eiuscemodi bona seu iura reobtenta expugnare & occupare, atq; secundum formam & tenorem literarum adiudicatoriarum, actori cum his quibus congruit, etiam super eo iure, quod ratione dictæ notæ infidelitatis sibi prouenire debebit, omnimodam & indilatam satisfactionem impendere debet & teneatur. Si qui verò forent, qui fortassis huic conuicto & temerario auxilium præstarent, tunc & ipsi in nota perpetuæ infidelitatis conuicti habeantur. Quorum bona consimiliter idem Palatinus, vel Iudex Curiæ Regiæ, aut supremus & generalis Regni Capitaneus, cuius officio Spectabilis & Magnificus Dominus Ioannes de Zapolya, Comes perpetuus terræ Scepusiensis, vna cum domino Palatino in præsentiarum fungitur, mox & de facto occupandi, & ratione suarum expensarum, pro se perpetuò retinendi habeant facultatem. Quicunque autem dominorum, aut Comitatuum, ad requisitionem ipsius domini Palatini, aut Iudicis Curiæ Regiæ, vel Capitanei generalis, gentes eorum visis huiusmodi literis adiudicatorijs, pro executione earundem, illò mittere recusarent, tales consimili pœna notæ infidelitatis condemnentur. Hoc per expressum declarato, quòd prælibati domini Palatinus, aut Iudex Curiæ Regiæ, vel supremus Capitaneus, gentes aliorum dominorũ & Comitatuum, in alijs casibus, vel ratione aliorum negotiorum, præter scitum & consensum Regiæ Maiestatis, leuare nequaquam possint. Hoc etiam addito: quòd si Comites vel Vicecomites, gentesq; & vniuersitas Nobilium alicuius Comitatus, ad recuperationem

† Al: infallibiliter.

† Al: restitui

Brachio cũ Regali procedendi modus.

Comitatus gentes assumuntur in executionẽ.

Palatinus, Iudex Curiæ, supremus Capitaneus, gentes dominorum in executione causæ alicuius leuare possunt.

Brachium Regale tenentur vbi possunt, exe qui Comites, Vicecomites, & vniuersitas Nobilium.

tionem talium iurium, seu rerum reobtentarum sufficiunt, & Iudex causæ, ad requisitionem actoris, literas suas ad eosdem exinde ita dederit: extunc ijdem in executione præmissa, liberam procedendi, actoriq; satisfaciendi habeant facultatem. Si quispiam verò præscriptorum trium dominorum, huiusmodi fortè rebellionem pro se faceret, & iuri parere nollet: extunc alter eorum, vel duo ex illis, talem rebellantem, iurique non cedentem, modo præallegato puniant. Et hoc idem de Ciuitatensibus, & quibuslibet personis, si iudicio facto non parebunt, est intelligendum atq; faciendum. Et quòd domini, Waiwoda Transyluanus, & Comes Siculorum, ac Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ & Sclauoniæ Banus, in eorundem officiolatibus, simili perfruantur facultate.

Bona restatuta reoccupans, incidit in notam infidelitatis. ART. II.

QVICVNQVE à modo deinceps, repulsionem ordinariam non fecerit, sed actorem in dominium iurium reobtentorum immiserit, verùm post statutionem vel restatutionem, iterum pro se eadem iura reoccupauerit: extunc per modum oculatæ reuisionis, acceptis Regio, vel Capituli seu Conuentus hominibus, mediantibus literis Iudicis illius, coram quo causa ipsa terminata fuit, actor de huiusmodi noua occupatione veritatem statim requirat; qua rescita, reus ipse & sic fraudulenter agens, notam de facto infidelitatis incurrat, & non expectato ampliori processu, executio contra eum, modo prædeclarato fiat, & per ipsos, dominum Palatinum, aut Iudicem Curiæ Regiæ, vel Capitaneum generalem, instar cæterorum iuri non parentium puniatur, si per Comites vel Vicecomites, ac gentes & vniuersitatem Nobilium Comitatuum, puniri modo præmisso non valebit.

Reoccupatorem puniendi modus

Reoccupationis pœna nota infidelitatis. Comite executionem facere non valente, supremus Capitaneus executioné faciat.

De Iudiciorum celebratione, assessoribus & consilio Regis. ART. III.

IN sublenamine oppressorum, articuli minoris Decreti, de iudiciorum super actibus potentiarijs continua celebratione & iuratorum assessorum, in consilio Regiæ Maiestatis, atq; Iudicijs interesse debentium electione, dudum conscripti, per omnia obseruentur. Hoc addito: quòd assessores illi, in Octauis maioribus, siue compareant omnes, siue non, Octauæ nihilominus illæ celebrentur. Verùmtamen assessor ille, qui non aduenerit, & Octauis in eisdem interesse recusauerit, nisi iusta, graui & notabili detineatur ægritudine, in amissione bonorum suorum seu dignitatis & beneficij sui, & insuper in amissione sui officij assessoratus de facto conuincatur, & eo officio nunquam amplius vtatur, & Regia Maiestas vna cum cæteris assessoribus & Consiliarijs suis, alium, qui videbitur, loco illius statim eligat: ita tamen, vt eisdem quoq; assessoribus, de eorum expensis satisfactio impendatur. In quarum quidem expensarum sortem, dominis Prælatis & Baronibus septingenti, Nobilibus verò assessoribus, de medio scilicet Regnicolarum electis, trecenti floreni auri, ad vnum integrum annum soluantur. Et ad huiusmodi solutionem, de singulis portis seu sessionibus Iobagionalibus, singuli tres denarij per totum Regnum, de vniuersis scilicet bonis & iuribus possessionarijs atq; ciuitatibus, tam Regiæ & Reginalis Maiestatum, quàm vniuersorum dominorum Prælatorum, Baronum, & Regni Nobilium: imò etiam à Nobilibus vnius sessionis, per Vicecomites ac Iudices Nobilium Comitatuum, de singulis curijs, modo & ordine, ac sub pœnis & grauaminibus super exactione pecuniarum ad gentium conseruationem, in Decreto minori expressarum atq; declaratarum, irremissibiliter & sine defectu exigantur: pecuniæque eiuscemodi exactæ, manibus duorum hominum, per præfatos electos assessores eligendorum, vnius scilicet Baronis, & alterius mediocris Nobilis, fideliter assignentur. Quos tandem ijdem duo homines, assessoribus ipsis distribuere, & in ventura postea Dieta, rationem dominis & Regnicolis superinde reddere teneantur. Et nemo colonorum, qui vera Nobilium Regni libertate non † fruitur, in hac pecuniarum exactione, aliqua libertate † gaudeat.

Assessor ad iudicia non veniens, amittit bona dignitatem & officium. Assessoribus expensæ dentur. Consiliariorum & assessorum annuum salarium.

Exactores salarij Consiliariorum.

† Al. vtitur. † Al. fruatur

De assessoribus & sigillo Iudiciali Regiæ Maiestatis. ART. IIII.

QVICVNQVE dominorum aut Nobilium Regni huius, in assessorem electus, officium

Assessoratus officium

officium ipsum, in se leuare suscipereque nollet, si fuerit Prælatus, in Prælaturæ suæ: si verò Baro vel Nobilis, in bonorum suorum amissione condemnetur. Et vt iudicia ipsa commodius efficaciusq; celebrari, & malefactores iurique inobedientes, etiam per arma & gladios puniri possint, conclusum est: quòd à modo deinceps, sigillum iuridicum Regiæ Maiestatis, sub quo vniuersæ sententiæ capitales, aliæque literæ super punitionibus pœnibusque malefactorum, & capite plectendorum emanari solent, persona sæcularis benemerita, iuriumque & literarum perita teneat: atque Regia Maiestas, cum consilio præfatorum dominorum assessorum & Consiliariorum suorum, ad conseruandum illi conferat.

non assumẽtis pœna.

Personalis præsentię in iudicijs Locum tenens sæcularis eligatur, qui sigillum iudiciale teneat.

Officia Maiestas Regia cum Consilio distribuat. ART. V.

QVOD Regia Maiestas, omnia ea, quæ negotia huius Regni concernunt, cum consilio præfatorum dominorum assessorum & aliorum suorum Consiliariorum de cætero faciat. Et si quæ præter eorum scitum faceret, nullius sint vigoris atque firmitatis. Præterea, vniuersa officia finitima, Waiuodatum scilicet Transyluaniensem, Comitatum Siculorum, Banatum Regnorum, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Comitatum Themesiensem, ac aliorum castrorum finitimorum capitaneatum, personis benemeritis, cum consilio eorundem dominorum assessorum, & cæterorum Consiliariorum suorum, conferat: ita tamen, vt hæc castra finitima, videlicet Iaicza, Zeureniense, Nandoralbense, Sabacz & Zebernik, Regia Maiestas duabus semper personis pro officiolatu donet. Quorum vnus, sub nota perpetuæ infidelitatis, semper in castro permanere, atque gentes suas, quas inibi, iuxta consuetudinem hactenus obseruatam, tenere deberet, paratas semper habere teneatur. Quibus scilicet, & domino Rasciæ Despoto, qui castrum finitimum & insigne Banderium pro Regni tutela tenere debet, dominus Thezaurarius, sub amissione bonorum suorum, solutionem de eorum salarijs plenariam semper facere teneatur.

Iayeza, Zeureniũ, Nandoralba, Sabacz.

Despoth.

Rex, ex veteri consuetudine, mille equites seruet. ART. VI.

REGIA Maiestas, ex vetusta huius Regni consuetudine, vigoreq; generalis Decreti, equites mille pro Regni defensione conseruare debet. Quos omnes Vngaros de cætero habeat: & eorum Quadringentos, in Curia sua Regia secum teneat. Sexingentos verò, ad Regni confinia, loca scilicet magis necessaria, & Turcarum faucibus obiecta atq; viciniora collocet: & reuisiones castrorum finitimorum, per Palatinalem & Iudicis Curiæ Regiæ homines, prout in Decreto positum est, singulis annis de cætero fiant.

Militũ mille Regis distributio.

Castrorum reuisio per Palatini & Iudicis curię homines fieri quotañis debet.

Si quis in Consilio Regio contra Regni Decreta ageret, ab Assessoribus in Dieta denuntiari debeat. ART. VII.

SI quis dominorum aut Regnicolarum, in consilio Regiæ Maiestatis, contra libertatem & commune bonum, atq; statuta huius Regni, palam, publicè & temerariè agere attentaret, talem teneantur præscripti domini Assessores, in generali Dieta proximè semper ventura, vniuersis dominis Prælatis & Baronibus, ac cæteris Regnicolis, ex nomine manifestare, quem ibidem, tanquam Reipublicæ libertatisq; Regni proditorem & turbatoré, in rebus & persona, iuxta sua demerita, ijdẽ puniendi habeant facultatem.

Consiliarij peccantis in publicis Comitijs denuntiatio.

Contra statuta Regni peccans puniri debeat. ART. VIII.

QVICVNQVE contra statuta Decretaq; Regni, palàm & apertè egerit, decretaq; huiusmodi temerario ausu violare de cætero præsumpserit, prout hactenus per plerosq; potentes fieri solitum erat: talis, si fuerit Prælatus, aut altera persona Ecclesiastica, in amissione Prælaturæ vel alterius dignitatis & beneficij: si verò Baro vel Nobilis, in amissione vniuersorum bonorum & iurium suorum possessionariorum conuincatur eo facto, & perpetuus Regiæ Maiestatis ac Regni infidelis & exul habeatur. Et talium Prælaturas, beneficia seu dignitates, vel iura possessionaria Regia Maiestas, cui maluerit, liberam donandi, & conferendi habeat facultatem. Quos si Maiestas sua hoc modo punire, Prælaturasq; seu beneficia, aut dignitates vel iura possessionaria auferre, & alteri cõferre

Violator publicarũ constitutionum in notam infidelitatis incidit.

Comes cum gentibus vniuersitatis Nobilium violatorum publicarum constitutionum, bona in prædam conuertere potest.

ferre donareq; recusaret: extúnc, si mediocris persona Spiritualis, aut Sæcularis id facere tentauerit, per Comites vel Viceco mites, ac gentes, & vniuersitatem Nobilium eiusdem Comitatus, vbi talis residentiam habet, iuxta eorum libitum puniatur, vniuersaq; bona, & res eiusdem in publicam prædam conuertantur. Si verò potens quispiam fuerit, ad huius proteruiam rebellionemq; domandam, nec non bonorum & iurium possessionariorum, dignitatumq; & beneficiorum ablationem, præfati dominus Palatinus, ac Iudex curiæ Regiæ, vel supremus Capitaneus, per vniuersitatem Nobilium illius Comitatus, vbi talis aperta Decreti violatio facta fuerit, requisitus, leuatis præmisso modo suis, ac aliorum dominorum & Comitatuum gentibus, insurgere, ac sub præmissa dignitatis & officiorum suorum amissione, adimere teneatur.

Additio ad Decretum secundum, de prorogationibus pro peregrinis.

ART. IX.

Prorogatio causæ semel datur quibusdam.

AD clausulam illam minoris Decreti, exceptis illis, qui in peregrinationibus extra Regnum occupantur, &c. Appositum est, vt siue in legationibus, siue peregrinationibus, siue in seruitijs, siue castris finitimis prorogationem quis semel habuerit, in eadem causa nullam de cætero habere valeat.

Equi & boues, ac alia pecora è Regno non abigantur. ART. X.

Pecora è Regno abigens ea perdit.

QVOD boues & equi, pecudes & pecora de cætero gregatim, aut aliter, nulla penitus ratione educantur. Sed vbicunq; sic reperiri poterunt, semper auferantur, prout etiam in Decretis mentio superinde facta fuit.

Monetæ externæ in Regnum non inducantur. ART. XI.

QVOD monetæ externæ, hoc Regnum & confinia eiusdem, non inducantur, nec illis vtantur. Contrarium facientes, tam pecunias, quàm alias res suas vniuersas, amittant eo facto.

Comitiorum tempore seu Dietæ, nusquam Iudicia celebrentur. ART. XII.

Dietæ tempore Iudicia cessent. Dietę violator incidit in Notam, & potest citari personaliter.

QVOD durantibus generalibus Dietis, vniuersa iudicia in Curia Regia, sedibus Spiritualibus & Comitatibus cessent, vt vnusquisque rebus totius Regni, eo facilius intendere valeat. Præterea, si quis forte aliquem in ipsa Dieta verberaret, vulneraret, vel libertatem Dietæ turbaret, quæ nota infidelitatis est, talis personaliter citari semper poterit, ibidemque iudicium de eo fieri valebit.

Pluralitas beneficiorum non toleretur. ART. XIII.

MAIESTAS sua, vniuersa beneficia Ecclesiastica, maiora scilicet & minora ab illis qui plura possident auferat, & vnum duntaxat apud eum, quod videlicet eligendum pro se duxerit, relinquat. Et quòd vniuersas Abbatias, Præposituras, & alia Monasteria Religiosorum, demptis duabus illis Abbatijs, Sexardiensi & Pechuaradiensi, quæ per Reuerendissimum dominum Petrum Cardinalem, à Curia Romana liberata existunt, quasque idem, vita sua durante, vel infra eum terminum, quo DEI munere in Pontificem forte assumetur, possidebit, viris religiosis, & consequenter fratribus illius Ordinis, cui Ecclesia ipsa dedicata fuit, si earum possessores habitum Regularem eiusdem Ordinis induere, & infra festum Natiuitatis Beati Ioannis Baptistæ proximè venturum, assumere recusauerint, de facto conferat.

Inhibitione vti non potest, in alia causa sub ijsdem iudicijs comparens. ART. XIIII.

QVOD inhibitiones, etiam per nouum iudicium, illis de cætero ne suffragentur, qui in Octauis vel breuibus iudicijs comparuerint, vel comparuisse visi fuerint, aut literas Procuratorias, in aliqua alia causa produxerint, sed qui nec per se, nec per Procuratorē comparuerunt, illi benè vtantur inhibitione, per modū noui Iudicij aliàs consueti.

Decimam & nonam Coloni quomodo soluant. ART. XV.

DECIMÆ isto modo de cætero semper reddantur, ita vt de decem capetijs, vna dominis Prælatis pro decimis, altera verò dominis terrestribus pro nonis exigatur: octo verò colono seminanti remanebunt.

Bona

Bona occupata querulantibus remittantur. ART. XVI.

REGIA Maiestas, vniuersas possessiones, prædia, terras, syluas, prata, fluuios, piscaturas, post fælicem Maiestatis suæ in hoc Regnum ingressum, per Comanos, Philisteos, Zegedienses, aliosq; Regios & Reginalis Maiestatis colonos, præter viam iuris occupatas, per suum Regium & Palatinalem Protonotarios, visis iuribus querulantium, ac iuxta attestationem Nobilium illius Comitatus, vbi occupatio huiusmodi facta fuisset, priusquam breuia iudicia prænotata incipiunt, reuideri, complanari, atq; eis, à quorum manibus occupata fuerint, reddi & remitti facere dignetur gratiosè. Comani Philistei, si quæ occuparunt remittant.

Quorundam iudiciorum cassatio. ART. XVII.

VNIVERSA iudicia, post expirationem Octauarum festi Beati Michaëlis Archangeli proximè præteriti, in causis & factis breuium ac Transmissionalium, quia Regnicolæ ad propria, maxima in parte discesserunt quouis modo facta contra eos, qui per non venientiam conuicti fuerunt, nullius sint vigoris atq; firmitatis: qui verò comparuerunt, in vigore factum inter partes iudicium permaneat.

Iudicia differantur. ART. XVIII.

IVDICIA Octauæ festi Beati Georgij Martyris, penitus differantur, simul cum breuibus breuium, & omnia breuia iudicia, in proximo festo Beati Iacobi Apostoli, præsentibus assessoribus, incipiantur.

Limitum Regni, & metarum rectificatio. ART. XIX.

METAS Regni, ex parte Morauiæ, Poloniæ & Austriæ Maiestas Regia, prout in Decreto continetur, rectificari faciat; & maximè certas temporibus Maiestatis suæ occupatas.

Compilatio Decretorum fiat. ART. XX.

ITEM quòd Maiestas Regia, vniuersa statuta & Decreta sua & Regni sui, in diuersas partes hactenus posita, in vnam formam Decreti iam redigi faciat.

VLADISLAI REGIS VNGARIÆ DECRETVM SEPTIMVM, ANNO DOMINI, M. D. XIIII. EDITVM.

NOS VLADISLAVS, DEI gratia, Vngariæ, Boëmiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Seruiæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæq; Rex, nec non Silesiæ & Lucemburgensis Dux, ac Morauiæ & Lusatiæ Marchio. Memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes quibus expedit vniuersis: quòd cum nos, in animo nostro sæpe reuoluissemus, considerassemusq; pericula omnia, quæ hucusq; huic Vngariæ Regno nostro, ab infidelibus hostibus illata sunt, ruinas quoque & desolationes castrorum finitimorum, atque etiam tumultum illum nefandissimum, quem plebs rustica, superiori æstate, intra ipsius Regni nostri viscera, contra Optimates & omnem Nobilitatem, cum summa & planè inaudita crudelitate concitauerat, multorum insignium virorum cæde, ac multi sanguinis effusione memorabilem, omnes præterea perturbationes alias, in quibus status eiusdem Regni nostri, non sine magno incommodo, hucusq; fluctuauit, ex ea potissimum causa manasse; quòd ordo (sine quo nulla vnquam Respub. benè gubernata esse legitur) ab omnibus & rebus & officijs sublatus esset, & per arreptam hoc pacto licentiam, omnia cum maxima totius Regni oppressione præposterè, & quasi confuso quodam turbine agerentur. Propterea miserati tàm graues calamitates, tamque acerbas clades prædicti Regni nostri Vngariæ, generalem Dietam & conuentum, vniuersis dominis Prælatis & Baronibus, cæterisq; Regnicolis nostris, pro festo Bea-

ti Lucæ Euangelistæ proximè præterito, indiximus atq; celebrauimus. Ad quem congregatis omnibus, cum huiusmodi conuentus causas ipsis explicassemus, & cum his nonnulla quæ nobis salutem eiusdem Regni nostri concernere videbantur, proposuissem', hortati eos fuimus, vt ipsi quoque super his omnibus consultarent, & quicquid DEO imprimis optimo gratum, prædictiq; Regni nostri publico bono proficuum ac salutare foret, concluderent. Præfati itaq; domini Prælati ac Barones, & cæteri Regnicolæ nostri, accepta mente nostra, cum diu multumque super his rebus consultassent, tandem, collatis sententijs, & re conclusa, quosdam nobis articulos, communi voto, & consensu parili, (demptis articulis facta criminalia, & honestatem Clericalem concernentibus', ad quos ipsi domini Prælati consentire non potuerunt) formatos atq; compositos, nostræ obtulerunt Maiestati: Supplicantes debita cum instantia, vt eos, nos quoq; acceptare & approbare, & literis nostris inseri faciendo, confirmare etiam dignaremur: asserentes eos tales fore, per quos (ritè tamen obseruatos) & ordo rebus omnibus reduci, & status totius Regni in suo splendore seruari, pericula quoq; omnia ingruentia propelli, ac adempta per hæc tempora quies & securitas, omnibus restitui posset. Qui quidem articuli, hoc modo sequuntur, & sunt tales'.

Iura vniuersa Regalia, qualitercunque alienata, statim remittantur. ART. I.

QVANTA incommoda, & sæpenumero pericula, in factis Regiæ Maiestatis, & totius Regni sui, ex inscriptione, & ad tempus alienatione verorum & iustorum sacræ Regiæ Coronæ prouentuum, diuersis hominibus hactenus facta, subsequuta & illata fuerint, omnibus planè constat. Vt igitur illa remoueri, & Curia negotiaq; Maiestatis Regiæ, in statum debitum redeant & redigantur, statutum imprimis est, vt vniuersi prouentus Regiæ Maiestatis, Tricesimæ videlicet ac Vigesimæ, fodinæ & omnes Cameræ salium, fodinæ auri & argenti, ciuitatesq; Regiæ, de facto remittantur, & computata ratione, si cui Maiestas sua adhuc aliqua summa tenebitur, illam cum tempore ex eisdem prouentibus refundat: ita, vt medietas prouentuum Regiæ Maiestati cedat, & reliqua medietas illi, apud quem in arenda vel pignore fuit. De Tricesimis autem & ciuitatibus Regijs, apud dominum Waiuodam Ioannem habitis, aliter est prouisum, ex quo Regiæ Maiestati & Regno, multa & præclara impendit seruitia, & inter alia, castrum Themesiense per Georgium Zekel valida obsidione cinctum eliberauit, Laurentium presbyterum debellauit, & rusticanam breuiter colluuiem exterminauit. Proinde, vt tàm Regia Maiestas prouentus suos & ciuitates, quàm etiam dominus Waiuoda pecunias suas rehabeat, ex pecunijs exercitualibus, seu ad rationem conseruationis gentium, binis post sese vicibus per annum exigendis, semper decem denarij, qui in toto viginti denarios faciunt, ad manus ipsius domini Waiuodæ assignentur, & huiusmodi viginti denarij, de omnium dominorum & Nobilium, Regiæ etiam & Reginalis Maiestatum, atq; proprijs ipsius domini Waiuodæ bonis exigantur, & mox rehabita pecunia sua capitali, tàm Tricesimas, quàm etiam ciuitates Regales, dominus ipse Waiuoda remittere teneatur.

Curia, id est, Aula.

De redemptione Tricesimarum in manibus Ioannis Vaiuodę existētium.

Prouentus Regales Rex nemini inscribat. ART. II.

DE cætero verò, Regia Maiestas prouentus suos Regios, sine consensu & deliberatione sui consilij ordinati, nemini inscribat, qualicunq; necessitate adurgente. Nam si quis dominorum & Nobilium, huiusmodi prouentus Regios pro se inscribi fecerit, summa illa de facto amittatur, & insuper in æstimatione talis prouentus vel ciuitatis Regiæ, fœnerator ille conuincatur.

Bona & prouentus ad Coronam Regiam pertinentia recensentur. ART. III.

NE autem super bonis & prouentibus, ac iuribus possessionarijs Regalibus, dubium suboriri possit, ea hic annotare placuit. Sunt igitur octo imprimis ciuitates liberæ, videlicet, Buda, Pest, Cassouia, Posoniam, Tirnauia, Barthfa, Eperies, & Sopronium: præterea vetus Buda, Strigonium, Alba Regalis, Leuchouia, Szakoleza, Cibinium & Zegedinum: item

Regis bona & prouētus. Ciuitates liberæ quæ.

item Comani & Philistæi omnes, nec non Wissegrad, cum duabus insulis, Chepel scilicet & altera Ros appellatis, infra Wissegrad vsque Megyer adiacentibus: insuper Cremnicia, Semnicia Bistricia, Zolyom, cum cæteris ciuitatibus montanis, ac riuulus dominarum, & castrum Huszth, cum quinque ciuitatibus & fodinis salium: omnes præterea Tricesimæ Regnorum Vngariæ & Sclauoniæ, ac omnes Cameræ salium in eisdem habitæ, nec non castra Munkach & Diosgzőr: item in Transyluania, Saxones Regij, omnes fodinæ & Cameræ salium, & loca earundem fodinarum, cum ciuitate Kolosuariensi, ac omnes Vigesimæ & Centesimæ ac Quinquagesimæ, partibus in eisdem Transyluaniensibus exigi consuetæ: deinde castra, Geurgense, Therch, & Dewa, ibidem adiacentia & sita.

Modus satisfactionis damnorum, per Cruciatos illatorum. ART. IIII.

QVANTVM autem ad damnorum, per malefactores, tàm rusticos; quàm etiam Nobiles partem rusticorum tenentes, dominis & Nobilibus illatorum, refusionem & recuperationem attinet, quia publicè, & magna cum multitudine illa patrata & irrogata existunt: ideò in singulis Comitatibus, penes Viecomites & quatuor Iudices Nobilium, duodecim Nobiles bonæ famæ, & honestæ vitæ atq; conditionis, per vniuersitatẽ Nobilium, firmissimo sub iuramento eligantur, qui ad facies cunctarum domorum & curiarum Nobilium accedant, ibiq; vniuersa damna, tàm in ædificijs & structuris, quàm etiam vtensilibus & suppellectilibus domorum, atq; abductionibus equorum, boum, aliorumq; pecorum & pecudum, in quantum visu considerare, & etiam testimonio condigno intelligere poterunt, secundum DEVM & eius iustitiam, benè ponderare, æstimareq; & limitare, & dehinc vniuersitati Nobilium, sub eodem iuramento referre debeant: Et tandem rustici seu coloni illarum ciuitatum, oppidorum, possessionum ac villarum, quæ damna prænotata intulisse & irrogasse dignoscuntur, in termino per vniuersitatem Nobilium ad id præfigendo, domino vel Nobili læso & damnum passo, refundere restituereq; teneantur: illis tamen dominis, quorum castra hoc disturbij tempore, propter malam conseruationem per rusticos sunt intercepta, quia non violenter, sed per deditionem sunt occupata, restitutio damnorum in hac parte fieri non intelligatur; sed huiusmodi damna tolerare cogantur.

Nobilis res suas per rusticos spoliatas, iuramento recuperat. ART. V.

SI quis verò Nobilium diceret, res suas aureas & argenteas, seu paratas pecunias, quæ scilicet in luce & in publico, vel ad notitiam hominum non fuerint, per rusticos ablatas esse: si superinde euidens testimonium, vel probabile documentum produci & afferri non poterit, iuramento mediante, ab illis rusticis, qui domum suam inuaserunt, eas recuperare debebit.

Coram quibus iuramentum, super rebus sibi ademptis, Nobilis deponat.
ART. VI.

IVRAMENTVM autem huiusmodi, coram ipsis Vicecomitibus & Iudicibus Nobilium, ac duodecim electis, iuxta eorundem deliberationem, tempore præmissæ executionis præstare: vel si eo tunc Nobilis ipse præstare non posset, extunc in sede Iudiciaria, coram Comitibus vel eisdem Vicecomitibus, ac vniuersitate Nobilium deponere tenebitur, ita vt vnus Nobilis, ad decem florenos, in hac parte iurandi habeat facultatem.

Rustici rependere damna refragantes, cogantur per Comites ac gentes Regias.
ART. VII.

VBI autem rustici satisfactionem de damnis prænotatis, in termino ipsis præfigendo, Nobilibus impendere nollent: extunc Comes vel Vicecomes, ac vniuersitas Nobilium, eos ad satisfactionem, per omnia remedia opportuna, etiam direptionem & ablationem omnium bonorum ipsorum compellat. Si verò Comes vel Vicecomes cum

vniuersitate Nobilium insufficiens esset (quia aut dominus colonorum resisteret, aut rustici in oppido vel ciuitate munita rebellarent) extunc Regia Maiestas, ad requisitionem & supplicationem Comitum, vel Vicecomitum & Iudicum, ac vniuersitatis Nobilium talis Comitatus, cum gentibus suis, ac aliorum circumiacentium Comitatuum & Dominorum, huiusmodi ciuitates & oppida, villas & rusticos, ad præmissam satisfactionem compellere faciat, & propter rebellionem illorum, etiam Regiæ Maiestati tantum soluant, si habebunt, quantum Nobili læso & damnificato soluere tenebuntur, primò tamen Nobili læso fiat satisfactio.

Rustici ad homagia interemptorum Nobilium soluenda coguntur. ART. VIII.

SVPER homagijs quoque Nobilium interemptorum, idem est sentiendum atq; faciendum, vt scilicet oppida, ciuitates seu villæ, quæ tempore occisionis interfuerunt & consenserunt, homagia omnium Nobilium hoc tempore disturbij necatorum, persoluere teneantur. Si verò rustici de alio Comitatu, damna huiusmodi vel homicidia intulisse reperientur: extunc Comes, Vicecomes, ac vniuersitas Nobilium alterius Comitatus, per literas horum, Comitis, Vicecomitis, ac Iudicis Nobilium requisitus, teneatur ex parte illorum rusticorum læsis satisfactionem impendere, modo prædeclarato.

In homagiis Nobilium exoluendis & damnis compensandis, facientes & consentientes mulctentur. ART. IX.

QVONIAM autem nonnulli super eiusce modi damnorum rectificatione contendentes, etiam innocentes & innoxios ad damnorum solutionem compellere moliebantur, asserentes & allegantes, duos aut tres, quinq; vel sex personas non potuisse de vna villa seu oppido mala patrare, si reliqua multitudo aut communitas illis non consensisset; ideò facientes & consentientes pari pœna debeant puniri: hoc licet verum sit, in consensu deliberato & malicioso, quia tamen rusticus vnus, alterius potestati non subest, vt alterum aut compellere ad malè agendum, aut retrahere prauis ab operibus possit, & aliâs æquitatis ratio dictat, vt rei & culpabiles puniantur, innocentes autem salui maneant. Propterea deliberatum & statutum est, quòd solummodo culpabiles & rei, non autem innocentes condemnentur: sic videlicet, vt si de vna villa aut oppido, quatuor vel quinque, aut plures comperti fuerint esse in culpa, & malorum patratores solùm illi, aut capitali sententia, aut damnorum solutione puniantur, cæteri verò salui maneant & illæsi.

Rusticis discordantibus super deprædatione Nobilium, dominus terræ, aut eius officialis superinde ius administrare petenti debet. ART. X.

VBI autem coloni & rustici inter se discordes fierent, vt duo aut quatuor, quinque vel sex, &c. communitati: & è conuerso, communitas illis duntaxat personis culpam impingeret, extunc dominus terrestris, si in propinquo est, aut officialis eius, mox & sine omni dilatione, iudicium & iustitiam inter tales faciat, & partem illam, quam in culpa esse cognouerit, aut scilicet seorsum, aut coniunctim, ad damnorum solutionem compellat & astringat.

Negligente domino terræ ius administrare super deprædatione, amittitur possessio, in qua rustici sontes habitant. ART. XI.

QVOD si dominus ipse vel officialis facere nollet: extunc ad requisitionem & supplicationem Comitis vel Vicecomitis, aut vniuersitatis Nobilium talis Comitatus, Regia Maiestas bona illa & iura possessionaria talis domini vel Nobilis, occupare faciat, vsque ad iustam & debitam satisfactionem.

Dominus terræ prædas ad manus suas deuenientes, illis, quorum sunt, restituere tenetur. ART. XII.

CÆTERVM, vbi aliquis dominorum terrestrium, bona mobilia, & res dominorum aut Nobilium, apud manus rusticorum reperta abstulisse, vel etiam proprias res rusticorum suorum, hoc prætextu, ne damna illata reddere possent, diripuisse compertus fuerit, vice versa reddere teneatur, ne damnificati domini vel Nobiles, in damno permittantur. Quòd si dominus ipse terrestris facere recusaret: extunc bona & iura possessionaria talis, per Regiam Maiestatem, modo prænotato, occupentur, & tam diu teneantur, donec damnificatis satisfactum fuerit effectiuè.

Malefactores puniantur vbique, innocentes vt non condemnentur cauendum.

ART. XIII.

ET quòd sub hoc colore publici malefactores non euadant, sed prout limitatum & conclusum est, vbique puniantur: sed prouidendum semper est, ne innocentes condemnentur.

De pœna Capitaneorum, Centurionum, cæterorumq; Cruciatorum, & angaria illis imposita.

ART. XIIII.

QVANQVAM omnes rustici, qui aduersus dominos eorum naturales insurrexerunt, tanquam proditores capitali pœna essent plectendi, ne tamen tanti sanguinis effusio adhuc sequatur, & omnis rusticitas (sine qua Nobilitas parum valet) deleatur: statutum est, quòd vniuersi Capitanei & Centuriones ac Decuriones, concitatoresque aliorum rusticorum, ac manifesti homicidæ Nobilium, præterea violatores virginum & mulierum, omni gratia semota, occidantur, & vbilibet extirpentur. Cæteri autem rustici, refusis & persolutis damnis ac homagijs prænotatis, in personis eorum salui maneant: attamen vt huiusmodi proditionis eorum memoria atque temporalis pœna, etiam ad posteros ipsorum diffundatur & transeat, & quam enorme facinus sit, in dominos insurgere, omne sæculum agnoscat, à modo deinceps, vniuersi rustici in hoc Regno vbilibet residentes, demptis ciuitatibus liberis & muratis, quæ Maiestati Regiæ fideles fuerunt: & illis quoq; exceptis, qui penes dominos eorum, & sacram Coronam Regni huius, in vera fidelitate persisterunt, cum alijsq; sceleratis rusticis, in hac seditione non participauerunt, per hanc infidelitatis ipsorum notam, amissa libertate eorum, qua de loco in locum recedendi habebant facultatem, dominis ipsorum terrestribus, mera & perpetua rusticitate sint subiecti, neq; de cætero, contra voluntatem & consensum dominorum suorum, de loco in locum recedendi, & sese moraturos conferendi habeant facultatem. **Rusticis sublata transmigrandi libertas.**

De exactionibus à rusticis fiendis. ART. XV.

PRÆTEREA singuli rustici vxorati, siue sessionati seu domos habentes, siue autem inquilini sint, per singulos annos, dominis eorum terrestribus, singulos Centum denarios, vnum florenum aureum facientes, Quinquaginta scilicet ad Georgij, & residuos Quinquaginta denarios ad Michaëlis Archangeli Beatorum festa, vbilibet soluere teneantur: & si alicubi locorum, plures quam Centum denarios hactenus soluere consueuissent, talis census, per hanc constitutionem diminutus esse non intelligatur. **Rusticorum census.**

Seruitium colonorum ordinarium. ART. XVI.

ITEM qualibet hebdomada, singulo vno die, dominis ipsorum seruire teneantur. **Rusticorum seruitium.**

Munera colonorum. ART. XVII.

ITEM singulis mensibus, singulum vnum pullum dominis eorum dare sint obligati. **Rusticorum munera.**

Coloni nonam & decimam soluere, ex omnibus terra nascentibus tenentur.

ART. XVIII.

ITEM de omnibus terræ nascentijs, siue metantur, siue falcentur, præterea de vinis, dominis ipsorum nonas seu nonam partem, vltra decimas Prælatis eorũ debitas, soluere teneantur: ita, vt ex decem capetijs segetum, seu decem cubulis vinorum, rustico octo

mane-

manebunt: quantum tamen ad decimas attinet, solummodo de illis segetibus, quibus hactenus consueuerunt, decimas dare soluereq; debebunt.

Anserum prouentus à colonis. ART. XIX.

ITEM singulis annis duos anseres, vnum videlicet tenerum ad Pentecostes, & alterum antiquum ad Beati Martini Episcopi & Confessoris festa, dominis ipsorum soluant.

Porcorum prouentus à rusticis. ART. XX

ITEM de qualibet villa, vsq; decem sessiones Iobagionales continente, vel etiam minus, ad festum Natalis Domini, vnum porcum saginatum: vbi verò vltra decem fuerint, de singulis decem sessionibus, singulum vnum porcum similiter saginatum dare teneantur: cæteris quoq; prouentibus dominorum & Nobilium, vltra hæc hactenus dari & percipi consuetis, saluis permanentibus.

De viduis aut puellis, colono alterius Nobilis nubentibus. ART. XXI.

ITEM quòd mulieres viduæ, quæ vices Iobagionum gerunt, etiam alteri nubentes, præter dominorum suorum permissionem, recedere nequeant: puellæ tamen & aliæ mulieres viduæ, quæ apud alios habitant, vel alter Iobagionum vices non gerunt, nuptui liberè tradantur & recedant: filios tamen si nubiles habuerint, secum abducere non possint. Imò si propter teneram ætatem, mater filium secum abduceret, nihilominus tamen filius ipse, perfecta seu nubili ætate adueniente, ad habitacula sua pristina redire teneatur.

De inquilinis taxandis, & vt domos sibi ædificare cogantur. ART. XXII.

ITEM quòd vniuersi inquilini, intra triennium, ab omni solutione censuum exempti & supportati sint, & interea domos pro se construere, in seriemque & numerum cæterorum Iobagionum sese collocare & computare teneantur. Nam aliter, si domos ædificare nollent, etiam apud alios residentes, censum floreni vnius dominis eorum terrestribus soluere teneantur. Si autem aliqui eorum, domos proprias modo quoquo inhabitarent, & res vltra valorem trium florenorum, exceptis hæreditatibus, haberent, tales etiam de præsenti, ad solutionem censuum, instar aliorum Iobagionum, compellantur.

Comani & Philistæi, pari modo ad censum soluendum, ac seruitia præstanda sint astricti. ART. XXIII.

ITEM quòd Philistæi & Comani, ac cæteri Iobagiones Regiæ Maiestatis, vbilibet residentes, demptis ciuitatibus liberis & muratis, tàm ad censuum & munerum nonarumq; solutionem, quàm etiam seruitiorum exhibitionem, instar aliorum colonorum & rusticorum huius Regni, de cætero teneantur & sint obligati.

Nemo de rustica progenie natus, in Episcopum eligatur. ART. XXIIII.

NEMO de rustica progenie natus, in Episcopum vel Archiepiscopum, ob perpetuam præmissæ rusticanæ proditionis memoriam, per Regiam Maiestatem promoueatur: & si quispiam promoueretur, nemo illi decimas dare teneatur.

Migratio colonorum quomodo interdicta. ART. XXV.

HOC expressè nihilominus declarato: quòd articulus de Iobagionum vlteriori non recessu vel commigratione præscriptus & prædeclaratus, quia plurimæ maximæq; incommoditates, & quotidiana ferè iurgia, prætextu abductionis & retentionis Iobagionum hactenus suboriebantur, æquè ad omnia loca, ac vniuersas Iobagionalis ac plebeæ conditionis homines, vbilibet intra limites Regni huius, & partium sibi subiectarum residentes, referatur & intelligatur: ita, vt de cætero Iobagionum dimissio vel abductio, per omnia cesset, perpetuóque aboleatur & extincta maneat semper. Verùm-

do

de ciuitatibus liberis Regiæ Maiestatis,& dominorum,in alias ciuitates similiter liberas eorundem,commigratio Iobagionum prænotata, inter sese, per hanc constitutionem interdicta non intelligatur.

De violenta colonorum abductione, & restituere nolentis pœna. ART. XXVI.

ITEM ordinatum est: quòd si quis potentum, aut alterius cuiusuis status & conditionis hominum, Iobagiones quorumpiam manu violenta, aut aliter contra dominorum suorum voluntatem abduceret: extunc ille cuius Iobagio abduceretur, acceptis penes se vno ex Iudicibus Nobilium,ac alijs quatuor Nobilibus illius Comitatus,vbi Iobagio abductus reperietur, (qui omnes sub pœna solutionis singulorum Centum florenorum,per Comites & Vicecomites ac cæteros Iudices Nobilium, immediatè & irremissibiliter, partim pro se, partim verò actori exigendorum, requisiti venire tenebuntur, nisi graui detineantur ægritudine,vel ineuitabili præpediantur necessitate)postquã hoc & id,quòd scilicet violenter,& contra voluntatem suam fuisset Iobagio suus abductus,sufficienter verificare, & eundem Iobagionem, in facie talis oppidi vel talis villæ constitutum, Nobilibus ipsis,præsente ibidem dicto Iudice Nobilium,demonstrare poterit: extunc dominus ille,vel Nobilis admoneatur ad reddendum vna cum rebus suis. Qui si reddiderit,nihilominus pro violentia,sufficienter tamen prius comprobata, soluat Centum florenos,partim Comitibus vel Vicecomitibus, ac Iudicibus Nobilium, partim autem ipsi actori: quibus solutis,si postea eundem Iobagionem apud se temerè retinebit, amittat locum illum,in quem Iobagio ipse abductus est, siue sit ciuitas, siue oppidum,siue villa,siue portio. Cuius tertia pars cedat illi, cui violentia illata est; duæ partes reliquæ,maneant Regiæ Maiestati.

De officiali,in abductione coloni vim committente. ART. XXVII.

SI verò officialis,inscio & ignorante domino suo,huiusmodi violentiam commiserit,& id verificari poterit,neq; dominus in ea re partes officialis sui tutatus fuerit,teneatur officialis violentiam soluere,& dominus requisitus,Iobagionem abductum ad sua bona restituere,sub pœna præmissa. Si autem dominus ipse, in remotis ageret, & officialis suus ipso inscio patraret violentiam, & in retinendo illo, contra admonitionem perseuueraret,dominusq; suus, ob absentiam requiri non posset: talis officialis pro violentia soluat Centum florenos,& pro retinendi temeritate,amittat bona sua, si quæ habet,Nobilitaria. Si verò rusticus est ipse officialis, tradatur per dominum suum ad manus eius,cuius Iobagio fuit per illum abductus; qui si non traderetur, amittatur locus ille, quo Iobagio fuit abductus. Vbi verò diceret dominus eiusdem officialis,non posse ad manus eum tradere,quia aufugisset,iuramento coram Comitibus,Vicecomitibus & Iudicibus Nobilium talis Comitatus se expurget, quòd postquam sibi violentia ista innotuit,detinere eum non potuit: & si non iurabit, homagium illius persoluet. Domini verò Prælati,si violentiam huiusmodi fecerint, aut facere procurauerint, pro violentia soluant similiter Centum florenos: & si perseuerauerint in retinendo Iobagione abducto (quia bona Ecclesiæ amitti non possunt) in æstimatione loci illius,in quem abduxerunt,conuincantur. Hoc tamen addito,quòd illi,vel fratribus illius,qui Iobagionem alterius violenter abduci fecerat,Regia Maiestas, ipsas duas partes bonorum suorum donare non possit,ne per hoc abductio prænotata inulta prætereat, & impunita maneat.

De profugis colonis,& pœna Nobilium tales restituere nolentium. ART. XXVIII.

SI autem rusticus quispiam,saltu vel furtim discederet, ille, in cuius bonis reperietur,ad admonitionem & requisitionem domini sui,per vnum vel duos ex Iudicibus Nobilium fiendam,restituere teneatur.Nam si reddere recusauerit,cum posset, & hoc modo antelato verificari poterit, extunc pœnam de violenter abductis prænotatã subibit. Vbi autẽ abinde quoq; Iobagio furtim vel aliter discederet,super hoc, quòd post admo-

nitionem

nitionem factam, illum detinere non potuit; si dominus illius possessionis in propinquo erit, per se, si verò absens fuerit, vel in longinquo agit, officialis suus iuramentum præstare tenebitur, & si præstare noluerit, homagium illius actori persoluat, & Comites ac Vicecomites satisfactionem superinde, modo prænotato, impendant.

De liberis Ciuitatibus Comanis, aut Philistæis, aliorum Iobagiones abducentibus: & pœna eorundem. ART. XXIX.

SI verò ciuitates liberæ vel munitæ, siue Comani, siue Philistæi, aut alij Iobagiones Regij, in medium eorum Iobagiones cuiuspiam violenter abducerent, aut furtim illuc ipsi Iobagiones confugerent, & per Iudices Nobilium, cum alijs quatuor Nobilibus prænotatis, modo antelato requisiti, huiusmodi Iobagiones abductos vel fugitiuos reddere nollent: extunc Iudex & iurati talis ciuitatis & villæ (quia bona Regia per hoc alienari non possunt) pro quolibet Iobagione, in Ducentis florenis aduersus Nobilem vel alium actorem, & insuper in homagijs talium Iobagionum, aduersus Comites vel Vicecomites & Iudices Nobilium ipsius Comitatus, vbi id fieri contingit, conuincantur: & ijdem Comites ac Vicecomites cum Iudicibus Nobilium, ex parte illorum satisfactionem impendere, ac Iobagionem reducere teneantur. Si autem etiam hac pœna persoluta, Iobagionem reddere nollent: extunc etiam secundariò & tertiariò, ad restituendum admoneantur: & quoties reddere recusauerint, toties pœnam prænotatam incurrant & persoluere teneantur. Si verò Iobagio aufugeret, quòd post admonitionem detineri illum non potuerunt, Iudex & iurati ciues, coram ipsis Comitibus, Vicecomitibus & Iudicibus Nobilium iuramentum præstent, & si non præstiterint, homagium persoluere debebunt, modo prædeclarato. Super oppidis etiam & bonis Ecclesiarum, quantum ad Iobagiones fugitiuos, idem est sentiendum atq; faciendum: & si temerariè retinuerint, tandem in æstimatione illius loci conuincantur.

Fugitiuus colonus extra villam repertus, capi liberè potest, & ad pristinum dominum cum rebus reduci. ART. XXX.

ET si rusticus fugitiuus, aut violenter abductus, per dominum suum in campo, vel alibi detineri poterit, liberè detineatur, & ad pristina sua habitacula, cum omnibus rebus suis, quæ in manus domini sui incidere possunt, reducatur.

Comite mulctam, ratione coloni abducti, exigere non valente, ea per communem arestationem exigatur. ART. XXXI.

VBI autem Comites, aut Vicecomites, cum Iudicibus & vniuersitate Nobilium, ad restitutionem huiusmodi pœnæ insufficientes fierent: extunc in loco communi, penes literas eorundem Comitum vel Vicecomitum & Iudicum Nobilium, quilibet colonorum & inhabitatorum talis ciuitatis, aut oppidi vel villæ, cum rebus suis arestari, & ad satisfactionem compelli possit. Contra ipsos verò Comites & Vicecomites si per seipsos præstarent occasionem præmissarum violentiarum, vniuersitas Nobilium, modo prædeclarato, procedat: & si ad ipsam exequutionem seu processum insufficiens videbitur, tunc Maiestas Regia superinde requisita, illam peragere, & peragi facere dignabitur.

Personæ Ecclesiasticæ & Sæculares inuicem peccantes, æqualiter mulctentur. ART. XXXII.

ET quòd personæ quoq; Sæculares, contra Ecclesiasticas, ciuitatesq; liberas, & Iobagiones Regios, solummodo in pœna prænotata, & non in amissione possessionis aut villæ conuincantur.

De malefactorum per Comitatus conscriptione, ac punitione eorundem. ART. XXXIII.

ITEM quia nemini dubium est, quod præterita afflictio rusticana, peccatis nostris exigen-

exigentibus, permittente DEO, illata est. Peccata autem ex eo creuerunt, quòd semper impunita manserunt; inde latrocinia, furta, homicidia, adulteria, falsarum monetarum cusiones, incendia, aliaq; malorum genera multiplicata fuerunt. Propterea statutum est: quòd in omnibus & singulis Comitatibus huius Regni prænotati, Vicecomites, Iudices Nobilium, ac duodecim electi iurati, qui ad reuisionem & recuperationem damnorum fuerint deputati, firmissimo sub iuramento, vniuersos eiuscemodi malefactores, tàm scilicet Nobiles, quàm etiam ignobiles exquirere, de illorumq; nominibus experiri, & in regestum conscribere, & eos tandem iuxta eorum demerita punire debeant. Præterea de Nobilibus quoq; illis, qui rusticis, in ipsorum præmissa tumultuaria insurrectione adhæserunt, & partem illorum tenuerunt, cum eisq; participauerunt, veritatem pariter inquirant, & eos omnes, qui culpabiles inuenti fuerint, in regestum similiter inscribant, atq; sub eorum sigillis Regiæ Maiestati mittant, vt tandem iuxta seriem huiusmodi regesti, illi tanquam proscripti, omnibus eorum bonis & iuribus possessionarijs destituantur, & ad occupationem eiuscemodi bonorum, vigore donationis Regiæ, exinde iam factæ vel fiendæ, processus amplior non sit necessarius, neq; requiratur, sed quilibet iustè talia bona impetrans, eisdem de facto potiatur, ne malefactores impuniti maneant, & ne innocentes condemnentur. Multi enim Nobilium in manus rusticorum incidentes, ne per eos occiderentur, illis adhæserunt & sese subdiderunt: postquam tamen potuerunt, mox illos reliquerunt, & ab eis aufugerunt, & tales condemnari non debent. Innocentes Nobiles cũ rusticis ne condemnentur.

Nobiles Comitatus Maramarusiensis rusticis adhæsisse putati. ART. XXXIIII.

ET quia omnes ferè Nobiles Comitatus Maramarusiensis partem rusticorum tenuisse, & cunctis eorum prauis perniciosisq; actibus participasse dicuntur. Ideo super illis, in Comitatibus de Vgocha & Beregh fiat veritatis inquisitio prænotata.

Bona Nobilium rusticis adhærentium, quibus conferantur. ART. XXXV.

ET quòd Regia Maiestas, bona talium sceleratorum Nobilium, dominis & Magnatibus, (qui etiam alioquin satis habent) non conferat, & si iam contulisset, huiusmodi collatio nullius sit firmitatis, sed illis donet, quorum fratres, aut patres, per rusticos occisi sunt. ITEM illis, qui Maiestati suæ & Regno, in campis & exercitibus vel castris armata manu, fideliter seruierunt. Præterea illis, qui ex rusticis quidem parentibus nati sunt, sed penes ipsorum dominos & Nobiles fideliter & probè seruierunt, eisq; in ipsorum periculis astiterunt, vt etiam reliqui rustici fideliores hoc exemplo reddantur, & dominis eorum de cætero feruentius obsequantur. Et si qui benè impetrata bona, illis quorum fuerunt, fauore remittet vel gratis, tanquam particeps sceleris, eadem pœna condemnetur.

Gratia Regia in hoc insurrectionis rusticanæ casu, nemini suffragetur.
ART. XXXVI.

ET quòd gratia Regia, tàm rusticis malefactoribus, quantum ad personas eorum, quàm etiam Nobilibus eisdem rusticis adhærentibus, & partem eorum modo antelato tenentibus, quantum ad bonorum ipsorum recuperationem, iam forsitan facta vel fienda, suffragari non possit, sed omnino iuxta eorum demerita puniantur, vt de cætero etiam alij per hoc exemplati, à vera fidelitate non discedant. De reliquis quoq; malefactoribus, in ipsis iudicijs seu exequutionibus Comitatuum proscribendis, idem est intelligendum, vt omnes semota gratia puniantur, cæteriq; inposterum terreantur, & ad similia perpetranda facinora sese non apponant.

Quid si Rustici malefactores Comitibus ad puniendum non assignentur.
ART. XXXVII.

VBI verò eiuscemodi malefactores rustici exeuntes de bonis aliquorum, ad manus Comitum, Vicecomitum, ac Iudicum Nobilium, ad infligendam illis pœnam à Iure statutam, non assignarentur dum requirerentur: extunc domini eorũ, in homagijs eorundem

dem conuincantur, seruetur; modus & ordo, in admonitione & requisitione huiusmodi, qui super Centurionum, Capitaneorumq; & Decurionum ac rusticorum punitione, superius conscriptus est. Et præterea, vbicunq; & per quemcunque tales malefactores, siue Nobiles, siue rustici existant, comprehendi poterunt, penes literas Comitum ac Vicecomitum & Iudicum Nobilium superinde confectas, omni gratia semota occidantur, necariq; valeant atq; possint.

Rustici verberatorum Nobilium, viua homagia persoluant. ART. XXXVIII.

ITEM quia plures Nobilium per rusticos, & si non interempti, tamen capti, & diuersis etiam cruciatibus ac verberibus affecti fuerunt: ideò ijdem rustici, qui, vel de quibus locis hoc patrarunt, homagia talium Nobilium viua, hoc est, Centum florenos auri soluere teneantur, limitatione prætactorum Vicecomitum ac Iudicum Nobilium, & aliorum duodecim electorum hominum mediante.

Rustici Capitanei, Centuriones, Decuriones & similes in hoc casu capitis damnati. ART. XXXIX.

ET ante omnia prænominati Capitanei, Centuriones, Decuriones, concitatoresque & seductores rusticorum, nec non manifesti homicidæ Nobilium, stupratoresq; puellarum, & violatores mulierum, tempore quo super damnis illatis exequutio fiet, per antefatos Vicecomites & Iudices Nobilium, ac duodecim electos, in singulis Comitatibus reiiciantur & consignentur, atq; per eos, in quorum bonis modo latitant, vel si in remotis illi agerent, per Officialem: & si Officialis quoq; abesset, per Iudicem & iuratos ciues: & si idem Iudex & iurati ciues essent tales malefactores, per vniuersitatem colonorum, ad intimationem & requisitionem Vicecomitum & Iudicum Nobilium, ac duodecim electorum, ad locum sedis Iudiciariæ Comitatuum, ad primam scilicet sedem importentur, ibiq; capitis condemnentur.

Rusticus inuitus Capitaneatum assumens, capitis non damnetur. ART. XL.

VERVMTAMEN, super Capitaneis mera rei veritas inquiratur, si quispiam illorum, sponte vel proprio motu Capitaneatum suscepit, vel autem compulsiue & metu alios rusticos præcessit Nam si coactus præcessit, pœnam capitalem non meretur.

Rusticum Centurionem vel Decurionem punire non permittens, in florenis quadringentis condemnetur. ART. XLI.

Si qui autem contrarium facere præsumerent, siue domini Sæculares ac Nobiles, siue autem ciuitates liberæ vel munitæ, siue Philistæi vel Comani, aut alij Iobagiones Regij, siue officiales aut oppida vel villæ Ecclesiarum, pro quolibet tali malefactore, in singulis quadringentis florenis conuincantur, & toties, quoties requisiti ad infligendam pœnam dare & importare illos noluerint, in ipsa pœna solutionis quadringentorum florenorum, partim his, contra quos excesserunt, partim verò Comitibus, Vicecomitibus, & Iudicibus Nobilium, condemnentur: fiatq; exequutio per omnia, sicuti de Iobagionibus de cętero violenter abducendis & aufugientibus, habetur superius expressum.

Rusticum aufugisse asseuerans, iuret certo numero hominum. ART. XLII.

VBI verò quispiam talem malefactorem aufugisse, & post admonitionem non potuisse comprehendere, allegaret, ille iuramento, decimo se, si Nobilis fuerit, si ignobilis, quadragesimo se, iuxta scilicet homagium, expurget, & si non iurabit, homagium eius persoluet.

Comitibus iudicium generale, in hoc casu celebrari permittitur. ART. XLIII.

SI qui verò Comitum cupient, & à Regia Maiestate postulabunt, super exquirendis & extirpandis prænarratis omnibus malefactoribus, tàm scilicet Nobilibus, quàm

ignobi-

ignobilibus, sed & illis Nobilibus, qui rusticis adhæserunt, & partem illorum tenuerunt, iudicium generale seu Palatinale per Maiestatem suam celebrandum concedatur, prout habetur in Decreto.

Rustici, qui hoc tempore à dominis discesserunt, per Comites restituantur.

ART. XLIIII.

OMNES rustici, qui hoc disturbij tempore, præter dominorum vel dominarum ipsorum voluntatem, discesserunt, per Comites ad pristina eorum habitacula, simul cum rebus eorum reducantur, & in huiusmodi reductione, seruetur modus & ordo, qui in noua abductione Iobagionum obseruabitur: de cæteris verò abductionibus Iobagionum, ante ipsum disturbium indebitè factis, si qui lites iam habent superinde motas, seruetur modus prius iuxta Decretum obseruatus.

Comitis in hoc casu delinquentis, vniuersitas Nobilium vices supplebit.

ART. XLV.

VBI autem Comites vel Vicecomites, per se ipsos essent in causa, tunc Iudices Nobilium, cum vniuersitate Nobilium, exequutionem præmissam peragendi habeant authoritatem. Et si vniuersitas ipsa cum Iudicibus Nobilium, ad eandem exequutionem non sufficeret, Regia Maiestas illam peragat, peragiq; faciat semper.

De Waiwodis & Besliis deponendis. ART. XLVI.

ITEM quòd Waiwodæ & Besliæ, in partibus inferioribus constituti, cessent & deleantur: & si in quorum bonis, infra proximum festum Beatorum Innocentum Martyrum non deponerentur, tales, pro quolibet Waiwoda, singulos quadringentos florenos persoluant: & si persolutis illis, adhuc tenere eos comperti fuerint, amittant loca illa seu bona, in quibus reperientur. De Beslijs autem, Comites vel Vicecomites faciant proclamare, vt cessent & supersedeant à rapinis atq; furtis: Qui si cessauerint, benè quidem, alioquin per eosdem Comites & Vicecomites suspendantur: & si domini eorum contradicerent, loca ipsa vbi habitant, pariter amittant, & ea Regia Maiestas, cui donare voluerit, liberè conferre possit.

Rusticorum, qui puellas aut mulieres violarunt, pœna. ART. XLVII.

ET ne de cætero quispiam rusticorum, seditiones in populo concitare, & præsertim puellas & mulieres Nobiles violare præsumat, sed omnem successiuam posteritatem illata propterea pœna teneat, vtque omne sæculum agnoscat pariter & reminiscatur, quã detestabile, quam enorme, quamue turpe vitium sit post DEVM, apud Vngaros, virginum defloratio ac mulierum violatio, vniuersi tales præsumptuosi, DEoque & hominibus detestandi latrones, horrenda nece pereant, & eorum quoque posteritates, filij videlicet & filiæ, ac fratres carnales ita puniantur, vt de illorum progenie, Iudex aut iuratus ciuis, vel villicus, in medio aliorum rusticorum aliquis non eligatur, nemoq; in Curia Principis vel dominorum ac Nobilium, ex eis famulari vnquam possit, & nullus eorum ad aliquem honorem promoueatur, sed tanquam maledictæ generationis, iugo perpetuæ seruitutis & rusticitatis subiecti, reatus ipsorum pœnam lugeant. Si verò non vxorati talia patrasse deprehendentur, eorum nihilominus patres præmissa infamia condemnentur.

Rusticorum filij & filiæ, sorores & fratres carnales damnantur pœna perpetuæ infidelitatis

Presbyteri scelerati inquirantur, & carceribus per Prælatos tradantur.

ART. XLVIII.

DOMINI verò Prælati per eorum Visitatores, huiusce sceleris participes Presbyteros, exquiri statim, & perpetuis carceribus mancipari faciant, imò si per quospiam Nobiles, vel eorum famulos comprehendi poterunt, liberè detineantur, & ad manus Prælati sui vel factoris eiusdem, tradantur, pœnam prænotatam inituri.

Bona tempore disturbiorum, quocunque titulo impetrata, statim remittantur.

ART. XLIX.

ITEM quòd vniuersa bona, & quælibet iura possessionaria quorumcunque Nobilium, aut per notam infidelitatis, aut defectum seminis, his disturbiorum temporibus impetrata, & per plerosque potentes occupata, statim & de facto remittantur, & etiam prouentus eorum hactenus qualitercunq; percepti, restituantur. Et si non remitterentur, prouentusq; non restituerentur, per Comites nihilominus ac Vicecomites restituantur, & insuper propter violentiam, tanquam contra violentos & potentialiter detentores, iudicium & sententia decernatur, habita statim superinde euocatione. Ita tamen, vt post remissionem bonorum, donatio maneat in vigore, & prosequatur Regni de lege: si quispiam impetratorum inquisitionem super flagitiosis, & partem rusticorum tenentibus Nobilibus prædeclaratam, expectare noluerit.

Comites & Vicecomites quoque bona impetrata hoc tempore remittant.

ART. L.

ET si soli Comites vel Vicecomites fuerint bonorum ipsorum detentores, tunc per iudices & vniuersitatem Nobilium restitutio nihilominus peragatur, & prætereà sententia, modo præallegato, facta euocatione contra eos, feratur.

Res Nobilium, si non sint manubia præliorum, dominis suis restituantur, sub pœna minoris potentiæ, & rerum valore soluendo. ART. LI.

RES etiam Nobilium vniuersæ, demptis illis, quæ in prælio sunt consecutæ vel receptæ, sub pœna minoris facti potentiæ, ac æstimationis & valoris rerum ipsarum restituantur, & si non redderentur, præhabita admonitione per Iudices Nobilium, in facto ipso minoris potentiæ, & præterea, in æstimatione rerum ipsarum, vt præfertur, detentores earundem conuincantur, & Comites ac Vicecomites & Iudices Nobilium, læso satisfactionem superinde impendant. Secundò autem si requisiti reddere nollent, in duplo condemnentur, & consequenter sic conuincantur. Vbi verò Comites, Vicecomites & Iudices Nobilium ad executionem insufficientes erunt, Regia Maiestas ad requisitionem & supplicationem Comitum, executionem ipsam peragat. Et si qui Nobilium equos, aut arma, vel alias res amiserint in bello contra rusticos, teneantur illos quoque & illa, modo & sub pœna præmissis reddere, si reperientur: & insuper per vniuersos dominos Prælatos & Ecclesiarum rectores, cunctis presbyteris, Diocæsibus eorum subiectis, imò etiam fratribus cuiuslibet Ordinis, sub excommunicationis pœna committatur, vt neminem absoluant, nisi prius bona Nobilium, præter ea, quæ in prælio adepta & consecuta sunt, reddant, imò tales qui habent, vbiq; publicè excommunicatos denunctient.

A rusticis extortam rem, spoliato restituere nolens, maioris potentiæ pœna mulctetur.

ART. LII.

PRÆTEREA, plures perhibentur esse in Regno, qui aliorum bona, propter damna forsitan ipsis illata, vel etiam damnabilis lucri causa, notabilibus pecuniarum summis taxarunt, & plerosq; aliorum rusticos, de eorum domibus extrahentes, vel aliter extra prælia captiuantes, pactarunt. Ne igitur coloni ipsi & rustici duplici solutione grauentur, tempore reuisionis & limitationis prætactorum damnorum omnium dominorum & Nobilium, etiam super huiusmodi taxatione & pactatione, per prædictos Vicecomites, & quatuor Iudices Nobilium, ac duodecim iuratos electos, veritas inquiratur: & si quid extorsisse aliqui reperientur; refundere, & ad sortem damnorum omnium dominorum & Nobilium, prout limitatũ ibi fuerit, deponere teneantur. Qui si reluctarentur, vel iuridicè forsitan aliter admoniti restituere recusarẽt, tanquã contra potentes, sententia maior decernatur, & iudices ordinarij, vel Comites ac Vicecomites cum Iudicibus Nobilium executionem contra eos peragant, & si per seipsos forsitan essent reluctantes,

vniuer-

vniuersitas Nobilium, in executione procedat. Vbi verò Comites vel Vicecomites cum Iudicibus Nobilium, ac ipsa vniuersitas, ad exequendum non sufficeret, Regia Maiestas curare dignabitur fieri executionem in præmissis.

Iura possessionaria Nobilibus, nouæ donationis titulo, Regia Maiestas restituat.

ART. LIII.

ITEM quia multorum Nobilium literæ ac literalia instrumenta, hoc tempore disturbij perierunt, & per rusticos incinerata; vel in parte dilacerata sunt: Ideo Regia Maiestas omnibus illis Nobilibus, iura eorum possessionaria, nouæ donationis suæ titulo, cum declaratione huius perniciei, donare dignetur. Et quia ijdem Nobiles rebus eorum despoliati sunt, ideò dominus Cancellarius, sine redemptione, literas huiusmodi donationales restituat, & restitui facere velit.

Metas Regni Rex rectificari curet. ART. LIIII.

DEINDEQVE, cunctorum talium bonorum metas, Vernali statim tempore adueniente, Regia Maiestas, per Magistros Protonotarios reambulari & rectificari faciat, & non solùm huiusmodi bonorum, verùmetiam ex parte ipsorum Comanorum & Philistæorum, ac Zegediensium, nec non ex parte Morauiæ, Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, & generaliter omnes metas Regni, iuxta contenta Decreti, rectificari faciat.

Personalis præsentia Regiæ Maiestatis semper Budæ maneat, causasque Transmissionales continuè iudicet, & personalis præsentia sit sæcularis personæ.

ART. LV.

ITEM quòd Regia Maiestas, sigillum suum iuridicum seu iudiciale, personæ Sæculari benemeritæ, iurisq; & literarum peritæ conferat, qui semper Budæ maneat, & cunctas causas Transmissionales atq; breues breuium iudicet, & literæ ratione breuis breuium, sub sigillis omnium iudicum ordinariorum Regni emanari possint. Verùm euocatio seu admonitio, in præsentiam Regiam, modo hactenus obseruato fiat, & causæ huiusmodi, per ipsam personalem præsentiam iudicentur, nisi forsitan, ex Transmissione eiusdem fuerint in præsentiam aliorum iudicum deductæ.

Honor Comitatus Heuesiensis, personæ Sæculari conferatur. ART. LVI.

DE honoribus Comitatuum, per Regiam Maiestatem exnunc prouidendum est, quia negligentia aliquando & vitio, interdum verò potentia & insolentia Comitum, multa incommoda sequuntur. Et quòd honor Comitatus Heuesiensis, iuxta contenta Decreti, personæ Sæculari conferatur, quia Episcopus Agriensis, extra Regnum moratur: qui si ad residentiam venerit, vel autem Ecclesia ipsa Prælatum alium residentem habuerit, honor eiusmodi Comitatus iterum ad Ecclesiam redeat.

Vt turres, castra, fortalitia, Nobiles cum Regis scitu construere possint.

ART. LVII.

QVILIBET Nobilium, turres & fortalitia, pro defensione personæ & rerum suarum, cum propugnaculis & fossatis erigere, in singulisq; Comitatibus vnum castrum, pro communitate Nobilium, cum scitu Regiæ Maiestatis construi possit.

Nonæ à ciuibus, in terris aliorum vineas & terras habentibus, solui debent.

ART. LVIII.

ITEM quòd nonas, omnes ciuitatenses in terris aliorum vineas habentes & araturas facientes, dominis terrestribus, iuxta contenta Decreti, soluere teneantur. Ciues ciuitatũ nonas soluant ex vineis & araturis, in aliorum terris habitis.

Nullus plura beneficia Ecclesiastica teneat. ART. LIX.

ITEM quòd præter vnum beneficium, nemo Spiritualium & Ecclesiasticarum personarum, secundum Decreti formam, de cætero tenere & gubernare possit, & ea statim

Regia Maiestas benemeritis conferat: aliter autem illa, ad conseruationem castrorum finitimorum conuertantur.

Presbyteri non beneficiati, scholares, Haidones, rustici, arma & pixides non gerant.

ART. LX.

PRESBYTERI non beneficiati, & Scholares Scholas inhabitantes, arma vel pixides de cætero gerere non audeant. Nam si Presbyter aut Scholaris (nisi extra Regnum transiturus) arma vel pixides de cætero tulerit, etiam per rusticanam manum, ablatis suis armis aut pixidibus, comprehendi possit, ac ad manus Prælati, vel Archidiaconi sui, si in propinquo erit, aliter autem Vicearchidiaconi, vinctus assignari debebit: qui illum manibus domini Prælati sui vel factoris eiusdem tradere teneatur carceribus mancipandum, & graui pœna puniendum. Quòd si ipse Vicearchidiaconus facere recusaret, extunc solus ipse per Comitem vel Vicecomitem captiuetur, & ad manus ipsius domini Prælati vel eius factoris tradatur, pœna prænotata puniendus: Præterea, quòd bubulci, vulgari sermone Haidones nuncupati, cuspides & alia arma pariter non deferant, & neque rustici pixides gerere præsumant. Nam aliter, si Haido arma gesserit, per quemcunque & vbicunque comprehendi poterit, primò castigetur: secundò, si iterum arma tulerit, decoletur, vel alia morte mulctetur. Rusticus verò, si pixidem habuerit, dextra manu truncetur.

Pastores pecudum bonæ famæ teneantur, & non alij. ART. LXI.

ITEM statutum est, quòd pro pecudum aut pecorum conseruatione, in terris aliorum, nemo rusticorum, etiam liberarum vel aliarum ciuitatum Regiarum, domos seu casas de cætero campestrales siue tuguria, communi vocabulo szallas nuncupata, tenere aut conseruare possit, vt per hoc malicia Haidonum cesset & depereat. Nobiles autem, si huiusmodi domos in eorum terris proprijs tenuerint, custodes nihilominus vxoratos, & tales quidem, qui bonæ famæ & honestæ conditionis sint, ibidem tenere debeant, ne de illorum prauis actibus, mala cuipiam inferantur. Ipsi etiam ciues & alij rustici, in eorum terris & territorijs similiter facere teneantur. Nam aliter, pecudes & pecora talium omnium, & Nobilium & ciuium ac rusticorum inibi reperienda, per Comites vel Vicecomites talium Comitatuum, in quibus ea fieri continget, auferantur, & insuper cuncta tuguria ciuium ac rusticorum, in terris & territorijs dominorum & Nobilium, præter eorum consensum erecta, quæ tempore reuisionis & refusionis præmissorum damnorum per rusticos illatorum reperientur, per eosdem Comites ac Vicecomites, & vniuersitatem Nobilium illorum Comitatuum distrahantur, & si iterum erigentur, pecudes & pecora tandem auferantur. Vbi autem Comites ac Vicecomites, cum ipsa vniuersitate Nobilium, ad hanc executionem peragendam impotentes erunt, Regia Maiestas ad requisitionem & supplicationem Comitum vel Vicecomitum, exequutionem huiusmodi peragere faciat semper.

Possessiones Nobilium interemptorum, filiabus aut vxoribus eorum, donentur.

ART. LXII.

MAIESTAS Regia, illa bona, quæ per defectum seminis aliquorum Nobilium per rusticos interemptorum, ad collationem Maiestatis suæ legitimè deuoluta esse dignoscuntur, nemini simpliciter conferat, & si contulisset, donatio ipsa nullius sit firmitatis: sed si Nobilis interemptus filias habuerit, eisdem filiabus Maiestas sua perpetuò donet: si verò filiabus quoque caruerit, extunc Relictæ eius, Maiestas sua in perpetuum conferat. Ita tamen, ne Relicta ipsa vel filia, rustico nubat; nam sic, cuicunque Maiestas sua voluerit, liberè donet. Puella etiam Nobilis, si rustico (etiam patre vel fratribus consentientibus) de cætero nupserit, sola quarta puellari contentetur, & huiuscemodi donationes Regiæ; filiabus vel vxoribus interemptorum Nobilium modo præhabito fiendæ, fratribus condiuisionalibus occisi, vel eis, ad quos de iure bona illa sunt deuoluta, præiudicare

tare non intelligantur, sed quæ ad collationem Maiestatis Regiæ dignoscuntur ritè & legitimè redacta extitisse, filiabus ipsis & vxoribus illa duntaxat erunt conferenda.

Decreta comportentur & rectificentur, ac per singulos Comitatus distribuantur. ART. LXIII.

ITEM quòd vniuersa Decreta iam rectificentur, & in vnum comportentur, iuraque Regni Regia Maiestas statim perlegi facere, & perlecta confirmare, confirmataque & sigillata, ad singulos Regni Comitatus remittere dignetur.

Decimatores pro debito neminem arestent. ART. LXIIII.

CÆTERVM, quia plerique decimatorum, tempore decimationis vinorum, omnes indifferenter Nobiles & ignobiles, quantumcunque exiguo & vili pro debito, vel alio negotio arestare consueuisse perhibentur. Arestatio autem, iuxta generalis Decreti formam, præter vnum casum ibidem declaratum, fieri non potest, & aliàs decimatoribus ipsis, non iudicandi quenquam, sed decimandi duntaxat data est facultas. Propterea ijdem decimatores, sese de cætero in negotium aresti, præter factum decimarum, ingerere vel immittere nullatenus præsumant. Nam si non cessauerint, etiam coloni talium locorum, ad decimarum solutionem non compellantur, sed decimæ ipsæ, per dominos terrestres in hac parte exigantur, & ad castrorum finitimorum conseruationem reformationemque conuertantur.

Beneficiati in Vrbem proficiscentes, quomodo Regi se obligare debeant, ne mortuis ipsis Romæ Pontifex beneficia conferat. ART. LXV.

QVONIAM plurimi beneficiatorum Ecclesiasticorum, aut priuatis eorum pro rebus, aut cæterorum consociorum negotijs expediendis, in Vrbem Romam proficiscuntur, ibique sæpenumero moriuntur, & sic eorum beneficia, per summum Pontificem, exteris nationibus & aduenis, contra Regni huius libertatem, crebrò conferuntur. Ideo deliberatum est, vt à modo deinceps, quilibet dominorum Prælatorum, ac aliorum virorum Ecclesiasticorum beneficiatorum, Vrbem petiturus, antequam itineri se submittat, teneatur de patrimonio suo in prouentibus, tantum Maiestati Regiæ & Sacræ Coronæ suæ obligare & inscribere, quantum prouentus beneficij sui annualis valere dignoscitur. Si verò tantum patrimonij non haberet, teneatur, priusquam ingrediatur, literas à summo Pontifice assecuratorias impetrare: quòd si etiam in Vrbe casu decederet, beneficium nihilominus suum, in Regno hoc, saluum permaneat & sit illæsum.

Monetæ exteræ non inducantur, nec pecora extra Regnum educantur. ART. LXVI.

MONETÆ exteræ in Regnum non inducantur, & inductæ non recipiantur, sed vbicunque, & apud quoscunque repeririri poterunt, auferantur. Et vt facilius & citius huiusmodi pecuniæ eradicentur, & iterum non inducantur, boues & equi atque oues, prout in tribus iam Decretis conclusum habetur, de Regno non educantur, sed vsque Pesth duntaxat, & Albam Regalem abigantur, in quibus quidem locis, vel etiam aliàs, vbi poterint & maluerint, in medio Regni nationes exteræ, boues, oues & equos, pecunijs Vngaricalibus emant & comparent: nam non exteræ nationes, sed Vngari huiusmodi animalia, exteris in Regnis vendentes, pecunias alienas inducere solent. Si qui verò contrarium facerent, tàm boues, quàm equi, & etiam oues, iuxta Decreti formam, illis semper auferantur.

Vt castra finitima prouideantur. ART. LXVII.

REGIA Maiestas, tàm ad Iaiezam, quàm Croatiam, Banos exnunc & de facto constituat, ac debitam prouisionem & ordinationem faciat, ne periculo subijciantur.

Prouisores ad arces finitimas deputentur: Thesaurarius verò perpetuò penes Regem maneat. ART. LXVIII.

ET quòd ad omnia castra finitima, per Maiestatem Regiam prouisores deputentur, qui ad ingenia victualiaq; prouideant, & inuigilare teneantur semper. Item quòd Thesaurarius Regius pro tempore constitutus, solo eo officio Thesaurariatus fungatur, & penes Maiestatem Regiam semper maneat, vt eo commodius res & negotia suæ Maiestatis & Regni sui dirigere, & illis superintendere queat, omniaq; in factis publicis Regiæ Maiestatis & Regni, cum suæ Maiestatis & Regni sui deliberatione faciat.

Actus potentionarij & nouæ occupationes, stante rusticano bello, in breuibus ante alias causas discutiantur. ART. LXIX.

ITEM conclusum est, quòd vniuersi actus potentiarij, nouæq; occupationes per dominos & Nobiles, in alterutrum, his disturbiorum temporibus, à festo scilicet Beati Georgij Martyris proximè præterito, vsque modo, festum scilicet Beatæ Elisabeth viduæ, quomodocunq; & quotiescunq; illati & patrati, habita primùm legitima superinde euocatione, in termino celebrationis breuium iudiciorum, à modo deinceps celebrandorum, ante omnes alias causas discutiantur & adiudicentur. Quæ quidem causæ, si in eodem termino finiri non poterunt, in sequenti & tertio termino similiter de illis fiat, quòd videlicet ante omnes alias causas, extraq; omnem seriem leuentur & terminentur: reliquæ deinde causæ, iuxta Decreti formam, iudicentur.

Scribatur in Regna vicina, ne fugientes rustici, hoc casu, recipiantur à quibusuis. ART. LXX.

QVIA verò plurimi rusticorum, in confinibus Regni residentium, ob grauamina & seruitia, ipsis ob eorum demerita de præsenti imposita, ad extera Regna, videlicet, Poloniam, Moldauiam, Morauiamq; & Austriam secedere creduntur moraturi: quòd fieri ne possit, Sacra Maiestas Regia ad eadem Regna sic scribere dignetur, vt coloni & rustici illuc transeuntes moraturi semper reddantur, & ad pristina eorum habitacula reducantur, imò potius nec illuc immittantur.

Combusta loca, hoc casu, exempta à solutione dicæ. ART. LXXI.

POSTREMO quòd loca, quæ in transacto disturbio per dominos & Nobiles, ad rusticorum rabiem domandam, combusta & incinerata sunt, in ea parte, vbi combustio facta est, à contributione Regia atque exercituali, hoc venturo triennio relaxentur.

CONCLVSIO.

NOS itaque, præmissis supplicationibus præfatorum dominorum Prælatorum ac Baronum & Regni nostri Nobilium, modo & ordine superius expressato, nostræ factis Majestati, tanquam iustis & rationabilibus, inclinati, præscriptos articulos, commune bonum, ac quietum statum & vtilitatem ipsius Regni nostri in se continentes, acceptauimus, approbauimus & ratificauimus, imò acceptamus, & sub eisdem conditionibus, quibus editi & superius conscripti existunt, approbamus & ratificamus. Nos quoque eosdem, & omnia in eisdem contenta atque specificata inuiolabiliter obseruare, & per alios etiam obseruari facere promittimus & obligamus, præsentis scripti nostri patrocinio mediante. In cuius rei memoriam, firmitatemq; perpetuam, præsentes literas priuilegiales, appensione secreti sigilli nostri, quo, vt Rex Vngariæ vtimur, communitas, duximus concedendas. Datum Budæ in festo Beatæ Elisabeth viduæ, Tricesimo scilicet tertio die Dietæ & conuentionis generalis prænotatæ. Anno Domini, Millesimo, Quingentesimo, Decimo quarto: Regnorum nostrorum, Vngariæ, &c. Vigesimo quinto: Boëmiæ verò Quadragesimo quinto. Reuerendissimis Reuerendisq; in Christo patribus, dominis, Thoma, Tit. Sancti Martini in montibus, Sanctæ Romanæ Eccle-

siæ

sia Presbytero Cardinali, ac Patriarcha Constantinopolitano,& Apostolicæ sedis de latere Legato,Strigoniensis,Gregorio de Frangapanibus,Colocensis ac Bachiensis,Ecclesiarum Canonicè vnitarum Archiepiscopis, nec non Illustrissimo ac Reuerendissimo Ipolito Esthensi de Aragonia, Sanctæ similiter Romanæ Ecclesiæ Diacono Cardinali, Agriensis,Ioanne de Erdeod electo Zagrabiensis, Francisco de Warda Transyluaniensis Francisco de Peren electo Varadiensis,Georgio Quinqueeclesiensis,Secretario Cancellario nostro, Petro Berizlo Wesprimiensis,summo Thesaurario nostro, ac Regnorum nostrorum,Dalmatiæ,Croatiæ & Sclauoniæ Bano, Ioanne Goszthon Iauriensis, Ladislao Zalkano Vaciensis,Francisco de Chahol Chanadiensis,Stephano de Podmanin Nitriensis,Ioanne Orszagh de Guth Sirmiensis,Michaële Kessereo de Ghybarth Bosznensis electis,& Briccio de Egerwara Tininiensis,Ecclesiarum Episcopis,Ecclesias Dei fœliciter gubernantibus. ITEM Spectabilibus & Magnificis,Emerico de Peren prænotata,Comite perpetuo Comitatus Abauywarien. prædicti Regni nostri Palatino,& Iudice Comanorum nostrorum,Comite Petro,Comite de Sancto Georgio & de Bozyn, Iudice Curiæ nostræ,Ioanne de Zapolya,Comite perpetuo terræ Scepusiensis,Waiuoda nostro Transyluaniensi, & Comite Siculorum nostrorum, ac generali Capitaneo nostro, eodem Ioanne de Zapolya, & Barnaba de Bela, Zewremien, Banis, Stephano de Bathor,Comite Themesiensi, & partium Regni nostri inferiorum Capitaneo generali, Blasio de Raska Thauernicorum,Moise Buzlai de Gergellaka Ianitorũ, Ioanne Dragffi de Beolthek Dapiferorum,Ioanne Banffi de Lindwa Pincernarum,Michaële de Palocz Cubiculariorum, Georgio de Bathor prædicta,Agazonum nostrorum Regalium Magistris,& Ioanne Bornemisza,de Berzencze,Comite Posoniensi, alijsque quàm plurimis, Comitatus Regni nostri tenentibus & honores.

LECTORI.

Cum Ladislai Regis posthumi, Decretum secundum (quod supra folio 129. extat) & Mathiæ, ac Vladislai Regum, vniuersa penè Decreta essent edita: hoc eiusdem Ladislai posthumi primum, ab amico, in pargameno, sub sigillo ipsius Ladislai Regis missum, ne quid operi defuisse lector querare, etiam præter seriem hic collocatum est.

LADISLAI REGIS POSTHVMI DECRETVM PRIMVM, QVOD SVPRA FOLIO 129. locum habere debuisset.

NOS LADISLAVS DEI gratia, Rex Vngariæ, Boëmiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Austriæque & Stiriæ Dux, nec non Marchio Morauiæ, &c. Memoriæ commendamus per præsentes: quòd cum nobis nouissimè de manu, potestate & educatione domini Friderici Imperatoris Romanorum exeuntibus, Prælati, Barones & Nobiles Regni nostri Vngariæ, generali conuentione, primùm nuper Viennæ ad nos congregati, relictis omnibus dissensionibus, nos verum & naturalem eorum Regem & dominum, deuota fidelitatis oblatione, concordi animo honorassent, recognouissent & suscepissent, consequenterq; possessionem huius Regni, nobis grata oblatione reddentes, inuitassent nos & conduxissent in hanc Ciuitatem nostram Posoniensem, pro faciendis ordinationibus, quæ pro conseruando statu & pace ipsius Regni opportunæ videbantur. Tandem inter alia, quæ hinc inde concorditer expedita sunt, præfati Prælati, Barones & Nobiles vniuersi, exhibuerunt nobis concorditer & præsentauerunt articulos infrascriptos, desiderantes & supplicantes, vt eos & in eis contenta, rata habere, admittere, & nos obseruaturos promittere dignaremur. Quorum quidem articulorum tenor sequitur in hæc verba.

Quod

Quòd Rex iuramentum deponet. ART. I.

PRIMO dominus Rex iurabit, quòd Regnum suum Vngariæ cum suis Regnicolis, in omnibus & singulis iuribus, libertatibus ac legibus, & approbatis consuetudinibus, inuiolabiliter conseruabit, in quibus prædecessores sui, puta dominus Sigismundus Imperator auus, & dominus Albertus pater, idem Regnum & eius Regnicolas tenuerunt & conseruauerunt. Et quòd metas Regni Vngariæ non alienabit, sed pro posse defendet, & alienata recuperabit.

Sigismundus & Albertus Imperatores.

Status & ordines in Dieta constituti, Regi ad fidelitatem præstandam iurabunt. ART. II.

E conuerso domini Prælati, Barones ac Proceres & Nobiles, cæterique fideles Regni sui Vngariæ vniuersi, sed & deputati Nobiles, hîc Posonij existentes, iuramentum præstare debeant & teneantur eidem domino nostro Regi, super obseruanda fidelitate & obedientia.

Rex extraneis dignitates non conferret. ART. III.

PRÆTEREA conclusum est, quòd dominus noster Rex, extraneis dignitates Ecclesiasticas & Sæculares, ac honores & officiolatus, vel perpetuitates, conferre non debeat, vsq; Dietam Albæ Regalis, quam idem dominus Rex cum celebrare voluerit, quadraginta diebus prius literis suis mediantibus, ipsis Regnicolis promulgare teneatur, vt ipsi in eadem Dieta Albensi possint & valeant interesse: & tandem ea, quæ in hac parte, in ipsa congregatione Prælatorum & Baronum ac Regnicolarum, deliberata fuerint & conclusa, firmiter obseruabit.

Rex omnibus super anteactis excessibus gratiam facit. ART. IIII.

DOMINVS noster Rex, omnibus & singulis Regnicolis, ac alijs cuiusuis status & conditionis hominibus, ad Coronam Regni Vngariæ pertinentibus, his videlicet, qui præsentes sunt & absentes, super omnibus & cunctis offensis & excessibus, qualitercunque, & quibuscunq; modis, contra suam Serenitatem & eius Coronam, à tempore obitus quondam domini Alberti Regis fœlicis recordationis, vsq; ad præsentem diem illatis & perpetratis, plenam gratiam facere dignetur, & modis omnibus indulgere: ita tamen, vt neq; in præsenti, neq; in posterum, quocunq; temporum in processu, idem dominus noster Rex, de eisdem reminisci velit, neq; imputare & neq; possit modis quibuscunq;: & super his literas suas gratiosas, singulis, qui voluerint, dare dignetur.

Donationes Elisabethæ Reginæ, & Ladislai Regis Poloniæ ad Warnam interfecti, cassantur. ART. V.

IDEM dominus Rex, omnes donationes quondam Serenissimæ dominæ Elisabeth Reginæ matris suæ, & etiam quondam domini Regis Poloniæ, pro quorumcunq; parte & quibuscunq;, ac quauis ratione factas, reuocabit & cassabit, & committit omnino viribus carituras, excepta duntaxat, per eandem dominam Reginam, Ecclesiæ Albensi facta.

Castella nouiter erecta, sub pœna notæ infidelitatis, demoliantur. ART. VI.

QVOD omnia noua castella, in his partibus superioribus erecta & habita, à die præsenti, vsq; quindecim dies immediatè sequentes, in partibus autem inferioribus existentia, vsque ad octauum diem mediæ Quadragesimæ, sub pœna infidelitatis, deponantur, & deponi teneantur: demptis illis, quæ sunt erecta ex indulto Regum, ac sub sigillo Regnicolarum. Qui si sic fecerint, benè quidem: alioquin contra eos qui non fecerint, detur sententia in Alba Regali.

Bona occupata, sub pœna notæ infidelitatis, ijs quorum sunt, restituantur. ART. VII.

CASTRA, castella, possessiones & portiones possessionarias ac terras, & alia iura, Eccle-

Ecclesiastica videlicet & Sæcularia, per quoscunq;, absque rationabili causa, occupata, vsque prædictum octauum diem mediæ Quadragesimæ, pœna sub præmissa, remittantur per eorum detentores.

Donationes Gubernatoris Ioannis Hunyadi confirmantur. ART. VIII.

DONATIONES per dominum Gubernatorem, iuxta vigorem Decreti factæ, in suis vigoribus confirmentur.

Insinuationes in suo vigore permaneant. ART. IX.

QVOD insinuationes in suis vigoribus remaneant.

Taxæ nullæ fiant. ART. X.

TAXÆ inconsuetæ vlterius non fiant, quouis modo, aut quacunq; ratione.

CONCLVSIO.

NOS igitur acceptis articulis prænotatis, maturaq; super eis deliberatione præhabita, eosdem admisimus, atq; super primo eorundem, solito more, Regale corporaliter præstitimus iuramentum. Quo ad secundum verò; è conuerso, nos ab eisdem omnibus simile iuramentum suscepimus, super fidelitate & obedientia nobis obseruari debentibus. Cæteros autem omnes supra descriptos articulos, & singulum eorum, inuiolabiliter obseruari compiere & exequi promittimus & volumus cum effectu. In quorum omnium testimonium, præsentes literas nostras, eidem vniuersitati duximus concedendas. Datum Posonij in festo Beatæ Dorotheæ Virginis & Martyris: Anno Domini, Millesimo, Quadringentesimo, Quinquagesimo tertio: Regni autem nostri, anno Tredecimo.

LVDOVICI SECVNDI DECRETA.

Miserandus LVDOVICVS Secundus, Vngariæ & Boëmiæ Rex, Anno salutis, post sesqui millesimum; sexto Kal. Iulij Budæ natus, vix bimus, Proceribus Regnorum poscentibus, primum in Vngaria, paulò post in Boëmia Regem coronatus; patri Vladislao successit. Verùm non prius Regnorum imperiū adeptus, quàm pater è vita excessit. Regimen eius breue fuit, & tale, quale Regis iuuenis, rerum imperiti, & ratione salubri nondum confirmati: quiq; non suo iure, sed precario, propter innatam subditorum animis arrogantiam, seditionum, odiorum & maximarum simultatum fomitem, quandoq; imperitat. Deplorandus sanè boni & innoxij huius Regis status adhuc est, cuius tempore, Vngari inter se arma tractantes, execrabilesq; conspirationes mirè fouentes, veteris Pannonicæ virtutis, & disciplinæ obliti, atrocissimè dissentiunt, & his Procerum operis artibusq; Belgradum, non Vngariæ solùm, verùm multorum Christianorum Regnorum munimentum, & pleraque alia Castra, Iaicza, Bochaz & Iezero amissa sunt, Solimano Turcarum Imperatore, ea in suam potestatem redigente. Qui tamen his non contentus, attentus in rem, simultatum Vngaricarum non ignarus, cum Ducentis armatorum millibus in Pannoniā, Anno Domini Millesimo, Quingentesimo, vigesimo sexto ingressus, primùm aliquot non parui momenti arces capit. Deinde ad Mohach oppidū Episcopi Quinqueecclesiensis castra ponens, Ludouicum Regem sibi cum viginti quinq; millibus Christianorum occurrentē, sine intermissione lacessit, carpit, copias velitando distrahit, cædit: nō quiescere; non auxilia expectare sinit, donec vtrunq; ad certamen dispositum, & in aciem ordinatum totū exercitū eius, non sine maxima animi sui voluptate aggredi; inuadere potuerit & opprimere. Vbi Rex Ludouicus vitam & Regnum, vno momento simul amisit: in feriis decolationis Sancti Ioannis Baptistæ. Ita Rex, cū quatuor miranda in se ostendisset; quòd sine cute suprema, & certis oris lineamentis, vtero matris exclusus sit, citò adoleuerit, ante tēpus barbā emiserit, & vix decimum octauum annū natus, canos ostenderit, immatura quoq; morte & nimiū præcoci interijt: si tamen

Ludouicus Secundus in Alba Regali Ann. 1508. 4. Iunij. Pragæ 1509. Dominica Reminiscere coronatur. Vladislaus moritur An. 1516. 13. Martij.

ſi tamen moritur ille, qui ſibi per pietatem in patriam parta gloria, æternam apud poſteros memoriam parauit. Literæ & priuilegia eius ſeruantur. *Decreta partibus ſex edidit. Nam, turbidis illis temporibus, auſi ſeditioſi Nobiles, præter Regis & Optimatum voluntatem conuentus agere, libertatem in facinore collocantes, quædam decernere, quæ demum in generali Dieta ipſimet reuocarunt, & vti inepta, antiquanda Regi & Proceribus ſubmiſerunt. Ne igitur inutilium rerum lectione graueris Lector: optimi quiq; articuli, in omni re, ex conſtitutionibus huius Ludouici Regis, annorum Milleſimi, Quingenteſimi, decimi octaui. Tolnen. Milleſimi, Quingenteſimi, decimi octaui. Bachien. Milleſimi, Quingenteſimi decimi noni, Bachien. Milleſimi, Quingenteſimi, vigeſimi primi. Buden. Milleſimi, Quingenteſimi, vigeſimi tertij. Buden. Milleſimi, Quingenteſimi, vigeſimi quinti, de Rakos Conuentus Articuli ſecreti, & hic aſſcripti ſunt. Etiamſi Tolnenſis, Anni Milleſimi, Quingenteſimi, decimi octaui Conuentus particularis fuerit, & dubium ſit, an illæ conſtitutiones pro veris haberi poſſint, vt apparet ex earundem conſtitutionum, Articulo decimo ſexto. Quemadmodum Bachien. Anni Milleſimi, Quingenteſimi, decimi octaui, & Bachien. Milleſimi, Quingenteſimi, decimi noni annorum Decreta ſingula in binos annos ſtatuta tantum eſſe, ita vt in reliquos annos neminem obligent, ex conſtitutionibus planè conſtat. Nam Decreta anni Milleſimi, Quingenteſimi vigeſimi ſexti, ob eorum præſtantiam de verbo ad verbum his ſubnexa ſunt.*

Lud. Secun. Ann. 1526. artic. 17.

Bachien. 1518. artic. 44. Bachien. 1519. artic. 43.

EX LVDOVICI SECVNDI DECRETIS

TOLNENSIS CONVENTVS, Anni M. D. XVIII.

Articuli potiores.

Exercituandi Ludouico modus, vt à Colonis viginti, vnus eques mittatur in bellum armis inſtructus. ART. II.

AD proximum feſtum Sancti Michaelis Archangeli, vniuerſi domini Prælati & Barones, Proceres ac Nobiles huius Regni, etiam vnius ſeſſionis, per ſingula capita, bellico cum apparatu Bachiam deſcendere: Domini videlicet iuxta ſtatus eorum exigentiam, pro fide & fidelitate ſacræ Coronæ huius Regni, conſequenterq; Maieſtati Regiæ debita, meliori quo poterunt apparatu & modo: Nobiles verò de ſingulis viginti ſeſſionibus eorum Iobagionalibus, ſingulum vnum equitem, ad minus lanceam & clypeum habentem ſecum ducere. Soli autem Nobiles, quinquaginta, vel centum, & plures Iobagiones poſſidentes loricam galeamque & aliud genus armorum, more Huſzarorum, habere debeant & teneantur.

Eccleſiaſticæ perſonæ, vltra gentes ratione decimarum ſeruatas, à viginti colonis vnum militem in bellum mittant. ART. III.

CAPITVLA verò & Conuentus, Præpoſitiq; & Abbates, vltra gentes eorum, quas ratione decimarum conſeruare tenentur, aliæ etiam perſonæ Eccleſiaſticæ, religioſæ & non religioſæ, decimas non habentes, ſimiliter de viginti ſeſſionibus ipſorum Iobagionalibus, ſingulum vnum equitem, modo præmiſſo, ſint mittere obligati.

Sanctimoniales & viduæ, modo eodem, à colonis viginti, ſingulos equites mittant. ART. IIII.

DOMINÆ quoq; Sanctimoniales, & aliæ mulieres viduæ Iobagiones habentes, modo ſimili exercituari facere teneantur.

Nobiles aliis ſeruientes, pro ſe alios in bellum mittant. ART. V.

ITEM illi, qui in ſeruitijs vel ſtipendijs dominorum ſuorum fuerint præoccupati, loco eorum alios ſubſtituere, & ſimiliter aliorum Nobilium inſtar, gentes ſuas mittere debebunt.

Quidam

Quidam Comitatus pixidarios pro equitibus mittere solent. ART. VI.

Hoc declarato, quòd Comitatus partium superiorum, videlicet Trinchinien. Morwa, Nittra, Thurocz, Liptho, Zolyom, & Scepusien. pro vigesima prænotata, pedites pixidarios secum ducere teneantur.

Rex suos rebelles in Morauia coërceat. ART. VII.

ANTE omnia tamen Maiestas Regia, Raiterones & diffidatores Regnorum suorum in Morauia congregatos per dominos, Comitem Scepusiensem, Episcopum Nittriensem, dominos Orszagh & Banffi de Bolondos, Comites de Bozin, Michaëlem Podmaniczki, & alios dominos ac Nobiles partium illarum superiorum, auxilio Morauitarum, Austriæq; & Boëmiæ, exterminare & debellare faciat.

Ad bellum omnes sine damno procedant. ART. VIII.

POSTREMO, quòd nec gentes, nec domini, aut Nobiles, in eundo ad expeditionem ipsam vel redeundo, rusticis, aut alijs personis, in eorum rebus & bonis vel etiam personis, damna vel nocumenta inferre præsumant.

Contributio denariorum quinquaginta. ART. IX.

QVIA verò expeditio ista generalis, absque præsentia & interessentia Regiæ Maiestatis, finem bonum adipisci non poterit. Vt igitur Maiestas sua Regia, Banderium suum Regale secum erigere, & Bachiam in persona sua propria descendere queat, de singulis sessionibus Iobagionalibus seu portis, tàm Regalium, Reginalium, ac dominorum, quàm etiam Nobilium, postquam hinc ad propria remeatum fuerit, mox singuli quinquaginta denarij, vbilibet per totum hoc Regnum exigantur, & manibus domini Thesaurarij, vel hominum suorum ad id per eum deputandorum assignentur, conditionibus tamen subscriptis obseruatis.

Cautio quædam, quomodo coloni à contributione inposterum saluentur. ART. XVI.

PRÆTEREA super rectificatione prouentuum Regiæ Maiestatis, & reformatione fodinarum auri & argenti, ac Camerarum salium Regalium, quia in Decreto quoque in Dieta pro festo Beati Lucæ Euangelistæ, in anno Domini Millesimo, Quingentesimo, Decimo quarto celebrato, edito & confecto, mentio pariter & constitutio quædam facta habetur, & alioquin reformatio ipsa, plures continet articulos, quibus obseruatis, de cætero miseri & oppressi rustici, ab vlteriori taxatione & continua dicatione præseruari poterunt. Ideò horum declaratio, ad interessentiam præfatorum vniuersorum dominorum Prælatorum & Baronum ac Regnicolarum, dum Bachiæ in vnum conuenient, submissa atque prorogata est: quando intelliget nos sua Maiestas, tanquam fideles suos, optimè rebus suis consuluisse, ita vt non erit opus de cætero Maiestatem suam pro subsidio offerendo nos impulsare, nec erit necessarium colonos nostros, solita taxatione postea grauare, sicut per Oratores deputatis ad Regiam Maiestatem, in præsentia quoque declarabitur. *Conuentus particularis.*

De iudicijs & causis, quæ etiam in bello discuti possunt. ART. XVII.

ITEM istis præhabitis, recurrendum est ad iudiciorum celebrationem, sine quibus arma parum valent, quæ licet contra potentes continuè celebrari debeant, hoc tempore tamen, tum propter assessorum carentiam, tum verò expeditionis huius generalis apparatum, parumper postponi & prætermitti debent. Ne nihilominus licentia malè agendi cuipiam, per huiusmodi iudiciorum suspensionem concessa videatur, vtque ipsa expeditio quietius & securius instaurari & peragi possit, vniuersi actus potentiarij, à die præsentis constitutionis, per quoslibet, & contra quoslibet inferendi & committendi, per Regiam Maiestatem, vbilibet, & vbicunq; constituta fuerit, infra exitum & descensionem eius generalis exercitus, more & instar breuis breuium iudiciorum, non tamen *De actibus potentiarijs etiã ipsa expeditione.*

ne fiant discussiones more breues breuiū. ad Tricesimum secundum diem, sed iuxta duntaxat loci distantiam, vbi euocandus residet, semper adiudicentur: alia verò iudicia generaliter, tàm Ecclesiastica, quàm sæcularia interim cessent, & suspensa habeantur.

Coloni abducti reddantur. ART. XVIII.

IOBAGIONES etiam contra Decretum abducti, vbique per Regiam Maiestatem restituantur, & reddi committantur, iudiciariæq; deliberationes iam factæ, per suam Maiestatem vbilibet executioni demandentur.

EX CONSTITVTIONIBVS BACHIENSIS CONVENTVS ANNI M. D. XVIII. EXCERPTI ARTICVLI.

Gentes secundum numerum colonorum teneantur. ART. I.

QVANQVAM hactenus quoque multa & multotiens, bona vtiliaq; statuta, salutem & quietum statum totius Regni, & imprimis quidem incrementum regiminis Maiestatis Regiæ concernentia ordinata fuerint & conclusa. Quia tamen obseruatio & exequutio earum constitutionum subsecuta nusquam fuit, ideò omnia in irritum transierunt, castra finitima plurima perierunt, reliquorum mœnia corruerunt, innumeri homines per hæc tempora, tum mutua cæde, tum verò hostis abductione interierunt, subsidia pecuniarum sæpenumero Maiestati Regiæ præstita parum profuerunt, & breuiter confuso præposteroq; ordine, cuncta Regni & Reipub. facta, tam in eius defensionis expeditione, quàm & iudiciorum celebratione, processerunt. Quapropter vt omnia, & prius, & nunc quoque conclusa, firma maneant & stabilia, debitumque & perfectum finem sortiantur & consequantur, communi omnium sententia deliberatum & conclusum est, quòd ad executionem & finalem perfectionem omnium negotiorum Regiæ Maiestatis & Regni sui, duo probi & fideles de medio Nobilium eligantur (vnus ab ista, & alter ab altera parte Danubij) Thesaurarij, & præterea in quolibet Comitatu vnus pariter eligatur iuratus Nobilis, qui strictissimò sub iuramento, vniuersa bona & quælibet iura possessionaria, tàm dominorum, quàm Nobilium in ipso Comitatu adiacentia. Dominorum quidem ex eo, vt resciatur numerus Iobagionum, iuxta quem gentes conseruare tenentur, ne in gentium earum conseruatione fraus & defectus subsequatur. Nobilium verò, vt pecuniæ aliàs ad conseruationem stipendiariorum siue gentium exigi consuetæ, iuxtà verum & iustum computum atque numerum, primò ad manus ipsius iurati Nobilis, & deinde per eum manibus præfatorum dominorum Thesaurariorum Regnicolarum dentur & assignentur, qui secundum ipsum verum numerū, gentes, iuxta formam generalis Decreti, pro Regni defensione & confiniorum conseruatione, rerum bellicarum peritas conducere: domini etiam Barones Banderiati, & officiales quoque, Regni finitima tenentes, iuxta numerum Iobagionum suorum, gentes eorum paratas habere, & illas semper in confinijs Regnorum in pleno numero conseruare teneantur. Insuper domini Prælati, tàm ratione decimarum, quàm etiam Iobagionum ipsorum, semper medietatem gentium ipsarum, similiter in confinijs conseruare, & tempore manifestæ necessitatis, etiam alteram medietatem ad literas dominorum Capitaneorum Regiæ Maiestatis, quibus subsunt, illuc mittere: Officiales quoque finitima ipsa tenentes, gentes suas, ratione officiorum suorum conseruare debentes, secum, & inibi, modo simili paratas, tenere semper sunt obligati: ne gentes, ex quibus parum vtilitatis hactenus habitum esse dignoscitur, de cætero frustra & infructuosè teneri & conseruari videantur. Cæteri autem domini non Banderiati omnes, secundum formam generalis Decreti, demptis decem personis, quæ vigore eiusdem Decreti excipi possunt, & quæ per Regiam Maiestatem statim nominentur, & in medium Nobilium computentur. *Vlad. An. 1492 artic. 19. & 20.*

Eccle-

Ecclesiasticarum personarum querimonia, de intertentione militum.

ART. II.

QVIA verò per dominos Prælatos,& viros Ecclesiasticos decimas habentes, super magno & superfluo onere conseruationis gentium,querimonia sæpe defertur: vt scilicet vltra exigentiam,& quantitatem prouentuum ipsorum, gentes pro Regni defensione conseruare cogerentur. Quæ vt è medio tollatur,iuxta, formam & continentiam dicti generalis Decreti,in singulis Regni Comitatibus, tot probi & fide digni Nobiles, per vniuersitatem Nobilium eorundem Comitatuum eligantur, quot in eisdem Comitatibus Iudices Nobilium habentur. Qui vna cum eisdem Iudicibus Nobilium, præstitis per ipsos iuramentis,tàm de prouentibus eorundem dominorum Prælatorum & virorum Ecclesiasticorum decimas habentium,quàm etiam numero Iobagionum, à quibus decens & opportunum fuerit, diligenter experiri, & eorum computum atque numerum sub ipsorum sigillis, infra proximum festum Beati Iacobi Apostoli, dominis assessoribus & Consiliarijs transmittere teneantur, vt in Dieta & conuentione generali, à modo primitus celebranda,iuxta exigentiam facultatum & prouentuum, numerumq; Iobagionum ipsorum,gentium per eos conseruatio,iustè & honestè limitetur. Intereà verò gentes suas hoc modo,quo hactenus soliti sunt, iuxtu formam generalis Decreti,& regesti excellentissimi Principis quondam domini Sigismundi Imperatoris &Regis,pro Regni defensione conseruare teneantur. *Regestum Militiæ Sigismu. Imperat.*

Bona & prouentus Regis,etiam cum gentibus Nobilium conseruentur & exigantur.

ART. III.

IN remissione itaque bonorum & prouentuum Regiæ Maiestatis,& eorundem per amplius debita administratione, si qui rebelles & reluctâtes fuerint,prædicti duo Thesaurarij auxilio circumiacentium Comitatuum, si soli cum gentibus dominorum Regnicolarum,modo præallegato,conducendis & conseruandis non sufficient, & si opus fuerit,auxilio totius Regni executionem ipsam remissionis & administrationis semper peragere, & ad eam gentes ipsæ, & etiam Nobiles (si quidem necessitas extrema coëgerit) ad requisitionem & literas ipsorum Thesaurariorum, sub pœna amissionis omnium bonorum & capitum ipsorum, semper aduenire teneantur. Si qui autem eorum negligentia & contumacia ducti aduenire recusarent,ita puniantur, vt vniuersæ res ipsorum mobiles per Thesaurarium in prædam conuertantur. Bona verò hæreditaria ad portionem eorum cedentia,per Regiam Maiestatem,aut pro se retineantur,aut cui maluerit,perpetuò conferantur. Prius tamen ipsi Thesaurarij,expensas eorum,quas in tali executione facere cogentur,super & de eisdē iuribus possessionarijs exigere teneantur.

Rex requisitus executionem facere debet. ART. IIII.

PRÆTEREA quantum ad iudiciorum & literarum adiudicatoriarum executionem attinet,si causa coram Regia Maiestate,vel personali præsentia eiusdem mota, tractata,finalem conclusionem sortita fuerit: ità vt executio armis, & non iuridicis processibus fieri debebit,actor vel pars triumphans,cum assessoribus pariter, Maiestatem Regiam requirere,sibiq; vt executionem ipsam peragere faciat, supplicare teneatur. Quòd Maiestas sua Regia,ex suscepti sui regiminis officio facere debet.

Thesaurarij executionem faciant, si Rex & Palatinus eam facere nequiuerit.

ART. V.

VBI verò contingeret,casu rationabili forsan occurrente,Regiam Maiestatem non posse executionem peragere, scribat nihilominus Maiestas sua Regia præfatis duobus Thesaurarijs,vt ipsam executionem perficere teneantur. Si autem sua Maiestas, per aliquos communis boni turbatores,more sæpe consueto, dissuasione induceretur, quominus hoc facere difficultaret atque recusaret: tunc in hoc casu ijdem Thesaurarij, ad literas &requisitionem assessorum,& intercessionem actoris,nihilominus executionem

Palatinus sub amissione officij, executionem faciat.

huiusmodi peragere, modo præallegato, teneantur. Vbi verò causa coram domino Palatino finaliter fuerit conclusa, per actorem dominus ipse Palatinus, pari modo, vt executionem finaliter perficere faciat, requiratur. Qui sub amissione officij sui teneatur, in quantum vires eius suppetunt, eam executionem per gentes & homines suos peragere. Si autem iuxta conscientiosam limitationem assessorum Regnicolarum, dominus ipse Palatinus, cum gentibus suis, ad ipsam executionem perficiendam insufficiens videretur: tunc ad literas eorundem assessorum, Thesaurarij illi executionem huiusmodi effectui mancipare, modo præallegato, semper sint obligati. Vbi autem ipse dominus Palatinus id ab re difficultaret: extunc actor ille cum assessoribus Maiestatem Regiam requirere, & eidem superinde protestari debeat, & de facto idem dominus Palatinus in amissione officij sui conuincatur, ac de cætero coram eo, ac Protonotario suo, nemo litigantium in causis suis & litium processibus, ac alijs rebus iuridicis comparere & iuri stare, & alia iurium genera exercere præsumat, in proximaq; ventura generali Dieta & conuentu, alter loco eius substituatur: & nihilominus duo prænotati Thesaurarij ad literas assessorum, præmissam executionem perficere teneantur.

In causa triumphans executionem facienti, viribus & facultate sua assistere debet.

ART. VI.

De dominis quoque, Iudice Curiæ Regiæ, in Vngaria: nec non Bano Regnorum, Dalmatiæ, Croatiæ & Sclauoniæ, ac Waiwoda Transyluano, sub eorum officiolatibus, in Sclauonia & Transyluania per omnia idem est intelligendum: Executionesq; iudiciariarum deliberationum, finali processu & exitu sunt perficiendæ. Verumtamen, si in huiusmodi executionibus castrum vel castellum de manibus potentum expugnari debebit, etiam ille, pro parte cuius agitur, cum tota potentia, & omnibus viribus suis aduenire teneatur. Quòd si in Sclauonia vel Transyluania continget, Nobiles quoq; Regnorum illorum pariter succurrere sint obligati, & Thesaurarij præfati, expensas, quas in eiusmodi executionibus facere debebunt, de bonis mobilibus & reliquis iuribus possessionarijs conuicti, si quæ præter bona in iudicio obtenta habuerit, habeant per se extorquendi facultatem.

Expensas executionē faciens ex rebus conuicti accipit.

Bona & prouentus Regis, ab omnibus recuperentur, remittantur, & modis omnibus rectificentur. ART. VIII.

PRÆHABITO itaque DEI adiutorio fundamento, quo per gentium conseruationem prædeclaratam, omnia benè, vt præfertur, conclusa, & etiam concludenda, effectum & executionem realem exequi speramus, ad reformationem negotiorum, & recuperationem bonorum prouentuumq; Regiæ Maiestatis, imprimis recurrendum est. Quapropter rectificatio & remissio bonorum ac prouentuum Regiæ Maiestatis, iuxta constitutionem, in generali Dieta, pro festo Beati Lucæ Euangelistæ, in Anno Domini Millesimo, Quingentesimo, Decimo quarto celebrata, factam fiat, & Decretum ibidem editum in hac parte obseruetur: ita tamen, vt omnes prouentus regij, quocunq; nomine censeantur, vna cum ciuitatibus & alijs bonis regiæ Maiestatis, in arenda vel pignore existentibus & habitis, per quoslibet exnunc, & de facto remittantur. Quos dominus Thesaurius tàm per regias, quàm etiam proprias suas literas assecurare debeat, vt postea cum eis, qui prouentus bonaq; regiæ Maiestatis habuerint, præsentibus dominis Consiliarij & assessoribus, recta ratione posita, summam, qua illis Maiestas regia debitor remanserit, quàm primum restituet. Quæ quidem calculatio, quinto decimo die termini celebrationis breuium iudiciorum, pro vigesimo die, proximi festi Epiphaniarum Domini celebrandarum, fiat, vt tunc vniuersi bona prouentusq; regios habentes, cuncta iura & literalia instrumenta eorum producant, ex quibus huiusmodi computus formari debebit. De domino verò Waiwoda Transyluano statutum est, vt si singuli viginti denarij, qui iuxta formam præscripti Decreti, ad rationem redemptionis & eliberationis

Ioannes de Zapolia Vaiuoda Transyluanus.

Trice-

Tricesimarum & ciuitatum Regiarum præ manibus suis habitarum, sibi dari debent, non sufficerent, intelligatur quantum Maiestas sua Regia superaddere, & vnde residuum illud soluere tenebitur, quod etiam breui & quàm primum eidem domino Waiwodæ persoluendum erit.

Ciuitates Montanæ in libertatibus pristinis conseruentur, & quòd à victualibus ad montana deuehendis, aut nullum, aut mediocre exigatur tributum.

ART. XI.

DE Cameris fodinisq; auri & argenti, statutum est: quòd cultores montanarum, & ciuitates earundem, in antiquis ipsarum libertatibus conseruentur: ita videlicet, vt Montanistæ & inhabitatores ciuitatum earundem, de rebus quibuscunq; ad necessitates eorum, ad ipsa montana deferendis, nullum tributum soluere teneantur. Ab illis verò extraneis, qui montana non inhabitant, sed victualia, & alias res necessarias, ad culturam montanarum vndecunque aduehunt, exigatur quidem tributum, sed ita moderetur, vt ab eis quoque non superfluum, sed iustum duntaxat & honestum exigi Telonium videatur. Ne autem inter exemptos, & tributa habentes contentio maneat, statuto per dominos Consiliarios & assessores vno breui termino, literas ipsorum exemptionales & tributales, coram Maiestate Regia producere teneantur: & quæ illarum antiquiores, & reperientur vtiliores, illæ obseruentur. Quæ si non producerentur, viribus in perpetuum destitutæ habeantur: & de cætero virtute illarum nemo vtatur. Limitatio etiam iusta & honesta exactionis tributorum eorundem, per ipsos dominos Consiliarios & assessores, termino assignato, peragatur atq; finiatur.

Montani ciues tributū nō soluant. Alij autem res ad montana vehentes, soluant moderatū. Telonia habentium, & ab illorum solutione exemptorū, antiquiores literæ obseruentur.

Tributa vel Telonia sicca aut arida quæ dicantur, explicat. ART. XII.

QVANQVAM tributa sicca vel arida, atq; super aquis vel fluuijs ab infra descendentibus & supra euntibus exigi consueta, contra DEVM & iustitiam exigi videantur, & exinde in Decreto quoq; Serenissimi Principis quondam Ludouici Regis, per inuictissimum quondam Principem dominum Mathiam Regem, tempore fœlicis coronationis confirmato, constitutio quædam & abolitio facta habeatur, absq; debita tamen reuisione, quod scilicet eorum siccum vel aridum existat, & quod eorum pontem & repleturam habeat, ac iusta rationabilique de causa exigatur, conclusio perfecta non est. Quapropter statutum est, vt in singulis Regni huius Vngariæ & partium sibi subiectarum Comitatibus, octo probi viri Nobiles eligantur, qui strictissimo sub iuramento, cuncta tributorum siccorum, & in aquis quoq; exigi solitorum, pontes etiam & repleturam habentium, loca peragrare, ac oculata fide circumspicere: Deinde à vicinis & commetaneis eorundem Teloniorum, Nobilibus & ignobilibus pariter, super quantitate exactionis huiusmodi, quantum videlicet de vno curru & equite exigi & accipi consueuerit, & quæ illorum pontes vel repleturas habeant, & simpliciter arida siccaque existant, certo certius edoceri informariq;, & ad proximum festum Beati Georgij Martyris, sub eorum, atq; Vicecomitum & Iudicum Nobilium sigillis, dominis Consiliarijs & assessoribus fideliter rescribere, & ipsi domini Consiliarij & assessores, super cuiuslibet tributi, tàm abolitione & distractione, quàm etiam exactione, veram, iustamq; & honestam limitationem & taxationem facere, & iuxta eandem limitationem & taxationem postea cuncti tributarij procedere, Telonia deponere & exigere debeant atque teneantur, sub pœna amissionis tributorum ipsorum.

Ludo. prim. art. 8.

De auro & argento è Regno non eportando. ART. XIII.

QVOD aurum & argentum de Regno non educantur, manifestè continetur in Decreto. Modus itaque ibidem conscriptus, in hac parte conseruetur. Ad hæc autem præmissa, specialiter Thesaurarius Regiæ Maiestatis habet prouidere. Verùm de modo, ordine, conditionibusque, quibus montana in pristinum florem & statum reduci queant, & qualiter Camerarij tàm Cremnicienses, quàm etiam in riuulo dominarum,

fodinas auri & argenti, pro se colere, victualiaque famulis & laboratoribus suis administrare debeant, domini Consiliarij & assessores primùm prouidere, & ipsi Thesaurario Regio informationem, qualiter in hac parte procedere debeat, dare teneantur.

Coquinæ Regis prouentus applicati. ART. XIIII.

CASTRVM Huzt cum Cameris salium Maromarusien. & Transyluanien. ac Tricesimis & Vigesimis, Quinquagesimis, cementis, Camerisque & fodinis auri & argenti, nec non ciuitatibus liberis, Saxonibusq; Regijs, manibus domini Thesaurarij Regij, pro tempore constituti: Castra verò Munkach, Thata, & Comarom, cum omni inferiori parte, Wisegradiensi, veteri Buda, ac insulis Kos & Chepel appellatis, nec non oppidis Sambock, Salmar, & Kezew, cunctisq; eorundem pertinentijs, Cumanisq; ac Philistæis, pro sustentatione & conseruatione coquinæ Regiæ Maiestatis, ad manus Prouisoris Budensis assignentur, ad quam lardis & vino de prouentibus castri Munkach: Vsonibus verò & alijs piscibus de Comaron & Thata prouidere: & insuper decimas Budenses, & alias etiam in Sirimio Prouisor ipse Regiæ Maiestatis, pro mensa & Curia sua comparare debebit: defectus autem si quis erit, iuxta limitationem dominorum Consiliariorum & assessorum, Thesaurarius Regius supplebit.

Iura patronatus Ecclesiarum reuocantur. ART. XV.

VT Curia Maiestatis Regiæ honestè, & seruitiorum multitudine sit referta & decorata, vniuersa iura patronatus, omnium Ecclesiarum & beneficiorum Ecclesiasticorum, tàm per Maiestatem Regiam, quàm etiam serenissimum quondam dominum Vladislaum Regem, genitorem suæ Maiestatis charissimum, piæ memoriæ, cuicunq; collata, reuocata habeantur, & Maiestas sua Regia de cætero cuncta beneficia Ecclesiastica ab illis, qui vltra vnum habent, pariter auferat, & iuxta contenta generalis Decreti conferat, vt plures DEO gratioso seruire, plures etiam gentes pro defensione Regni conseruare possint.

Vlad. Tert. art. 56.

Bani ambo ex castris finitimis non prodeant: & Prouisores ad castra finitima deputentur. ART. XXI.

BANI castrorum finitimorum semper in eisdem castris finitimis maneant, & vnus eorum, sub nota perpetuæ infidelitatis, nunquam de castro egredi audeat, & quòd ad omnia castra ipsa finitima, Prouisores per Regiam Maiestatem constituantur, qui tàm ad ingenia, quàm etiam victualia & alia eorum necessaria, modo, tempore quondam domini Mathiæ Regis, obseruato, prouidere teneantur.

Nobiles prædiales Ecclesiæ Sexardiensis, conseruentur in libertate. ART. XXVI.

NOBILES prædiales Ecclesiæ Sexardiensis, in eorum antiquis libertatibus & iuribus conseruentur, nec per Abbatem ipsius Ecclesiæ ad aliqua inconsueta seruitia, vel collectas prius non solitas compellantur.

Nonas ciues ciuitatum Regiarum dominis terræ ex vineis soluant. ART. XXVII.

Vlad. Prim. art. 47. & 49.

CIVES quarumcunque ciuitatum, etiam Regiarum & finitimarum, in terris aliorum vineas habentium, domino terrestri vinearum, iuxta formam generalis Decreti, nonas soluere teneantur.

Quomodo puniantur, qui ad Dietam non veniunt. ART. XXVIII.

Vlad. Ter. ar. 1. Ad Dietam nō venientis pœna, Magnatis & Nobilis.

QVIA plerique dominorum ac Nobilium, spreto & contempto Regio mandato, ad hanc Dietam venire neglexerunt: quorum bona & iura hæreditaria, licet fisco Regio applicanda forent; ex quo tamen, sub pœna in Decreto expressa vocati sunt, ideò pœnam ibidem declaratam incurrisse dignoscuntur. Quam ne illusiuè præterijsse glorientur, Maiestas Regia pœnam dominorum, hoc est, Octingentos floren. pro se tollere:

Nobi-

Nobilium verò, singulos scilicet quadringentos flor. si pro se exigere noluerit, Nobilibus egenis & miseris, qui mandato suæ Maiestatis obtemperantes aduenerunt, per Vicecomites & Iudices Nobilium, cum consilio, & iuxta limitationem vniuersitatis Nobilium singulorum Comitatuum distribuendos, donare & conferre dignetur. Si qui autem Comitum aut Vicecomitum, aliquos Nobiles precio domi reliquissent, in amissione officiorum, & præterea pro singulis Nobilibus, in quadringentis florenis soluendis Regiæ Maiestati conuincantur: quos Maiestas Regia ab illis indilatè exigi faciat. Et si per quospiam præmissorum contrarium committeretur, vnde punitio Nobilium prædeclarata non permitti videretur: extunc antefati Thesaurarij Regnicolarum, iuxta informationem per assessores eisdem superinde dandam, in executione huiusmodi punitionis procedere teneantur.

De nouo iudicio, quo quis se inhibet à iuramenti depositione. Art. XXIX.

Plerique solent dominorum ac Nobilium, quibus iuramenta præstanda adiudicantur, nouum iudicium à Regia Maiestate, diuersis sub coloribus, impetrare, & partem alteram expensis duntaxat grauare, & postea non potest in iudicio se ab ipsa iuramentali depositione præseruare. Ne itaq; fraus & dolus alicui patrocinari videatur, statutum est, prout etiam ex antiqua Regni consuetudine per iudices Regni ordinarios obseruatum esse dignoscitur, vt nouum iudicium impetrans, si iustam & rationabilem causam impetrationis suæ assignare, & se ab ipsa iuramentali depositione, quam facere debebat, in iudicio præseruare non poterit: extunc in amissione sui iuramenti, consequenterque pœna exinde subsequenti, de facto conuincatur.

Nouum iudicium male impetrans, & se à iuramento perperam inhibens, causam amittit. Iuramenti omissio.

Proscribuntur secundò, qui castra finitima amiserunt. Art. XXX.

Quod illi, qui in Decreto generali, propter amissionem castrorum finitimorum, nominatim proscripti sunt: quia propter non punitionem illorum, reliqua quoque castra finitima perierunt, etiam nunc & de nouo proscripti habeantur, vt eorum exemplo cæteri territi, castra finitima custodire studeant atq; teneantur.

Reintegratio Comitatus Themesiensis. Art. XXXII.

Districtus Monostor, Sagya & Morsina, aliâs ad Comitatum Themesiensem pertinentes, qui in præsens nec Transyluaniæ, nec Vngariæ deseruiunt, rursum ad Comitatum Themesiensem, si testimonium euidens exinde produci poterit, remittantur & reducantur. Quia de medio inhabitatorum eorundem districtuum, plurima damna & pericula Regnicolis inferuntur. Possessio etiam Likasagyhaz, alias ad Comitatum Chongradiensem pertinens, in medium eiusdem Comitatus similiter redeat & remittatur.

Monostor, Sagya, Morsina districtus Comitatui Temesien. incorporentur.

Quòd omnes status gentes suas, in locis ad hoc deputatis, interteneant. Art. XXXIIII.

Omnes domini Prælati, Barones, & Regni huius Nobiles atq; Comitatus, gentes eorum, iuxta formam, & sub pœna generalis Decreti eiusdem Regni, in pleno numero, in confinibus, locis scilicet eisdem iamdudum deputatis & statutis, ex nunc relinquere, & interim quo Thesaurarij Regnicolarum, circa Epiphaniarum Domini proximum festum, superinde prouidere poterunt, in eisdem confinibus, ne illa vacua maneat & pereant, conseruare teneantur.

Fures & alij malefactores per Comites Comitatuum: aliâs per Regium Assessorem extirpentur. Art. XXXV.

Quia fures & alij malefactores adeò multiplicati sunt, vt nec domi, nec foris Nobiles ac ignobiles tuti esse possint. Si qui igitur Comitatuum voluerint, & Comites ad extirpationem eorum negligentiores fuerint, vnus ex Assessoribus per Maiestatē Regiam, ad re-

ad requisitionem Nobilium illuc mittatur, per quem extirpatio furum, & aliorum malefactorum, iuxta formam generalis Decreti, exequatur, & effectum sortiatur.

Nobiles vnius sessionis, ad conseruationem militum non taxentur. ART. XXXVI.

QVIA Nobiles vnius sessionis per singula capita, dum Regni necessitas extremà ingruit, insurgere tenentur: ideò ratione conseruationis gentium de cætero non taxentur.

Consiliariorum & Assessorum ex vtroque statu ac ordinibus cooptatio,
ART. XXXIX.

VT omnia præmissa robur sortiantur firmitatis, Reuerendissimi domini, Cardinalis Strigoniensis, &c. Archiepiscopus Colocensis, nec non Quinqueeclesiensis, ac Transyluaniensis Ecclesiarum Episcopi: ac Spectabiles & Magnifici domini Palatinus Regni, Laurentius Dux Iudex curiæ Regiæ, ac Waywoda Transyluanus & Comes Themetiensis: ITEM Egregij Michaël de Zob, Ioannes de Pakos, Franciscus Bodo de Gergew, Nicolaus de Macedonia, Sigismundus Pogan, Nicolaus de Pernesz, Paulus de Arthand, Nicolaus Klesan, Michaël Kenderessi de Gyal, Ioannes de Faysz, Blasius Chani, Nicolaus Thuroczi, Lucas Kutassi, Georgius Derencheni, Stephanus Amade, & Georgius de Sythke, apud Maiestatem Regiam iurati maneant & in consilio Regio, & in iudicijs decernendis sibi assistant, & de Maiestatis Regiæ bona & laudabili institutione prouideat, statum Curiæ suæ Regiæ, ordine bono componant, ad cuncta officia & danda, & auferenda, cum Maiestate Regia, pariter autoritatem habeant, & generaliter summa omnium rerum suæ Maiestatis & Regni apud eos maneat. Qui de noua cultura, dispensationeq; salium Regalium, de statu & reformatione montanarum, fodinarum auri & argenti, de tributorum ex rebus ad montana ipsa deferendis exigendorum iusta moderatione, de priuilegiorum super exemptione à tributaria collatione confectorum vt vnicuique suum iustè priuilegium obseruetur, reuisione, præterea de Cancellariatu, & Thesaurariatu, nec non de prouentuum Regiorum, bona per Thesaurarium dispensatione, & generaliter omnium negotiorum suæ Maiestatis ac Regni sui, iusta & honesta, fructuosaq; directione, diligenti cura exnunc, & postea semper prouidere, superintendereq; teneantur. Cæterorum etiam dominorum & Consiliariorum loco & dignitate, in consilio Maiestatis suæ saluis remanentibus.

Summa rerum penes quos.

Consiliarij quæ tractent.

Quòd Vicepalatinus, Viceiudex curiæ, & Protonotarij consilio interesse possint.
ART. XL.

PRÆTEREA, Vicepalatinus ac Viceiudex curiæ Regiæ, & Magistri Protonotarij, ex eorum officio, consilio interesse possunt atque debent. Qui quidem domini Consiliarij & assessores, primò & ante omnia castrorum finitimorum prouisioni superintendere, & salarium officialium finitima tenentium, per Thesaurarium Regium reddi facere teneantur: & eorum Consiliariorum & assessorum media pars, semper apud Regiam Maiestatem maneat. Temporibus verò Octauarum & manifestæ necessitatis, dum vocati fuerint, sub pœna perpetuæ amissionis officiorum, & solutionis homagiorum ipsorum, adesse teneantur.

Breuia iudicia celebrentur: causæ transmissionales continuè iudicentur: & sententiæ executioni demandentur. ART. XLI.

QVOD breuia iudicia, ac breues breuium, causæque transmissionales, ad Vigesimum diem Epiphaniarum Domini proximè venturi inchoëntur, & deinde causæ præsertim transmissionales, ac breues breuium, continuè & sine intermissione celebrentur, & executionem, prout declaratum est, finalem, absq; omni fauore & formidine, semper sortiantur. Causæ verò virtute articuli Tolnensis motæ, vel mouendæ, exnunc & de facto adiudicentur, & vnicuiq; iustitia administretur: & de cætero, secundum iura Regni scripta, ad vniuersos Regni Comitatus iam destinata ab vniuersis Comitatibus, semper adiudicentur, causæque vniuersæ discutiantur.

Statuta

Statuta prædeclarata durent & obseruentur, vsq; ad Dietam festi Georgij Martyris, tertiæ reuolutionis. ART. XLIIII.

ET prædeclarata statuta, vsq; ad Dietam duntaxat pro festo Beati Georgij Martyris in tertia reuolutione annuali venturi celebrandam, durent & obseruentur. In qua quidem Dieta, quod tandem pro incremento Regiminis Maiestatis Regiæ, & Regni defensione, nec non castrorum finitimorum conseruatione, ac libertatis Nobilium tuitione, melius vtiliusq; videbitur, decernendum & concludendum erit.

EX CONVENTVS BACHIENSIS CONSTITVTIONIBVS, ANNI M. D. XIX.

Articuli potiores excerpti.

CONuentus Bachiensis, Anni Millesimi, Quingentesimi, Decimi noni, Decreta in plerisq; manu scriptis exemplaribus non reperiuntur. Nos inani repetitione eorum, quæ in Decretis Anni Millesimi, Quingentesimi, Decimi octaui, constituta sunt, omissa, ea tantum hic posuimus, quæ ibi non habentur.

ART. VII.

QVOD Camerarij Cremnicienses, ac etiam in Riuulo dominarum constituti, fodinas auri & argenti, per se, & pro se colere nullatenus possint, præter illas quas soli ipsi de nouo proprijs eorum impensis colere inceperint: ita vt societatem in fodinis, aliorum expensis inceptis & incipiendis, habere non possint.

ART. VIII.

QVOD ijdem Camerarij, contra iura & libertates ciuitatum montanarum † metalla conseruare, vina vel cereuisias educillare non possint: valeant tamen si volunt proprijs eorum famulis domesticis, de proprio cellario vina cereuisiasque dare, & alia victualia ministrare. † *Al: metalla.*

ART. IX.

QVOD aurum & argentum secundum puritatem & pretium, iuxta morem & consuetudinem temporum Regis Mathiæ obseruatam, ad Cameram Regiam cambiatur & acceptetur, & hoc tam ex parte Camerariorum, quàm etiam Montanistarum intelligatur. Quibus præmissis obseruatis, cultores montanarum qui aufugerunt reuertentur, multiplicabunturq;, & decies plus de auro & argento Regia Maiestas, atque Regnum istud habebit.

ART. XXII.

QVOD executio in causis & iudiciorum deliberationibus, etiam in Sclauonia & Transyluania, sub eisdem conditionibus & pœnis, quibus in Vngaria semper fieri debeat, quæ iam Maiestati Regiæ ac dominis & vniuersæ Nobilitati declarata sunt.

ART. XLIIII.

POSTREMO, quòd omnes confœderationes & obligamina cunctorum dominorum inter sese stabilita atq; facta, exnunc dissoluantur, vt vnusquisq; liberius & sincerius rebus Maiestatis Regiæ, totiusq; Regni sui superintendere & prouidere possit.

EX BVDENSIS CONVENTVS CONSTITVTIONIBVS, ANNI M. D. XXII. ARTICVLI

meliores excerpti.

Parabat Ludouicus Rex succursum, amisso tunc Belgrado: proinde Conuentum, statibus & ordinibus indicit, in quo de suppetiis actum: contributio extraordinaria Regi ingens promissa, de qua hic Articulos asscribere piguit, ad militiam & iura pertinentibus contenti.

Fideli

Fidelis quispiam per Regem constituendus, qui cusoribus monetarum assistat.
ART. XIX.

NE autem prouentus ex cusione monetarum prouenientes (qui si benè recolligantur, notabilem magnamq; pecuniarum summam faciunt) dissipentur, & non in Regios, sed aliorum vsus, prout hactenus, conuertantur: & ne bonæ monetæ similiter cudendæ, suo iusto pondere argenti fraudetur, faciat sua Maiestas Regia, fidelem domini Magistri Thauernicorum hominem, Budæ cusoribus ipsarum monetarum semper assistere: Cremniciæq; Pisetarium Archiepiscopi Ecclesiæ Strigoniensis, de veteri consuetudine & more aliâs solito, pariter admittere, qui cusioni illarum superintendere, & prouentibus quoque suæ Maiestatis exinde fiendis, fideliter euigilare teneatur, ne fraus & dissipatio in eis committatur.

Pisetarius Archiepiscopi Strigoniensis.

Capitanei nondum iurati, primo quoque tempore iurent. ART. XXXIIII.

Capitaneorum Iuramentum.

QVI quidem Capitanei, Regiæ Maiestati super obseruanda fidelitate, & quòd in rebus fidei & executioni eorum commissis, nemini parcent, sed fideliter procedent, & cum gentibus secum existentibus, præter hostes Regni & turbatores præsentis constitutionis, ac status Reipub. Maiestatis Regiæ & Regni sui subuersores, neminem impedient, (demptis in bello & expeditione ipsa delinquentibus qui iuxta eorum demerita iustè puniendi sunt) & quòd per gentes damna pro posse eorũ inferri non permittent. Si tamen illata fuerint, requisiti, læsis & damnificatis, iuxta euidens testimonium & rei veritatem compertam, statim & absque subterfugio satisfactionem impendere, & reum secundum sui excessus qualitatem punire non omittent, firmissimum præstare teneantur iuramentum.

Capitaneorum officium & salarium ART. XXXV.

ET quia Capitaneorum officium erit, gentes nomine (vt præfertur) Regiæ Maiestatis conducere, & cum illis fideliter, ac quo minori poterunt stipendio & salario concordare, exploratores tenere, & de illis, alijsque ad negotium tantæ expeditionis pertinentibus prouidere, gentes etiam conducendas, modo antelato, à damnorum illatione, pro eorum posse custodire & præseruare: propterea necessarium est, de salario competenti & condigno ipsis prouidere, quo factis & rebus eorum officium concernentibus, satisfacere valeant, ne defectum exinde sequi contingat. Hoc declarato: quòd si gentes per eos conducendæ, aut etiam propriæ, vel alterius Capitaneatui ipsorum deputatæ, damna in eorum processu quibuspiam intulerint, mox postquam per læsos & damnificatos requisiti fuerint, vel alter eorum fuerit, de illatis damnis sati factionem, aut per seipsos, aut gentes, quæ damna intulerint, comperta, vt præmissum est, vera rei superinde veritate, impendere teneantur effectiuè.

Ecclesiarum & mulierum violatores, capite plectantur: & milites in domos sacerdotum ac Nobilium non condescendant. ART. XXXVI.

ET quòd violatores Ecclesiarum, ac puellarum & mulierum qui fuerint, capitali pœna puniri faciant: & gentes in domos Nobilium ac Presbyterorum, contra eorum voluntatem, descendere non permittant.

Tributa, in Regnum arma & victualia importantes, non tenentur soluere.
ART. XLIIII.

QVOD ab illis qui arma aut victualia ad hoc Regnum deferunt, Tricesimæ & tributa nullibi exigantur, & hoc vbiq; proclametur.

Stipendiarij Comitatuum, qui pecuniam Comitatus leuarunt, & in bellum non sunt profecti, pecuniam restituant, & honorem sibi restitui gratia Regis studeant.
ART. LIII.

SVNT nonnulli stipendiarij certorum Comitatuum, qui leuatis stipendijs de transacta

acta expeditione, & nihilominus ex post, non curata Capitaneorum Regiæ Maiestatis commissione, ad propria redierunt, & eorum seruitutis officio satisfacere non curarunt: de quibus conclusum est, quòd tales omnes & singuli, ad solutionem & plenariam restitutionem stipendij per ipsos leuati, per omnia remedia compellantur, & gratiam honorum ipsorum à Regia Maiestate impetrare teneantur. De illis autem, qui non eiusdem forent Comitatus Nobiles & stipendiarij, Comites Comitatuum illorum, vbi residentiam habent, requisiti, sub amissione officiorum suorum, similiter faciant iustitiam.

Expeditioni qui non interfuerunt, bona eorum, tanquam infidelium, auferantur, & aliis conferantur. ART. LIIII.

SVNT nonnulli Nobilium diuersorum Comitatuum, qui nec mandata Regiæ Maiestatis, nec Regni pericula aduertentes, se ad transactam expeditionem mouere nullatenus curarunt, & propria temerariaque præsumptione domi remanserunt: quorum bona, per Comites Regiæ Maiestati occupentur, & vsque vlteriorem Regiæ Maiestatis informationem conseruentur. Si verò absq; iusta & legitima causa domi remanserunt, distribuantur eorum bona, & conferantur per Regiam Maiestatem benemeritis, veluti infidelium bona.

Actus potentiarij, qui expeditione durante sunt patrati, iure cognoscantur. ART. LV.

QVIA Regia Maiestas, cum dominis Prælatis, ac Baronibus maiori parte Nobilium Regni sui, in bello & expeditione contra Turcas nuper occupata fuit, nonnulli Nobiliũ, non solùm Maiestatem suam secuti non sunt, verùmetiam aliorum Nobilium, in ipso bello præoccupatorum, domos & curias Nobilitares inuadere violenter, Iobagiones eorum abducere, pecudes & pecora abigere, colonos diuersis supplicijs afficere, & alios eiuscemodi potentiarios actus committere præsumpserunt. Quapropter vniuersi tales actus potentiarij, à festo Beatæ Margarethæ Virginis & Martyris, vsq; ad præsentem Dietam, per quoscunque, & quomodolibet commissi & patrati, & deinceps quoq;, durante expeditione ipsa generali, patrandi & committendi, breues breuium euocationum ad instar iuxta tamen loci duntaxat distantiam, & non ad diem Tricesimum secundum, euocatione facta, absq; omni prorogatione iudicentur.

Iudicia Comitatuum & Vicariorum, infra expeditionem, suspensa maneant. ART. LVI.

RELIQVA verò iudicia, tàm in sedibus Comitum Parochialium, quàm etiam Vicariorum huius Regni, intra dictam expeditionem generalem cessent, & suspensa habeantur, vt liberius & solutioni præmissæ contributionis ac subsidij vacare, & expeditioni quoq; ipsi se conformare quilibet possit. Spirituales tamen personæ in causis inter sese motis, liberam agendi & procedendi habeant authoritatem. *Iudicia spiritualia.*

Bona post obitum Vladislai Regis occupata remittantur. ART. LVII.

QVOD bona & iura possessionaria, vel terræ, aquæ, vel syluæ, vel territoria, post serenissimi Principis quondam domini Vladislai Regis obitum, occupata, vel occupatæ, quæ in causa vel euocatione aliqua non sunt, rescita primum & comperta in vniuersitate Nobilium, per Comites, Vicecomites & Iudices Nobilium mera rei superinde veritate, ad admonitionem eorundem Comitum, aut Vicecomitum, & Iudicum Nobilium illorum Comitatuum, in quibus occupationes ipsæ factæ sunt, per vnum vel duos ex eis fiendam, per quoslibet dominos & Nobiles, sub pœna facti potentiæ minoris, statim remittantur: alioquin, si quispiam per eosdem Comites vel Vicecomites, ac Iudices Nobilium ad remittendum admonitus, temerariè remittere recusauerit, Regia Maiestas contra *Factum potentiæ minoris.*

Capitalis sententia.

contra illum, veluti in capitali sententia, & non in facto minoris potentiæ conuictum, propter rebellionem suam, ad literas Comitum vel Viceecomitum & Iudicum Nobilium executionem fieri demandet, contradictione, inhibitioneq; illius non obstante. Euocationes verò superinde iam forsan factas, si quis voluerit, cum onere possit deponere, vel autem modo præmisso, in facto occupationis ipsius procedere poterit.

Coloni abducti, vel motu proprio discedentes, restituantur & remittantur.

ART. LVIII.

VNIVERSI Iobagiones, durante transacta expeditione, vsq; modo, & etiam prius post rusticanam seditionem, per quoscunq; malè abducti, vel qui aliter motu eorũ proprio, contra dominorum, dominarumq; illorum voluntatem discesserunt, ad propria exnunc & de facto, sub pœna in Decreto, pro festo Beati Lucæ Euangelistæ, Anno salutis Millesimo, Quingentesimo, decimo quarto, edita & expressa, statim remittantur, atq; reddantur: & si qui per Iudices Nobilium requisiti, id non fecerint, Maiestas Regia cõtra tales quoque, ad literas Comitum ac Vicecomitum & Iudicum Nobilium, executionem faciat.

Si Comes nouiter quid occupet, vel colonum alicuius in priuata abducat, id Comitatus Regi rescribat, Rex verò executionem in eum peragat. ART. LIX.

SI verò Comites vel Vicecomites soli fuerint in causa: extunc contra eos in præmissis duobus casibus, scilicet nouæ occupationis, Iobagionum abductionis ac retentionis, vniuersitas Nobilium effectiuè procedat, & Regiæ Maiestati seriem rei pro executione rescribat. Si verò vniuersitas quoq; Nobilium, fauore forsitan Comitum ac Vicecomitum allecta, id pariter facere recusauerit: extunc Regia Maiestas, ad supplicationem læsi & damnificati hominis, de Curia sua, specialem suum mittat hominem, qui comperta rei veritate, executionem præmissam peragat.

Infideles qui castra Nandoralbense & Sabacz amiserunt, pronunciantur.

ART. LX.

Belgradum, Sabacz.

VNIVERSA castra, castella, oppida, villas, possessiones ac cuncta iura possessionaria illorum, qui castra Nandoralbense & Sabacz nuper amiserunt, tanquam infidelium, vigore generalis Decreti condemnatorum, Regia Maiestas ad manus suas Regias de facto accipiat, & illa nemini nunc distribuat, sed saluum conductum illis, si voluerint & postulauerint, concedat, & post factum inter eos superinde iudicium, postquam Maiestas sua Regia, etiam hoc modo condemnatos agnouerit, & deinde in ipsa expeditione proximè affutura, & alijs quoq; in rebus ac factis Maiestati suæ & Regno quospiam benè, fideliter vtiliterque seruiuisse agnouerit, illis tandem Maiestas sua, iuxta voluntatis suæ beneplacitum (si pro se non seruauerit) illa conferat, vt spe collationis bonorum seruitores animati, pro Reipub. & communi bono suæ Maiestatis & Regni sui, feruentius incumbant, & contra hostes ad mortem vsq; decertare non horrescant.

EX CONSTITVTIONIBVS IN DIETA BVDÆ PRO FESTO BEATI GEORGII MARTYRIS celebrata, editis. Anno M. D. XXIII. articuli.

Officia Vngaris conferantur, & non externis. ART. XVII.

Vlad. Prim. art. 8. & 9. Castra finitima vterq; officialis nunquã egrediatur.

REGIA & Reginalis Maiestates, omnia eorum officia Vngaris, ac sacræ Coronæ Regni huius subiectæ nationis hominibus, iuxta contenta generalis Decreti paternæ Maiestatis Regiæ (quod obseruandũ Maiestas quoq; sua Regia commisit) distribuantur, & Regia Maiestas ad quælibet castra finitima duos officiales exnunc & immediatè constituat.

stituat. Quorum vnus, sub amissione capitis & omnium bonorum suorum, semper in officio suo maneat: & nemo duo officia finitima teneat, ne alterum custodiendo, alterum perdat.

Banderia Rex interteneat in confiniis. ART. XVIII.

ET quòd Maiestas Regia, gentes & Banderia sua, more suorum prædecessorum Regum Vngariæ, paratas habere, & ad confinia, pro Regni tutela, mittere dignetur.

Domini & Nobiles de singulis decem sessionibus, vnum equitem dare tenentur. ART. XIX.

QVILIBET dominorum ac Nobilium, & alterius conditionis possessionatorum hominum, de singulis decem sessionibus Iobagionalibus, singulum vnum equitem, ad minus hastam cum clypeo, vel arcum manualem cum pharetra habentem disponat, & secum ad expeditionem ipsam generalem, penes Maiestatem Regiam ducat. Comitatus verò partium superiorum, Thrinchiniensis, Zolyom, Thurocz, Arua, Lyptho, & Scepes, loco equitum, pedites pixidarios secum portare teneantur.

Vnus eques à decem colonis.

Equitum loco pedites Comitatus quidam lustrant.

Nobiles vnius sessionis, exercituantium more, equestres vel pedestres ad expeditionem vadant. ART. XX.

ET quòd Nobiles vnius sessionis per singula capita, pariter insurgere & aduenire teneantur, & non in Kochi, prout plerique solent, sed exercituantium more, vel equites vel pedites, vt pugnare possint, venire sint obligati. Vbi verò plures fratres indiuisi, vel pater cum filio, in vno pane & victu fuerint, horum vnus duntaxat tenebitur aduenire.

Fratres indiuisi.

Exercituantes ne tempore progressionis in bellum, damna incolis inferant, neue in domos Nobilium ac Sacerdotum condescendant. ART. XXI.

REGIA Maiestas vna cum dominis & Consiliarijs suis, exnunc eum modum & ordinem constituat, ne quispiam gentium, siue externarum, siue internarum, & etiam dominorum & Nobilium, tempore progressionis eorum ad bellum, vel in ipso quoq; exercitu & bello, dominis ac Nobilibus, & rusticis ipsorum damnum inferre audeat: nemo etiam in domibus Nobilium aut Presbyterorum, contra ipsorum voluntatem ac consensum, condescendere præsumat. Contrarium facientes pœnam capitis subeant, prout etiam in articulis Dietæ festi Beatæ Elisabeth viduæ, clara superinde mentio pariter & constitutio habetur conscripta: ita vt læsus querimoniam porrigat Capitaneo, & ille tenetur de illatis damnis ac iniurijs læso satisfacere. Qui si non fecerit, dicat superiori principalique Capitaneo. Idem est intelligendum, vt ille simili pœna per Regiam Maiestatem puniatur, si contrarium egisse deprehendetur.

Argenti Marca, sex florenis & Quinquaginta denariis redimatur & ematur. ART. XXXIII.

VNA Marca argenti redimatur & ematur sex florenis, & Quinquaginta denarijs, sicut prius quoque fuit constitutum: alioquin, tàm venditores, quàm emptores argentum ipsum amittant atque perdant eo facto.

Argentum & antiquæ monetæ non educantur. ART. XXXIIII.

NEMO audeat argentum & monetas antiquas de Regno educere: alioquin Thesaurarius Regius pro Regia Maiestate auferri faciat.

Monetarum veterum permutatio. ART. XXXV.

ET quòd in redemptione antiquarum monetarum, ad Cameram Regiam fienda, ad centum monetas antiquas, superaddantur de nouis denarij decem, & non plures.

Denarij decem noui, ad centū veteres addēdi.

Merces non pluris vendantur, quàm prius venditæ sint. ART. XXXVI.

VNIVERSI mercatores, tàm externi, quàm interni, ac omnes artifices mechanici, quocunque nomine censeantur, cæteri etiam negotiatores, merces & res suas venales non audeant pluris vendere, quàm prius, cum pro antiqua moneta res huiusmodi & merces solebant emere, sub amissione omnium mercantiarum, ac rerum suarum venditioni expositarum.

Obuli quoque cudantur. ART. XXXVIII.

ET quòd Maiestas Regia cudi faciat ad communitatis commoditatem obulos, quorum duo valeant vnum denarium nunc currentem.

Libertas detur omnibus colendi fodinas & mineras auri & argenti fodiendi. ART. XXXIX.

VT aurum & argentum in copia habeatur, Maiestas Regia committat fodinas minerarum auri & argenti, ac cupri, & aliorum metallorum liberè omnibus colere, & de externis quoq; Regnis ad culturam eorum laborantes, & Montanistas aduocare, & publico edictò proclamare faciat, tandemque & illos & modernos in eorum libertatibus antiquis conseruare, & ab omnibus impetitoribus defensare dignetur.

Nemo pecunias aliquas, sub nota infidelitatis, cudere in Regno præsumat. ART. XL.

ET quòd de cætero nemo, sub pœna infidelitatis, (prout alias quoque semper obseruatum fuit) pecunias cudere, vel cudi facere præsumat: & si quispiam rusticorum cudere attentaret, dominus terrestris illum punire teneatur: aliter autem, solus ipse dominus terrestris amissione omnium bonorum, per Maiestatem Regiam puniatur.

Dominus terræ colonum, Rex Nobilem punit.

Pœna eorum, qui vocati ad generale bellum venire noluerint. ART. XLI.

ET illi quoq;, qui ad bellum generale per literas Regias vocati venire neglexerint, pari pœna de cætero puniantur: demptis palàm infirmis, & nimia senectute grauatis, ac dominorum & Nobilium factoribus, in castris vel eorum domibus & curijs constitutis: tamen & illi loco eorum alios mittere teneantur, & illi etiam, qui ad aliorum stipendia ibunt, loco ipsorum alios pariter destinare sint astricti.

In bellum non profectus perduellione feritur.

In stipendio alterius constitutus, tenetur pro sua persona alium in bellum mittere

Exercituandi spiritualium modus. ART. XLII.

PRÆPOSITI, Abbates, Capitula, Comitatus, Moniales, bona & iura possessionaria sæcularia possidentes, hoc idem facere de personis eorum teneantur, & de Iobagionibus nihilominus ipsorum, prout alij possessionati Nobiles, exercituare sint obligati: ita vt tot mittantur equites, quot sunt in Capitulo Canonici, & insuper decimas quoque Iobagionales prænarratas mittere teneantur. Præpositi tamen sæculares, ac aliæ personæ Ecclesiasticæ duplex beneficium habentes, seu in dignitate constitutæ, iuxta limitationem dominorum Prælatorum suorum, personaliter aduenire sint obligati.

Capitanei in singulis Comitatibus constituantur. ART. XLIIII.

REGIA Maiestas ad leuandos Nobiles & gentes, in singulis Comitatibus Capitaneos constituat & de eorum salario competenti prouideat, qui ipsas gentes, etiam ante tempus belli generalis reuideant, ne defectus in eis, motionis tempore vel etiam in bello fiat: verumtamen etiam suas huiusmodi gentes, quilibet Nobilium in eo Comitatu, vbi residet, secum ducere teneatur.

Capitaneorum officia quæ sint. ART. XLV.

CAPITANEI ipsi non aliorum, nisi suæ Maiestatis proprij sint famuli atque seruitores, de eodem Comitatu electi, & isti Capitanei non alia officia exercendi, sed leuandi

gentes

gentes duntaxat ad exercitum generalem, & penes Regiam Maiestatem ducendi, habeant facultatem. Præterea, si quis potentum Maiestati Regiæ rebellaret & reluctaretur, & contra talem Maiestas sua Regia personaliter insurgeret & proficisceretur, tunc in eo quoque casu, omnes per singula capita, cum ipso Capitaneo simul penes Regiam Maiestatem aduenire teneantur.

Tricesimæ & loca exactionis earundem, & quod à rebus quæ extra Regnum non deferuntur, Tricesimæ non exigantur. ART. XLVI.

TRICESIMÆ in locis in Decreto generali specificatis, & non in alijs, sub pœna ibidem denotata, exigantur: de vino autem & bobus, cæterisq; pecoribus & pecudibus, quæ extra Regnum non deferuntur, nullæ penitus Tricesimæ exigantur. *Vlad. Prim. art. 27.*

Saxones Transyluani connumerentur. ART. XLVII.

MAIESTAS Regia, Saxones suos Transyluanienses connumerari faciat, intelligatq; quot sint numero, & quanta summa super eos annuatim exigi sit consueta.

Lutherani & illorum fautores puniantur. ART. LIIII.

OMNES Lutheranos & illorum fautores, ac factioni ipsi adhærentes, tanquam publicos hæreticos, hostesq; sacratissimæ Virginis Mariæ, pœna capitis, & ablatione omnium bonorum suorum, Maiestas Regia, veluti Catholicus Princeps, punire dignetur.

Protonotarij, officia & prouentus Iudicum vicesgerentium Regni, non sibi vendicent. ART. LV.

MAGISTRI Protonotarij sese in officium vicesgerentium Iudicum ordinariorum Regni, videlicet, Vicepalatini, & Viceiudicis Curiæ Regiæ, sub amissione officiorum suorum, ingerere & immittere, prouentusq; eorum tollere nullatenus præsumant: & hoc idem est de cæteris quoq; officialibus Regiæ Maiestatis intelligendum atq; faciendum, ne confusione officiorum, Curia Maiestatis suæ Regiæ inordinatè disponatur.

Taxa literarum, apud Protonotarios & in Capitulis, quomodo fiat. ART. LVI.

REDEMPTIONES literarum, tam coram Iudicibus ordinarijs Regni & eorum Protonotarijs, quàm etiam in Capitulis & Conuentibus, iuxta formam contentaq; generalis Decreti Regni, fiant & accipiantur, Nam aliàs Magistri Protonotarij in officij: Capitula verò & Conuentus, in sigilli ipsorum amissione conuincantur. *Protonotarius officium: Capitulum sigillũ amittit, si taxam literarũ excedat.*

Literæ sententionales facti minoris potentiæ, ad florenos sex taxentur. ART. LVII.

QVOD de literis sententionalibus, factum minoris potentiæ concernentibus, sex duntaxat floreni de cætero recipiantur, nisi forsitan notabilis & magna damnorum refusio, vel pecuniarum solutio in illis contineatur: in quo casu iuxta refusionis & solutionis quantitatem, literarum ipsarum fiat redemptio.

Homines Regij vel Palatinales, de Curia contra partium voluntatem, non emittantur. ART. LVIII.

QVOD ad celebrationem communium inquisitionum, homines Regij vel Palatinales, de Curia Regia, contra voluntatem partium litigantium, non transmittantur: dempto casu, qui notabilem & insignem videbitur importare partibus ambiguitatem, simul & damnorum occasionem, in quo de Curia Regia homines liberè transmitti possunt.

EX CONSTITVTIONIBVS IN CAMPO RAKOS ANNO M. D. XXV. EDITIS, articuli potiores.

NE te lateat, lector, turbidum Conuentum in Campo Rakos, Anno Millesimo, Quingentesimo, Vigesimo quarto, in festo Natiuitatis Beatæ Virginis Mariæ celebratum, decreuisse quædam: sed quæ in sequentis Anni Millesimi, Quingentesimi, Vigesimi quinti generali Dieta pro Dominica Iubilate, in eodem Campo Rakos celebrata, approbata non fuerunt: ideoque nulla sunt.

Sigilla Regis & Reginæ annularia, Vngaris Cancellariis seruanda dentur. ART. III.

SIGILLVM Regiæ Maiestatis annulare, Secretarius Vngarus, donante Maiestate sua, teneat mox & immediatè. Pari ratione etiam Reginalis Maiestas, sigillum suum, Vngariæ nationis homini, Reuerendissimo domino Cancellario, suæ Maiestatis benemerito, pariter conferre dignetur.

Externæ nationis officiales amoueantur, & Vngari illis substituantur. Lutherani comburantur. ART. IIII.

CÆTERVM Fukkari, & omnes nationis externæ, qui Thesauros Regni palàm exhauriunt & educunt, de hoc Regno statim ablegentur & exmittantur, in eorumque locum Vngari constituantur. Nationes tamen externæ, cuiuscunque linguagij existant, si Maiestatibus suis & huic Regno seruire voluerint, ad stipendia consueta liberè veniant & conducantur: attamen in confinijs Regni, Vngarorum more, seruire militareque teneantur. Oratores quoque, Cæsareus & Venetus, è Regno exmittantur. Lutherani etiam omnes de Regno extirpentur, & vbicunq; reperti fuerint, non solùm per Ecclesiasticas, verùmetiam per sæculares personas liberè capiantur, & comburantur.

Lutherani comburantur.

Monetarum extranearum inductores comburantur. ART. XXIII.

CÆTERVM si qui extraneorum hominum, monetas extra Regnum istud cusas & fabricatas, in hoc ipsum Regnum de cætero importauerint, & deprehendi poterint, mox & defacto comburantur & incinerentur, pecuniæque cusæ ab eis auferantur, hospites quoque & dispensatores earum, in hoc Regno, si de cætero reperti fuerint, pari pœna puniantur.

Nobilibus partium inferiorum libertas retineatur. ART. XXX.

NOBILES partium inferiorum, & signanter duodecim Comitatus à Zewrino vsque Posegam, in eorum libertatibus, iuxta contenta Decreti, conseruentur, & prouentus eorum de desertis restituantur.

CONSTITVTIONES CONVENTVS CAMPI RAKOS, ANNO DOMINI M. D. XXVI. EDITÆ.

COnuentus in oppido Hatuan, inuito Rege celebrati, nulli hic articuli inscribuntur, quòd omnes in Dieta Anni Millesimi, Quingentesimi, Vigesimi sexti, reuocati, antiquati & abrogati sint.

Rex authoritate sua Regia vtatur. ART. I.

VNIVERSI domini Prælati, Barones & Regnicolæ, in præsenti Dieta generali, festi Beati Georgij Martyris, in campo Rakos celebrata, vnanimi consensu concluserunt, & Regiæ Maiestati supplicauerunt, vt Maiestas sua dignaretur authoritate & potestate sua, quam habet, vti, omniaque ad gubernationem Regni pertinentia, maturo

consilio agere & administrare, tàm illa, quæ ad prouentus suæ Maiestatis benè requirendos & ampliandos ac rectè dispensandos, quàm omnia alia, quæ ad defensionem ac libertatem, & alias necessitates Regni spectant.

Rex officiolatus quos vult abrogare, & alios officiales substituere potest.
ART. II.

CVM vltra electionem Palatini, quæ per Maiestatem Regiam, & dominos Prælatos ac Barones, nec non vniuersos Regnicolas, iuxta formam Decreti, communiter fieri debet, electio omnium aliorum officialium suorum, quocunque nomine vocentur, ad Maiestatem suam pertineat, poterit Maiestas sua vel retinere officiales modernos, vel alios pro arbitrio suo, dum voluerit, constituere.

Thesaurarius probus eligatur, qui prouentus Regios curet. ART. III.

QVIA vitiô & incuria officialium suæ Maiestatis, non paruæ dissipationes euenire solent: quæ vt deinceps euitentur & cessent, statutum est, vt statim eligatur per Regiam Maiestatem vnus probus & industrius, iustusq; & constans Thesaurarius, qui omnia montana, exceptis fodinis Bistricìensibus, cuius arenda per annum durauit, Cameras salium & Tricesimas, Vigesimas, Quinquagesimas, cementum, cusiones monetarum, generaliter verò omnes prouentus Regios teneat, gubernet & dirigat ad commodum suæ Maiestatis, quem sua Maiestas, quo fiat securior in suo officio, & constantior in prouentuum administratione, assecuret, vsq; Dietam Beati Georgij Martyris, in tertia reuolutione annuali celebrandam, & etiam vlterius, si Maiestati Regiæ placuerit, & si ille benè seruierit, quòd in suo officio non perturbabitur. Et huiusmodi Thesaurarius Regius, super eo iuramentum præstare teneatur, quòd vniuersos Regios prouentus, è manibus quorumcunque, cum auxilio Regiæ Maiestatis sine fauore extorquebit, suisque manibus applicabit, riteq; & commodè dispensabit, neminiq; dispensationem indulgebit: & si qui forent † dissipatores, Regiæ Maiestati, & Consiliarijs manifestabit, nihilque cuiquam indignum concedet, sed omnia quæ perperam aguntur, Regiæ Maiestati & Consiliarijs significare curabit.

Thesaurarij Iuramentum.

† Al: dispensatores.

Thesaurarius ante omnia confiniis prouideat. ART. IIII.

THESAVRARIVS ante omnia prouideat castris finitimis, & mox illa tenentibus solutionem impendere, seruientibusq; confiniorum, præter omnem moram & dilationem, satisfactionem dare debeat & teneatur. Vbi autem alij prouentus suæ Maiestatis non sufficerent, assignet subsidium per Regnicolas suæ Maiestati oblatum.

Thesaurarius prouideat, vnde & ex quibus prouentibus Rex Banderium disponere possit. ART. V.

THESAVRARIVS prouideat de his, cum quibus Maiestas sua, iuxta desiderium Regnicolarum, Banderium suum leuare, & alia ad defensionem Regni, atque etiam ad necessitatem Curiæ suæ pertinentia disponere possit.

Prouentus Regij & dissipationes prouentuum inquirantur. ART. VI.

DE omnibus prouentibus Regijs, & dissipationibus in eisdem factis, veritas inquiratur, & quicunq; reus fuerit repertus, iuxta sua demerita, sine vllo fauore, iure tamen & iustitia mediante, puniatur.

Thesaurarius factores probos & fideles eligat. ART. VII.

THESAVRARIVS, iuxta præsentis temporis exigentiam, vbi cura expeditionis negligi non debet, eligat probos & fideles factores ad sua officia, & præsertim qui apparatum expeditionis solicitent, & Naszadatos aliasq; naues fabricari, reformationem ingeniorum, globorumq; & plumborum, ac aliorum belli seriem tangentium prouisionem continuare debeant.

Rex ad expeditionem se præparet, & gentem paratam habeat.

ART. VIII.

MAIESTAS Regia præparet se ad expeditionem, ita vt Banderium suum erigat, & non saltem gentes suas, quibus iuxta contenta Decreti tenetur, sed quantò maiorem & ampliorem gentium numerum potest, in promptu habeat.

Belli onus vltra solitum, quo maiori poterunt apparatu, omnes assumere debent.

ART. IX.

PRÆLATI quoq; & Barones, vltra numerum gentium suarum, quas iuxta contenta Decreti debent conseruare, imò etiam potiores Nobilium pro conseruatione patriæ, onus belli, quo maiori poterunt apparatu, curent in se assumere, ac insuper debeant vnà cum Nobilitate viritim insurgere, & cum Regia Maiestate pariter hosti tanto tempestiuè occurrere.

Coloni per singula capita assumantur in bellum, in extrema necessitate.

ART. X.

RVSTICI vniuersi, per singula capita parati esse debeant, & si extrema necessitas postulauerit, ac Maiestas Regia mandauerit, per singula capita: vel si Maiestas sua voluerit, quinta eorum pars benè armata insurgere, & ad loca per Maiestatem suam deputanda conuenire debeant & teneantur: per singula tamen capita rustici non leuentur, nisi in extrema necessitate.

Apparatum belli, quo maiorem poterunt, leuent. ART. XI.

LIMITANDI sunt vniuersi domini Prælati, Barones ac Nobiles, in hac vltima necessitate, iuxta eorum facultates, non quidem more solito, sed vrgente necessitate in tenendis armigeris, Huszaronibus, pixidarijs, atq; ingenijs illorum, alijsq; omnibus bellicis apparatibus, vt quo maiori, vt præmissum est, poterunt curent leuari apparatu.

Constitutiones Transyluanienses de modo exercituandi perlegantur.

ART. XII.

CONSTITVTIONES Transyluanienses de modo exercituandi perlegantur, & modus ille, vbi bonus videbitur, obseruetur. De dominis etiam Sclauoniæ, idem est faciendum.

Regia Maiestas de expeditione futura, cum peritis rei bellicæ tractet.

ART. XIII.

QVOD adhuc Maiestas sua eligat aliquos ex ordine militari, rei bellicæ & militaris disciplinæ peritos, cum quibus de omnibus ad expeditionem pertinentibus tractet & consultet.

Auxilium contra hostes, ab externis Christianis Principibus imploretur.

ART. XIIII

SOLICITANDI sunt, Sanctissimus Dominus noster, & alij Principes Christiani pro auxilio contra hostes mittendo.

Amissores castrorum finitimorum puniantur. ART. XV.

QVIA amissores castrorum finitimorum impuniti remanserunt, vnde etiam plurima finitima castra perierunt. Propterea statutum est, vt amissores castrorum finitimorum iuxta contenta Decreti puniantur, vt alij finitima tenentes exinde admoniti, fidelius & feruentius castra ipsa finitima studeant custodire, & amissoribus castrorum finitimorum, Maiestas Regia contra contenta Decreti gratiam facere non possit: vel si fecisset, nullius sit vigoris, sed potiùs eosdem, iuxta contenta Decreti, puniri faciat.

Regnicolæ, nisi magna vrgente necessitate, ad Dietam conuenire coguntur.

ART. XVI.

QVONIAM autem propter continuas Dietarum celebrationes, pauperes Nobiles adeò

adeò exhausti sunt, vt eorum multi, propter nimias expensas, bona sua impignorando, in perpetuam deuenerint rusticitatem. Ideo statutum est, vt à modo deinceps, non nisi magna ingruente necessitate, extra solitum Dietæ terminum ad conueniendum in vnum cogantur.

Dietæ Hatuaniensis constitutiones & decreta nullius sint firmitatis.
ART. XVII.

QVIA Dieta Hatuaniensis, contra mandata Regiæ Maiestatis & libertates Regni extitit celebrata, pro vt etiam sua Maiestas per suas literas superinde ad omnes Comitatus datas, certificare nos dignata est: statuimus, vt nullius sit vigoris & firmitatis, imò si ex ipsa Congregatione aliquis defectus in detrimentum authoritatis suæ Maiestatis, & libertates Regni secutus fuisset, Maiestas sua vnà cum consilio suo reformare dignetur.

Capitaneus generalis eligatur. ART. XVIII.

EX quo generalis expeditio, absque generali Capitaneo fieri nequit, Maiestas sua Regia eligat vnum vel duos generales Capitaneos, qui ad huiusmodi expeditionem administrandam fiat idoneus.

Res Boëmorum direptæ inquirantur. ART. XIX.

DE illis, qui res Boëmorum ante castrum suæ Maiestatis Budæ diripuerunt, veritas inquiratur, & iuxta eorum demerita puniantur, & eisdem Boëmis de ablatis satisfactio impendatur.

Octauarum maioris & minoris celebratio. ART. XX.

OCTAVÆ maiores & minores, iuxta Decreti contenta quondam Mathiæ Regis bonæ memoriæ, suo statuto termino semper celebrentur, & incipiantur breues vigesimo die Beati Iacobi, & durent, iuxta Decreti contenta quondam Vladislai Regis. ITEM vt breues breuium semper quinque casus & Transmissionales vigesimo die festi Beati Iacobi incipiantur, & continuè celebrentur. Causæ verò factum iurium possessionariorum impignorationis concernentes, in termino celebrationis breuium semper celebrentur.

Beneficia solus Rex conferre possit. ART. XXI.

VT solùm Maiestas Regia, & nemo dominorum Prælatorum, præter simplicem Canonicatum, beneficium conferendi habeat facultatem, non tamen externis sed Vngaris & Coronæ Vngariæ subiectis.

Palatini officium vita comite duret. ART. XXII.

PALATINVS modernus & etiam futuras, in iudicio ac consilio, & alijs etiam omnibus quæ ad officium suum pertinent, tractare & exequutionem facere valeat. Statutum est denique, ut à modo deinceps, non per tumultum, vel alia via & ratione simplici, sed iuridicè officium Palatinatus auferatur, & pro tali quidem crimine, vt non saltem officio, sed & capite priuetur. Aliàs duret semper ipsum Palatinatus officium vita comite, & superinde Regia Maiestas literas dare dignetur, quas penes sacram Coronam conseruandas locari faciat, ne quis in futurum tumultuosè contra Palatinum inuehi audeat. *Palatinatus officium perpetuum.*

Bona Religiosorum locorum in medium Comitatus connumerentur, & non ad partem eorum, qui ius patronatus in Ecclesiis prætendunt. ART. XXIII.

QVIA solent nonnulli dominorum, sub nomine iuris patronatus, Ecclesiarum bona cum omnibus quæ ad officium Abbatum & Religiosorum fratrum, atque Monialium pertinent, tempore connumerationis pecuniarum exercitualium, inter bona sua facere connumerari, vnde stipendiarij Comitatuum in plerisque Comitatibus essent diminuti. Igitur statutum est, vt omnia huiusmodi bona Religiosorum, à modo deinceps, in medium Comitatus connumerentur, vt etiam numerus stipendiariorum augeatur, & nullus dominorum, prætextu iuris patronatus, huiusmodi Ecclesiæ bona pro se connumerari *Patroni Ecclesiarum bona, inter sua non annumerant, Rakos An. 1525 artic. 14.*

facere audeat, exceptis huiusmodi beneficijs, quæ de bonis & hæreditate dominorum essent fundata & excerpta.

Literæ ex Cancellaria contrariæ sibi inuicem non edantur. ART. XXIIII.

DOMINVS Cancellarius curet vniuersas literas Regias ita extradare, vt vnas contra alias, pro vt hactenus fuit consuetum, contra Regni consuetudinem nemini dare debeat.

Literæ obligatoriæ externis datæ nullius sint vigoris. ART. XXV.

OMNES literæ obligatoriæ, & quæ contra libertatem Regni externis nationibus datæ essent, nullius sint vigoris & firmitatis, & de cætero sua Maiestas tales literas nemini concedere dignetur.

Literæ proscriptionales, contra Stephanum Werbewczi & Michaëlem Zobi infideles, edantur. ART. XXVI.

Stephanus VVerbeuczi proscriptus.

VT Maiestas sua, sicut ore suo respondit suis fidelibus Regnicolis, literas proscriptionales contra Stephanum Werbewczi & Michaëlem Zobi suos infideles, iubeat extradari, & ipsos proscriptos, iuxta eorum demerita, puniri mandet.

Pecuniæ exercituales dominorum & Nobilium non Banderiatorum, in medium Comitatus conferantur. ART. XXVII.

QVILIBET dominorum & Nobilium non Banderiatus, qui ad minus quinquaginta equites ratione bonorum suorum tenere non posset, pecunias exercituales in medium Nobilium illius Comitatus, vbi bona sua habet, dare sit astrictus.

Georgius Archiepiscopus, pecuniam ad redimenda bona Vngariæ legauit. ART. XXVIII.

METAS Vngariæ cum Morauis & Austrialibus, Regia Maiestas rectificare, & castra illa impignorata, ad quorum redemptionem per quondam Georgium Archiepiscopum Strigoniensem, notabilis quædam legata est summa pecuniarum, redimere dignetur.

Milites conscribere omnes sine mora debent. ART. XXIX.

VT statim vniuersi domini & Comitatus, gentes suas in pleno numero, iuxta contenta Decreti conseruare, & iuxta mandatum Regiæ Maiestatis, ad loca necessaria bono modo armatos expedire, & absque mora destinare debeant, & Capitaneum suæ Maiestatis audiant, illique obediant.

Gentes dominorum, qui sine hærede decedunt, ratione bonorum conseruentur. ART. XXX.

GENTES dominorum Baronum sine hæredibus decedentium, ratione bonorum eorundem, illi apud quos ipsa eadem bona habentur, iuxta contenta Decreti, conseruare sint astricti.

Ad consilium octo personæ ex ordine Nobilium eligantur. ART. XXXI.

QVOD cum Maiestatis suæ Regiæ sint Consiliarij Prælati & Barones, est in arbitrio suæ Maiestatis retinere apud se, quos Maiestas sua voluerit, tamen sua Maiestas eligat octo etiam ex Nobilibus & Regnicolis, qui consilio suæ Maiestatis intersint.

Literæ, sub titulo Palatinatus Stephani Werbewczij ritè confectæ, confirmentur. ART. XXXII.

Stephani VVerbeuczij Palatinatus.

QVIBVS literæ aliquæ sub sigillo Stephani Werbewczij, titulo Palatinali sunt emanatæ, ex quo idem ipse Werbewczi contra authoritatem suæ Maiestatis, ac antiquam libertatem & consuetudinem Regni, per apertã factionẽ, in ipso Conuentu Hatuaniensi, contra mandatum Regiæ Maiestatis celebrato, se in Palatinũ erexerat, & ex eo prætextu

alijs

alijs etiam demeritis suis ita exigentibus, sit nota infidelitatis iure mediante, iuxta contenta Decreti, condemnatus. Ne tamen ex hoc iura aliquorum minui contingat, propterea statutum est, vt huiusmodi literas, quantum eædem ritè & legitimè existunt emanatæ, dominus Stephanus de Bathor Palatinus, sine vlla solutione pecuniarum, roborare expedireque & extra dare faciat. *Stephanus de Bathor Palatinus.*

Prærogatiuæ, super exemptione à iudicio Comitis Parochialis, cassentur.

ART. XXXIII.

QVIA dicuntur aliqui dominorum tales prærogatiuas habere, vt coram Comitibus Parochialibus, in causis contra eos motis vel mouendis, iuri astare nollent, dignetur Regia Maiestas huiusmodi literas siue prærogatiuas cassare & abolere. *Exemptio à iurisdictione Comitũ nulla.*

Monetæ cupreæ permutatio. ART. XXXIIII.

MAIESTAS sua Regia, in eodem pondere & liga, bonas monetas cudi faciat, sicut illo tempore, quo cuprea moneta incæpta est, cudebantur, & cupream istam monetam, ad Cameras per suum Thesaurarium cambire faciat: ita vt tribus cupreis monetis, vna bona moneta cambiatur, & locus campsionis fiat Budæ, & nemo alter, præter Thesaurarium, quicunq; ille sit, cambire valeat, & Thesaurarius super eo Regius, vt monetas ipsas iuxta ordinationem Regnicolarum & dominorum, ab omnibus cambire non permittet, iuramentum præstare debebit. In emendis & vendendis rebus quibuscunque, ad festum Beati Iacobi nunc venturum, per duos quilibet accipere debeat: elapso autem ipso festo, nemo hominum hac ipsa moneta amplius vti præsumat. Nihilominus tamen Thesaurarius teneatur, quousque cuprea ipsa moneta durauerit, semper cambire. Vbi verò ad ipsam campsionem portarentur aliquæ pecuniæ, quæ extra veram ligam cusæ viderentur, campsor huiusmodi monetarum recognoscat, quis illas cudi fecerit, & tales per Maiestatem Regiam, iuxta contenta Decreti puniantur, nihilominus tamen à campsore recipiantur.

Capite plectantur cupream monetam inducentes in Regnum.

ART. XXXV.

QVONIAM autem in Boëmia, Silesia & Morauia, monetæ cupreæ liberè cudebantur: ideò si qui de huiusmodi Regnis externis cupreas monetas induxerint, vel induxisse comperti fuerint, ablatis prius ab eis vniuersis bonis eorum, capite plectantur.

Monetarum cuprearum campsores & eductores puniantur. ART. XXXVI.

SIMILI pœna puniantur & illi, qui extra Cameram Regiam cambire, vel ex hoc Regno huiusmodi cupreas monetas educere deprehensi fuerint.

Monetæ externæ, durante expeditione, currant. ART. XXXVII.

BABKA, Cruciferi, aliæ quoque monetæ externæ in hoc Regno currant, durante generali expeditione, & amplius nemo huiusmodi monetis externis vti præsumat.

Subsidium nondum exactum exigatur. ART. XXXVIII.

PRÆTEREA, ob necessitates instantes & pericula imminentia, statutum est, vt cum nondum sit etiam pro media parte exactum subsidium vnius floreni, per Regnicolas anno præterito Maiestati suæ oblatum: ideò de omnibus Comitatibus, & de omnium bonis, ex quibus nondum illud esset exactum, extunc sine mora exigatur, & ad manus Thesaurarij Regij fideliter administretur.

Oblatio subsidij quinquaginta denariorum, incluso lucro Cameræ.

ART. XXXIX.

Et vltra hæc, vt melius possit confinibus & Regni necessitatibus & defensioni subueniri, obtulerunt ijdem domini Prælati & Barones ac Regnicolæ, se de singulis Iobagionum suorum portis, singulos quinquaginta denarios bonæ monetæ, incluso lucro Cameræ, ad festum Beati Martini proximè venturum daturos.

Officia

Officia Regina Vngaris conferat. ART. XL.

QVOD Reginalis Maiestas, pro vt etiam ex sua gratia se facturam Regnicolis obtulit, officia sua, quocunque nomine censeantur, Vngaris, & quidem benemeritis personis, iuxta contenta Decreti, distribuere dignetur.

Metæ inter Cumanos & Philistæos erectæ, & tandem distractæ, denuò restaurentur.
ART. XLI.

VT sua Maiestas per dominum Palatinum, inter Cumanos & Philistæos superioribus annis metas erectas, & tandem per officiales Maiestatis suæ distractas, denuò erigere faciat: & nihilominus in illis locis, in quibus adhuc non est reuisio facta, dignetur Maiestas sua debitam fieri facere reuisionem & metarum rectificationem.

FERDINANDI IMPERATORIS ET REGIS DECRETA.

IOANNES Waiuoda Transyluanus, Stephani de Zapolya Comitis Scepusiensis filius, post infœlicem in funesta clade Mohachiensi Ludouici Regis interitum: honore natalium & opibus alios Optimates excellere sibi persuasus, quòd ab ineunte ætate, omnibus artibus ambiuerat, imperium Regni, Corona sacra, cuius ipse & Petrus Pereny, Decreto Regni, custodes extiterant, Wissegrado priuata vi desumpta, arripuit. Nam Solimano Turcarum Imperatore, omnibus per Regnum Pannoniæ pro diro libitu patratis, Constantinopolim reuertente, cum exercitu, quem in subsidium Regi è Transyluania euocauerat, mora non longiori octo dierum, Budam, ex recenti flamma Vrbi per Barbaros iniecta, adhuc fumantem, peruenit. Transactis paucis diebus, intellecto Comitiorum termino, quæ legitimè per Comitem Stephanum Bathori Palatinum Regni ex officio indicta fuerant, vt ea anteuerteret, adiunctis sibi quibusdam suffragatoribus Consiliariis, alium Conuentum indicit, adeò in breuem terminum, vt metu Turcarum multifariam dispersi, nouissimaque calamitate plurimum afflicti Pannones, ne conuenire quidem potuerint. Conueniunt tamen aliqui ad eum, & cum his Albam Regalem proficiscitur. Vbi subitò voluntates omnium præoccupat, seque, constitutis circa forum omne satellitibus exiguis suffragiis, suorum propemodum acclamationibus, in Regem eligi procurat. Mox celebrandis Ludouici Regis exequiis animum intendit: repertum corpus Albam relatum, inuita Maria Regina, ob obitum & occasum optimi sui mariti mœstissima, perfunctoriè properis & subitariis inferiis, apud sepulchra Regum tumulat. Exinde per Paulum Wardai Archiepiscopum Strigoniensem, & Stephanum Brodericum Episcopum Vaciensem ab eo electos, solenni ritu in die Sancti Martini Episcopi & Confessoris coronatur, Anno Domini Millesimo, Quingentesimo, Vigesimo sexto. Et cum sequenti anno Regno priuaretur, se in amicitiam Solimani, cum maximo Regni detrimento insinuat, à quo amicus & beneficiarius nuncupatus, & denuò Regnum cum sacra Corona, quæ iam ad manus Imperatoris Turcarum deuenerat, consequitur, non sine socio Regni Ludouico Grittio Veneto, quem specioso titulo in Gubernatorem sibi asciuerat: bis euocauit in subsidium Turcam, cum ingenti clade patriæ suæ Regni Vngariæ & adiacentium prouinciarum: quando, vt binæ suæ ad Grittium literæ testantur, supra ducenta millia hominum, omnis ætatis & sexus, aut gladio cæsa, aut in seruitutem abducta fuit: adeò infœlix & cruentus fuit huius interregis dominatus. Postremò Grittius permissu Solimani, vitæ Ioannis insidiari cœpit, sed primùm sustulit Emericum Cibak Episcopũ Varadiensem, huius quoq; amici Grittium interemerunt. Laskium verò Secretorum Gritty non ignarum, à se Ioannes pepulerat. Et horum quidem Consiliariorum ac suffragatorum ipsius hic fuit finis. Demum per Carolum Quintum Imperatorem Romanum, Ferdinando Romanorum Vngariæ & Boëmiæ Regi reconciliatus, vxorem Sigismundi Poloniæ Regis filiam Isabellam ducit, cum qua duobus annis vixit, & ex ea filium Stephanum suscepit, ab aliis Ioannem vocatum. Quem priusquã videret, Anno Domini Millesimo, Quingentesimo, Quadragesimo, in Transyluania moritur,

Solimanus ex Campo Mohach discedit 1. die Octobris. Ann. 1526.
Ioannes Waiuoda Budam ingreditur 10. die Octobris.
Albam Regalē venit 24. Octobris.
Eligitur prima die Nouēbris.
Ludouici corpus sepelitur 9. die Nouembris.
Ioannes coronatur 11. Nouembris.
Beneficiarius Solimani Budæ 21. Octobris. Ann. 1529. declaratur.
Turcas educit 1529. & 1532.
An. 1534.
Ann. 1536.
Moritur. 1540.

moritur, & Buda ex manibus Reginæ ac fratris Georgij Monachi, Stephani tutoris, in Turcarum Imperatoris venit potestatem. Huius Regis literæ & Priuilegia, quæ locum in iudiciis habeant, & quæ non, vide infra in Decretis D. Ferdinandi Imperatoris, Dietæ Posoniensis, anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi secundi, art. 20. 21. 22. & 23.

FERDINANDVS Boëmiæ Rex Electus, Archidux Austriæ, Caroli Quinti Romanorum Imperatoris frater, cui Anna Vladislai Vngariæ Regis filia, & Ludouici recens mortui soror nupserat, in publicis & frequentissimis Regni Comitiis Posonij, per Stephanum Bathori Palatinum, cuius hoc intererat, cũ ordines Regni hostis immanitate dispersi, ad penates quisq; suos rediissent, indictis: mense Nouembri, Anno Millesimo, Quingentesimo, Vigesimo sexto in Regem Vngariæ ritè eligitur. Et missis solennibus Oratoribus, ad accipiendam possessionẽ Regni inuitatur. Qui cum in Regno Boëmiæ paulò ante Comitia indixisset, ad ea properandũ constituit, vt illius Regni Corona prius insigniretur. Post eam inaugurationem, Posonium venit, militem omnis nationis euocat & cogit, & ad eum vndiq; Vngari, vel sponte Ioanne Waiuoda spreto, concurrunt. Recepta igitur in potestatem Vngaria, Ioannem toto Regno exuit, & in exilium propellit. Ita iam omnibus ferè Proceribus in ipsum inclinatis, Rex denuò acclamatur, & in Alba Regali, sacra Corona, quæ adhuc per Petrum Perenium asseruabatur, vna cum Anna Regina coniuge, celebratis solennis pompæ cæremoniis, coronatus est. Paulò post Coloniæ Romanorum Rex designatus, & Aquisgrani ferrea Corona redimitus est. Bella per alios non semper fœliciter gerens, in Vngariam innumerabilem multitudinem externorum militum frequenter misit, Ducibus Comite Nicolao à Salmis, Gulielmo Rogendorffo Marchione Electore Brandenburgensi, Ferdinando Archiduce Austriæ, F. & Castaldo ac Sforcia Italis, ac Erasmo Teiselio. Quare tunc Vngaria Germanorum cœmiterium & macellum hominum, ob tantorum hominum intra paucos annos, diras cædes & mortem, verissimè dicta est. Per totam vitam nihil antiquius habuit, quam afflictum hoc Regnum stabilire, ornare, & in tranquillitate conseruare: sed conatibus eius, multi fuere aduersati. Ad vltimum cum Solimano Turcarum Imperatore inducias & fœdus, quò Regno pacem, hoc deploratissimo temporum statu pararet, cum aperto Marte, propter dissidentes in Christiana Repub. & religione multorũ animos, congredi non daretur, pepigit: & vti melius potuit, Regna tutatus est. Viuente Carolo Quinto fratre & volente, maximi Romanorum Imperij dignitas Francfurti per Electores ei delata est. Tandem optimus hic, & omnibus modis Catholicus Princeps, ac Imperator Augustissimus, mense Iulio, ipsis feriis D. Iacobi Apostoli, anno Domini Millesimo, Quingentesimo, Sexagesimo quarto, diem suum obijt: cuius ad omnem posteritatem, perennis & celeberrima transibit memoria. Suscepit ex Anna coniuge sua filios & filias Elisabetham, Maximilianum, postea Imperatorem electum, Annam, Ferdinandum, Mariam, Magdalenam, Catharinam, Leonoram, Margaretham, Ioannem, Barbarã, Carolum, Vrsulam, Helenam & Iohannam. Ipse verò patrem habuit Philippum Austriacum, Castellæ & Legionis Regem: hic Maximilianum primum, qui Fridericum tertium Imperatores, qui Ernestum, qui Leopoldum, qui Albertum, qui alterum Albertum, Nepotes omnes Maximiliani filij sui filios viuens conspicatus est, & amplexatus pijssimus Imperator. Huius Imperatoris & Regis donationes & Priuilegia seruantur: de quibus vide vberius Constitutiones eiusdem Ferdinandi Regis Millesimi, Quingentesimi, Quadragesimi secundi, art. 2. & Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi secundi anni, art. 20. 21. 22. & 23. Decreta verò eius, ab anno coronationis suæ Millesimo, Quingentesimo, Vigesimo septimo, vsque ad Millesimum, Quingentesimum, Sexagesimum tertium, cum plurima sint pro temporis ratione constituta, ea seruato ordine & serie annorum hic subijcientur.

Ferdinandus Coronatus Rex in Boëmia 24. Febr. An. 1527.

Coronatus in Regẽ Vngariæ 5. die Nouemb. Ann. 1527. Aquisgrani die 11 Ianuar. An. 1531.

Anno 1558. 13. die Martij.

IVRAMENTVM FERDINANDVM REGIS, POSTEA IMPERATORIS, quod tempore suæ coronationis, in Alba Regali præstitit, fuit his verbis conceptum.

NOS FERDINANDVS DEI gratia Rex Vngariæ, Boëmiæ, &c. iuramus per DEVM viuum, per eius Sanctissimam genitricem Virginem Mariam, per omnes Sanctos, quòd nos Ecclesias Dei, dominos Prælatos, Barones, Nobiles, Ciuitates liberas, & omnes

& omnes Regnicolas in suis immunitatibus & libertatibus, iuribus, priuilegijs, ac in antiquis bonis & approbatis consuetudinibus, conseruabimus, omnibusq; iustitiam faciemus, Serenissimi quondam Andreæ Regis Decreta obseruabimus, fines Regni nostri Vngariæ, & quæ ad illud quocunque iure aut titulo pertinent, non alienabimus, nec minuemus, sed quoad poterimus augebimus & extendemus, omniaq; alia faciemus, quæcunq; pro bono publico, honore & incremento omnium Statuum, ac totius Regni nostri Vngariæ, iustè facere poterimus. Sic nos DEVS adiuuet, & omnes Sancti.

FERDINANDI REGIS CONSTITVTIONES IN DIETA BVDEN. ANNO M. D. XXVII. STATIM post coronationem editæ, de verbo ad verbum huc relatæ.

Factiosis terminus ad veniendum in fidelitatem Regiæ Maiestatis assignatus.

ART. I.

IMPRIMIS conclusum est, vt nonnulli Nobiles, qui partes Waiuodæ sequuntur, & cum eo in partibus Transyluanis agunt. Et item Simon Episcopus Zagrabiensis, Ioannes Banffi de Also Lindua, Anthonius similiter Banffi de Bolondos, Ioannes de Tah, & Franciscus de Homonna, qui soli ex ordine dominorum vtriusque status ad præstandam fidelitatem Regiæ Maiestati debitam, hactenus ad suam Maiestatem venire noluerunt. Generaliter verò omnes Comites Parochiales huius Regni, & partium sibi subiectarum, ipsam fidelitatem & obedientiam, præfato Domino nostro clementissimo declarandam, ad festum Beatæ Catherinæ Virginis & Martyris, coram sua Maiestate sese præsentare debeant & teneantur: alioqui pœna criminis læsæ Maiestatis statim & de facto proscripti & condemnati habeantur.

Factiosi emendationi Regiæ Maiestatis reseruantur. ART. II.

VT capita factionis ipsius Ioannis Waiuodæ, qui nondum resipuerunt, & ad felicem Maiestatis suæ coronationem venire recusauerunt, iuxta contenta literarum Maiestatis suæ, in primaria Posoniensi eius electione, omnibus Ordinibus datarum, gratiæ & emendationi Maiestatis suæ reseruentur.

Decreta in vnum corpus redigantur. ART. III.

VT Maiestas sua, vniuersa Decreta prædecessorum suorum, per illos sedecim electos Iurisperitos, & alios qui Maiestati suæ videbuntur, infra futuram generalem Dietam emendari, emendataq; in vnum corpus redigi faciat, illaq; in ipsa futura generali Dieta, ex consensu omnium statutum huius Regni, confirmet gratiosè.

Donationes Regiæ & Reginales efficaces sint & validæ. ART. IV.

Mariæ Reginæ donationes valent.

VT donationes Maiestatis Regiæ, & etiam dominæ serenissimæ Mariæ Reginæ viduæ, post obitum Serenissimi Principis quondam domini Ludouici Regis piæ memoriæ emanatæ efficaces sint & vigorosæ.

Actus potentiarij iudicentur pro quinto decimo die. ART. V.

VT vniuersi actus potentiarij, à festo Beatæ Margarethæ Virginis & Martyris, in anno Domini Millesimo, Quingentesimo, Vigesimo sexto elapso patrati, & deinceps patrandi, pro quinto decimo die, sine intermissione, iudicentur.

Malefactores & eorum fautores puniantur. ART. VI.

Comitis ad monitionem de malefactori-

VT in singulis Comitatibus huius Regni, duodecim Nobiles probi penes Comites parochiales & Iudices Nobilium, sub iuramento de Rakos eligantur, qui vniuersos fures, latrones, incendiarios, incantatrices, homicidas, & alios similes malefactores fideliter inquirere & conscribere: & tandem, iuxta illorum demerita, Comites ipsi parochiales, sine omni gratia, punire debeant. Et si qui ex ipsis malefactoribus in seruitijs seu

bonis

bonis aliquorum potentum fuerint comperti, & ij ad admonitionem Comitum ipsorum parochialium & iuratorum electorum, coram vno vel duobus ex eisdem ad id destinatis, malefactores ipsos debita pœna afficere noluerit, etiamsi Comites ipsi parochiales per se fuerint, tanquam hospites & fautores participesque malefactorum, ad literas præfatorum Iudicum Nobilium & iuratorum electorum, per Regiam Maiestatem, absque omni gratia, pœna capitis afficiantur. *ribus pœna sumi debet.* *Pœna capitis.*

Donationes Ioannis Waiuodæ in irritum reuocantur. ART. VII.

VT omnia acta & donationes ipsius Ioannis Waiuodæ in irritum reuocentur.

Contributio Regi oblata floreni vnius. ART. VIII.

VT de singulis portis, sine omni dilatione, singuli floreni exoluantur, tandemq; pro festo Beati Gregorij Papæ proximè venturo, similiter de singulis portis, iterum singuli floreni exoluantur. Et nullus colonorum, nisi illi quorum domus combustæ essent, & res in valore decem florenorum non haberent: illi verò quorum domus combustæ non essent, & res in valore trium florenorum non haberent, ab hac ipsa contributione exempti habeantur. *Eximuntur qui à contributione.*

FERDINADI REGIS OMNES ARTICVLI CONVENTVS BVDÆ CELEBRATI Anno M. D. XXVIII.

De exercitu instituendo. ART. I.

INPRIMIS, vt hoc Regnum post tantam cladem & ruinam à suis hostibus susceptam, à futuris periculis, potissimùm ex manifesto apparatu Imperatoris Turcorum imminentibus, valeat Præseruari, statutum est & conclusum: quòd vniuersi domini Prælati & Barones, Regnique Proceres, & tota Nobilitas, cum omnibus gentibus eorum, pro defensione Regni conseruandis, & non minus per singula capita, vna cum vniuersis eorum colonis, more exercituali, benè instructi, cum equis & armis, ac singulis eorum bellicis apparatibus prompti sint & parati, vt ingruente necessitate, pro defensione Regni, dum per Maiestatem Regiam, dominum nostrum clementissimum fuerint requisiti, tàm easdem gentes suas mouere, quàm etiam per singula capita eorum, vna cum colonis ipsorum, prout rei expostulauerit necessitas, ac sub pœna aliàs in similibus obseruari solita, specialiter autem in Decreto quondam domini Sigismundi Imperatoris denotata, confiscatione, vt puta, omnium bonorum & iurium suorum possessionariorum, in loco & termino per Maiestatem Regiam deputando, constitui debeant & sint obligati. *Sigism. Imp. Decr. Prim. Anno 1435.*

Factiosi puniantur. ART. II.

QVONIAM sunt plurimi diuersi status & conditionis homines, factioni & parti Ioannis de Zapolya adhærentes, quorum opera Regnum hoc in diuersis suis partibus, damnis & nocumentis, non sine graui fidelium Regiæ Maiestatis oppressione, rerumque & bonorum direptione, ac omnium malorum generibus quatitur & grauatur, qui hactenus iuxta constitutionem, pro Dieta fœlicis Coronationis Regiæ Maiestatis in Alba Regali celebrata, ab eodem Ioanne de Zapolya discedere, & Maiestati Regiæ debitam obedientiam præstare omiserint. Vt igitur illorum actus nephandi reprimantur, & fideles Maiestatis Regiæ quietè valeant permanere, conclusum est & determinatum, vt tales, cuiuscunq; sint status & conditionis, Maiestas Regia, tanquam notorios suos infideles, publicè condemnatos puniat, & debita pœna de facto afficiat. *Pœna in factiosos constituta.*

De saluo conductu præstando: & quòd saluus conductus vni semel datus, secundò dari non possit, nisi dignitas Regia secus suaderet.

ART. III.

QVIA sunt nonnulli ex præmissis Regni Statibus, iam fatæ factioni Ioannis de Zapolya adhærentes, qui sub colore, in numerum fidelium Regiæ Maiestatis se annotari velle demonstrantes, vt eo liberius peruersos suos actus continuare possint, à Maiestate sua saluum conductum, ad præstandam obedientiam, seque purgandum, vel gratiam Maiestatis Regiæ obtinendam impetrarunt, terminum tamen eisdem statutum negligentes non comparuerunt: ne deinceps cuipiam similia patrandi sit occasio, communi omnium consilio est deliberatum, vt nemini illorum, qui accepto saluo conductu, pro termino statuto comparere neglexerunt, per Maiestatem Regiam amplius saluus conductus conferatur, authoritate tamen Maiestatis Regiæ in hac parte semper salua remanente.

Contra factiosos quomodo Comites & Vicecomites procedant.
ART. IIII.

SVNT nonnulli in diversis huius Regni Comitatibus & partibus constituti, qui de numero fidelium se fore ostentantes, partes & factiones Ioannis de Zapolya, occulto auxilio, persuasioneque & seductio promouere non desistunt, & Regios fideles perturbant. Quare, vt fideles Maiestatis Regiæ, à talium iniquo conatu præseruentur, statutum est: quòd Comites & Vicecomites quorumcunque Comitatuum, cum Iudicibus Nobilium & iuratis Nobilibus, in eisdem Comitatibus maioribus, vt puta duodecim, & minoribus sex electis vel eligendis, de talibus, sub illa fide & fidelitate, qua erga Maiestatem Regiam sunt astricti, superintendere, & solicitam curam ac animaduertentiam gerere, eosdemq; in causa rationabili ad sui expurgationem ad decimum diem ipsis præfigendum, in præsentiam Regiæ Maiestatis compellere, causasque & rationes, ac vniuersos illius suspiciosos excessus, Maiestati Regiæ fideliter rescribere debeant & teneantur. Et casu quo tales non comparerent, vel se de conscriptis suspiciosis criminibus & excessibus purgare non possent, nota infidelitatis de facto condemnati habeantur.

Nota infidelitatis.

De Theloneis siccis tollendis. ART. V.

Tributa seu Thelonea quorū pontes vel aggeres non reformantur, abolentur.

QVIA sæpe sæpius contigit, vniuersos Regni status, de Theloneis siccis, & non minus in fluuijs exigi solitis querulari, pro quorum statuum releuamine. in Decretis Regni nonnulli articuli in hac parte habentur denotati. Vt igitur iam tandem illorum quieti consulatur, statutum est & determinatum: quòd vniuersa illa Thelonea sicca, quæ pontes vel aggeres pro transitu itinerantium formatos non haberent, aut de illis pontibus vel aggeribus debitè non prouiderent, & quæ in fluuijs, demptis nauibus onerarijs vel oneratis, merces & res venales ab externis partibus & prouincijs deferentes, exigi consueuerunt, à modo deinceps aboleantur: à dictis autem nauibus oneratis, de externis partibus res venales deferentibus, Thelonea more solito exigantur.

Comitibus & Vicecomitibus authoritas data iudicandi de damnis & spolio, vltra florenos centum. ART. VI.

QVOD quamuis de damnis & spolijs ac deprædationibus Regnicolarum, quibus à tempore, quo Imperator Turcorum ad cladem Mohachiensem suas mouit copias, certi fuerunt tractatus & articuli conclusi, iuxta quorum tenorem læsi & damnificati, eorum damna & accepta spolia recuperare valuissent. Vt tamen longa litis materia exinde secludatur, statutum est: quòd omnes illi & singuli, qui à præmisso tempore per quempiam sunt damnificati spoliatique, & rebus suis priuati, in præsentia Comitum ac Vicecomitum & Iudicum, ac Iuratorum Nobilium illorum Comitatuum, vbi præmissa acta sunt & patrata, sua damna requirere, ijdemq; Comes ac Vicecomes & Iudices, ac Iurati Nobiles ipsis damnificatis, cuiuscunq; conditionis existant, meram justiciam & debitam satisfactionem iure mediante, omni appellatione remota,

Comes de damnis cognoscit, etiam ultra summa.. centum

ſemota, facere debeant & teneantur, valeantq́; & poſſint: eo etiam, ſi damna vltra ſummam centum florenorum ad quamcunq; ſummam ſe extenderint, in nullo obſtante. Vbi verò damnum facientes, & talium ſpoliorum patratores, pro facienda ſatisfactione ſuis carerent facultatibus, ne lucrum reportaſſe videantur, debita & opportuna pœna puniantur.

florenorum ualentibus. Confer huc Vlad. Quint. art. 7. & 8. Appellatione ſemota.

Subſidium Regiæ Maieſtati deputatum, & pœna in non ſoluentes conſtituta.
ART. VII.

VT ſubſidium Maieſtatis Regiæ, in Dieta generali pro fœlici ſuæ Maieſtatis coronatione celebrata, pro defenſione, alijſque neceſsitatibus Regni oblatum, eo celerius exigi valeat & adminiſtrari: ſtatutum eſt, vt homines domini Theſaurarij ad connumerandum & exigendum illum florenum iam connumeratum deputati, ſecundum quoque florenum, in præſcripta Dieta oblatum, iuxta eandem connumerationem, de floreno iam connumerato factam, ad vigeſimum diem feſti Beati Gregorij Papæ; in ſingulis Comitatibus exigere valeant & debeant. Si qui autem colonorum poſt præmiſſam connumerationem ſuas ſeſsiones, vel morte præventi, vel alia ex cauſa vacuas reliquiſſent, iuramento iudicis loci illius comprobetur: ratione tamen euaſionis ſoluendi ſubſidij, ſi quis de ſua ſeſsione egreſſus, illam deſertam reliquiſſet, tales ſupportati non habeantur.

De gentibus intertenendis ratione bonorum. ART. VIII.

CONCLVSVM eſt inſuper & determinatum: quòd vniuerſi domini Prælati & Barones ac Regni Nobiles, gentes & homines eorum exercituales, à ſingulis viginti ſeſsionibus Iobagionalibus pro Regni defenſione oblatos, promptos & paratos habere debeant & teneantur, vt ingruente infra tempus generalis expeditionis neceſſitate, eaſdem ad Regni defenſionem & neceſſitatem, iuxta Regium mandatum, ſine dilatione mouere valeant & poſsint.

CONSTITVTIONES STATVVM ET ORDINVM IN CONVENTV POSONII PRO FESTO Beatæ Eliſabeth, Anno Domini M. D. XXXVI. celebrato editæ.

De tranſactione pacis. ART. I.

QVVM Status & Ordines Vngariæ hoc tempore nihil magis quam Regni partitionem, inter Regiam Maieſtatem, & eius aduerſarios futuram timeant: pro ea euitanda Maieſtas ſua, ſine ſcitu Conſiliariorum ſuorum Vngarorum, tractatus pacis nequaquam tranſigat.

Stipendiarij ne in domibus Nobilium hoſpitentur. ART. II.

CALAMITATVM & miſeriarum Regni habita ratione, Maieſtas Regia maturè prouideat, quo gentes eiuſdem primo quoque tempore in ordinem redigantur, ac deinceps in diſciplina militari contineantur, nec de cætero permittatur cuipiam iuxta ſtipendium viuenti, in domibus Nobilium & perſonarum Eccleſiaſticarum hoſpitare. Quicunque autem communem hanc, & quidem antiquam patriæ libertatem, contra decretum maiorum noſtrorum, & hanc præſentem conſtitutionem violare auſus fuerit, pœna capitis & amiſsionis omnium bonorum mobilium & immobilium contra eum decernatur.

Stipendiariorum in domibus Nobilium & Eccleſiaſticorum hoſpitantium pœna.

Stipendiarij citra iniuriam hoſpitum viuant. ART. III.

IN domo autem ruſtica tempore belli, in progreſſu exercitus, militibus ipſis liceat quidem hoſpitari, honeſtè tamen & citra omnem hoſpitum iniuriam iuſto ſtipendio vivant: in tranſgreſſores verò, iuxta Decreta Regni, animaduertatur.

Capitanei, nisi requisiti in transgressores animaduerterint, nota infidelitatis singuli condemnentur. ART. IIII.

PRÆTEREA si qui Capitaneorum exercituum Regiorum, in quempiam hunc constitutionis articulum violare non formidantem, cum primum querimoniæ ipsi Capitaneo fuerint delatæ, ad requisitionem læsi & iniuria affecti iure animaduertere recusauerit, citatus, & ordine iuris conuictus, perpetuæ infidelitatis nota condemnetur.

De bonis rebellium qui resipiscunt, & ad fidelitatem Regis veniunt. ART. V.

AD aliorum autem violentorum omnium tyrannidem reprimendam, occasionemq; & fomitem omnium malorum tollendam, & exinde concordiam Christianam in Regno restituendam, conclusum est: vt bona quorumcunq; rebellium Maiestatis Regiæ, posteaquam resipuerint, & in gratiam fuerint recepti, infra vnum mensem, à die quo in sede iudiciaria Comitatus illius, in quo bona huiusmodi resipiscentium habentur, gratia Regia vel domini Locumtenentis, pro ea qua in persona Regiæ Maiestatis fungitur authoritate, cum bona cautione & assecuratione fidelitatis Regiæ Maiestati debitæ, de consilio faciendo fuerit publicata, computandum, absq; ulla difficultate remittantur.

De bonis eorum qui iam diu resipuerunt, & ad fidelitatem redierunt.

ART. VI.

ILLIS autem, qui iam diu resipuerunt, sive sunt Ecclesiastici sive Seculares, eorum omnia bona, quæ nondum essent restituta, statim sine omni renitentia reddantur, donatione aut quacunq; inscriptione Regiæ Maiestatis non obstante.

De bonis aliorum, in manibus resipiscentium habitis.

ART. VII.

RESIPISCENTES etiam omnia bona per eos, dum partem adversam fovebant, occupata restituant, non obstante quacunque transactione, siue per Maiestatem Regiam, sive per eius Maiestatis Capitaneos, cum huiusmodi resipiscentibus facta.

De contentandis fidelibus, qui bona huiusmodi sanguine suo demeruerunt.

ART. VIII.

FIDELES autem Maiestatis Regiæ seruitores, quorum pleriq; bona huiusmodi sanguine suo demeruerunt, Maiestas sua, nacta opportunitate, de huiusmodi suorum fidelium servitorum meritis, aliunde contentos curabit reddere gratiosè.

Bona post obitum Ludovici Regis occupata restituantur.

ART. IX.

GENERALITER verò, bona vniuersa Ecclesiasticorum & Sæcularium omnium fidelium Maiestatis Regiæ, per hos annos, post Serenissimi piæ memoriæ, domini Ludouici Regis obitum indebitè occupata, vsque festum Beati Matthiæ Apostoli proximè venturum, illis quibus sunt adempta restituantur.

Bonorum occupatorum detentores peremptoriè citentur. ART. X.

SI qui verò huiusmodi bona pro se temerè retinerent, citentur peremptoriè ad quintum decimum diem, rationem superinde reddituri, iura etiam quibus bona ipsa, siue per notam infidelitatis, sive per defectum seminis, sive alio quocunque titulo ad se pertinere prætenderent, absque vlterioris prorogationis confidentia, in ipsa prima instantia, coram suo iudice exhibeant. Quicquid autem iudex ipse in hisce causis, iusto iudicio decreuerit atq; pronunciauerit, id citra omnem dilationem, debitæ etiam exequutioni demandet, contradictione & inhibitione quorumcunque non obstante.

Exequutioni extra modum repulsionis se opponens, pœnam Decreti incurrat.

ART. XI.

SI qui verò huiusmodi legitimæ exequutioni, contra formam repulsionis (quæ in quacunque causa ex Decreto Regni semel omnibus est admittenda) se violenter quomodo-

modocunque opponeret, nec eam juxta judiciariam commiſſionem fieri admitteret, pœnam in generali Decreto ſuperinde expreſſam, de facto incurrat.

Bona reſtitui commiſſa, poſt repulſionem ad ſe pertinere non probans, in facto maioris potentiæ conuincatur. ART. XII.

Si quis verò, ne poſt factam quidem repulſionem, bona reſtitui commiſſa iure ad ſe pertinere potuerit probare, mox in facto maioris potentiæ conuincatur.

Vt bona ſine iniuria remittantur, cum poſſeſſorribus eorum tractetur. ART. XIII.

Vt autem Eccleſiarum Dei, & reliqua bona omnia occupata commodius liberari poſſint, Maieſtas Regia cum his qui ea obtinent præſentibus, diligenter tractabit; cum abſentibus verò faciet tractari per dominos Conſiliarios, vt huiuſmodi bona abſque iniuria illorum qui poſſident, remittantur. Si qui autem ex illis, tractatui & admonitioni Regiæ Maieſtatis non parerent, contra eoſdem, iuxta confectos articulos tempore, celebrationis iudiciorum, iure procedetur.

Cauſæ omnium violentiarum indeſinentur iudicentur. ART. XIV.

Alias etiam vniuerſas cauſas Regnicolarum, ratione inuaſionis domorum, captiuationis, vulnerationis, verberationis & interemptionis Nobilium, & aliarum quarumcunque iniuriarum & violentiarum, quibus fideles Maieſtatis Regiæ, à tempore felicis Coronationis eiuſdem, ſeipſos mutuo quomodocunque affeciſſent, & etiam de futuro afficere attentarent (præter taxarum ſiue Dicarum & contributionum violentas quaſcunque exactiones: eas enim omnes quibus ſubditi Maieſtatis Regiæ hactenus ſunt effecti, illis quorum intereſt, in deductionem ſtipendiorum, quibus Maieſtatem Regiam pleroſque gravare intelligimus, duximus condonandas) Appellationum item ſiue Tranſmiſsionalium cauſas, contractuumq; & obligaminum, iuris impignoratitij, dotalitiorum, bonorum per defectum ſeminis, & per notam infidelitatis impetratorum, pro Dominica Reminiſcere proximè futura inchoari, & indeſinenter iudicari ſtatutum eſt: ſedem tamen iudiciariam, Maieſtas Regia pro ſua dignitate interea in ordinem redigere curabit.

Dica violenter exacta, violentus pro illo tempore condonata.

Archiepiſcopus Strigonienſis, & in conſilio, & in iudicio honore ſuo liberè fungatur. ART. XV.

Qvvm Reverendiſsimo domino Archiepiſcopo Eccleſiæ Strigonienſis, ex eiuſdem Eccleſiæ antiquis priuilegijs, tanquam ſummo & Secretario Cancellario Regio, iure competat, ut ipſe iuxta formam generalis Decreti Regni, tanquam perſonalis Maieſtatis Regiæ præſentia, vnus ex Iudicibus Regni ordinarijs eſſe cenſeatur. Tum igitur ex eo, tum etiam quòd ſit & Vngariæ primas, Maieſtas Regia, inter dominos Locumtenentem & cæteros Eccleſiaſticos Conſiliarios, ac Iudices Regni ordinarios, eum faciat ordinem, vt idem dominus Strigonienſis, & in conſilio, & in iudicio, pro ſuo & Eccleſiæ ſuæ honore, vt convenit, ſua liberè fungatur authoritate.

Locumtenens cum ſolita authoritate maneat, & Conſiliariorum electio fiat. ART. XVI.

Regia Maieſtas conſtituit dominum Locumtenentem in Regno, authoritate ſolita, elegitq; ex utroq; ordine præcipuos Conſiliarios ſeptem, ex quorum numero ſunt Locumtenens, Palatinus & Capitaneus.

Capitaneus, Conſiliarij, & omnes judices Regni ordinarij, ſed ante omnes alios purgent & iuſtificatos reddant. ART. XVII.

Capitanevs, Conſiliarij, & omnes Iudices Regni ordinarij, ante omnes alios, de omnibus violentijs, damnis, bonorum occupationibus ac detentionibus, alijsq;

 quibuſuis

quibusvis injuriis & nocumentorum generibus, quibus post obitum præfati domini Ludovici Regis, quispiam per eos qualitercunq; fuerit affectus, se justificatos reddere debeant & teneantur, Iuris tamen ordine observato: & adhoc juramento eorum, coram Majestate Regia sese addictos reddiderunt & obligatos.

Capitaneus requisitus, executionem justiciæ ritè peragere teneatur.
ART. XVIII.

PRO exequutione justiciæ Capitaneus electus est, qui cum certo equitum numero, domino Locumtenenti, cæterisque Consiliarijs assistat: & ubi opposuerit se quispiam consuetæ & legitimæ exequutioni justiciæ, mox requisitus per dominum Locumtenentem & Consiliarios, & homine Regio ac testimonio Capituli aut Conventus, pro consuetudine Regni, præsente, exequutionem ipsam ritè peragere teneatur.

Monetæ bonæ etiam divorum, Mathiæ, Vladislai & Ludovici Regum, suam æstimationem habeant. ART. XIX.

BONA moneta Vngarica, in liga Cremniciensi cusa, & item serenissimorum Principum quondam Mathiæ, Vladislai & Ludovici Regum, ubiq; suam habeat æstimationem & usum.

Oblatio subsidij unius floreni & alterius, ut in Dieta celebretur, si Majestas Regia in armis non fuerit occupata. ART. XX.

EARUM autem omnium rerum, quæ ad publicam Regni tranquillitatem pertinent, effectus & exequutio, cum absq; notabili impensa fieri nequeat, oblatum est Majestati Regiæ subsidium unius floreni, à singulis colonis in mense Ianuario, more aliâs consueto, per portas connumerandum & exigendum: item alterum quoq; similiter unius floreni subsidium, in mense Iulio exigendum Majestati Regiæ ita oblatum est, ut ad festum Beati Iacobi Apostoli proximè venturum, generalis Dieta celebretur, si tunc contra communem hostem pro patriæ liberatione, in armis non fuerit occupata. Interea autem optant Regnicolæ, ut hæc constitutio debitum sortiatur effectum. Nam alioquin non nisi, ut præmissum est, in eo casu, quo tempore in præmisso Majestatem Regiam in armis fore occupatam viderint, alterius floreni subsidium volunt eidem esse oblatum.

De celebratione Dietæ. ART. XXI.

AD hæc Regia Majestas respondit, non esse contra suam Majestatem Dietæ alicujus celebrationem, sed quòd exnunc & ab instanti diem aliquem & locum nominare & præfigere non videtur commodum esse: sed si ex re & tempore, Regnicolarumque exigentia, Dietam necessariam fore viderit, sua Regia Majestas curabit eam etiam anticipari.

Oblatio propensissima Regnicolarum in Regem. ART. XXII.

PRÆTEREA, ut hæc mala radicitus evellantur, Regnumque pristinæ restituatur tranquillitati: Regnicolæ etiam ultra vires enitentur, Majestati Regiæ obedientes & fideles subditos se exhibere.

Oblatio eorundem paratissima, pro tranquillitate Regni ad Bellum viritim, & cum quinta parte colonorum subeundis. ART. XXIII.

SPECIALITER autem in ipsa Regni tranquillitatis, libertatisque communis restitutione & conservatione, juxta formam generalis Decreti, viritim paratos fore, ac insuper etiam quintam partem colonorum, armis decenter instructam pollicentur.

Oblatio Nobilium unius sessionis, ad ea quæ ex Decreto pro patria debent.
ART. XXIV.

NOBI-

NOBILES quoque unius sessionis, ad omnia quæ illis ex Decreto Regni in patriæ defensionem incumbunt onera, paratos se exhibent Regiæ Majestati.

Oblatio dominorum utriusq; ordinis. ART. XXV.

DOMINI etiam utriusque ordinis, & aliæ personæ speciales, quæ ex Decreto Regni gentes tenere debent, cum suis gentibus, & quinta parte colonorum suorum offerunt sese paratos.

Militum quilibet competenti ordine ad equestrem ordinem adsciscatur. ART. XXVI.

OLIM in servitijs Regum & Regni, ex ordine equestri nemo admittebatur majorem equitum habere numerum, qui ad minus uno aut duobus mensibus proprio stipendio militandi non habeat facultatem. Nam alioqui, si aliquando, ut potentissimis etiam quibusque Imperatoribus contingere solet, stipendium debitum exercitui in Regno defecisset, provincialium lachrymis vivere coactus fuisset: quemadmodum id jam nobis quasi in consuetudinem venit. Nihil enim præter nudum corpus, illudque diris affectum verberibus, miseræ plebi relinquitur. Itaque ad reprimendam hujusmodi licentiam militarem, pro Majestatis Regiæ & Regni commodo, visum est quemlibet, juxta bonorum & facultatum suarum quantitatem, competenti equitum numero, ad ordinem equestrem de cætero fore asciscendum.

Pœna ordinem hunc violantis & damna inferentis. ART. XXVII.

SI qui autem Capitaneorum, aut dominorum & Procerum Regni, hunc ordinem temere violaverit, per hocq; occasionem damnorum cuipiam præbuerit, in Viginti quinque Marcis communis ponderis, inter judicem & actorem ex æquo dividendis, simul etiam in hujusmodi damni refusionem convinci debeat. Eum verò qui contra hanc constitutionis formam, cuipiam damna irrogaverit, placuit sine gratia capite plectendum fore; juris tamen ordine observato.

Naszadistarum conservatio. ART. XXVIII.

NASZADISTÆ, numero pro temporis conditione necessario, in loco magis convenienti servabuntur.

Deputatio in subsidio nulla detur, nec quis authoritate propria eam retineat aut percipiat, sub pœna rebellionis. ART. XXIX.

IN subsidio sive Dica Regia Majestati Regia oblata, deputatio nulli prorsus detur, neque quispiam sub rebellionis pœna, authoritate propria, de suis aut aliorum bonis quicquam pro se recipiat; sed id totum quod oblatum est, tàm ex dominorum, quàm ex aliorum quorumcunq; Regnicolarum bonis, ad Cameram Majestatis suæ sine ulla difficultate administretur. Et tandem id quod Majestas Regia cuiq; dare jusserit, à dominis Camerarijs expectetur, ne de cætero ratio accepti & expensi, in ipsa Camera Regia, per quorumpiam licentiam confundatur.

Combusti sex florenorum facultatis dicentur. ART. XXX.

COMBUSTI trium annorum, facultates ad sex florenos habentes, dicentur.

Dicatores in prima sede exmittantur. ART. XXXI.

IN exmittendo Dicatore, nulla dilatio fiat, sed in prima sede statim exmittantur, neque etiam pecuniæ ad manus Dicatoris administratio ulterius, quam ad quintum decimum diem, post prædictam connumerationem differatur: sed ipso quinto decimo die adveniente, universitas Nobilium, literas mulctæ sive Birsagij, citra ulteriorem dilationem expedire, & manibus Vicecomitum & Iudicum Nobilium dare debeat, committatq; eorum vigore, Dicam ipsam Regiam more consueto exigendam.

Comites & Iudices Nobilium solitum salarium accipiant. ART. XXXII.

quibusvis injuriis & nocumentorum generibus, quibus post obitum præfati domini Ludovici Regis, quispiam per eos qualitercunq; fuerit affectus, se justificatos reddere debeant & teneantur, Iuris tamen ordine observato: & adhoc juramento eorum, coram Majestate Regia sese addictos reddiderunt & obligatos.

Capitaneus requisitus, executionem justiciæ ritè peragere teneatur.
ART. XVIII.

PRO exequutione justiciæ Capitaneus electus est, qui cum certo equitum numero, domino Locumtenenti, cæterisque Consiliarijs assistat: & ubi opposuerit se quispiam consuetæ & legitimæ exequutioni justiciæ, mox requisitus per dominum Locumtenentem & Consiliarios,& homine Regio ac testimonio Capituli aut Conventus, pro consuetudine Regni, præsente, exequutionem ipsam ritè peragere teneatur.

Moneta bona etiam divorum, Mathiæ, Vladislai & Ludovici Regum, suam æstimationem habeant. ART. XIX.

BONA moneta Vngarica, in liga Cremniciensi cusa, & item serenissimorum Principum quondam Mathiæ, Vladislai & Ludovici Regum, ubiq; suam habeat æstimationem & usum.

Oblatio subsidij unius floreni & alterius, ut in Dieta celebretur, si Majestas Regia in armis non fuerit occupata. ART. XX.

EARUM autem omnium rerum, quæ ad publicam Regni tranquillitatem pertinent, effectus & exequutio, cum absq; notabili impensa fieri nequeat, oblatum est Majestati Regiæ subsidium unius floreni, à singulis colonis in mense Ianuario, more aliâs consueto, per portas connumerandum & exigendum: item alterum quoq; similiter unius floreni subsidium, in mense Iulio exigendum Majestati Regiæ ita oblatum est, ut ad festum Beati Iacobi Apostoli proximè venturum, generalis Dieta celebretur, si tunc contra communem hostem pro patriæ liberatione, in armis non fuerit occupata. Interea autem optant Regnicolæ, ut hæc constitutio debitum sortiatur effectum. Nam alioquin non nisi, ut præmissum est, in eo casu, quo tempore in præmisso Majestatem Regiam in armis fore occupatam viderint, alterius floreni subsidium volunt eidem esse oblatum.

De celebratione Dietæ. ART. XXI.

AD hæc Regia Majestas respondit, non esse contra suam Majestatem Dietæ alicujus celebrationem, sed quòd exnunc & ab instanti diem aliquem & locum nominare & præfigere non videtur commodum esse: sed si ex re & tempore, Regnicolarumque exigentia, Dietam necessariam fore viderit, sua Regia Majestas curabit eam etiam anticipari.

Oblatio propensissima Regnicolarum in Regem. ART. XXII.

PRÆTEREA, ut hæc mala radicitus evellantur, Regnumque pristinæ restituatur tranquillitati: Regnicolæ etiam ultra vires enitentur, Majestati Regiæ obedientes & fideles subditos se exhibere.

Oblatio eorundem paratissima, pro tranquillitate Regni ad Bellum viritim, & cum quinta parte colonorum subeundis. ART. XXIII.

SPECIALITER autem in ipsa Regni tranquillitatis, libertatisque communis restitutione & conservatione, juxta formam generalis Decreti, viritim paratos fore: insuper etiam quintam partem colonorum, armis decenter instructam pollicentur.

Oblatio Nobilium unius sessionis, ad ea quæ ex Decreto pro patria debent.
ART. XXIV.

NOBI-

NOBILES quoque unius sessionis, ad omnia quæ illis ex Decreto Regni in patriæ defensionem incumbunt onera, paratos se exhibent Regiæ Majestati.

Oblatio dominorum utriusq; ordinis. ART. XXV.

DOMINI etiam utriusque ordinis, & aliæ personæ speciales, quæ ex Decreto Regni gentes tenere debent, cum suis gentibus, & quinta parte colonorum suorum offerunt sese paratos.

Militum quilibet competenti ordine ad equestrem ordinem adsciscatur. ART. XXVI.

OLIM in servitijs Regum & Regni, ex ordine equestri nemo admittebatur majorem equitum habere numerum, qui ad minus uno aut duobus mensibus proprio stipendio militandi non habeat facultatem. Nam alioqui, si aliquando, ut potentissimis etiam quibusque Imperatoribus contingere solet, stipendium debitum exercitui in Regno defecisset, provincialium lachrymis vivere coactus fuisset: quemadmodum id jam nobis quasi in consuetudinem venit. Nihil enim præter nudum corpus, illudque diris affectum verberibus, miseræ plebi relinquitur. Itaque ad reprimendam hujusmodi licentiam militarem, pro Majestatis Regiæ & Regni commodo, visum est quemlibet, juxta bonorum & facultatum suarum quantitatem, competenti equitum numero, ad ordinem equestrem de cætero fore asciscendum.

Pœna ordinem hunc violantis & damna inferentis. ART. XXVII.

SI qui autem Capitaneorum, aut dominorum & Procerum Regni, hunc ordinem temerè violaverit, per hocq; occasionem damnorum cuipiam præbuerit, in Viginti quinque Marcis communis ponderis, inter judicem & actorem ex æquo dividendis, simul etiam in hujusmodi damni refusionem convinci debeat. Eum verò qui contra hanc constitutionis formam, cuipiam damna irrogaverit, placuit sine gratia capite plectendum fore; juris tamen ordine observato.

Naszadistarum conservatio. ART. XXVIII.

NASZADISTÆ, numero pro temporis conditione necessario, in loco magis convenienti servabuntur.

Deputatio in subsidio nulla detur, nec quis authoritate propria eam retineat aut percipiat, sub pœna rebellionis. ART. XXIX.

IN subsidio sive Dica Regia Majestati Regia oblata, deputatio nulli prorsus detur, neque quispiam sub rebellionis pœna, authoritate propria, de suis aut aliorum bonis quicquam pro se recipiat: sed id totum quod oblatum est, tàm ex dominorum, quàm ex aliorum quorumcunq; Regnicolarum bonis, ad Cameram Majestatis suæ sine ulla difficultate administretur. Et tandem id quod Majestas Regia cuiq; dare jusserit, à dominis Camerarijs expectetur, ne de cætero ratio accepti & expensi, in ipsa Camera Regia, per quorumpiam licentiam confundatur.

Combusti sex florenorum facultatis dicentur. ART. XXX.

COMBUSTI trium annorum, facultates ad sex florenos habentes, dicentur.

Dicatores in prima sede exmittantur. ART. XXXI.

IN exmittendo Dicatore, nulla dilatio fiat, sed in prima sede statim exmittantur, neque etiam pecuniæ ad manus Dicatoris administratio vlterius, quam ad quintum decimum diem, post prædictam connumerationem differatur: sed ipso quinto decimo die adveniente, universitas Nobilium, literas mulctæ sive Birsagij, citra ulteriorem dilationem expedire, & manibus Vicecomitum & Iudicum Nobilium dare debeat, committatq; eorum vigore, Dicam ipsam Regiam more consueto exigendam.

Comites & Iudices Nobilium solitum salarium accipiant. ART. XXXII.

QVOD Comites & Iudices Nobilium vniuscuiusq; Comitatus, nihil præter solitum solarium accipere audeant, & id quidem non antea, quam Dica totaliter exacta fuerit: & si quid culpa Comitis vel Iudicum Nobilium inexactum fuerit, pro salario eorum computetur.

Dicare & taxam accipere nullus audeat. ART. XXXIII.

NVLLVS dicare præsumat præter Maiestatem Regiam, & nemo etiam sponte oblatam dicam. sine consensu Regio, accipere audeat, vt sua Maiestas intelligat, in quem finem illa Dica offeratur.

Ciuitates liberæ & montanæ contribuant. ART. XXXIIII.

Quia Ciuitates liberas, post obitum Serenißimi domini Ludouici Regis, nullum censum dedisse cognitum est: & si alioqui, pro fide & fidelitate Maiestati Regiæ debita, per hos annos eas etiam maxima pertulisse grauamina constat. Cum tamen domini ac Nobiles, non modo facultatibus proprijs, sed etiam capitibus & miseris colonis eorum, pro communi bono in præsentiarum parcere minimè queant. Visum est igitur, vt & ipsæ Ciuitates liberæ pariter & montanæ, pro sua quæque tenuitate contribuant.

Comites iurent Regiæ Maiestati. ART. XXXV.

QVVM denique in plerisque Comitatibus Regni, fideles Maiestatis Regiæ, per Comites maximè nondum iuratos, multis afficiantur iniurijs, Maiestas Regia omnibus Regni Comitibus sibi obedientibus, per hanc præsentem constitutionem seriò committet, ne quispiam, sub pœna amißionis officij, præfecturam huiusmodi deinceps gerere audeat, absque iuramento, quod omnes Comites Regni parochiales Regibus Vngariæ, secundum generalis Decreti formam, præstare debent,

Comes, contra quem vera querimonia delata fuerit, officio priuetur, & loco eius alius idoneus præficiatur. ART. XXXVI.

PRÆTEREA, dum contra quempiam Comitum certa & vera aliqua per vniuersitatem Nobilium alicuius Comitatus, Maiestati Regiæ fuerint querimonia delata, illi officium statim abrogare, & loco eius, qui Maiestati Regiæ per Comitatum ipsum fuerit commendatus, præficere non dedignabitur; parte tamen vtraque prius audita.

Comites quæ extra locum sedis iudiciariæ egerint, irrita habeantur. ART. XXXVII.

EA autem, quæ extra consuetum sedis iudiciariæ locum in aliquo Comitatu ipsi quoque iurati Comites, etiam pro eorum officio debito de cætero egerint, placuit pro antiqua Regni consuetudine, exnunc irrita habere: ita tamen, si translatio seu mutatio loci huiusmodi fuerit præter voluntatem vniuersitatis Nobilium facta. Item omnis iudicialis administratio Comitum, & aliorum quorumcunque officialium alienigenarum irrita sit.

Alienigenarū Comitum & officialiū acta irrita.

Decimarum Arendatarij violenti. ART. XXXVIII.

DECIMÆ item frumenti & vini, cum in plerisque locis soleant in arendam locari, his qui iustis & consuetis decimis contenti esse nolunt, sed tyrannide quadam intolerabili, nomine decimæ omne quod volunt auferunt. Propterea decreuimus, damna illata simul cum pœna violentiæ, per eos, ad quos huiusmodi decimæ pertinent, iure fore refundenda.

Decimando si quis alicui vim intulerit, iure agatur pro eâ cum eo. ART. XXXIX.

SI tamen læsus ipse & damnum passus sibi magis commodum fore arbitrabitur, liberum sit illi, eum qui in exactione decimæ aliquam violentiam ac iniuriam intulerit,

tulerit, in ius vocare, & ab eo omne id quod ablatum foret, ad pœnam violentiæ simul iure repetere.

Coniurationes & mutuæ ligæ ne fiant, & factæ in irritum reuocentur, sub nota infidelitatis. ART. XL.

MAIESTAS Regia publico edicto prohibet, sub pœna perpetuæ infidelitatis omnes Ordines abstinere à mutua liga & coniuratione: & si quibuscunque conditionibus, etiam quantumvis iustis & honestis, fortaßis habita temporis ratione, in sui defensionem aliqui forent coniurati, pœna sub præmissa, Maiestas eius iubet id seriò in irritum reuocari, & in transgressores condigna animaduerti severitate, cum præsertim omnibus, quæ ad publicam Regni tranquillitatem pertinent, præmisso modo, DEO authore, benè in ordinem redactis, amplius non sit opus, neque etiam admittatur cuipiam, iniuriam priuatim vindicare.

Extra Regnum nemo iuri stare cogatur. ART. XLI.

CONTRA iura & libertates patriæ, extra Regnum nemo cogatur iuri stare, etiamsi Iudices Regni Ordinarios Maiestas Regia secum haberet: imò ne intra quidem limites Regni patiatur quempiam ad simplicem querelam, nisi citatum, & ordine iuris convictum damnari, vt à præcessoribus Maiestatis Regiæ, Vngariæ Regibus fuit obseruatum. *Querelam ad simplicem nemo damnandus.*

Bona item, beneficia, & officia alienigenis non conferantur. ART. XLII.

DE bonis & iuribus possesionarijs, beneficijs item ac officijs, præfecturisque artium & vectigalium Regiorum, alienigenis non conferendis ac inscribendis, Regia Maiestas in his etiam, ad instar præcessorum suorum Vngariæ Regum, se ipsum geret. *Alienigenis bona, officia & beneficia non conferentur.*

De externis officialibus amouendis, Maiestas Regia benignè se resoluturam offert. ART. XLIII.

QVOD autem Maiestas sua vsque modo, in quibusdam castris custodiendis, usa est externis officialibus & castellanis, respondit excusatione non egere, apud eos præsertim, qui maximè sciunt, bellorum motus & divisionem Regni in causa fuisse: adeò quod Maiestas sua, etiamsi voluisset, propter hæc & aliarum rerum exigentiam, aliter se gerere non potuisset. Rebus tamen ad statum pacatiorem & solidiorem adductis, Maiestas sua Regia offert se ita exhibituram, quòd in hac etiam parte, Status & Ordines Regni de eius Maiestate non sint ullam habituri querelam: id quod DEO optimo maximo authore sua Maiestas breui etiam futurum sperat.

Maiestas Regia tractabit de bonis & prouentibus apud Reginam Mariam Ludouici Regis Relictam. ART. XLIIII.

DE rebus & negotijs fodinarum ac Montanarum ciuitatum, earumque Præfectis & Officialibus, deque arcibus, quas Regnicolæ serenissimam dominam Mariam Reginam viduam iniuria obtinere queruntur: & item de Tricesima Posoniensi, ac decima Episcopatus Iauriensis, simul etiam de ducentis equitibus armatis, per eius Maiestatem Reginalem conseruandis, Regia Maiestas, & literis, & nuntio sese apud suam Maiestatem Reginalem diligenter tractaturam offert; ita vt in his omnia pro voto fidelium suorum efficiet.

Vectigalia noua & insueta aboleantur. ART. XLV.

NOVA item & insueta vectigalia, quæ fortassis ex iniuria temporis erecta sunt, præsertim Leuchouiæ & in Comaron, Maiestas sua abolenda curabit. Strigonij etiam de eo quòd anno superiori, certis ex rationibus & causis, exigi cæpit, quatenus ipsum vectigal in incommodum Regni vergere Maiestati suæ demonstratum fuerit, sua Maiestas curabit maturè prouidere.

Excubiæ Strigonij & alijs in locis teneantur. ART. XLVI.

EXCVBIAS item Strigonij, alijsque in locis necessarijs, Maiestas Regia tenebit, & talem ponet ordinem ne quid desit.

Ad rectificandas metas Regni, Commissarij eligantur. ART. XLVII.

CVM denique à pluribus annis querela publica fuisset, de metis Regni à parte Morauiæ, Austriæ, Styriæ, Carinthiæ & Carniolæ reuidendis & rectificandis: propterea ad hanc rem peragendam, primo quoque tempore ipsi Commissarij eligantur, & ea quæ ad hanc rem iam tandem maturè perficiendam, Regia Maiestas necessaria fore cognouerit, suam habeant exequutionem.

Assessores etiam in consilium admittantur. ART. XLVIII.

PRO administratione iusticiæ, ex ordine quoque Nobilium electi sunt Assessores numero sex, qui arbitrio Maiestatis Regiæ, etiam in consilium admittantur, iuxta antiquam consuetudinem Regni, quos denique, & cum eis simul etiam ex Sclauonia vnum, qui ex potioribus ad id fuerit electus, Maiestas sua Regia non grauabitur in tractatibus pacis suo tempore admittere.

Posonium sit locus administrationis Regni ART. XLIX.

LOCVS autem administrationis Regni, donec auspice DEO Regnum recuperabitur, fiat Posonium.

Banus in Regno Sclauoniæ præficiatur. ART. L.

ITEM in Regno Sclauoniæ, pro eiusdem Regni defensione & tranquillitate publica restituenda, & vt ibi quoque omnia suo ordine gerantur, Maiestas Regia curabit maturè & Bano præficiendo prouidere.

Ecclesiarum immunitates nemo violare audeat. ART. LI.

IMMVNITATES Ecclesiarum parochialium semper obseruentur, nec quispiam, sub pœna in generali Decreto expressa, eas audeat violare.

Induciarum violatores Fiscalis conueniat. ART. LII.

ITEM si quispiam præsentes inducias, quas Maiestas Regia cum suo adversario habet, iam diu publicatas temerè violare attentauerit, Fiscalis sacræ Coronæ nomine, & in persona Maiestatis Regiæ contra eum procedat, tanquam publici salui conductus violatorem, per hocque iusiurandum Maiestatis Regiæ, lædere non formidantem.

Spoliati beneficijs suis in integrum restituantur. ART. LIII.

IN beneficijs Ecclesiasticis, quibus quispiam pro fide & fidelitate Maiestati Regiæ debita, per hos annos spoliatus extitit, postquam DEO optimo maximo auctore, siue tractatibus pacis, siue armis Maiestas Regia Vngariam recuperauerit, spoliatos in integrum, vt conuenit, restituet.

De bonis hæreditarijs adversarij, quas quis resipiscendo secum attulerit, & Regia Maiestas eidem contulerit. ART. LIIII.

ITEM si qui resipiscentium, arces & alia quæcunque bona hæreditaria, quæ scilicet specialiter ad aduersarios Regiæ Maiestatis olim iure pertinebant, in gratiam Maiestatis Regiæ redeundo secum attulerint, eaque Maiestas Regia resipiscentibus ipsi gratiosè contulerit, priore Maiestatis Regiæ donatione aut inscriptione, quibuspiam fidelibus eiusdem qualitercunque facta, non obstante, iuxta formam donationis aut inscriptionis Maiestatis Regiæ, resipiscentes obtinebunt.

Ciuitatum

Ciuitatum liberarum & montanarum libertates vbique obseruentur.
ART. LV.

LIBERTATES liberarum ciuitatum & montanarum, maximè in vectigalibus, tributis, ac Telonijs exigendis, quibus videlicet ante hæc disturbia sunt vsi, Maiestas Regia publico edicto committat vbiq; obseruari inuiolatè, & in transgressores huiusmodi publici edicti, curet iuxta Decreti generalis formam, animaduertere; iuris tamen ordine obseruato.

Naszadistarum libertates obseruentur. ART. LVI.

LIBERTATES etiam Naszadistarum, in huiusmodi vectigalibus, tributis, ac Telonijs exigendis, iuxta eorum antiqua priuilegia, iubeat Maiestas Regia vbique obseruari. Sunt enim Maiestati Regiæ & Regno seruitores valde necessarij.

Regia Maiestas in Vngaria maneat. ART. LVII.

REGIA Maiestas pro voto fidelium subditorum suorum, iuxta antiqua Regni Decreta, nacta opportunitate, in Vngaria manere constituit.

Exequutiones, Capitulorum & Conuentuum, magis vicinorum, efficaces habeantur.
ART. LVIII.

CVM aliquot Capitula & Conuentus, aduersario Maiestatis Regiæ obediant, & alioquin multa impedimenta ex temporis iniuria plerunque emergant, quominus ea, quorum interest, Capitulorum & Conuentuum loca, exequutionem aliquam cuipiam fidelium Maiestatis Regiæ necessariò facere possint. Propterea placuit, vt Capitula quæque & Conuentus, ad loca huiusmodi exequutionum magis vicina, si quas fecerint vel facturi sint exequutiones, citra tamen dolum & fraudem, vbique efficaces habeantur.

Obligationes, promissiones & inscriptiones coactæ in irritum reuocentur.
ART. LIX.

ITEM obligationes, promissiones, sponsiones, fideiussiones, & aliæ quæcunq; inscriptiones coactæ, quas siue per captiuitatem, siue aliam quamcunque tyrannidem, quispiam violentus ab aliquo fide dignorum subditorum Maiestatis Regiæ, sub quibuscunq; conditionibus & pactis, initas extorserit, in irritum reuocentur.

Fortalicia nouiter erecta deijciantur, sub pœna infidelitatis.
ART. LX.

SVNT in plerisque locis plurima constructa fortalicia, ex quibus fideles subditi Maiestatis Regiæ, non mediocriter opprimuntur. Placuit igitur nobis vt fortalicia huiusmodi vsque proximum festum Beati Mathiæ Apostoli, sub pœna perpetuæ infidelitatis, hi qui ea obtinent, deijcere & domoliri debeant: nisi aliqua ex eisdem fortalicijs, ad supplicationem vniuersitatis Nobilium alicuius Comitatus, Maiestas Regia manere voluerit.

ARTICVLI IN DIETA STATVVM ET ORDINVM REGNI, DE EDICTO SACRÆ ROMANORVM, Vngariæ & Boëmiæ, &c. Regiæ Maiestatis, Posonij pro festo Conuersionis Beati Pauli Apostoli, Anni M.D.XXXVII. celebrata, constituti.

De subsidio Regiæ Maiestati oblato. ART. I.

IMPRIMIS offerimus Regiæ Maiestati, domino nostro clementissimo, subsidium vnius floreni, à singulis domibus colonorum nostrorum contribuendi.

De contributione ad particularem gentium conſeruationem.

ART. II.

DEINDE ad particularem gentium conſervationem, pro quietis & tranquillitatis publica defenſione neceſſariam, per duos florenos, eo qui ſequitur modo, contribuendos & exigendos decreuimus.

Modus contributionis. ART. III.

IN ſingulis Comitatibus, ex potioribus eligantur Nobiles duo, quorum ſcilicet fides & integritas omnibus nota ſit, qui ſub amiſſione fidei, honoris & bonorum omnium confiſcationis pœna, colonos omnes, tàm dominorum, quàm Nobilium, ac Ciuitatum liberarum, & aliorum quorumcunque poſſeſſiones habentium, per portas fideliter connumerent, & Regeſta huiuſmodi contributionis vbique ſtatim poſt connumerationem, ſigillis Vicecomitum & Iudicum Nobilium fideliter obſignare curent.

De termino incipiendæ connumerationis. ART. IIII.

Dica trium flor. oblata. CONNVMERATIO autem ipſa vbique incipiatur pro feſto Beati Valentini Martyris proximè futuro, & vtriuſque contributionis dimidietas, trium videlicet florenorum, exoluatur intra proximum feſtum Beati Ambroſij Doctoris & Epiſcopi.

Quòd nemo ſit exemptus de contributione. ART. V.

HAC vice nullus ſit exemptus, ſiue ſit factor, ſiue molitor, vel quocunque nomine domini ſui exemptus ſiue libertus.

Ruſtici in domibus Nobilium dicentur. ART. VI.

RVSTICI item in domibus Nobilium reſidentes, inſtar aliorum colonorum dicentur.

Quòd ſumma contributionis, iuxta vniuscuiusque facultatem, exigatur.

ART. VII.

VT autem cum pauperibus remiſſius agatur, ſumma contributionis numerata & conſcripta, non parcendo etiam inquilinis, iuxta vniuſcuiuſque ruſtici facultatem, exigatur.

Subſidium ad manus dominorum diſpenſatorum adminiſtretur,

ART. VIII.

AD adminiſtrandam verò & diſpenſandam pecuniam huiuſmodi, dominus Comes Poſonienſis ex ordine dominorum: ex ordine verò Nobilium, dominus Franciſcus Forgach electi ſunt, ad quorum manus quilibet dominorum ac Nobilium, & aliorum quorumlibet poſſeſſiones habentium, ſub pœna confiſcationis bonorum omnium, ad præſcriptum Beati Ambroſij feſtum, ſub bona prouiſione, ex omnibus Comitatibus adminiſtrare debeat. Regeſta etiam contributionis modo præmiſſo obſignata, Dicatores eiſdem dominis diſpenſatoribus, ſimul cum pecunia contributionis fideliter mittere teneantur.

Gentes contra turbatores publicæ tranquillitatis conſeruentur.

ART. IX.

INTERIM contra publicæ tranquillitatis turbatores, & alios quoſcunque patriæ hoſtes, domini Prælati, Barones, & Nobilium potiores, illi ſcilicet, qui hoc tempore equites tenere ſolent, quilibet iuxta limitationem dominorum, eo in loco, qui domino Locumtenenti, & Conſiliarijs pro communi neceſſitate commodior videbitur, gentes paratas bono in ordine conſeruare debeant, & quo neceſſitas poſtulauerit mittant. Quibus quidem gentibus, ijdem domini Capitaneos ſuos præficiant. Gentibus verò Nobilitatis Capitaneus præficiatur per electionem domini Locumtenentis, poſtquam Nobilitas ipſa ad hoc beneuolè conſenſit.

Theſaurarij

Thesaurarij siue dispensatores gentes recenseant soluantq́. ART. X.

QVÆ quidem gentes, per præfatos dominos contributionis oblatæ dispensatores, primo quoq; tempore recenseantur & conscribantur: postea pecunia exacta, armigeros, per quatuor florenos Rhenenses; Huszarones verò per tres florenos Vngaricos ad mensem, ex eo die quo recensebuntur, continuè soluant.

Vnus Camerarius dispensatori assistat, & subsidium Regium ad solutionem gentium suæ Maiestatis exponat. ART. XI.

AD administrandam autem pecuniam Regij subsidij, vnius floreni videlicet, Maiestas sua vnum ex Camerarijs eligere dignetur; qui tempore quo contributio ipsa ad gentium conseruationem oblata, ad manus dominorum dispensatorum administrari commissa est, eisdem dominis dispensatoribus assistat; & id quod Maiestati eius oblatum est, testibus dominis dispensatoribus, ad solutionem tantum gentium suæ Maiestatis exponat.

De altera contributionis dimidia parte. ART. XII.

ALTERA verò contributionis pars dimidia, iuxta priorem connumerationem, exoluatur ad festum Diui Iacobi Apostoli proximè futurum.

De viginti domibus colonorum pariter & Nobilium, eques vnus teneatur.
ART. XIII.

PRÆTEREA Ordines omnes ac status Regni possessiones habentes, Nobiles item vnius sessionis, ac prædiales Ecclesiarum, ad generalem illam expeditionem, quam Regia Maiestas, propria in persona pro Regni huius liberatione suscepturа est, ex viginti domibus colonorum, equitem leuis armaturæ, loricâ & galea, cæterisque apparatibus bellicis benè instructum, iuxta numerum domorum dicandarum, pariter & ipsorum etiam vnius sessionis Nobilium, ac prædialium Ecclesiarum, quos (salua Nobilitatis prærogatiua) in hunc duntaxat finem per præfatos Dicatores, in omnibus Comitatibus fideliter numerari decreuimus, ex proprijs eorum facultatibus, sub pœna confiscationis bonorum omnium, tenere debeant.

Domini vtriusq; ordinis, & Nobiles, pro eorum conditione parati esse debeant.
ART. XIIII.

INSVPER domini omnes vtriusq; ordinis, simul & Nobiles, pro magnitudine calamitatis publicæ, pro sua quisq; conditione, apparatu bellico benè instructus, sub eadem pœna, in horas parati esse debeant: quos Comites Comitatuum parochiales, in festo Beati Georgij Martyris recenseant & conscribant, conscriptorumq; numerum domino Locumtenenti & Consiliarijs Maiestatis Regiæ insinuent.

Decimæ ad manus dispensatorum fideliter dentur. ART. XV.

DOMINI item Prælati, & aliæ personæ Ecclesiasticæ decimas habentes, pro dignitate Ecclesiastica, consciențiosè: Laici verò, qui quocunque modo ex temporis iniuria decimas Ecclesiarum tenerent, sub fide DEO debita, dimidium decimæ partis decimarum ipsarum, ad proximum festum Beati Georgij Martyris: alteram verò eius partem dimidiam, ad festum Assumptionis Beatissimæ Virginis Mariæ, proximè venturum, ad manus præfatorum dominorum dispensatorum, administrare teneantur; pœna sub præmissa.

Archiepiscopus Strigoniensis pro decimis decimarum, ad particularem defensionem quinquaginta equites teneat. ART. XVI.

AD quam quidem contributionem decimæ decimarum dominus Reuerendissimus Strigoniensis non sit astrictus, sed ratione huiusmodi decimæ partis decimarum, inter præscriptas gentes, ad ipsam particularem Regni defensionem designatas, ad generalem siue expeditionem, proprijs impensis, quinquaginta equites leuis armaturæ continuè

teneat: quibus in ipsa generali expeditione adiungat totidem armigeros, & ducentos Huszarones, quos etiam ratione huiusmodi decimæ partis decimarum, & aliorum prouentuum suorum, durante ipsa expeditione generali, conseruet.

Plebani, Capellani, & rectores altarium, per ternos florenos contribuant.

ART. XVII.

PLEBANI quoque, ac capellarum & altarium rectores, per ternos florenos, hoc ordine contribuant: vt ipsi per Vicearchidiaconos, coram dicatore, ad id in testimonium adhibito, tempore connumerationis generalis contributionis conscribantur. Deinde habita superinde eorundem Vicearchidiaconum conscientiosa limitatione, quisq; iuxta suam facultatem soluat.

Vicearchidiaconi, pecuniam cum Regestis dispensatoribus administrent.

ART. XVIII.

FACTA autem huiusmodi connumeratione & limitatione, summam pecuniæ soluendam, Vicearchidiaconi, quisque scilicet ex sua ditione, simul cum Regestis, sigillis eorum benè munitis, ad manus dominorum Regni dispensatorum, modo præmisso, fideliter administrent.

Ecclesiæ DEI de manibus laicorum maturè liberentur. ART. XIX.

REGIA Maiestas Ecclesias DEI, quæ in manibus laicorum habentur, maturè liberare dignetur, & ne aliquam earum cuipiam in futurum inscribat.

Rex & Regina sua Banderia solito erigere ne grauentur. ART. XX.

SACRATISSIMA Regia Maiestas, dominus noster clementissimus, ac Serenissima domina Maria Regina, ratione prouentuum & bonorum Regalium, Banderia sua, more solito, erigere ne grauentur. Denique ex parte officialium eiusdem Maiestatis Reginalis, præsertim ex parte Komargroff, ad propriam supplicationem nostram generalem, vtraq; Maiestas iam tandem dignetur nobis gratiose reuidere.

Ciuitatum liberarum & aliorum possessionatorum bona vbiq; in Comitum parochialium potestate sint. ART. XXI.

BONA liberarum Ciuitatum, pariter & aliorum quorumcunq; possessionatorum, vbique in Comitum Parochialium sint potestate, neque in aliquo onere, quod in plerisque Comitatibus, pro necessitate communi euitanda, non modo in rusticos, sed etiam in Nobilitatem ipsam, ex vnanimi Nobilium consensu, nonnunquam imponitur, sub pœna duodecim marcarum argenti se eximere audeat.

Bona impignorata instar aliorum bonorum dicentur. ART. XXII.

BONA Regalia, quæ pignori locata habentur, instar bonorum dominorum & Nobilium dicentur.

Causæ pro Dominica Reminiscere inchoëntur, & continuè indicentur.

ART. XXIII.

VNIVERSÆ causæ, iuxta articulos pro festo Beatæ Elisabeth, in anno Domini Millesimo, Quingentesimo, Tricesimo sexto confectos, pro Dominica Reminiscere proximè futura iudicari inchoentur, & continuè iudicentur.

Locumtenentiæ causæ. ART. XXIIII.

CASV verò quo huiusmodi iudicia, ex temporis iniuria, quocunque modo generaliter intermitti & suspendi contigerit, nihilominus causas nouorum actuum potentiariorum, quæ à festo Beatæ Elisabeth, anni præscripti Tricesimi sexti, per quoscunq; patrati sunt, & deinceps quoq; patrabuntur, iuxta causas appellationis siue transmissionis, & occupationis bonorum ac possessionum, per hoc decenniū, quocunq; modo ab Ecclesijs

DEI,

Dei distractarum, motas vel mouendas: bonorum item defectus seminis, quæ in Curia Regia more solito publicatæ & prorogatæ, vel aliâs quocunq; modo in processu iuris, per sententiam interlocutoriam suspensæ habentur, dominus Locumtenens, siue domi suæ, siue aliâs vbicunq; in Regno fuerit constitutus, vigore generalis Decreti Regni, absq; intermissione iudicet. Per hoc tamen nolumus cæterorum Iudicum ordinariorum authoritati in aliquo derogare.

Bona moneta vbique suam habeat æstimationem. ART. XXV.

BONA moneta Vngarica in liga Cremniciensi cusa, vbique suam habeat æstimationem: & si qui eam recipere nollent, merces suas, & quascunque res in foro publico venui expositas amittant.

Restantia subsidij exigatur & administretur. ART. XXVI.

RESTANTIÆ subsidij duorum florenorum, anno superiori Regiæ Maiestati contributi, in omnibus Comitatibus exigantur, & ad Cameram Regiæ Maiestatis administrentur.

De castro Zalonok. ART. XXVII.

DEINDE Maiestas Regia, dominus noster clementissimus, dignetur gratiosè curare negotium castri Zalonok, quod ad Magnificum dominum Franciscum de Botthyan, ex gratiosa Maiestatis eius donatione, optimo iure pertinere dignoscitur, vt vigore huiusmodi donationis suæ Regiæ, idem dominus Franciscus de Botthyan possessionem castri prædicti apprehendere queat, communi iustitia postulante: & ne castrum hoc à Regno Vngariæ, tempore Maiestatis Regiæ, quocunque modo distractum & alienatum iri contingat.

Modus & ordo qui seruetur in disciplina militari. ART. XXVIII.

DE disciplina autem militari in progressu exercitus, seruetur modus & ordo, qui in articulis pro festo Beatæ Elisabeth prænotato confectis, conscriptus est.

Priuilegiorum Regnicolarum confirmatio. ART. XXIX.

POSTREMO, de publicis totius Regni Vngariæ, ac partium sibi subiectarum libertatibus ac priuilegijs de nouo confirmandis & obseruandis, de præmissa oblatione nostra, & alijs suprascriptis articulis acceptandis & admittendis, Regiæ Maiestati, domino nostro clementissimo, publico nomine supplicauimus. Qua supplicatione accepta, clementer & admissa, Maiestas eius gratiosè respondit: quòd licet tempore felicis coronationis suæ, & etiam antea in ingressu suo in Vngariæ Regnum, ad seruanda omnia priuilegia, libertates, laudabiles item & approbatas consuetudines publicas, instar prædecessorum suorum Vngariæ Regum, solenniter iurauerit, & superinde etiam literas efficaces nobis dedisse, recenti memoria teneat: tamen si eas quocunque modo, ex temporis iniuria perijsse contigisset, eius Maiestas non grauabitur nouas literas similes prioribus, omnibusq; Regni Ordinibus dare & concedere gratiosè, easque omnes libertates, consuetudines & priuilegia publica, per hos annos ex temporis iniuria vtcunque lacerata, posteaquam DEO authore, in ordinem pristinum reducere poterit, vt pium & iustum decet Principem, inuiolabiliter obseruabit, id quod coram dominis Prælatis, Baronibus & Regni Nobilibus, qui ex Conuentu præscripto Ordinum & Statuum Regni delecti extiterunt, Viennæ in pro festo Beatæ Dorotheæ Virginis & Martyris, anni præscripti, Millesimi, Quingentesimi, Trigesimi septimi, se se facturam viua voce obtulit.

CONSTITVTIONES IN CONGREGATIONE GENERALI VNIVERSITATIS DOMINORVM ET Nobilium Regni Sclauoniæ, pro festo Epiphaniarum Domini, Anno eiusdem M. D. XXXVIII. Crisij celebrata, editæ.

Contributio Regi oblata. ART. I.

IMPRIMIS obtulimus Sacratissimæ Regiæ Maiestati, domino nostro gratiosissimo, subsidium duorum florenorum per anni circulum, in duobus terminis, de omnium bonis persoluendis: ita vt si Maiestati suæ visum fuerit, faciat denuo Regnum dicare, & in ipsa dicatione illi inordinati liberi, qui hactenus eximi solebant, demptis villicis, ac præconibus, illisque, qui in domibus, allodijs, & curijs dominorum Nobilitaribus, ac Nobilium residentiam faciunt, pro liberis & exemptis minimè seruentur. Rustici etiam non habentes bona sex florenos valentia, ne dicentur. Media autem pars illius subsidij hoc est, vnus florenus, vbique statim, postquam dicatio bonorum quorumcunque facta fuerit, decimo quinto die immediatè sequenti, ad manus exactorum debeat administrari. Præterito autem ipso decimo quinto die, mox domini Bani, ad exigendum ipsum subsidium more solito spanos extramittere possint. Alter verò florenus, penes eandem dicationem, ad festum Pentecostes nunc venturum solui debeat & administrari.

Exercituatio Sclauorum. ART. II.

VNVSQUISQUE dominorum ac Nobilium, de singulis Triginta sex Iobagionibus seu fumis, iuxta præmissam dicationem numeratis, pro custodia & tuitione Regni, singulum vnum equitem benè armatum, galeatum, loricatum, clypeatum, & hastatum, per integri anni reuolutionem, in confinibus penes Capitaneum Regni, vbi domini Bani iusserint, continuò conseruare debeant & teneantur. In conseruatione autem huiusmodi equitum, nec domini Bani, aut Vicebani, nec Magister Protonotarius, aut Iudices Nobilium, nec alij cuiusuis status & conditionis homines atque officiales exempti esse valeant.

Magnatum & dominorum in bellum profectio. ART. III.

OMNES etiam domini Magnates, & ipsi quoque domini, qui Banderia propria leuare non sunt soliti, gentes huiuscemodi de bonis eorum dari debendas, sub Capitaneum Regni dare debeant & teneantur.

Nobiles quomodo in bellum vadant. ART. IIII.

CONCLVSVM insuper est, vt vniuersi domini, Nobiles ac Regnicolæ continuò parati se in bellum teneant, vt si hostis ipse, maioribus viribus atq; copijs viscera Regni intrauerit, aut castrum siue fortalicium aliquod obsederit, & necessitas ipsa postulauerit, mox viritim, & cum quinta parte rusticorum, vel autem necessitate ipsa magis exigente, cum pleno numero, prout ijdem rustici per Dicatores numerati fuerint, armati insurgere, ac penes Capitaneum Regni, illo quo opus fuerit, & quo domini Bani iusserint, sine mora proficisci debeant & teneantur.

Capitaneus bellum quomodo promulget. ART. V.

DVM autem hæc necessitas insurrectionis accesserit, dominus Capitaneus Regni, accepta informatione & commissione dominorum Banorum, curet ad singulum Iudicem Nobilium, vnum specialem ad idque idoneum hominem mittere, penes quem ipse Iudex Nobilium, in suo processu seu iudicatu proclamationes superinde facere, huiuscemodique gentes per omnia remedia leuare tenebitur. Quas tandem idem homo domini Capitanei, ad loca necessaria ducere debebit.

Vectura machinarum bellicarum. ART. VI.

AD vehenda verò ingenia, quæ Regia Maiestas, dominus noster gratiosissimus, ad præsentem particularem expeditionem dare dignata est, ciuitas Crisiensis equos sedecim, & ciuitas Zagrabiensis siue Montisgræcensis viginti quatuor, vna cum rhedis & alijs eiusdem generis attinentijs. Ad vehendos verò pulueres, & alios ingeniorum illorũ apparatus, fratres Heremitæ de Lepaglaua, & alij Heremitæ in hoc Regno degentes, duos currus, & eques duodecim similiter cum omnibus attinentijs, semper paratos tenere & conseruare, ac ingenia ipsa atque pulueres, eo quo domini Bani iusserint, vehi & conduci omnibus temporibus debeant & teneantur. Quæ quidem ciuitates ac fratres Heremitæ, ratione huiusmodi conductionis pixidum siue ingeniorum, à conductu victualium infra conscriptorum, liberi sint & exempti.

Arces finitimæ perlustrandæ. ART. VII.

SVPPLICANDVM denique est sacratissimæ Regiæ Maiestati, domino nostro gratiosissimo, vt sua Maiestas aliquem idoneum hominem in hoc Regno conseruare dignetur, qui pro singula quarta parte anni castra finitima, assumpto penes se Capitaneo Regni, perlustrare reuidereque, ac defectum eorum reformare, vel illi cui opus fuerit recitare debeant.

Signa aduentus Turcarum edenda. ART. VIII.

CONCLVSVM est etiam, vt dum incursiones Turcarum accesserint, quæ Regno & vicinis prouincijs Australibus nociuæ esse possent. Omnes & singuli domini atque Nobiles vicini, per ictus & sonitus bombardarum, ac per flammas ignis, & alia omnia signa quæ fieri poterunt, eisdem prouincijs significare, sub pœna in Decreto expressa, debeant & teneantur.

Banis quædam commendata. ART. IX.

CÆTERA verò quæ ad fortificationem confiniorum, ad excubias, ad vigilias, & ad custodiam Regni pertinere, & non manifestanda videbantur, commendauimus dominis Banis.

Nobilium & sacerdotum domus à condescensione militum immunes. ART. X.

GENTES & stipendiarij quorumcunque, in domibus ac curijs dominorum & Nobilium, ac etiam Plebanorum, nullibi condescendere audeant, neque præsumant.

Victualium cura. ART. XI.

SVPPLICANDVM etiam est Regiæ Maiestati, vt sua Maiestas dignetur mittere in hoc Regnum vnum Magistrum victualium, qui huius rei seu officij peritus sit. penes quem parati sumus nostrum hominem conseruare, qui curam victualium & aliarum eiusdem generis necessitatum habeant & gerant.

Pro comeatu currus parati habeantur. ART. XII.

OMNES domini Nobiles & Regnicolæ, de singulis viginti fumis, penes numerum dicationis computando, vnum currum paratum semper, & victualibus oneratum tenere, & ad exercitum ac loca depositionis, prout Magister victualium iusserit, conducere debeant. Quæ quidem victualia, iuxta limitationem exinde fiendam, pretio diuendenda erunt, in qua conductione victualium, iusta series & ordo per Magistrum victualium seruetur, ne alter altero maioribus fatigijs grauetur.

Currus iuxta priorem dicationem præstentur. ART. XIII.

QVIA autem connumeratio & dicatio ipsa morosa fore videretur, victualia verò continuò necessaria sunt. Ideò conclusum est, interim quoad Dicatores connumerationem ipsam perfecerint, penes priorem dicationem huiuscemodi currus seruari.

Quibus in locis victualia deponantur. ART. XIIII.

LOCA depositionis victualium erunt Werőcze, Wyudwar & Welike, donec aliter superinde prouisum erit. Et altera pars Regni, quæ est penes Drauum, videlicet Comitatus Waraſdienſis, & ab illo Comitatu, vſque ad Werőcze, huiuſcemodi victualia, ad idē oppidum Werocze: altera verò pars Regni, videlicet Comitatus Zagrabienſis, ex vtraque parte Szaui, vſque ad flumen Kopa, nec non bona Epiſcopatus Zagrabienſis, & pertinentiæ caſtri Monoſzlo, ac integer portus ad Welike: tertia denique & interior pars Regni, Wyudwar conducere locareque debeant & teneantur.

Victualia ad confinia quomodo contribuantur. ART. XV.

INSVPER, ne & caſtra finitima caſu aliquo victualibus deſtituta maneant, defectuque victualium, quod facilè contingere ſolet, iacturam patiantur, concluſum eſt, vt vniuerſi domini Magnates & Nobiles Regni, atque etiam Capitula, vigeſimam partem frugum, tritici ſcilicet ac ſiliginis & millij, ad confinia ipſa contribuere teneantur. Ac dum dicatores Regni in dicatione proceſſerint, Dicatori Regio hominique ſuo, coram Iudice Nobilium vnusquisque dominorum ac Nobilium fideliter omnes fruges, trituratas & non trituratas, oſtendere & demonſtrare debeat: vbi Dicator ipſe vigeſimam partem earundem ſequeſtret, & apud manus eiuſdem domini vel Nobilis relinquat. Quam tandem vigeſimam partem frugum, ſinguli domini atque Nobiles, eo quo domini Bani iuſſerint, proprijs laboribus, fatigijs & ſumptibus dare & deferri facere debeant, teneantur & ſint aſtricti.

Eccleſiaſticarum perſonarum contributio deputata. ART. XVI.

ET quia tempore proximæ expeditionis, perſonis etiam Eccleſiaſticis parcere non poteramus, ſed in eos quoque contributionem impoſueramus, quam ad priuatas Regni neceſſitates exponendam deputaueramus: nunc autem intelligimus Regiam Maieſtatem, dominum noſtrum gratioſum, ipſam contributionem perſonarum Eccleſiaſticarum, aliter erogandam commiſiſſe. Quare ſupplicandum eſt Regiæ Maieſtati, vt ſua Maieſtas dignetur contributionem illam nobis exigendam, & ad Regni neceſſitates exponendam concedere gratioſè. Interim autem, donec à ſua Maieſtate exinde relationem veram obtinuerimus, vniuerſi Presbyteri ac plebani, & aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ, contributionem ipſam penes ſe conſeruare debeant.

Bonorum occupatorum reſtitutio in Regno Sclauoniæ. ART. XVII.

PRIMVM & ante omnia, iuxta commiſſionem & gratioſam conceſſionem Regiæ Maieſtatis, vniuerſæ & quælibet bona hæreditaria ſiue poſſeſſionaria, atque etiam caſtra, hiſce diſturbiorum temporibus per quoſcunque violenter occupata, ſtatim & de facto per dominos Banos, abſq; omni litis motione, ſpoliatis reſtituantur: damna verò illata, ſemper iure requirenda ſint. Ne autem aliqui perinde animati, cauſas eorum ſiniſtrè interpretantes, iuſtis etiam detentoribus & poſſeſſoribus bonorum iniuriam facere valeant: domini Bani penes vnumquemque ſpoliatum, ad requiſitionem eius teneantur dare Vicecomitem & Iudicem Nobilium, qui ſpoliatum ipſum, ad bona ab eo violenter occupata introducant, & illa à detentoribus eorum, vna cum caſtris ac fortalitijs, ſeu curijs Nobilitaribus illi ſpoliato repetant. Vbi verò detentores bonorum huiuſmodi bona reſtituere etiam modò recuſauerint, per eundem Iudicem Nobiliū euocentur in præſentiam dominorum Banorum. Qui ad literatoriam relationem ipſius Iudicis Nobilium, absque omni vlteriori prorogatione, ſi ſe detentores ipſi ab ipſa violenti & vlteriori detentione bonorum legitimè expurgare non poterint, cum onere capitalis ſententiæ in Decreto expreſſo, per omnia remedia, bona ipſa & caſtra ſpoliato reſtituant, non obſtante etiam eo, ſi ijdem detentores aliqua iura, ſuper eiſdem bonis ſe habere prætenderint.

Causæ vniuersæ pro Dominica Reminiscere iudicentur. ART. XVIII.

IVDICIA incipiantur pro Dominica Reminiscere nunc futura, & vniuersæ causæ, tam factum bonorum & iurium possessionariorum, quàm etiam actuum potentiarium tangentes, à tempore fœlicis regiminis & coronationis Regiæ Maiestatis, domini nostri gratiosissimi exortæ, donationes quoq; Regiæ iudicentur. Vigore autem quorumcunq; iurium antiquorum, nemo in causam se ingerere valeat. Causæ tamen facti pignoris omnes, etiam quantumuis veteres, iudicentur, & iusto iuris tramite discutiantur.

Citationes siue euocationes quomodo fieri debeant. ART. XIX.

FIANT euocationes dominorum & Nobilium possessionatorum, per testimonium Capituli & homines Banales, pro quinto decimo die.

Taxa literarum. ART. XX.

PRO redemptione verò literarum Euocatoriarum atque relatoriarum, Magistro Protonotario soluantur denarij quinquaginta, & Capitulo similiter denarij quinquaginta. Euocationes verò Nobilium vnius sessionis, fiant per Iudicem Nobilium.

Colonorum migratio & eius licentia. ART. XXI.

TRADVCTIO colonorum, quæ hactenus demeritis quidem rusticorum exigentibus inhibita erat, interdum etiam inordinata quadam & damnabili consuetudine in plerisque locis fieri solebat, omnium dominorum ac Nobilium & Regnicolarum vno voto & consensu admissa & concessa est, modo & ordine infrascripto.

Modus accipiendi licentiam colono. ART. XXII.

SI quis colonum alterius ad bona sua traducere voluerit, assumpto penes se Iudice Nobilium Comitatus illius, accedat dominum illius coloni, vel officialem aut villicum eius: & Iudex Nobilium, depositis prius pro terragio denarijs quatuor, repetat colonum, & licentiam abeundi illi recipiat. Recepta tandem licentia, relinquat colonum in loco suæ residentiæ infra spacium quindecim dierum, vt interim omnia debita, quibus domino suo terrestri, aut alteri cuipiam, qui illum ibidem requisitum habuerit persoluat: vel si dominus eius terrestris, beneuolum in bonis suis reseruare poterit liberam superinde habeat potestatis facultatem. Vbi verò idem dominus terrestris, huiusmodi colonum beneuolum apud se & in bonis suis reseruare non poterit: extunc ipso quinto decimo die, iterum Iudex Nobilium illò vadat, & colonum ipsum clara die, cum omnibus suis rebus mobilibus, illi domino aut Nobili, qui illum recipere voluerit, restituat; & colonus restitutus iterum infra terminum aliorum quindecim dierum immediatè sequentium, liberè se cum rebus suis omnibus recipere & traducere valeat.

Seminatura coloni migrantis. ART. XXIII.

SEMINATVRAS autem si quas idem colonus in sessione illa sua, quam relicturus est, habeat, sub nomine eiusdem pacificè maneant, quas vbi opus fuerit, idem rusticus recludere & sepire & præcustodire, ac dum maturescent, deposito prouentu terragij domino terrestri iuxta loci consuetudinem, pro se recipere & leuare possit. Et si quis colonorum ac hominum illius domini terrestris, aut etiam ipse dominus terrestris, in seminaturis ipsis, siue in alijs quibuscunque rebus, quoquomodo damna illi intulerit: extunc talia damna colonus ille, vel dominus eius terrestris, iure requirere valeat.

Colonum contra ius & æquum detinentis pœna. ART. XXIIII.

VBI verò aliquis dominorum aut Nobilium, huiusmodi colonum, modo præmisso, repetitum & licentiatum pacificè dimittere nollet, & eundem violenter detineret: extunc colonus ille, per Comites & Vicecomites ac Iudices Nobilium, cum onere viginti quinque marcarum, per eosdem, super violentum detentorem talis coloni, irremissibiliter exigendarum, domino aut Nobili qui colonum petiturus fuerit, restituere debeant & teneantur.

Ad expensas Regni communis contributio. ART. XXV.

PRÆTEREA, diuersis negotijs Regni instantibus, certis vicibus Oratores ad Regiam Maiestatem mittere, & pro expensis eorum mutuum contrahere, vel sese obligare fuimus coacti. Accessit etiam, vt pro faciendo iudicio, electi sint assessores sedis, quibus similiter de expensis prouidendum erat. Itaque impositæ sunt pecuniæ fumales decem denariorum, vt de omnium, tàm dominorum, quàm Nobilium bonis, ac etiam à Nobilibus vnius sessionis, iuxta numerum nouissimè dicationis exigantur, & ad manus dominorum Vicebanorum administrentur. Domini autem Vicebani, de eisdem pecunijs fumalibus, soluant Magnifico domino Francisco Batthyani ducentos & sedecim floren. quibus eidem in sortem illarum expensarum, suarum quas anno præterito in legatione nostra ad Regiam Maiestatem missus exponere fuit coactus, debitores extiteramus. Similiter Oratoribus, qui nuper ad Gerecz, ad Regiam Maiestatem profecti erant, singulo eorum florenos decem. Assessoribus verò & Iudicibus Nobilium, qui in iudicijs manebunt, singulis eorum, pro singula hebdomada duos florenos soluant. Residuum autem pecuniarum conseruent ad alias necessitates Regni. Et quòd iuxta commissionem & voluntatem Regiæ Maiestatis, ab Egregio Emerico Bradach, de vniuersis Regni prouêtibus, cuiuscunque generis fuerint, anno proximè elapso ad manus suas administratis, iusta ratio recipiatur. Ad quam recipiendam, electi sunt Ioannes Golecz de Zotezka, & Stephanus Praschoczi, vt ad diem & locum, per Spectabilem & Magnificum dominum Thomam de Nadasd Banum, præfigendum accedere, & ipsam rationem recipere debeant quo & Regia Maiestas hominem suæ Maiestatis missura est.

Omnis generis moneta in suo valore maneat & recipiatur. ART. XXVI.

MONETA omnis generis in suo valore currat & recipiatur, cruciferi quoque septuaginta quinque pro vno floreno, & grossi quatuor cruciferorum similiter pro sedecim Viennensibus recipiantur.

VICTVALIA.

Haidona	In Werőcze			denar. 25.
	In Wyudvar			denar. 32.
	In Welike			denar. 32.
Czirok				denar. 20.
Pinta vini infra Quadragesimam				denar. 2.
Bos vnus arabilis				floren. 12.
Vacca mulgibilis				floren. 6.
Porcus castratus saginatus				floren. 2.
Porcus castratus non saginatus				floren. 1.
Porca vna				floren. 1.
Porcus medij anni				denar. 50.
Suellus vnus	intra Regnum	denar. 4.	in confinibus	denar. 5.
Anser vnus	intra Regnum	denar. 3.	in confinibus	denar. 4.
Capo	intra Regnum	denar. 3.	in confinibus	denar. 4.
Gallina	intra Regnum	denar. 2.	in confinibus	denar. 3.
Pullus vnus				denar. 1.
Carnium bouinarum funta vna				Crucifer. 1.
Carnium porcinarum funta vna				denar. 2.
Capreolus vnus				denar. 6.
Capra vna				denar. 25.

CONSTI-

CONSTITVTIONES DIETÆ NOVIZOLII ANNO DOMINI M. D. XLII. PRO DIE Dominico post festum S. Valentini celebratæ.

PRÆFATIO.

NOS Prælati, Barones, Proceres, alijque status & ordines Regni Vngariæ, in præsenti congregatione nostra Nouizolij, pro die Dominico proximo post festum Valentini Martyris, anno Domini, Millesimo, Quingentesimo, Quadragesimo secundo, de edicto Sacratissimæ Romanorum, Vngariæ, Boëmiæ, &c. Regiæ Maiestatis, domini nostri clementissimi celebrata, constituti: iuxta eiusdem Maiestatis Regiæ piam admonitionem, reiectis omnibus odijs, simultatibus ac discordijs intestinis, quibus Regnum hoc, ab obitu Serenissimi quondam Ludouici Regis, domini nostri clementissimi, felicis recordationis, vsque ad hoc tempus, perniciosissima diuisione distractum, penequè desolatum, & per potentissimum totius Christiani orbis hostem Turcarum Imperatorem, pariter cum ipsa Regia arce & ciuitate Budensi, magna in parte occupatum extitit, in vnionem Christianam venire, & inuicem reconciliari volentes, vnanimiter decernimus, castra, castella, ciuitates, oppida, villas, prædia, ac alia vniuersa bona & iura possessionaria, sub id tempus disturbiorum violenter intercepta & occupata, illis, quibus adempta sunt, modo infrascripto reddere, per hocq; publicam (domino DEO adiutore) tranquillitatem, felici auspicio, præfatæ Regiæ Maiestatis, restituere & conseruare.

Bona propter adhæsionem alicui donata vel inscripta aut occupata, dominis suis restituantur & remittantur, sub pœna notæ infidelitatis. ART. I.

QVVM autem bona huiusmodi occupata, in tres partes diuisa teneantur: pars enim vna apud Regiam Maiestatem: altera apud eiusdem Maiestatis Regiæ fideles subditos: tertia verò apud eos, qui Serenissimam dominam Reginam viduam Isabellam recognoscunt, & ad fidelitatem Regiæ Maiestati debitam nondum accesserunt, habetur: Decretum est igitur, vt imprimis vniuersa castra, castella, fortalicia, oppida, villas, & alia quælibet bona & iura possessionaria Nobilium, per notam infidelitatis, propter adhæsionem ex vna in aliam partem, per vnum atque alterum Regem, vel eorum Locumtenentes, quibuscunque perpetuò donata, aut pignorationis iure inscripta & obligata, vel aliàs qualitercunq; his annis, ab obitu dicti quondam domini Ludouici Regis, per quoscunque indebitè occupata, intra proximam Dominicam Palmarum, illis, quibus adempta sunt, hæredibusq; & legitimis successoribus eorum, ad quos scilicet ea iura pertinere dignoscuntur, præter omnem difficultatem & exceptionem, sub pœna perpetuæ infidelitatis, in generali Decreto Regni expressa; non obstante eo, si cuipiam violento bonorum occupatori fortior superueniens, bona aliqua occupata per potentiam ademerit, vel occupator ipse alicui, siue seruitori, siue amico donauerit, aut quocunque titulo inscripserit, per modernos eorum possessores defacto restituantur. *Bona occupata non restituentium pœna.*

Coloni infra tempus remissionis bonorum non taxentur, neque transferantur. ART. II.

INTERIM autem coloni bonorum occupatorum, sub pœna facti minoris potentiæ, non taxentur, nec vllo quopiam modo opprimantur, & nec de sedibus eorum, ad alia loca in coloniam transferantur. Translati autem, sub pœna de translationibus colonorum in generali Decreto, statim post tumultuariam populorum consurrectionem edito expressa, seruatis de iure seruandis, sine omni renitentia restituantur.

Bona Ecclesiarum & Baronum non inscripta restituantur, sub pœna notæ infidelitatis. ART. III.

BENEFICIA ac bona, & alia quælibet iura possessionaria, nec non decimæ, & alij prouentus Ecclesiarum DEI, ac dominorum Baronū, nulla inscriptione per Regiā Maiestatem

iestatem cuipiam obligata vel donata, intra eandem Dominicam Palmarum, sub eadem nota infidelitatis, suis dominis restituantur.

Castella seu fortalitia in bonis ab aliquo occupatis erecta, simul cum bonis, ei cuius sunt, remittantur. ART. IIII.

SI quipiam occupatorum, in bonis occupatis, aliqua castella seu fortalitia erexissent, talia simul cum eisdem bonis, tempus infra præscriptum, illis, ad quos pertinent, sine omni difficultate & solutione aliquali, sub eadem pœna, reddere debent.

Bona occupata remittere nolentes, quomodo coërcendi sint. ART. V.

SI qui autem contumacia ducti, præmissa facere recusarent, illis quibus bona sua, modo præmisso, adempta & occupata sunt, intra præscriptum terminum non reddentes: mox elapso huiusmodi termino, Vicecomiti & Iudicibus, ac vniuersitati Nobilium illius Comitatus, in quo bona huiusmodi habentur, de. super querimoniam deferant. Qui quidem Vicecomites ac Iudices, & vniuersitas Nobilium, si rem hanc ita, vt eis delata est, se habere compererint, alterum ex dominis Capitaneis, ad instantiam talis Nobilis, nempe bonis suis spoliati, per literas suas, citra vllam moram, diligenter requirant: ipseque dominus Capitaneus, mox acceptis huiusmodi literis, vigore præsentis constitutionis nostræ, contra tales contumaces & bonorum detentores, tanquam iure & de facto nota infidelitatis, vigore præsentis constitutionis nostræ damnatos, insurgere, & ex dominis ac Comitibus, loco illi viciniorībus, tot, quot ad id sufficere visum fuerit: imò si necessitas postulauerit, vniuersos dominos Prælatos, Barones & alios Regnicolas conuocare & assumere, & tàm prætacta castra, castella, ac alia vniuersa bona, contra hanc nostram constitutionem publicam retenta, spoliato restituere, quàm etiam vniuersa castra, castella & bona talis contumacis & infidelis, expugnare & occupare, occupataque, illis, qui bona sua penes fidelitatem Regiæ Maiestati debitam amiserunt, & per aduersarios possidentur, tam diu tenenda & possidenda, quosque bona talium recuperabuntur & reddentur; rehabitisque bonis ipsorum, huiusmodi bona, præmisso modo, ad manus ipsorum data, reddere & restituere teneantur, & ad reddenda huiusmodi bona sint bona fide obligati. Hoc tamen interiecto: quòd infra tempus, qui talia bona possidebunt, legitimis tantum prouentibus bonorum ipsorum vtantur, neque ea bona illegitimis & extraordinarijs taxis & oneribus impediantur, sub prædicta bona fide.

Vicecomites, Iudices Nobilium. *Capitaneus supremus.* *Nota infidelitatis.* *Comites.* *Castra.* *Castella.*

Bona rebellium & contumacium per auctionem vendantur: & de pretij eorum collocatione. ART. VI.

SI tales, quibus huiusmodi bona assignabuntur, ex proprijs ipsorum bonis antea occupatis, tantundem recuperabunt: extunc eo facto, talia bona rebellium per auctionem vendantur, & pecuniæ quibus venduntur, ad publicam Regni necessitatem exponantur.

Locumtenens Regius executionem facere, & si opus sit, Capitanei supremi officium implorare potest. ART. VII.

Locumtenens.

DOMINVS Locumtenens Regiæ Maiestatis, in Comitatibus sibi viciniorībus, huiusmodi executionem peragat, & si necessitas postulauerit, domini Capitanei per eum requisiti, eidem domino Locumtenenti, omni auxilio assistant.

Bonorum occupatorum ratione successores, agnati & cognati defunctorum, violentos iure conuenire possunt. ART. VIII.

SI autem quempiam Nobilium, post bonorum suorum occupationem, mori & hæredibus iam deficere contigisset, essentque superstites aliqui, qui in huiusmodi bonis, siue sanguinis agnationisque & cognationis, siue alio quocunque successionis iure, aliquod ius se habere prætenderent, nunquam tamen dominium & realem possessionem huiusmodi bonorum habuissent: extunc possessores eorundem bonorum, in præsentiam

Iudicum

Iudicum ordinariorum Regni, ad quintum decimum diem legitimè euocentur. Vbi si iure compertum fuerit, bona ipsa ad agnatos & cognatos, aut alios quoscunq; legitimos successores pertinere, Iudex causæ huius, illi, cui iure competere cognitum fuerit, sub pœna infidelitatis, de facto reddi committat, Contradictione, Inhibitione & Repulsione quorumpiam non obstante. *Contradictio. Inhibiti. Repulsio.*

Supplicatio ad Regem, vt bona aliorum apud manus suas habita, illis ad quos pertinent, restituat. ART. IX.

PRO restituendis castris, ac alijs bonis & iuribus possessionarijs dominorum ac Nobilium Regni, apud Maiestatem Regiam existentibus, domini & Regnicolæ Maiestatis suæ Regiæ exnunc humiliter supplicabunt, & tantisper Maiestatē suam interpellabunt, quoad Maiestas sua castra & alia bona apud manus suas habita, his, ad quos iure pertinent, restituere dignabitur. Hanc autem supplicationem nostram publicam, non dubitamus quin Maiestas sua clementer exaudiat & admittat, idq;, quod ab eius Maiestate iustè petimus, haud grauatim factura sit, vel ex eo, quia, vt superius meminimus, ad hanc salutarem vnionem coniunctionemq; Christianam, paterna beneuolentia nos hortatur: & quod Maiestas sua pro communi tranquillitate à suis subditis fieri exigit, id ipsum vt ipsamet etiam clementer feliciq; auspicio facere dignetur, magnopere dignitati Maiestatis suæ & æquitati conuenit, estque valde consentaneum.

Castra Vigles, Lipche, Dobrauina restituantur legitimis eorum dominis. ART. X.

CASTRA item Vigles, Lipche & Dobrauina, cum in confesso sit, per Generosum quondam Christophorum de Turri, natione Stiriacum, olim serenissimæ dominæ Reginæ Mariæ viduæ in Veterizolio officialem, nomine eiusdem dominæ Mariæ Reginæ, huce disturbiorum temporibus, occupata esse. Verùm quoniam id quoque in confesso est, quòd idem quondam Christophorus de Turri, quamdiu superuixit, eadem castra non ipsius serenissimæ dominæ Mariæ Reginæ, sed suo proprio nomine obtinuit, prout ipso demortuo, fratres & officiales eius etiam in præsentiarum obtinent. Proinde decretum est, vt castrum præscriptum Vigles, Magnifico domino Stephano de Raska Comiti Comitatus Neugradiensis, eiusdem scilicet castri legitimo hæreditarioq; domino, vigore præsentis Decreti restituatur, eo quòd etiam alioqui iuxta transactionem, quam dictus dominus Stephanus de Raska cum Regia Maiestate habuit, dictus Christophorus de Turri dum viueret, ante octo menses reddere debuisset. Castrum verò Lipche, Nobilibus cognomento Lipchei & Doczi de Nagy Luche, fratribus nostris veteranis, nimirum fidelibus subditis Regiæ Maiestatis, quibus scilicet castrum ipsum interceptum est simul cum priuilegijs in eodem castro interceptis restituatur. Id quod propterea in serie articulorum præsentis constitutionis expresè positum voluimus: quia palàm est omnibus, quòd fratres ipsi nostri Lipchei & Doczi, à tempore felicis Coronationis Maiestatis suæ, suam Maiestatem omni fidelitate & obedientia prosequuti sunt. Castrum autem Dobrauina, Magnifico domino Emerico de Verbőcz, Comiti Comitatus Tholnensis restituatur: eo quòd à manibus genitoris sui demortui occupatum esse dicitur.

Castra prædicta si Maria Regina ad supplicatonem Regnicolarum restitui non faceret, expugnentur per Capitaneos. ART. XI.

CVM autem possessores & officiales eorundem castrorum, præfatam serenissimam Reginam Mariam aliquatènus recognoscere, & ab eius Maiestatis Reginalis nutu pendere dicantur: habita ratione tum dignitatis, tum fauoris & clementiæ, qua Maiestas sua Regnum hoc vndequaque afflictū, maximè in hac extrema necessitate nostra prosequi dicitur, eadem castra Vigles, Lipche, & Dobrauina dictis fratribus nostris, quorum etiam consensus in gratiam eiusdē Maiestatis Reginalis ad id beneuolè accessit, ad proxi-

proximum festum Beati Georgij Martyris, absque vlteriori dilatione, restituenda decernimus. Volentes interim apud ipsam Maiestatem Reginalem, tanquam dominam nostram clementissimam, precibus humilimis diligenter & sedulò agere, non dubitantes, quin eius Maiestas tum communis iustitiæ, quæ vnicuique quod suum est reddi iubet, tum salutaris huius vnionis nostrę inita ratione, hisce precibus nostris exauditis clementer & admissis, id quod ab eius Maiestate iustè petimus, scilicet castra ipsa restituere gratiosè committat, facilè consequamur. Volentes interea etiam cum possessoribus castrorum eorundem, non secus atq; amicis & fratribus nostris amicè tractare, vt ea, iuxta hanc nostram constitutionem publicam, sine vllo negotio restituant: alioqui elapso termino præscripto domini Capitanei, eadem castra obsidenda & expugnanda, & his, quorum interest, reddenda curent, & in ipsos possessores eorundem castrorum, non secus ac nota infidelitatis perpetuæ damnatos, animaduertant.

Donationes & inscriptiones bonorum aut prouentuum, super bonis aliorum per Regem factæ, iure cognoscantur & discutiantur. ART. XII.

Donationes & inscriptiones. DONATIONES seu inscriptiones super castris, castellis, oppidis, alijsque bonis & iuribus possessionarijs, ac prouentibus Ecclesiarum DEI, ac dominorum Baronum per Maiestatem Regiam factæ, pro quinto decimo die eius diei, quo Regiam Maiestatem Viennam, vel loca Austriæ viciniora aduenisse contigerit, & eo modo, quo inter dominos Prælatos & Barones Proceresq; Regni de super conuentum est, illis, qui huiusmodi donationes & inscriptiones habent, insinuatum fuerit, per suam Maiestatem ac dominos Prælatos & Barones Proceresque Regni Vngariæ, quos sua Maiestas ad huiusmodi donationum & inscriptionum cognitionem eligere & admittere voluerit, ad instantiam eorum quorum interest, secundum DEI iustitiam cognoscantur & adiudicentur. Et si huiusmodi donationes & inscriptiones ritè & legitimè minimè factæ esse comperta fuerint, extunc castra, castella, oppida, bonaq; & iura possessionaria ac prouentus huiusmodi, illis, ad quos iure pertinent, infra quintum decimum diem præmissæ iudiciariæ *Nota infidelitatis.* deliberationis Regiæ, sub præmissa nota perpetuæ infidelitatis, remittantur. Hic autem articulus intelligatur etiam de externæ nationis hominibus, qui in hoc Regno, super prouentibus & bonis tàm Ecclesiasticis, quàm Secularibus, inscriptiones habent.

Bona in recompensam suorum per aliquem occupata, à delegatis legitimè cognoscantur. ART. XIII.

SI qui dominorum Prælatorum & Baronum, castra vel alia bona & iura possessionaria quorumpiam dominorum Prælatorum & Baronum, per hæc tempora occupata tenerent, pro quibus vicissim tales domini castra & bona, iuraq; possessionaria eorundem occupatorum, quasi in recompensam bonorum suorum, modo simili occupata haberent, deliberatum est: quòd præfata Maiestas Regia, de consilio eorundem dominorum Prælatorum & Baronum, ac Procerum Regni Vngariæ, quos ad cognitionem donationum & inscriptionum prænotatarum delegerit, præscripto termino cognitionis huiusmodi donationum & inscriptionum, inter tales dominos, iustam & legitimam decisionem facere dignabitur.

Regina Isabella, & sui Consiliarij interpellentur, vt salutarem hanc Regnicolarum constitutionem acceptent. ART. XIIII.

QVONIAM autem domini illi Prælati, Barones, alijq; Proceres Regni, qui præfatæ Serenissimę Reginæ Isabellæ viduæ inseruiunt non reijcienda membra Regni sint, operæ precium esse duximus, ipsam Serenissimam quoq; Reginam Isabellam, ac deinde eosdem fratres nostros, eiusdem Consiliarios, cæterosq; Regnicolas suæ Serenitati adhærentes, admonendos adhortandosque esse, vt & sua Serenitas, simul & ipsi fratres nostri, huic tàm salutari, vtili ác necessariæ ordinationi nostræ consentiant, & ea omnia quæ hîc conclusa sunt, non solùm beneuolè admittant & amplectantur, sed etiam pro

commun

communi bono, arces & alia bona Regnicolarum, quæ vel apud suam Serenitatem, vel alios dominos Prælatos & Barones, ac alios quoscunque Regnicolas, suam Serenitatem recognoscentes haberentur, restituant. Vbi verò id facere nollent, extunc pro recuperatione bonorum huiusmodi, ea via procedatur, quæ contra alios huic ordinationi aduersantes, iam per nos decreta est.

Arce etiam non expugnata, bona ad quos pertinent, restituantur. ART. XV.

HOC specialiter declarato, quòd si arx quæpiam, ea nempe, quæ fortassis per violentum aliquem occupatorem, contra hanc nostram constitutionem publicam temerè retineri contingeret, non ita subito expugnari posset, nihilominus aliorum bonorum ex præsenti Decreto remittendorum restitutio nullo modo negligatur.

Causæ priorum constitutionum per iudices ordinarios adiudicentur.
ART. XVI.

DOMINVS Locumtenens, alijq; Iudices Regni ordinarij, eas omnes causas, quas rigore priorum constitutionum, per veteranos fideles subditos Maiestatis Regiæ, ab obitu præfati quondam domini Ludouici Regis, in publicis Comitijs editarum, hactenus iudicari solitæ sunt, deinceps quoque iudicent.

Ius Regium habita ratione non iudicatur.

Ad fidelitatem Regis redeuntium causæ, in eo statu quo permanserunt, per iudices Regni assumantur & iudicentur. ART. XVII.

Hoc specialiter declarato, quòd si aliquos veteranorum subditorum Regiæ Maiestatis, per potentem quempiam, à fidelitate Regiæ Maiestati debita auelli contigisset, & rursum post aliquot annos, nacta opportunitate, cum videlicet præ tyrannide illis licuisset in sinum clementiæ Maiestatis eius redijsse, vt præsertim in Simigiensi, alijsq; Comitatibus illi vicinis accidisse constat: non obstante coacta & spontanea defectione huiusmodi, vniuersas causas ipsorum iudiciales motas & adiudicatas, in eodem statu, quo existunt, dicti Regni Iudices Ordinarij reassumere, iudicare, decidere, debitæq; executioni demandare debeant & teneantur.

Violentiæ per redeuntes ad fidelitatem Regis patratæ, continuè iudicentur.
ART. XVIII.

VNIVERSOS præterea actus potentiarios, domorum inuasiones, damnorum illationes, hominumque interemptiones, & alia quæcunque malorum genera, quæ etiam per eos, qui recens ad fidelitatem Regiæ Maiestatis accesserunt, & etiam qui deinceps accessuri sunt, patrarentur, legitima euocatione, iuxta præmissam citationis formam, præhabita, Regia Maiestas intra limites huius Regni vbicunque fuerit constituta: in absentia verò eius Maiestatis dominus Locumtenens, cæteriq; Iudices Regni Ordinarij, vbicunque idem dominus Locumtenens fuerit constitutus, absque intermissione, seruatis de iure seruandis, iudicent, & ea quæ iudicata fuerint, debitæ etiam executioni, modo præmisso, demandent.

Continua iudicia habeantur, tàm in præsentia quam in absentia Regis. Actus potentiarij, domorum inuasiones, damnorũ illationes, hominũ interemptiones.

Causæ appellationum continuè iudicentur. ART. XIX.

CAVSAS etiam appellationis siue transmissionis, iuris item pignoraticij, dotis & rerum paraphernalium, ac alias vniuersas, ab obitu præfati quondam domini Ludouici Regis, coram Maiestate Regia vel eius Locumtenente, cæterisq; Iudicibus Regni Ordinarijs motas & vertentes, ijdem Ordinarij Iudices Regni, seruatis (vt præmissum est) de iure seruandis, continuè iudicent, iudicatasque modo præmisso, executioni demandent.

Appellatio. Transmissio. Ius pignoraticium, dotes, res paraphernæ.

Pœna eorum, qui bona semel remissa, rursum reoccupauerint, vt incidant in notam infidelitatis. ART. XX.

SI qui autem nulla publicæ tranquillitatis habita ratione, eadē bona & iura possessionaria,

Reoccupationis pœna, est nota infidelitatis.

naria,

naria, illis ad quos pertinent, restitutâ, post eorum restitutionem & resignationem, rursum per potentiam occuparent, pœnam præmissam perpetuæ infidelitatis defacto incurrant, in quos eadem via, quæ contra bonorum occupatores & detentores superius decreta est, animaduertatur.

Oppressiones, spolia, tyrannides, deprædationes, & aliæ violentiæ cessent, gentes in aliorum bonis non alantur, Comites de damnis illatis satisfactionem impendant.

ART. XXI.

OPPRESSIONES Nobilium & colonorum, & alterius cuiuscunque status & conditionis hominum, nec non spolia, deprædationes, tyrannides, quas ij, qui per hos annos nullis legibus tenebantur, intra suam cuique violento (vt ipsi vocant) ditionem impunè exercere licebat. Alia item omnia violentiarum genera deinceps cessent: præcipuè autem, nullus dominorum & aliorum, qui his annis in potentiores euaserunt gentes suas in bonis aliorum, sine iusto stipendio alere præsumat: alioqui Comes illius Comitatus, in quo hoc genus violentiæ patrari contigerit, vna cum vniuersitate Nobilium, scita prius de quantitate damni mera rei veritate, iuxta condignam æstimationem animaduertere teneatur, & de damnis, quibus ipse Comes eundem fratrem nostrum temerè affectum esse fidedigno testimonio compererit, de bonis ipsius violenti, modis omnibus contentum reddat. Si autem violentus iste, intra limites eiusdem Comitatus, nulla bona habuerit, per ipsum Comitem vel Vicecomitem & Iudices ac vniuersitatem Nobilium eiusdem Comitatus, Comes ille, in cuius officio talis violentus bona aliqua habuerit, requiratur. Qui quidem Comes requisitus, statim acceptis literis alterius Comitis, præter omnem difficultatem & dilationem, dictum fratrem nostrum damnis affectum, de bonis violenti ipsius, modo qui paulò ante præscriptus est, contentum reddat. Si autem Comes ipse ad id insufficiens erit, inuocet auxilium dominorum Capitaneorum. Si verò Comes ipse violentiam huiusmodi per se patrare ausus fuerit, officio suo defacto priuatus habeatur. Et nihilominus domini Capitanei, vel alter eorum, cui id propter vicinitatem magis competere videbitur, in ipsum violentum, aliàs Comitem, simul & eius gentes animaduertat: & vt superius declaratum est, eundem fratrem nostrum, de suis damnis, modo præmisso, contentum reddat. Vel si qui fratrum nostrorum hoc modo læsi maluerint, integrum sit eis pro iniurijs, damnis & violentijs huiusmodi, contra tales violentos, in Curia Regia, coram iudicibus Regni ordinarijs iure agere.

Comitis violenti pœna, officij amissio.

Anni quindecim & sex menses, quibus disturbia in Regno durarunt ad præscriptionem non computantur. ART. XXII.

ANNI isti quindecim & menses sex, ab obitu dicti domini Ludouici Regis, vsque ad primam Martij mensis præsentis computando, in numerum annorum, qui de hæreditatibus, iuribusque possessionatijs, à veris eorum & legitimis dominis ac hæredibus vtcunque alienatis, longi temporis præscriptioni, ex lege & consuetudine Regni designati sunt, nunquam computentur.

Præscriptio nō currit, per annos 15. & menses 6. post obitum Ludouici Regis.

Donationes, inscriptiones, contractus legitimi, qui per temporum disturbia statutionibus firmati non sunt, vires suas retineant, ita vt intra annum statutio fiat, nisi fortè qui affectata negligentia statui se non curarunt.

ART. XXIII.

DONATIONES & inscriptiones, contractus item de successionibus bonorum & hæreditatũ, legitimè erecti, nec non emptiones perennales, Regij consensus & impignorationes, quibus videlicet statutiones legitimæ, ex Decreto Regni, necessariæ sunt, per hos annos præscriptos, statutionibus legitimis, iniuria temporum firmari nō potuissent, suas retineant vires: Ita tamen, vt intra annum, à prima Martij mensis præsentis numerando, statutionibus legitimis, eas quisq; firmari teneatur. Secus enim intelligendum est de illis, qui per crassã aliquã ignorantiã negligentiamue, in locis præsertim pacatiorib',

ditioni

ditioni Regiæ Maiestatis subiectis, huiusmodi statutiones tempore debito facere neglexissent.

Petri Peteo protestatio contra Episcopum Wesprimiensem. ART. XXIIII.

ITEM Petrus Peteo de Gerse, suo & fratrum suorum nomine, in ipso Conuentu nostro publico solenniter protestando retulit nobis, quòd quia dominus Episcopus Wesprimiensis, castrum eorum Thadika, simul cum literis priuilegialibus factum bonorum ipsorum concernentibus, ac compluribus rebus eorum ac aliorum, annis superioribus intercepisset, interceptumque simul cum iuribus possessionarijs ad idem castrum pertinentibus teneret. E conuerso verò idem Petrus Peteo vna cum fratribus suis, bona Episcopatus Wesprimiensis Egerszeg & Noua, non de manibus domini Episcopi, sed de aliorum occupasset. Ideo suo, vt præmissum est, & fratrum suorum nomine se ad remittenda bona prædicti domini Episcopi obtulit, siue reddat ipse dominus Episcopus castrum eorum Thadika, simul cum ingenijs, literisq; priuilegialibus, & alijs rebus in eodem castro interceptis, siue non.

Violentiæ per potentes Ioannis Regis subditos, qui post eius obitum ad fidelitatem suæ Maiestatis venerunt, patratæ, ad tempus suspenduntur. ART. XXV.

QVOD omnes illæ violentiæ, domorum inuasiones, damnorum illationes, & alia malorum genera, per potentes quoscunque, qui post obitum Serenissimi Ioannis Regis, ad fidelitatem Maiestatis Regiæ denuo accesserunt, contra quoscunq; hactenus patratæ sunt, in suspenso relinquantur, donec Regnum hoc ad integram vnionem deueniat, & tandem quid in illis agendum erit, in publico Conuentu decernatur.

Contributio vnius floreni. ART. XXVI.

QVONIAM autem restitutio, simul & conseruatio Regni huius, non nisi grauissimis sumptibus & laboribus fieri debeat. Ordinatum est idcirco, vt absq; omni mora, in singulis Comitatibus, iuxta numerum portarum sessionumq; Iobagionalium, subsidium seu dica vnius floreni contribuendum publicetur. Ad quod exigendum sufficere videntur vnus vel duo Nobilium: & hi quinto decimo die, à die feriæ secundæ post Dominicam Reminiscere præteritæ computando, ad connumerationem Comitatus mittantur. Qua finita, tandem dica ipsa seu subsidium, omni adhibita diligentia, vsque Vigesimum diem diei finitæ conumerationis, ad manus Thesaurariorum ad id eligendorum assignetur. Iidem autem Thesaurarij, pro fideli erogatione huiusmodi subsidij, iuramento astricti esse debebunt.

Nemo sit exemptus ab hac contributione. ART. XXVII.

IN hac contributionis exactione hic modus erit seruandus, vt nullus omnino, siue sit molendinator, siue libertinus, aut alio quocunque nomine censendus, exemptus habeatur: sed quisque pro rerum suarum quantitate, iuxta limitationem dominorum terrestrium consciensiose faciendam, in hac contributione soluat: ita vt qui ditiores sunt, plus pro rerum & bonorum suorum facultate pendere, quàm pauperes teneantur. In hac verò nouæ contributionis exolutione, pauperibus inquilini etiam adiumento sint.

Domini terrestres, perennalis æstimationis colonorum suorum, sexagesimam partem contribuant. ART. XXVIII.

VNIVERSI præterea coloni domos habentes, æstimatione perennali erunt æstimandi, puta colonus vnus pro quadraginta florenis: qua æstimatione omnium colonorum sic generaliter facta, tandem quisque dominorum & Nobilium sexagesimam partem dictorum quadraginta florenorum, qui pro numero & æstimatione colonorum vnicuique obuenerit, ex propria bursa, sine colonorum grauamine, ad præsentem expeditionem dare & conferre debebit.

Nobiles vnius sessionis sexagesimam partem rerum mobilium conferant.
ART. XXIX.

NOBILES vnius sessionis, sexagesimam rerum omnium, puta aurearum, argentearum, pecuniarum paratarum, pecorum, frugum, vinorum, & aliorum bonorum mobilium, demptis vestibus, equis, & alijs apparatibus bellicis atque hæreditatibus, soluere debeant.

Ciuium contributio. ART. XXX.

CVM autem ciues & incolæ ciuitatum liberarum & Montanarum, ad bellum hoc minimè proficiscantur, sed quisque domi suæ manebit, etiamsi Regiam Maiestatem personaliter in bello esse contingat. Ideò (demptis duntaxat vestibus eorum, & vxorum ornamentis) tàm aurearum, quàm argentearum, nec non domorum & rerum allodialium, pecudum, equorum, vinearum vinorumq;, mercium præterea & aliarum omnium rerum, quocunq; nomine censeantur, sexagesimam partem, hoc est, pro rebus, iuxta veram æstimationem, sexaginta florenos valentibus, vnum florenum quisque ciuium & incolarum dare teneantur. Vera autem inquisitio & æstimatio horum omnium rerum fieri debebit per iudicem & iuratos ciues, sub iuramento. Coloni verò eorum nihilominus contributionem vnius floreni & sexagesimam in medium Comitatus persoluant.

Regis homo assistat iudicibus ciuitatum in exigenda contributione.
ART. XXXI.

QVIA verò hæc pecunia in dictis ciuitatibus liberis & Montanis, & alijs, quæ Regiæ Maiestatis & Reginalis existunt, ad exercitus naualis conseruationem data sit. Necessarium igitur est, vt homo Regiæ Maiestatis ex Camera deputandus, præfatis ciuitatum iudicibus adiungatur: ita tamen quisq; iudicum & iuratorum ciuium, ad exactionem & æstimationem istius contributionis sese comparet, vt sine mora longiori ea perfici, & ad dictam Cameram Regiam administrari, & per eosdem iudices & iuratos ciues pecunia dicta importari possit. Ad quod omnino astricti esse debebunt. Capienda etiam erit ab eisdem ciuibus de tota summa importata pecuniæ, à dominis Camerarijs quietantia, quæ tandem tempore rationis per eosdem proferenda erit.

Prælati, Barones, & alij possessionati penes personam Regis bello intersint, & ex viginti colonis, vnum equitem secum ducant. ART. XXXII.

PRÆTEREA ordinatum est, quòd si Maiestas Regia, dominus noster clementissimus personaliter huic expeditioni intererit, penes Maiestatem suam, vniuersi etiam domini Prælati & Barones, alijque possessionati homines, in propria persona & capite adesse teneantur: & vltra præscriptam vnius floreni & Sexagesimæ contributionem, de singulis etiam viginti colonis, singulum equitem secum adducant. Si qui autem inter hos equites armis minus benè instructi esse, per dominum Capitaneum tempore lustrationis, vt semper fuit obseruatum, reperirentur, debebit in illos idem dominus Capitaneus animaduertere, & illos de exercitu excludere, & meliores loco eorum conducendos curare

Nobiles quoq; vnius sessionis, viritim ad bellum eant. ART. XXXIII.

NOBILES etiam vnius sessionis, quisque pro libertate sua tuenda, ad defensionem Regni publicam, penes Maiestatem suam, equis & armis benè instructi venire in bellum teneantur. Qui verò equis caruerint, nihilominus pedites veniant.

Capitulares singuli pro suis personis equitem mittant. ART. XXXIIII.

DOMINI autem Capitulares, vltra eas gentes, quas ratione decimarum alere tenentur, pro sua quisq; persona singulum equité mittere debeant: ita tamen, vt dignitates,

maiores

maiores prouentus habentes, simplicibus Canonicis in solutionibus equitum auxilio sint, iuxta prouentuum quantitatem & diuisionem.

Ecclesiasticarum personarum priuatarum ad bellum contributio.
ART. XXXV.

PRIVATARVM verò Ecclesiarum aut Conuentuum Præpositi, plebani, & aliæ personæ Ecclesiasticæ, qui iuxta Decreta Regni, ratione decimarum ad Regni defensionem gentes non tenent, decimam partem prouentuum omnium dare & contribuere teneantur: ita tamen, vt in huiusmodi taxatione, vna persona Ecclesiastica per Prælatum eligatur in qualibet Diocæsi.

Contributio hæc ad quorum manus danda. ART. XXXVI.

VISVM est dominis Prælatis & Baronibus, quòd ista contributio tàm vnius floreni, quàm etiam Sexagesimæ colonorum, sed & Nobilium vnius sessionis, ac decimæ prouentuum priuatarum personarum Ecclesiasticarum, ad manus dominorum Thesaurariorum, qui ex dominis duo, ex Nobilioribus verò tres ad id eligerentur, exolui deberet. Nobilibus verò Regnicolis visum est, quòd ista contributio vnius floreni & Sexagesimæ, de eorum bonis, ac Capitulorum, Præpositorum, Abbatum, & omnium aliorum possessionatorum hominum, qui ab olim in medium Comitatus contribuere fuerant obligati, nec non Nobilium vnius sessionis, ac priuatarum personarum Ecclesiasticarum, ad manus fratrum suorum, qui in singulis Comitatibus duo fide & integritate idonei ad id eligerentur, exolui deberet, vt ea gentes singulorum Comitatuum, iuxta quantitatem huiusmodi summæ contributionis, sine defectu conducerentur, ac tam cõtra externum hostem, quàm etiam pro pace & tranquillitate interna conseruanda, sine defectu intertenerentur, iuxta Decreta Regni, & antiquas libertates suas, ac certis alijs ex causis rationibusque per eosdem Nobiles coram dominis propositis.

Externorum mercatorum merces in ciuitatibus inquirendæ. ART. XXXVII.

IVDICES & iurati ciues ciuitatum, dominique Camerarij, vel homines qui ad exactionem contributionis ciuitatum mittentur, sub iuramento inquirere debebunt, apud quos conciuium suorum merces aliquæ negotiatorum externorum, habentur depositæ, & quales illæ existant, idque referre tandem exactoribus tenebuntur: quas si celarent quoquomodo, damnum quod Maiestati Regiæ eueniret, ciues refundere cogẽtur.

Seruitorum contributio. ART. XXXVIII.

QVISQVE negotiatorum & ciuium ac opificum, de ea etiam pecunia, quam vel mercenarijs, vel alijs seruitoribus eorum per annum pro mercede esset daturus, puta de singulo floreno quinque nummos Vngaricos soluere teneatur, qui ad rationem mercedis seruitorum erunt computandi. Idem erit faciendum de seruitoribus per dominos Præpositos, Canonicos, ac alios in dignitate Ecclesiastica constitutos.

Ciues ne vltra hanc contributionem grauentur. ART. XXXIX.

CVM verò hac contributione satis graui & molesta, præfati ciues & incolæ ciuitatum, cogente extrema Regni & omnium nostrorum necessitate, taxentur: supplicandum erit Regiæ Maiestati, ne posthac vel per Maiestatem suam, vel per Capitaneos ijdem ciues aliquo alio onere grauentur. Si verò necessitate ineuitabili exigente, aliquid oneris illis imponeretur, eisdem de pecunijs ratione Sexagesimæ illatis, per dominos Camerarios satisfiat.

Fuggeri, & alij mercatores externi, quadragesimam mercium partem contribuant.
ART. XL.

ITEM, quia domini Fuggeri & negotiatores externi, quæstus & lucri gratiâ, non paruam mercium vendibilium quantitatem, tam in istis Montanis, quàm alijs ciuitatibus depo-

bus deponere,& oblata occasione eas vendere,non absq; commodo eorum solent: ordinatum est,vt tales negotiatores omnes,dictarum mercium & rerum suarum quadragesimam partem Regiæ Maiestati contribuant. Et si qui nollent,vel se tueri ab hac contributione volentes, merces suas, quocunq; colore, clam è Regno transferendas curarent: extunc licebit eas impunè vbiq; auferre,& in vsum publicum conuertere. Et propterea Tricæsimarum officialibus,& Iudicibus ciuitatum,ad hæc,sub ea fide quam Maiestati Regiæ debent,diligens erit aduertentia adhibenda.

Monachi duo ex quolibet Monasterio prodeant ad castra. ART. XLI.

QVIA autem pro sceleribus nostris,quæ singulis fermè horis & diebus committimus, DEVS sit omnium primus placandus. Ideo opus esse censuimus, ad castra Ecclesiasticas personas etiam mitti debere. Teneantur igitur Monachi, cuiuscunque Ordinis & professionis sint,duos fratres de singulis Monasterijs eorum mittere; qui Euangelium DEI castrensibus prędicent,vitia corrigant,confessiones audiant,& pro fide Christiana fideliter tuenda vnumquenq; animent & confortent.

Senes & infirmi singuli equitem pro se in bellum mittant. ART. XLII.

SI qui autem dominorum & Nobilium, aut Ecclesiasticarum personarum senio grauati essent, vel morbo affecti, vt personaliter non possent interesse expeditioni, sic iustè excusati, ire quidem in bellum non teneantur, tamen pro sua persona equitem vnum mittere; & vltra hoc pro vigesima colonorum similiter, vnum equitem dare sint obligati.

Fratrum indiuisorum vnus bello intersit. ART. XLIII.

FRATRES carnales, si duo aut tres in vna domo fuerint, vnus tantum illorum ad bellum ire,cum equitibus vigesimæ partis colonorum, teneatur.

Nobiles alijs seruientes pro persona sua, & pro vigesima cum gentibus Comitatus equites mittant. ART. XLIIII.

SI quos Nobilium vel officiales,contingat in castris seu domibus dominorum suorum occupari,aut Castellanos pro arcium custodia aut domorum aut pro curanda familia domi relinqui,nihilominus pro personis eorum,cum vigesima parte colonorum equites mittere teneantur; non tamen cum gentibus dominorum equites isti mittendi erunt sed cum gentibus Comitatuum.

Tricesimæ nouæ tollantur. ART. XLV.

TRICESIMÆ nouiter in locis insuetis erectæ vbique tollantur, sed earum vetera tantummodo loca seruentur: dempto hoc, quòd loca vetera Tricesimæ Vaciensi filialia,iuxtà veterem consuetudinem, libera permaneant, neque officiales Regij illinc remoueantur.

Tricesima à Nobilibus non exigatur. ART. XLVI.

DE rebus autem Nobilium,quæ ad vsum domesticum ducuntur, nulla capiatur Tricesima.

Ad Tricesimas nemo se intromittat. ART. XLVII.

AD exactionem Tricesimarum, præter ordinationem & consensum Regiæ Maiestatis,nemo se audeat intromittere, neque Tricesimatores de locis consuetis, vbi Tricesimas exigunt,remouere,sub pœna de hac re per Maiestatem Regiam exigenda.

Tricesimas Regias tenentes,Regi remittant. ART. XLVIII.

PRÆTEREA sunt aliqui, qui in Regno isto, Tricesimas Regiæ Maiestatis & Regni,nescitur quo titulo tenent,& neque iura ipsorum,si quæ super illis habent ostendere volunt. Decretum ideò est, vt Tricesimæ huiusmodi mox per possessores earum, Maiestati Regię remittantur,simul cum filialibus earum.De perceptis verò omnibus rationem dare teneantur, sub amissione bonorum omnium.

Comitus

Comites iurent. ART. XLIX.

COMITES, qui nondum pro suscepto Comitatus honore iurauerunt, mox iuramentum pro suo officio rectè exercendo præstare teneantur.

Huszaronis stipendium. ART. L.

VNI præterea Huszaroni salarium annuum non habenti, tres floreni Hungarici dentur. Et qui plus aliquando mereri videbuntur, supra addentur viginti denarij, vt sit numerus quatuor florenorum Rhenensium.

In contributionem nemo se intromittat. ART. LI.

IN istam contributionem vnius floreni & Sexagesimæ, nullus dominorum & aliorum violentorum, more aliàs consueto, priuata authoritate manus suas intromittere præsumat. Contrarium verò facientes, tanquam rebelles, per dominos Capitaneos puniantur, & quæ per eos exacta fuissent, extorqueantur. Datum septima Martij, anno loco que præscriptis.

CONSTITVTIONES CONVENTVS POSONIENSIS, PRO FESTO OMNIVM SANCTOrum, Anno Domini M. D. XLII. celebrati.

Bona occupata & reoccupata, Comites qualiter illis, ad quos pertinent, restituant. ART. I.

IMPRIMIS decretum est, vt ea omnia bona & iura possessionaria, per hos annos indebitè occupata, quæ videlicet iuxta constitutionem Nouizoliensem, dominis eorum legitimis nondum sunt restituta, vel fortassis aliqua eorum, postquam illis, ad quos pertinebant, reddita fuerant, rursum occupata sunt: Comites Comitatuum illorum, in quibus huiusmodi bona habentur, ad literas Vicecomitum ac Iudicum & vniuersitatum Nobilium, iuxta formam præmissæ constitutionis Nouizoliensis, datas vel dandas, sub pœna amissionis officiorum suorum, illis ad quos legitimè pertinere dignoscuntur, reddere & restituere teneantur. *Bona occupata non restituentium Comitũ pœna.*

Comitibus negligentibus executiones facere, Capitanei faciant. ART. II.

SI verò Comites ipsi ad huiusmodi bonorum restitutionem insufficientes erunt, aut negligentes forent, vel aut ipsimet Comites bona quæpiam aliena detinerent, Capitanei Regni, vel alter eorum, iuxta constitutionem Nouizoliensem requisiti, executionem faciant. *Capitanei quãdo restituant bona occupata.*

Publicis Decretis & constitutionibus Regni non parentibus puniantur. ART. III.

IN eos autem omnes, qui publico Decreto Nouizoliensi temerè rebellare ausi sunt, vigore eiusdem Decreti Nouizoliensis, animaduertatur.

Occupatas terras, prata, syluas, piscinas & metas, Vicecomites & Iudices Nobilium, Contradictione & Inhibitione non obstante, restituant. ART. IIII.

QVIA verò post obitum præfati quondam domini Ludouici Regis, non solùm castellorum ac ciuitatum, oppidorum, villarum & prædiorum, sed etiam terrarum arabilium, pratorum, syluarum, piscinarum, & metarum occupationes factæ sunt. Ob hoc statutum est, huiusmodi quoque terrarum arabilium, pratorum, syluarum, piscinarum & metarum occupationes, habita superinde per Vicecomites & Iudices Nobilium talium Comitatuum, vbi huiusmodi occupationes factæ existunt à vicinis & commetaneis, Nobilibusque & Ignobilibus comprouincialibus eorundem locorum, legitima inquisitione, easdē terras, prata, syluas, piscinas & metas occupatas, ijdem Vicecomites, & Iudices Nobilium spoliatis restituere debeant & teneantur, Contradictione & Inhibitione

bonorum occupatorum restitutioni se opponentiũ pœna

non obstante. Si verò occupatores ijdem ipsi huiusmodi restitutioni temerè contrauenire præsumerent,extunc Capitanei præscripti,contra eos, tanquam infideles, vigore præscriptorum articulorum Nouizoliensium procedant.

Ex bonis nouiter occupatis, Comites & Vicecomites infra annum occupatores eyciant.

ART. V.

Comitibus violentos de bonis occupatis intra annum eijciẽdi facultas data.

Metarum reambulatio.

DE cætero autem, si qui nouas bonorum, & quorumcunque iurium possessionariorum occupationes, metarumque distractiones facere præsumerent, Comites vel Vicecomites & Iudices Nobilium,scita prius mera rei veritate,occupatores ipsos de dominio talium bonorum nouiter occupatorum eijciant,& spoliatis in integrum restituát: neq; patiantur tales violentos,intra anni reuolutionem,possessionem talium bonorum impunè continuare,sub pœna amissionis officiorum suorum. Si autem ad hoc Comites vel Vicecomites aliqui insufficientes forent,Capitanei per eos requisiti, omni auxilio illis assistere teneantur. Causæ item reambulationis metarum motæ vel mouendæ, instar aliarum causarum,quæ ex Decreto Nouizoliensi adiudicari debent, pro quinto decimo die adiudicentur.

Castra Lipche, Vigles, Dobrauina legitimis dominis restituantur. ART. VI.

REGIA Maiestas castra Lipche, Vigles & Dobrauina, iuxta constitutionem Nouizoliensem,ad quos iure pertinent, iam tandem restituere dignetur,nec patiatur vlterius differri eorum restitutionem,sub conditione restitutionis castrorum dotalitiorum serenissimæ dominæ Mariæ Reginæ in ipsa Regni diuisione ab eius Reginali Maiestate tanquam alienatorum : quin potius eadem quoque bona suæ Reginalis Maiestatis,eadem Maiestas Regia,virtute Decreti Nouizoliensis,restituenda curare dignetur.

Bona rebellium per auctionem vendenda, Camerarij Regij vendant, spoliatis damna compensent, residuum verò pecuniæ, ad Regni necessitates impendant. ART. VII.

IN serie constitutionis Nouizoliensis expressum est, vt bona rebellium per auctionem vendantur. Verùm quoniam nemo est ad huiusmodi auctionem faciendam specialiter designatus : propterea statutum est,vt Camerarij Regiæ Maiestatis, pariter & infra nominati duo in consilium Cameræ Regiæ electi,simul atque per eos, qui hactenus bonis suis spoliati manserunt, literis Vicecomitum, ac Iudicum & vniuersitatum Nobilium iuxta ipsam constitutionem Nouizoliensem datis vel dandis requisiti fuerint, bona dictorum rebellium per ipsam auctionem vendant,& de pecunia exinde collecta, eos quos per tot annos, suis bonis iustis ac prouentibus rebelles ipsi indebitè spoliare ausi sunt,secundum conscientiosam limitationem Vicecomitum & Iudicum Nobilium eorundem Comitatuum,in quibus talia bona occupata existunt,ijdem Camerarij,simul & duo illi electi,literis ipsorum Vicecomitum & Iudicum Nobilium requisiti, de damnis acceptis contentos reddant. Residuum verò ad publicam Regni defensionem, aliasque publicas necessitates Regni impendant.

Dica vnius floreni Regi offertur. ART. VIII.

CVM autem ad ipsam executionem articulorum constitutionis Nouizoliensis,tum pro solutione Capitaneorum,pariter & aliorum iustitiæ administratorum,& etiam aliorum omnium,quibus Regia Maiestas Regni huius administrationem in sua absentia cõmittet,necessaria prouisione ; tum pro defensione particulari contra Turcas, pecunia opus sit. Ideo Status & Ordines Regni, offerunt Regiæ Maiestati subsidium floreni vnius de singulis portis colonorum,iuxta fidelem connumerationem,quæ per Dicatores Regios fieri debebit,de bonis omnium,tàm scilicet dominorum,quàm Nobilium, & aliorum quorumuis possessionatorum hominum,non obstante quacunque exemptione, vbique fideliter exigendum,& ad Cameram Regiæ Maiestatis ad proximum festum Purificationis Beatæ virginis Mariæ, citra vlteriorem dilationem administrandum : ita

tamen

tamen, vt pauperes coloni, res & bona in valore trium florenorum non habentes, connumerari non debeant. In eos autem qui falsò iuraſſe comperti fuerint, per eorum dominos terreſtres animaduertatur.

Dicam coloni iuxta facultatum quantitatem ſoluant. ART. IX.

DECRETVM eſt item, vt hi omnes coloni, qui taxabuntur iuxta ſuam quiſque facultatem, oblatum hoc ſubſidium, iuxta eandem iudicum iuratorum ſeu villicorum conſcientioſam limitationem, ſoluere teneantur.

Dica, Comitum opera, ante feſtum Purificationis Mariæ, tota exigenda. ART. X.

IN adminiſtratione autem contributionis huiuſmodi, Comites Comitatuum, ſub amiſſione officiorum, eam debebunt adhibere diligentiam, ne quid vſque præſcriptum feſtum Purificationis Mariæ, in aliquo Comitatu, ex eadem contributione inſolutum manere contingat.

Cum Dica, media pars Sexageſimæ exigatur. ART. XI.

ET quia contributio iſta floreni vnius, ad præſcriptas Regni neceſſitates, vſq; tempus ſuſcipiendæ generalis expeditionis, minus ſufficiens videtur. Proinde decretum eſt, vt & dimidietatem Sexageſimæ, iuxta conſtitutionem Nouizolienſem, quiſque tàm dominorum, quàm Nobilium; & aliorum quorumcunque poſſeſſionatorum, ſimul cum pecunia eiuſdem contributionis floreni vnius, ad dictum feſtum Purificationis Mariæ, ad Cameram Regiam adminiſtrandæ, ad manus Dicatorum Regiorum dare debeat & teneatur.

Pro expeditione, alia Dica cum dimidio Sexageſimæ exigenda. ART. XII.

PRO futura autem generali expeditione, iterum ſubſidium vnius floreni, iuxta connumerationem præſentis contributionis, de ſingulis portis omnium colonorum, tàm ſcilicet dominorum, quàm Nobilium, & aliorum, ſoluatur ſimul cum altera dimidietate Sexageſimæ.

Contributio hæc ad feſtum S. Georgij colligatur. ART. XIII.

CONTRIBVTIONEM autem hanc dicti Comites, ad proximum feſtum Beati Georgij Martyris, ex omnibus Comitatibus ad Cameram Regiæ Maieſtatis, pœna ſub præmiſſa, adminiſtrare teneantur.

Molendinatorum liberi & ſerui contribuant. ART. XIIII.

IN iſtis autem contributionibus, etiam liberi molendinatorum, ſerui & mercenarij, in ſerie pagorum & villarum domos habentes, exempti eſſe non debent.

Nobilium vnius ſeſſionis contributio. ART XV.

NOBILES vnius ſeſſionis, de qualibet integra ſeſſione, ad futuram generalem expeditionem, ratione Sexageſimæ, denarios quinquaginta contribuere; & ad manus Vicecomitum tempeſtiuè dare teneantur: ita vt Vicecomites ipſi quoque hanc contributionem, ad præſcriptum feſtum Beati Georgij Martyris ad Cameram Regiam adminiſtrare poſſint.

Vnus ex dominis, alter ex Nobilibus cum Camerariis huius contributionis diſpenſatores. ART. XVI.

ET quoniam ex præſcripta contributione proxima floreni vnius, iudicibus quoque & iuſtitiæ adminiſtratoribus Maieſtas Regia neceſſariò prouidere debebit: aliæ verò contributiones ad generalem expeditionem erogandæ ſunt. Ne igitur pecuniæ contributionũ earundem, ad ſolutionem quorumcunq; antiquorũ debitorũ, vel in alios quoſcunq; priuatos vſus conuertantur, Status & Ordines Regni, duos probatæ fidei homines, alterum de numero dominorum, alterũ verò ex ordine Nobiliũ deligere conſtituerunt;

quos

quos supplicant, vt Regia Maiestas dignetur admittere in consilium Cameræ suæ Regiæ in eum finem, ne patiantur huiusmodi contributionem, contra præsentem constitutionem, in alios quospiam priuatos vsus conuertere, & vt tandem vna cum Camerarijs Regiæ Maiestatis, in Dieta, quæ post hanc de edicto Regio prima celebrabitur, eius Maiestati Regiæ, coram Statibus & Ordinibus Regni, accepti & expensi rationem reddant.

A Dicatoribus & Thesaurarijs ratio exigenda. ART. XVII.

A Dicatoribus autem & Thesaurarijs Comitatuum, Maiestas sua Regia per Camerarios Regios super dispensatione præteritæ contributionis, pro octauo die festi Epiphaniarum Domini proximè futuri, citra vlteriorem dilationem, rationem exigere valeat. Et si quid vltra conseruationem gentium per ipsos dissipatum, vel per quoscunque violenter leuatum, vel alioqui residuum quippiam compertum fuerit, id totum sua Maiestas quàm primum exigat, & ad futuram generalem expeditionem conuertat; tandemq; ipsi Camerarij ipsius Regiæ Maiestatis, in futura Dieta superinde Maiestati suæ coram Statibus Regni rationem reddant, demptis tamen necessarijs expensis Comitatuum, siue ad legationes, siue ad alios quoscunque publicos vsus necessarios, qui post Dietam Nouizoliensem emersisse dignoscuntur, de voluntate ipsorum Comitatuum erogatis.

Cognoscendum, an gentes suas omnes in expeditione iustè tenuerint. ART. XVIII.

Ex hac autem ratione, Camerarij ipsi intellecta summa pecuniæ, quæ tàm ex Dica præterita vnius floreni, quàm ex Sexagesima Vigesimaq; prouenire debuisset, eandem pecuniæ summam, cum Regesto super lustratione equitum dominorum & Nobilium, ac aliorum possessionatorum, per egregium Franciscum de Kis Serien, Magistrum computorum Regiæ Maiestatis confecto, diligenter conferant, subindeq; exactius cognoscant, an domini Prælati, Barones & Comitatus gentes suas in expeditione præterita iustè vel iniustè tenuerint. Et si qui comperti fuerint gentes suas minimè iustè tenuisse, eam pecuniam quæ ad id erogari debuisset, Regia Maiestas ab eis exigat, & ad publicam Regni necessitatem conuertat.

Ad expeditionem quomodo proficiscendum. ART. XIX.

AD ipsam autem generalem expeditionem, domini vtriusque ordinis & Nobiles colonos habentes, cum suis equitibus, quos ratione vigesimæ colonorum, iuxta constitutionem Nouizoliensem alere debent, penes personam Regiæ Maiestatis, equis & armis benè instructi, sub pœna generalis Decreti, personaliter proficisci debebunt: ita tamen, ne sicut Æstate proxima contigit, intempestiuè ad descendendum in campum compellantur, & per hoc ne sumptibus inutilibus grauentur.

Indiuisorum fratrum magis idoneus ad bellum eat. ART. XX.

IN quacunque autem domo plures fratres indiuisi sunt, nisi valetudinarij ac senio confecti fuerint, hi qui ad bellum tum ætate, tum viribus magis idonei fuerint, pœna sub præmissa, eo proficiscantur.

Eques grauis armaturæ, à triginta sex colonis mittatur. ART. XXI.

CVM autem in quibusdam Comitatibus partium Regni superiorum, sint adhuc aliquæ grauis armaturæ equitum reliquiæ: propterea decretum est, vt vnus eques grauis armaturæ, & equo benè instructus, iuxta antiqua Regni Decreta, à triginta sex colonis, ad ipsam expeditionem generalem mittatur.

In seruitiis aliorum occupati, equites pro suis personis mittant. ART. XXII.

DOMINI & Nobiles, qui in stipendio Regiæ Maiestatis ac dominorum Prælatorum ac Baronum Procerumq; ac aliorum Statuum Regni fuerint, quiq; in castris seu castellis atque fortalicijs, pro eorum custodia, & etiam pro decore vniuscuiusque familiæ domesti-

domesticæ domi relinquentur, pro personis suis, singulos equites benè armatos ad futuram expeditionem generalem in medium illius Comitatus, vbi specialem habent residentiam, simul cum equitibus, ratione vigesimæ, conducere mittereq; teneantur.

Quot possint in castris & seruitiis dominorum domi manere. ART. XXIII.

PRO custodia castrorum, in singulis castris, non plures, quam castellanus vnus, prouisor item vnus, & iuxta conditionem familiarium; siue pro Magistro Curiæ, siue pro alijs quibuspiam negotijs domesticis ad arcium conseruationem necessarijs, iterum vnus Nobilis domi relinquatur, nisi si manifestissima & vrgentissima necessitas in locis, quæ hostibus tàm extraneis, quàm domesticis viciniora sunt, plures fortassis alicubi relinquere cogeret.

Ad negotia Comitatus quot domi relinquantur. ART. XXIIII.

IN singulis autem Comitatibus, iuxta illorum quantitatem, duo vel tres Nobiles cum Iudicibus Nobilium, victualium ad castra administrandorum, aliorumq; negotiorum Comitatus dirigendorum causa, & non plures domi relinquantur: tamen & ipsi Nobiles & Iudices Nobilium in Comitatibus relicti, pro personis suis, & vigesima colonorum ad expeditionem mittere debeant.

Nobiles vnius sessionis, à quinq; sessionibus mittant vnum equitem. ART. XXV.

NOBILES verò vnius sessionis, de singulis quinq; sessionibus seu curijs Nobilitaribus integris, vna cum cæteris Nobilibus, vnum equitem benè armatum ad ipsam expeditionem generalem mittere teneantur: ita tamen, quòd Vicecomites & Iudices Nobilium in omnibus Comitatibus, facta iusta limitatione, pauperes cum ditioribus coniungant, & iuxta vniuscuiusque facultatem, pro solutione huiusmodi equitum contributionem decernant.

Prælatorum, & aliorum Ecclesiasticorum maiorum exercituatio. ART. XXVI.

DOMINI Prælati, Abbates, Præpositi, Capitula, Conuentus ratione decimarum, bonorumq; & personarum suarum, pro futura generali expeditione, omnia ea onera, quæ in constitutione Nouizoliensi expressa sunt, subire debeant.

Ecclesiasticorum priuatorum ad bellum contributio. ART. XXVII.

PRIVATARVM verò Ecclesiarum plebani, altarium & capellarum rectores, & aliæ personæ Ecclesiasticæ, decimam partem prouentuum suorum ad ipsam generalem expeditionem contribuere debeant. Ad taxationem autem huiusmodi contributionis, in singulis Comitatibus Ecclesiasticus quispiam per Prælatum Diocæsanum eligatur, & Dicatori Regiæ Maiestatis adiungatur. Qui quidem Ecclesiasticus, Regio Dicatore præsente, vnamquanque personam Ecclesiasticam taxandam, ad conscientiæ suæ puritatem, de quantitate facultatis suæ diligenter interroget, interrogatumq; tandem Dicator ipse Regius fideliter taxare debebit.

Propalatinus eligatur ad causas Palatinatus discutiendas. ART. XXVIII.

QVANTVM verò ad iustitiæ, aliasq; Regni administrationes attinet, summè necessarium esset eligere Palatinum: id tamen cum in præsentia, vel ex eo commodè fieri nequeat, quòd in Comitijs generalibus, & non in particularibus, per suffragia omnium Statuum & Ordinum Regni Palatinus eligi solet. Statutum est igitur, vt exnunc per suffragia Statuum & Ordinum Regni, eligat Maiestas Regia idoneum quempiam iudicem causarum, quæ in præsentia Palatinali verti consueuerunt. Qui quidem iudex suum habeat vicegerentem & Protonotarium.

Palatinus quo modo eligendus.

Palatinalis Locumtenens eligendus.

Director, Protonotary, Assessores ad cognitiones causarum eliguntur. ART. XXIX.

ELIGAN-

ELIGANTVR item & Protonotarij personalis præsentiæ Regiæ Maiestatis: eligatur & Director causarum Regalium: eligantur denique Assessores duodecim iurisperiti, quorum pars dimidia, tàm in consilio Regiæ Maiestatis, quàm in iudicijs continuè intersit.

Locumtenenti Regio Consiliarij adhibiti. ART. XXX.

ITEM dignetur Regia Maiestas in absentia sua domino Locumtenenti adiungere, ex ordine dominorum Prælatorum quatuor, totidem etiam ex ordine Baronum, quorum consilio ipse dominus Locumtenens in omni administratione vtatur, hic Posonij continuè residendo: quorum similiter pars dimidia semper penes ipsum dominum Locumtenentem maneat.

Iudicia continuà & sine intermissione celebrentur. ART. XXXI.

IVDICIA autem omnium causarum & negotiorum, quæ in constitutione Nouizoliensi continentur, aliaque omnia violentiarum & quorumlibet malorum genera, quæ hisce disturbiorum temporibus, per eos, qui eundem Regem & Principem recognouerunt, inuicem patrata sunt, octauo die Epiphaniarum Domini, hic Posonij inchoëntur, & semper absque intermissione celebrentur.

Prorogationes Regiæ & Locumtenentis, in causis vigore articulorum Nouizoliensium iudicandis, non obseruentur. ART. XXXII.

CAVTVM est autem specialiter, ne cuiquam prorogationes Regiæ, aut eius Maiestatis Locumtenentis, in huiusmodi iudicijs obseruentur.

Ciuitatibus Regiis & liberis nullo titulo bona conferantur, & per notam infidelitatis ac collata per Comites & Vicecomites, ad quos pertinent, restituantur. ART. XXXIII.

ET quia ciuitates Regiæ, præsertim per hos annos ad obtinendas possessiones Nobilium vehementer aspirare cæperunt, & ob id plerosq; Nobiles miserabiliter occidisse, tandemq; bona eorundem quocunq; titulo à Regia Maiestate suæ communitati impetrasse accusantur, in apertum præiudicium sacræ Coronæ Regni, eo quòd huiusmodi bona communitati donata cum hæredes eorum nunquam deficiant, ad fiscum Regium nullo vnquam tempore deuoluantur. Vnde manifestè constat, numerum quoque militarium hominum, si eà res longius pergat, in dies magis magisque diminuendum iri, quemadmodum etiam hactenus non mediocriter diminutus esse dignoscitur. Ideo statutum est, ne de cætero bona aliqua, & iura possessionaria ad sacram huius Regni Coronam, consequenterq; collationem Regiam, quocunque titulo deuoluta vel deuoluenda, ciuitatibus, oppidis, villis, & alijs quibusuis communitatibus conferantur & inscribantur. Ea autem bona & iura possessionaria omnia, quæ (vt præmissum est) ciuitatibus & oppidis per tot annos post interitum dicti domini Ludouici Regis, titulo notæ infidelitatis, propter defectionem, adhæsionemque & partialitatem, factionemue donata sunt & inscripta, per Comites ac vniuersitates Nobilium Comitatuum eorum, in quibus talia bona adiacere fuerint comperta, iuxta constitutionem Nouizoliensem, dominis eorum legitimis, citra moram, restituantur.

Ciuitatibus iusto titulo hactenus factæ donationes, in suo vigore permaneant. ART. XXXIIII.

DONATIONES autem, quas siue à Regia Maiestate, siue ab alijs dominis Vngariæ Regibus, ciuitates & oppida præscripta, suæ Reipublicæ hactenus, iusto aliquo titulo obtinuerunt, suam perpetuam habeant virtutem.

Ciuitatum bona à corpore Comitatuum, in quibus adiacent, non auellantur. ART. XXXV.

BONA autem & iura possessionaria ciuitatum & oppidorum, quæ ipsi, tàm ex nostra donatione, quàm etiam prædecessorum nostrorum dominorum Vngariæ Regum, vel

vel alio quocunque titulo possident, à corpore Comitatuum, in quibus adiacere dignoscuntur, nullo vnquam tempore diuellantur, atque distrahantur; diuulsa autem & distracta, si quæ essent, quisque Comitum Parochialium, in eo Comitatu, cui præest, per omnia opportuna remedia restituat, & ad ea onera omnia, quæ Comitatibus communia erunt, præsertim verò ad solutionem lucri Cameræ Regiæ, & aliarum quarumcunque contributionum ac pecuniarum exercitualium, quæ in commodum publicum fieri solent, non obstantibus quibuscunque exemptionibus, eisdem ciuitatibus & oppidis datis vel dandis, solitis grauaminibus semper compellant.

Possessiones à corpore Comitatus per potentiores auulsas, Comites restituant.

ART XXXVI.

POSSESSIONES item, quæ per hos annos, à corpore Comitatus cuiuspiam per potentiam auulsæ sunt & distractæ, & alicui Comitatui illis viciniori annexæ, Comites talium Comitatuum, sub amissione officiorum suorum, restituere teneantur.

Comitatus Hontensis diuisus vniantur. ART. XXXVII.

COMITATVS Hontensis, violentia Comitum suorum partium diuersarum, Francisci videlicet Nyari, & Melchioris Balassa, hisce disturbiorum temporibus in duas partes diuisus fuit. Qui quidem Comites, cum ne modo quidem patiantur Comitatum ipsum in vnionem venire; ita vt administratio eiusdem Comitatus, ad instar aliorum Comitatuum, in eodem loco sedis Iudiciariæ fieri posset. Tum igitur ex eo, tum quia ijdem Comites ad ritè administrandum Comitatum ipsum nondum iurasse dicuntur, statutum est, vt Comites ipsi cum hic nunc præsentes sint, aut iurent coram Maiestate Regia, aut officio priuentur, & loco eorum alij substituantur. Qui si iurarent, Maiestas Regia dignetur eis seriò committere, sub amissione officij ipsorum, vt Comitatum ipsum citra vllam moram, sublata diuisione, in pristinam vnionem venire, omnemque administrationem in loco solito & antiquo fieri patiantur, & deinceps ab omni tyrannide, quam hactenus eosdem Comites in ipso Comitatu exercuisse feruut, abstinere debeant: alioquin non secus atque in rebelles, in eosdem Comites animaduertatur.

Comites coram Rege vel suo Locumtenente, aut in Comitatu iurent.

ART. XXXVIII.

IN alijs etiam omnibus Comitatibus, Comites nondum iurati, vsque ad proximum festum Purificationis Mariæ Virginis, sub amissione officiorum suorum, coram Regia Maiestate, aut in eius Maiestatis absentia, coram domino Locumtenente iurare teneantur. Vel si Comites ipsi, qui scilicet in præsentia absentes sunt, ex temporis iniuria id minus commodum fore arbitrarentur, quisque in suo Comitatu, coram vniuersitate Nobilium, in eorum congregatione, in loco sedis Iudiciariæ, vsque præscriptum Purificationis Mariæ festum, iuxta formam iuramenti, quæ in generali Decreto expressa est, pœna sub præmissa, solenniter iurare debebunt.

Ioannis Regis inter subditos differentiæ determinatæ, in suo vigore permaneant.

ART XXXIX.

ITEM si quæ causæ differentiæque, viuente Ioanne Rege, in eius ditione, inter subditos, siue per iuridicum processum, siue per compositionem literarum finaliter decisæ sunt, in suo robore & firmitate maneant. *Ioannis Regis subditorum differentiæ.*

Fassiones coactæ, vel aliter illegitimo modo factæ, irritæ sint. ART. XL.

FASSIONES item seu inscriptiones, si quas alicui dominorum aut Nobilium, siue per aliquam violentam coactionem, siue alia quacunque causa illegitima, in præiudicium filiorum, fratrum, & aliorum hæredum suorum, super castris, castellis & alijs quibusuis bonis & iuribus possessionarijs, à tempore obitus Regis Ludouici

 fecissent,

fecissent, de iure & defacto irritæ sint. De quibus liceat vnicuique in proximis breuibus iudicijs, ius suum coram Iudicibus Regni ordinarijs legitimè prosequi.

In Cancellaria, literæ in negotijs publicis gratis expediantur. ART. XLI.

ITEM in Cancellaria Regia, literæ quæ olim in negotijs publicis expediebantur, nunquam taxabantur: nunc autem, his qui in negotijs publicis, præsertim ex Comitatibus, ad Regiam Maiestatem mittuntur, citra scitum & voluntatem Maiestatis eius non sine graui precio redduntur, id quod Status & Ordines Regni amplius pati minimè possunt.

Cancellarius, absque consilio, Iuridica expediat. ART. XLII.

CVM denique publica querela sit, quia in ipsa Cancellaria etiam literæ iuridicæ, vix vnquam sine speciali Regiæ Maiestatis commissione expediuntur: interdum autem fieri solet, vt causarum merita, quæ non nisi iuridica, vel ex supplicantis expositione facilè cognosci possent, nisi prius in consilio proponantur & tractentur, literæ, vt præmissum est, etiam iuridice non expediuntur. Proinde publico nomine supplicatur Maiestati vestræ, dignetur idoneum quempiam Cancellarium exnunc deligere, ea authoritate, qua olim Cancellarij Vngariæ Regum literas iuridicas extra consilium Regium expedire solebant: ne de cætero supplicantes, præcipuè autem pauperes, superfluis sumptibus grauentur.

Cancellarius habeat authoritatem expediendi iuridica sine consilio.

Petrus Keglewyth proscriptus. ART. XLIII.

QVIA palàm est, Magnificum quondam Casparem Ernust de Chaktornya, nullis hæredibus post se relictis, annis superioribus ab hac luce discessisse, vniuersaque castra, castella & bona ac iura ipsius possessionaria, ac sacram Regni Vngariæ Coronam, consequenterque iam fatum dominum nostrum Regem, absque omni dubio, de iure & defacto deuoluta extitisse: Magnificus verò Petrus Keglewyth, asserens seipsum per eundem Casparem constitutum esse Testamentarium tutorem filiæ suæ, Relictæ eiusdem Casparis, consequenterque hæredis nasciturі, (prætexebat enim Petrus ipse, filiam suam à marito prægnantem remansisse castra eiusdem Casparis, Chaktornya & Strigo in Szaladiensi, szent Györgу & castellum Kaproncza in Crisiensi Comitatibus existentia & habita, contra clarissima iura Fisci Regij, sub eodem prætextu, quo filiam grauidam esse fingebat, intercipiendo, donec tempus pariendi aduenisset, in manifestam Regiæ Maiestatis iniuriam tenere ausus est. Interim autem sua Maiestas, ne infans quispiam suppositіtius nomine hæredis ederetur, aliquot Nobilibus, honestisque & fidedignis matronis, ad custodiam partus legitimè adhibitis, cum id falso prætextu fuisse excogitatum cognouisset, eadem castra & castellum, fauorabiliter non semel repetere dignata fuit. Verumtamen dictus Petrus Keglewyth, nulla iusti & honesti, nulla clementiæ & fauoris eius Maiestatis habita ratione, ea nequaquam reddere voluit. Deinde memoratam suam filiam, Magnifico Ladislao Banffi de also Lindua nuptui tradendo, semel atque iterum vocatus, sub saluo conductu, ante aliquot menses ad Regiam Maiestatem Viennam venit. Vbi coram eius Maiestate in consilio, præsentibus ibi nonnullis dominis Prælatis & Baronibus, Consiliarijs Maiestatis suæ, eorum omnium quæ in eodem consilio acta sunt, testibus locupletissimis (reliqua enim omnia luce meridiana sunt clariora) idem Petrus Keglewyth, personaliter comparens, manumque suam pectori imponens, ad clementem, piamque & paternam suæ Regiæ Maiestatis admonitionem, licet castra & castellum prænominata, manibus hominis suæ Maiestatis, quem ad id elegerat, pro debito probi seruitoris & subditi, ad fidem suam Christianam reddere & restituere sponte libereque promiserit, suaq; Maiestas illa ad manus venerabilis domini Alberti Præpositi, Præfecti Cameræ suæ Regiæ dando & restituenda, in præsentia ipsius Petri Keglewyth commiserit: idem tamen Petrus Keglewyth, iuribus sacræ Coronæ, & generali constitutioni Nouizoliensi, qua omnia castra, castella, ac alia bona & iura possessionaria per hos annos indebitè occupata, illis ad quos pertinent, sub nota perpetuæ infidelitatis restitui

commissa

commissa sunt, se temerè opponere, promissionemque suam violare non formidans, prætacta castra Chaktornya Strigo, szent György & castellum Kapronecza, cum cunctis eorundem pertinentijs, ac alijs bonis & iuribus possesionarijs, manibus præfati domini Præpositi tradere & assignare minimè voluit, sed ea pro se retinere & conseruare priuata authoritate ausus est. Ne igitur alij quipiam exemplo eius ducti, maximè pro temporis huius periculosa conditione, similia patrare præsumant. Et alioquin, cum eundem Petrum Keglewyth annis superioribus posteaquam egregius Stephanus Deeshazi sine hæredibus decessit, castrum Szomszedwara, castella item Sellyen & Sztubicza in Regno Sclauoniæ habita, intercepisse, eaque ex eius manibus præfatam Regiam Maiestatem vix tandem eripuisse constat: statutum est, quòd si item Petrus Keglewyth, castra præscripta & castellum, intra spacium duorum mensium, à præsenti die numerando, in reformationem existimationis opinionisque suæ, apud bonos quosque viros modo præmisso grauatæ, Maiestati suæ reddiderit, subindeque Maiestatem Regiam temerè læsam reconciliauerit, & posthæc omnia præmissa malè acta sua diluenda curauerit, benè quidem: alioqui ipse Petrus Keglewyth, vigore præsentis Constitutionis nostræ, tanquam notorius infidelis suæ Maiestatis & Regni, nota perpetuæ infidelitatis, & amissione capitis, & omnium bonorum suorum, ex nunc prout extunc, & extunc prout ex nunc, publicè & manifestè de iure & defacto condemnatus sit & proscriptus. Vniuersi item Nobiles seruitores eiusdem Petri Keglewyth, Regni huius & partium sibi subiectarum indigenæ, statim expleto ipso termino duorum mensium, eundem Petrum Keglewyth, sub pœna præmissa notæ perpetuæ infidelitatis, & confiscationis omnium bonorũ suorum, relinquere debeant & teneantur.

Ioannes & Raphaël Podmaniczki proscripti. ART. XLIIII.

PRÆTEREA constat omnibus Statibus Regni, inter alios, Ioannem & Raphaëlem Podmaniczki, nulla publicæ pacis & constitutionis penitus habita ratione, non curato etiam quòd & aliàs Regnum hoc per communem hostem, in vltimum deuenerit excidium, in hanc vsque diem, & fidelitatem & obedientiam suæ Maiestatis non accessisse: castra item & castella, ac omnia bona & iura possesionaria, Ecclesiastica & secularia, per hos annos violenter per eos occupata, remittere non curasse: imò etiam modo continuas Regnicolis violentias, & alia mala inferre non cessare. Propterea omnium dominorum Prælatorum, Baronum, cæterorumque Regnicolarum & Statuum consensu decretum est, vt ijdem Ioannes & Raphaël Podmaniczki, infra duos menses, à die vltimi diei præsentis Conuentus & constitutionis computando, ad fidelitatem & obedientiam præfatæ Maiestatis Regiæ accedere, gratiamque suam Regiam impetrare, castra item & castella ac oppida, villas & iura possesionaria Ecclesiarum DEI, necnon vniuersorum dominorum & Regnicolarum, sed & quondam Ioannis Regis, quæ videlicet per ipsos à manibus subditorum suæ Maiestatis intercepta, ac violenter & malè occupata sunt, illis quibus adempta sunt, infra item tempus remittere restituere vel resignare debeant & teneantur. Vbi verò ijdem Ioannes & Raphaël Podmaniczki nulla neque fidelitatis Regiæ, neque publicæ tranquillitatis Regni & constitutionis habita ratione, castra & castella, bona & iura possesionaria prænominata spoliatis restituere, & gratiam pro se impetrare recusarent, tanquam notorij infideles Regis, ex nunc prout extunc, & extunc prout ex nunc, defacto proscripti & condemnati habeantur, vniuersique Nobiles Regnicolæ, qui eisdem seruitio obligati sunt, statim elapso ipso termino duorum mensium, eosdem Ioannem & Raphaëlem Podmaniczki, sub pœna notæ perpetuæ infidelitatis, confiscationisque bonorum suorum relinquere debeant, nec illis amplius seruire præsumant. Si verò ijdem Ioannes & Raphael Podmaniczki, præsenti constitutioni nostræ paruerint & satisfecerint: extunc Maiestas Regia de postulationibus ipsorum, si quas citra præscriptorum bonorum alienorum detentionem habent, instar aliorum fidelium Regnicolarum Maiestatis suæ, iudicium & iusticiam, debitamque satisfactionem administrari facere dignetur.

De externis stipendiarijs Podmaniczki. ART. XLV.

CVM publica querela sit de certis quibusdam Morauis Nobilibus, eos stipendijs præfatorum Ioannis & Raphaelis Podmaniczki impunè viuere, pecudes & pecora fidelium subditorum Maiestatis eius abigere- interdum furto, interdum verò manu violenta auferre, & in Morauiam propellere, & aut pro se retinere, aut alijs palàm vendenda curare, interdum verò pro rebus, quæ dictis Podmaniczki necessariæ sunt, in foris publicis, commutatione facta, dare solere: quod facinus, nisi per primos Marchionatus Morauiæ illis admitteretur, subditi Regiæ Maiestatis leuioribus damnis per ipsos alienos afficerentur: eo quòd intra Regnum emptores vix habere possent. Cæterum ijdem stipendiarij Podmaniczki, eisdem dominis suis, in destructionem subditorum Maiestatis Regiæ, stipendijs eorundem Podmaniczki in ipso Marchionatu gentes conducere solent. Et quia ipsi Podmaniczki, etiam in Ducatu Silesiæ tales stipendiarios habere dicuntur: ideo publico nomine supplicamus, Maiestas Regia dignetur seriò committere Capitaneis vtriusque prouinciæ, vt talibus iniurijs & damnis fideles & subditos suæ Maiestatis, & aliâs satis superque afflictos, amplius afficere ne patiantur. Prouideatur etiam per Primores cum omni seueritate, ne quis de cætero sub eorum stipendio maneat, vel denuò accedat.

Inscriptiones bonorum, Locumtenenti & Iudicibus Regni discutiendæ committantur.
ART. XLVI.

INSCRIPTIONES illas, quas Regia Maiestas super castris, castellis ac cunctis bonis & prouentibus Ecclesiarum DEI, ac dominorum Baronum per hæc tempora fecisset, & iuxta constitutionem Nouizoliensem, in propria persona sua reuidere debuisset: præoccupationibus tamen grauiorum negotiorum suæ Maiestatis, cognoscere hactenus minimè licuisset. Eas itaque omnes inscriptiones, Maiestas sua domino Locumtenenti & Iudicibus Regni ordinarijs in proximis iudicijs reuidenda & adiudicanda committere dignetur, ne per absentiam suæ Maiestatis indecisæ maneant.

Bona per Germanos his disturbijs occupata, restituantur eis quorum sunt.
ART. XLVII.

QVOD Maiestas Regia, illa bona & possessiones, nec non Abbatiam Borsmonostra, quæ in Comitatu Soproniensi & Castriferrei per Germanos occupata, & ad castra sua similiter in eisdem Comitatibus habita, annexa sunt, dominis eorum terrestribus restituere faciat, ac taxas seu contributiones, tam de eisdem bonis occupatis, quàm etiam de castris & pertinentijs eorum, de quibus subsidia Regiæ Maiestati contributa, vel pecuniæ exercituales in medium Comitatuum Regni ab antiquo soluere consueuerunt: Specialiter autem de pertinentijs Rohoncz, quæ ad Coronam & Iurisdictionem Regni Vngariæ iudicialiter pertinere compertæ sunt, etiam deinceps in medium eorundem Comitatuum administrare committat. Denique metas quoque Regni Vngariæ, per Morauos, ac etiam Germanos circa fluuium Laitha, & alias vbiuis occupatas & distractas rectificari faciat.

Bakith familiæ pro arce Sabaria fiat compensatio. ART. XLVIII.

STATVS item & Ordines Regni supplicant Regiæ Maiestati, domino eorum clementissimo, tum domini Reuerendissimi Episcopi Iauriensis, tum Petri Bakith, pariter & relictæ ac liberorum quondam Pauli Bakith nomine, dignetur nacta prima occasione, pro arce Sabaria Episcopatus Iauriensis, per eius Maiestatem Regiam dicto quondam Paulo Bakith, & suis prænominatis titulo pignoris inscripta, de iusta aliqua compensatione prouidere, & per hoc arcem ipsam dicto Episcopatui Iauriensi restituere gratiosè.

De

De Nobilibus ad seruitia Regis conducendis. ART. XLIX.

PRÆTEREA, cum Status & Ordines Regni intelligant Maiestatem Regiam, ex numero Nobilium Regnicolarum, maiorem quo poterit numerum ad seruitia & stipendia sua conducere & assumere constituisse. Supplicant Maiestati suæ, dignetur hanc gratiosam suæ Maiestatis voluntatem, in singulis Comitatibus Regni statim publicare, vt eo citius Nobiles ipsi sese appromptare, & ad seruitia suæ Maiestatis maiori frequentia tempestiuè venire possint.

Martinus Lascanus in cætum Vngarorum per Regem annumeretur. ART. L.

ITEM publico nomine supplicatur Maiestati Regiæ in eo, vt quoniam egregius Martinus Musica, aliâs Lascanus dictus, Capitaneus arcis Strigoniensis, in seruitijs Regiæ Maiestatis, tum in sua Præfectura, tum & dum simplicem duntaxat ageret militem, per hos annos, in hoc Regno Hungariæ præclara edidit facinora: præcipuè autem cum arx Strigoniensis annis superioribus, duce Ludouico Gritij longa obsidione premeretur, eamque auunculus eiusdem Martini Thomas Lascanus, tum eiusdem arcis Capitaneus, summa fide & constantia conseruauit, idemq; Martinus in eadem obsidione, ea omnia boni & strenui militis munia obire non dubitauit. Quibus tandem dicto auunculo in seruitijs Regiæ Maiestatis occiso, in eius Præfectura, ex gratia Maiestatis Regiæ, succedere meruerit Eundem igitur Martinum Lascanum, tanquam personam benemeritam pro suis meritis & virtutibus, bonorum & iurium possessionatorum donatione, in cætum verorum Regni Vngariæ Nobilium Maiestas Regia gratiosè adsciscere & annumerare dignetur.

Externi per Regem in cætum Vngarorum refecuntur bonorum collatione.

Milites præsidiarij, ad loca defensioni opportuna locentur. ART. LI.

REGIA Maiestas præsidia necessaria, quæ ad defensionem Regni conscripta sunt, & qui stipendijs suis non contenti, in diuersis Comitatibus non nisi lachrymis Prouincialium, magna cum licentia impunè viuere dicuntur, ad ea loca, quæ pro defensione Regni opportuna esse viderentur citra vllam moram locanda curare gratiosè dignetur, & destinare aliquos fidedignos de Curia, ad inquisitionem de damnis illatis faciendam & fideliter conscribendam: quæ tandem gratiosè solui iubeat, per deductionem stipendiorum earum gentium, quæ miseram plebeculam ad extremam inopiam plerisque in locis redegisse dicuntur; ac insuper Capitaneus eorum, animaduersione dignos, pœna debita afficere committat. De cætero autem eos, qui defendere Regnum, & non quempiam offendere debent, in suos fideles & subditos impunè grassari non patiatur, & liceat omnibus tales deprædatores de suis bonis repellere. Datum Vigesima tertia mensis Nouembris, Posonij, anno Domini Millesimo, Quingentesimo, Quadragesimo secundo.

CONSTITVTIONES NOVIZOLII PRO FESTO BEATÆ ELISABETH VIDVÆ, Anno M. D. XLIII. editæ.

PRÆFATIO.

PRIMVM quòd Maiestas Regia, instructione sua hortatur benignè Ordines ac Status Regni in hoc Conuentu congregatos, vt consideratis imminentibus periculis, consideratio etiam rerum statu & extremo ferè discrimine in quo versantur, de vnione imprimis & mutua inter se concordia agant & concludant, sic vt sublatis discordijs intestinis, vnanimiter ad defensionem communem, hostemq; repellendũ, coniunctis viribus accendantur: agunt imprimis domini & Status gratias ingentes Maiestati suæ, de tam pia salutariq; adhortatione. Et cum abundè constet, salutẽ & cõseruationẽ Regni ex vnione præcipuè & concordia mutua pendere, neq; aliter impendentẽ

ruinam declinari posse, sine amore & charitate fraterna inuicem contracta, omnibusq; odijs & simultatibus depositis, vno eodemque animo, omnes omnium Ordinum & Statuum coniunctis viribus aduersus immanem hostem conspirent, curandum enitendumque videtur modis omnibus, vt charitas hæc, & mutuus amor iam tandem coalescat.

Bona occupata, ijs ad quos pertinebant, restituantur, iuxta constitutiones Nouizolienses. ART. I.

DECERNITVR, vt ijdem domini ac Nobiles, alijque Ordines & Status, quicunque aliena bona quouis modo indebitè possident, iuxta deliberationem in priori Conuentu Nouizoliensi factam, ea, illis ad quos spectant, sine mora & difficultate vlla restituant. Vt autem hæc deliberatio facilius ab omnibus exequutioni demandetur, statuerunt inter se ipsi domini & Status, ut ipsi restitutioni remissionique huiusmodi bonorum alienorum, quoquomodo per vim & iniuriam possessorum, defacto consentiat, Capitanei autem supremi ex eorum officio id vbique obseruari faciant, per omnia remedia & grauamina opportuna, iuxta articulos infra denotatos.

Transgressores constitutionum publicarum puniantur, & bona occupata eis ad quos pertinebant, restituantur. ART. II.

Capitanei animaduertant in nolentes restituere occupata bona,

SI qui autem futuri essent, qui huic deliberationi satisfacere nollent, animaduertere debent in tales domini Capitanei supremi, iuxta priorem constitutionem Nouizoliensem: & nihilominus bona huiusmodi indebitè occupata, his ad quos pertinent restituere; assistantque in hoc dominis Capitaneis copiæ & gentes tàm dominorum, quàm Nobilium, quas videlicet iuxta præsentem deliberationem alere debebunt.

Violentiæ & damna, etiam recuperatis bonis occupatis, iure requiri & prosequi possunt. ART. III.

VIOLENTI autem possessores & occupatores bonorum, qui aliena bona requisiti reddere nollent, post restituta per dominos Capitaneos huiusmodi bona, pro violentijs & damnis illatis iure requiri possunt, & ex parte talium iusticia administretur.

Castella & fortalicia, ex quibus mala inferuntur, demoliantur. ART. IIII.

QVIA his annis per violentos quosdam, certa castella & fortalicia exstructa sunt, ex quibus occupationes bonorum, rapinæ, violentiæ, & plurima malorum genera, tàm Nobilibus, quàm miseræ plebi inferuntur: decretum est, vt huiusmodi castella & fortalicia domini Capitanei demoliantur, & prorsus aboleant, inter quæ sunt castella in Hangaach, Sztropko, & è regione huius erectum per Georgium Seredy, & cæteræ id genus nouæ munitiones, nec liceat deinceps cuipiam castella noua erigere.

Coloni violenter abducti restituantur. ART. V.

COLONI item ex bonis Nobilium, & personarum Ecclesiasticarum, per vim aliò translati, sub pœna generalis Decreti, restituantur.

Servitores Nobiles à dominis suis, qui se opponunt ordinationi Statuum, auocentur. ART. VI.

ITEM seruitores Nobiles eorum, qui bona aliena, & signanter Nobilium & personarum Ecclesiasticarum reddere recusarent, seq; huic ordinationi quoquomodo opponerent, à seruitijs dominorum talium auocentur: discedere autem nolentes, tum bonorum confiscatione, tum etiam in personis, vbicunq; deprehendi poterunt, puniantur.

Præsidium arcibus finitimis sufficiens imponatur. ART. VII.

SED cum arces hostibus finitimæ, vastatis hostili violentia bonis & prouentibus, sufficienti præsidio & rebus necessarijs, per eos quorum interest, muniri minimè possunt;

possunt; vt interiores Regni partes securiores reddantur, Maiestati Regiæ, vti domino eorum clementissimo, omnes Status, humilimè supplicant, vt Maiestas sua dignetur ad conseruationem præfatarum arcium, præsidium aliquod firmum submittere, cuius opera, & arces ipsæ tutius defendi possint, hostibusque libertas excurrendi & grassandi adimatur.

Reginalis Maiestas, ratione bonorum ad se pertinentium, copias alere dignetur. ART VIII.

SVPLICANT ijdem etiam serenissimæ dominæ Mariæ Reginæ, dominæ ipsorum gratiosæ, quum certa bona & reditus in Vngaria habet, vt Maiestas sua, ex gratia & benignitate, certas copias, pro huius Regni defensione alere dignetur, vt ea accessione præsidium Maiestatis Regiæ firmius esse possit.

Subsidium duorum florenorum ad conducendos alendosq; equites Status offerunt. ART. IX

TAMETSI autem domini & Status omnes Regni huius, tot annorum bellis & militibus alendis exhausti sint, & Tyrannus Turcarum, magnam Vngariæ partem obtineat: pro sua tamen tenui facultate, nihil non oneris subire pro salute tuenda, parati sint. Propterea statuunt, vt ad conducendos & alendos equites, coloni ipsorum subsidium vnius floreni, ad proximum festum Conuersionis Beati Pauli Apostoli: similiter autem ad festum Beati Georgij martyris venturum, aliud subsidium secundi floreni contribuant.

Dicæ connumeratio, exactio & distributio. ART. X.

AD connumerationem autem huiusmodi subsidij, Dicatores Regiæ Maiestatis sine mora dimittantur, qui in bonis omnium dominorum & Nobilium, cum adiuncto sibi in quolibet Comitatu Nobili vno iurato, procedant; vt numerus tum subsidiorum, tum equitum, qui inde conseruari debent, certius cognoscantur. Domini tamen Nobiles, in quolibet Comitatu per fidedignos & iuratos homines è medio ipsorum eligendos, de bonis suis huiusmodi connumeratum subsidium exigant & percipiant, reseruatisq; apud se ad gentium suarum conseruationem septuaginta quinque denarijs, & ad Comitatus necessitates, denarijs quinq;, vtriusque subsidij: reliquos viginti denarios, pro diuersis Regiæ Maiestatis & Regni necessitatibus expendendos, fideliter & integrè ad Cameram Regiam præsentare & administrare debeant.

Ratione centum colonorum, quatuor equites ex ipsa taxa, de proprijs verò duo interteneantur ART. XI.

Ex prædicta autem bina contributione septuaginta quinque denariorum, ijdem domini Nobiles, ratione centum colonorum, intra anni spatium, quatuor equites leuis armaturæ conducere: de proprijs verò facultatibus ipsorum, ratione eorundem centum colonorum, duos equites, vna cum prædictis quatuor equitibus, penes dominos Capitaneos, in locis confiniorum magis necessarijs continuè intertenere debeant. Similiter & domini, administratis ad Cameram Regiam prædictis viginti denarijs, ex ex septuaginta quinque denariorum subsidio bino, ratione centum colonorum suorum quatuor equites, & de proprijs pecunijs duos equites dare, & penes dominos Capitaneos in locis necessarijs alere teneantur.

Regnicolæ, cum Rege viritim insurgere & ad bellum proficisci teneantur. ART. XII.

VBI verò Maiestas Regia ad expeditionem generalem, prout sese obtulit, personaliter descenderit, vniuersi tàm domini, quàm Nobiles viritim insurgere, & more maiorum suorum, Maiestatem suam sequi teneantur, & in hoc casu, vltra prædictos equites ex contributione alendos, ratione centum colonorum quatuor equites, computatis prioribus duobus, qui priuato ære expediendi sunt, suis sumptibus secum ducere, ratione autem singulorum decem colonorum, duos pedites pixide & armis necessarijs instruere & habere debeant.

Præpositi, Abbates & Capitulares ratione bonorum militem alant, & reliqua onera ferant. ART. XIII.

CVM & cæteri Status iuuare communem defensionem debeant, domini Præpositi, Abbates & Capitulares, ratione decimarum suarum onera in priori constitutione Nouizoliensi specificata ferre debebunt: de bonis autem eorum possessionarijs, instar Nobilium, & pro continua defensione, & pro expeditione generali equites ratione colonorum alant, & ratione personarum suarum, ad expeditionem prædictam generalem, pro eorum facultate, equites dare debebunt.

Nobiles vnius sessionis, à quinq; curijs, vnum equitem expedire in bellum debeant. ART. XIIII.

NOBILES verò vnius sessionis de integra curia Nobilitari, vnum florenum conferant: pro futura autem expeditione generali, iuxta conclusionem Posonij factam, à quinque curijs integris, vnum equitem expedire debeant.

Subsidia decreta, vt aliâs, ita deinceps in Comitatu ab omnibus conferantur. ART. XV.

VT vniuersi possessionati homines, cuiuscunque status & conditionis existant, de quorum bonis olim contributiones in medium connumerari ac dari solitæ fuerunt, modo quoque & deinceps, iuxta veterem consuetudinem, in medium Comitatus conferant & administrent decreta subsidia: diuersum autem facientes, per dominos Capitaneos compellantur.

Dicari qui possint. ART. XVI.

AD præsentem autem tàm necessariam defensionem, & equites alendos, omnium consensu est conclusum, vt singuli coloni & alij plebeæ conditionis homines, siue inquilini sint, siue alij proprias domos habentes, quicunq; res in valore sex florenorum habuerint, dicentur, neque molendinatoribus, & id genus alijs libertinis, vlla exemptio ac libertas suffragari debeat, nisi quorum domus hoc anno per Turcas exustæ sunt.

Plebani, Magistri capellarum, & Rectores altarium, decimam partem prouentuum in belli necessitates conferant. ART. XVII.

ECCLESIARVM parochialium Plebani, Magistri capellarum, & alterum Rectores, ad præsentem necessitatem, decimam partem prouentuum suorum contribuant, exigatq; ab illis Dicator, veritate rei conscientiosè cognita.

Ciuitates liberæ & montanæ, decima parte prouentuum non grauentur. ART. XVIII.

CVM Ciuitates liberæ, pariter & montanæ, ad suam & Regni defensionem his temporibus certa præsidia equitum & peditum aluerunt, alantq; & præterea Maiestati Regiæ certum subsidium contribuerint, videtur eas alijs oneribus non esse grauandas.

Contributio per vim exacta, non à colonis iterum, sed à violento exigatur. ART. XIX.

QVOD si alicuius Comitatus contributio, per pontes, aut violentos quospiam fuerit per vim ablata, huiusmodi contributio à colonis exigi nequaquam debeat, sed à violentis illis ereptoribus exigatur, quos etiam domini Capitanei punire non negligant.

Capitaneorum salarium. ART. XX.

DOMINIS Capitaneis, quemadmodum & in priori Conuentu Nouizoliensi fuit ordinatum, de singulis Comitatibus, singuli centum floreni in sortem salarij eorum soluantur, debeantq; in salarium eorundem Capitaneorum administrare subsidia & contributiones præsentes, tàm Nobilium vnius sessionis, quàm Plebanorum, Rectorum capellarum & altarium.

Genti-

Gentes ad diem constitutum ad Capitaneum mittantur. ART. XXI.

DEBEBVNT autem vniuersi, tàm domini, quàm Nobiles, ad festum Epiphaniarum Domini proximum, aut citius, equites ipsorum mittere ad dominos Capitaneos, vbicunq; ijdem fuerint ad eum diem constituti.

Nobiles & coloni, quando viritim ad sumenda arma contra hostem cogendi sunt. ART. XXII.

IN casu autem quo Turcæ hostes aliquam arcem obsiderent, vel munitionem quampiam in ruinam Regni erigere inciperent: Item si ad fortalicium aliquod ex violentorum manibus excipiendum ac demoliendum, suis viribus & quæ illis adiungentur copijs, sufficere non possent, ijdem domini Capitanei debeant dominos Nobiles viritim, & si necessitatis magnitudo id postularet, etiam colonos ad arma cogere & leuare.

Capitanei, ne damna & iniurias inferri quibusuis, & victualia adimi patiantur. ART. XXIII.

IN progressu exercitus debebunt domini Capitanei diligenter cauere, ne cuipiam damna vel iniuriæ inferantur, neue victualia diripiantur, puniant autem seuerè eos, qui damno colonos afficere præsumerent.

Milites vel Capitanei ad dominos Nobilium & Ecclesiasticarum personarum non condescendant. ART. XXIIII.

DECREVERVNT autem domini & Status seruandum esse libertatem dominorum Nobilium & personarum Ecclesiasticarum, ne quis scilicet militum vel Capitaneorum, ad eos dominis inuitis condescendat.

Milites damna illata compensare recusantes, etiam à iudicibus villarum capi possunt, & ad manus Capitaneorum aut Comitum assignari. ART. XXV.

QVOD si milites quipiam particulari numero extra exercitum vagantes, victum colonorum auferrent, aut alia damna darent, nec satisfacere vellent de illatis damnis: Iudex eiusmodi possessionis, collecta manu colonorum, in tales insurgere, eosque capere, & captos ad puniendum & satisfaciendum in manus Capitaneorum, si propinqui fuerint; aliquin ad manus Comitis vel Vicecomitis illius Comitatus dare debeant simul cum rebus hominis detenti. Qui quidem Capitanei vel Comites, de damnis illatis teneantur satisfacere colonis ex rebus nocentis, & nocentem ipsum seuerè punire

Tributarijs in locis nouæ & inusitatæ exactiones aboleantur & cessent. ART. XXVI.

QVIA verò publica querela est, erectas esse & constitutas per nonnullos, partim Tricesimarum, partim tributorum nomine, nouas exactiones, easque grauissimas in locis insuetis quibus non solùm liberarũ ciuitatum ciues & coloni, sed etiam Nobiles acerbissimè vexarentur & taxarentur, de his rebus, quos non quæstus gratia, sed ad vsus, necessarias emerent, aut emptas domum veherent Idcirco decretum est, vt nouæ huiusmodi & inusitatæ exactiones, per quoscunque & vbicunque in derogamen libertatis publicæ Nobilium & ciuium, incolarumque Regni erectæ & institutæ aboleantur & cessent: debentque domini Capitanei dare operam, vt contra præsentem constitutionem facientes, merita pœna puniantur, similiter & ciuitatibus tàm liberis, quàm montanis sua libertas seruetur, nec ciues ipsi iniustis & insuetis arestis, tributis aut exactionibus, contra eorum priuilegia, opprimantur. *Ciuitatum libertas.*

Monetarum falsarum cusores puniantur. ART. XXVII.

CVSORES monetarum adulterinarum, si qui deprehensi fuerint, per Maiestatem Regiam & dominos Capitaneos, pœna in generali Decreto expressa, seuerè puniantur.

Violenti,

Violenti, per Capitaneos coërceantur, & decimæ ijs quorum sunt reddantur.
ART. XXVIII.

Cum ex querelis publicè propositis constet, Capitula, Conuentus, & Ecclesiasticas personas indignè decimis suis spoliari per nonnullos tum dominos, tum Nobiles, adeò vt nec sustentationi illorum, nec oneribus defensionis ratione decimarum impositis fatisfieri poßit. debebunt domini Capitanei dare operam, vt violenti huiusmodi coërceantur, decimæq́; ijs ad quos spectant, reddantur.

Capitularium testimoniorum defensio, & exequutio sententiæ neglectæ. ART. XXIX.

Ex quo superiori celebratione iudiciorum, plurimæ causæ processu iuris cognitæ, & pleræque etiam decisæ exequutione careant: videtur, vt huiusmodi adiudicationes & sententiæ executioni demandentur, debeantque domini Capitanei testimonia Capitulorum & Conuentuum defendere, vt tuto ad executiones proficisci queant. Quòd si tamen casu vel aliquo rationabili impedimento obstante, literæ aliquæ sententionales hoc tempore executioni demandari non possent, nihilominus in suo vigore permaneant, quoad suo tempore exequutionem sortiri poßint. Capitula verò & Conuentus, ab antiquo obseruato more, testimonia sua ad executiones mittere debeant.

Executorum iustitiæ turbatores, vulneratores & occisores puniantur.
ART. XXX.

ILLOS verò qui proximis temporibus, nefaria temeritate ducti, testimonia Capitulorum & Conuentuum, homines item Regios, Vicecomites, Iudices Nobilium, & cæteros gratia executionis iudiciariæ vocatos aut profectos, verberauerunt, occiderunt, plagisue aut iniurijs affecerunt, Maiestas Regia & dominus Locumtenens, iuxta contenta generalis Decreti, puniendos curent, neque gratia Regia talibus violentis vllo modo poßit suffragari.

Cancellaria, literas vel mandata constitutionibus contraria, non expediat.
ART. XXXI.

QVANDOQVIDEM autem constitutiones publicæ, & statuta per Maiestatem Regiam confirmata, rata & inconcussa esse oporteat: dignetur Maiestas sua gratiosè committere, ne ex Cancellaria sua, literæ & mandata aliqua publicis constitutionibus contraria aut derogantia, ad cuiusuis instantiam vel importunam supplicationem dentur.

Iudicia continuè celebrentur. ART. XXXII.

QVIA tàm præteritæ, quàm imposterum contingentes differentiæ, iniuriæ, & præsertim violentiæ, iuris remedio indigeant, dominus Locumtenens vna cum alijs ordinarijs Iudicibus sibi adhærentibus, non solùm casuum quinque violentias & transmißiones, sed & vniuersorum iurium pignoratitiorum, nouorum debitorum, dotum & paraphernorum, damnorum & violentarum occupationum, continuè iudicare debeat, exequutionemque in rebus iudicatis fieri curet.

Andreas Bathori differentias & causas Comitatuum superiorum, cum adhibitis eidem Protonotarijs & Asseßoribus reuideat. ART. XXXIII.

QVONIAM Comitatus superiores citra & vltra Tibiscum existentes, iamantea supplicarint, vt cum propter longinquitatem locorum, cæteraque impedimenta obstantia, signanter verò pericula à Turcis imminentia, iudiciorum causa venire non possent, Maiestas Regia velit eò Iudices delegare, modoque ijdem Comitatus hoc instantißimè petunt. & videtur æquum esse, vt administratio iuris non denegetur illis. Proinde Maiestas sua dignetur annuere, vt domino Andreæ de Bathor, pro præsentis temporis ratione, Protonotarij & Asseßores adhibeantur, pro cognoscendis differentijs subditorum, qui in partibus illis sunt.

Confir-

Confirmatio articulorum priorum Conuentuum. ART. XXXIIII.

PLACVIT vt deliberationes & articuli Conuentuum priorum, Nouizoliensium videlicet & Posoniensium, in quibus nunc variatio nulla fit, obseruentur, exequutionemque habeant.

Statutiones post indebitam bonorum occupationem factæ nullius sint vigoris. ART. XXXV.

ITEM vt statutiones post violentam & indebitam bonorum occupationem factæ, nullius vigoris censeantur, debeantque domini Capitanei huiusmodi bona rectificare, & eiectis violentis occupatoribus, reddere his, à quibus sunt adempta, & ad quos pertinent.

Plebeæ conditionis homines prædia Nobilitaria possidentes, instar vnius Nobilis sessionati onera ferant, secus facientes prædijs priuentur. ART. XXXVI.

DICVNTVR præterea esse nonnulli plebeæ conditionis homines, qui prædia Nobilitaria pecunijs empta possideant, vsumfructum percipiant, non tamen in eo loco resident, nec onera aliqua instar eorum, qui Nobilitari titulo & exemptione terras possident, ferre volunt. Idcirco cum in oneribus maximè publicis, commodis istiusmodi carere Status nequeat, statutum est, vt tales plebeæ conditionis homines prædia Nobilitaria possidentes, instar nobilium vnius sessionis onera ferant, & in ea parte Comitibus parochialibus obedire teneantur. Contumaces autem & constitutioni præsenti satisfacere nolentes, bonis seu prædijs eiusmodi per Maiestatem Regiam priuentur.

REGIÆ MAIESTATIS AD CONSTITVTIONES Nouizolienses Anni M. D. XLIII. responsio.

FERDINANDVS DIVINA FAVENTE CLEMENTIA Romanorum, Vngariæ, Boëmiæ, &c. Rex, semper Augustus, infans Hispaniarum, &c.

REVERENDISSIME in Christo Pater, Reuerendi, Spectabiles & Magnifici, Egregij, Nobiles, Prudentes & Circumspecti fideles syncerè dilecti, articulos eos, quos in proximè præterito Conuentu festi Beatæ Elisabeth, nostro iussu Nouizolij celebrato, in defensionem Regni nostri Vngariæ, conseruationemque libertatis vestræ publicæ, pari omnium Ordinum suffragio confecistis & conclusistis: & quos fideles nostri Reuerendus Martinus de Kechet Episcopus Wesprimiensis, ac Magnificus Franciscus Nyarij de Bedegh, Comes Comitatus Honthensis, Egregij Georgius Rakowzky de Thwrocz, & Martinus Bertholdi de Saaros Comitatuum Vicecomites, Oratores vestri ad nos publico nomine missi, Maiestati nostræ porrexerunt, perbenignè sanè vidimus, & attentè audiuimus: quæ etiam ijdem Oratores vestri, cum de his quæ Nouizolij acta conclusaque fuere, cum de nonnullis alijs, quæ Maiestatem nostram scire oportere arbitrati fuistis, nobis & verbis, & scripto, simul atq; separatim proposuerunt clementer intelleximus.

CONFIRMATIO ARTICVLORVM.

QVOD ad articulos in ipso Conuentu conclusos attinet, illos omnes & singulos clementi animo acceptamus, atque adeò ratos & gratos habemus, nostraque Regia authoritate, consensu & voluntate, in omnibus punctis & clausulis eorum probamus & confirmamus, nihil sanè in eis mutantes, præterquam quòd remissionem arcium & bonorum, quæ sunt in inscriptione, arbitramur in illud tempus differendum esse, dum nos eiusmodi causas arcium, à veris dominis suis vtcunque alienatarum, & aliorum

aliorum bonorum inſcriptorum, in felici reditu noſtro perſonaliter, vti antea deliberatum erat. reuidere & cognoſcere poterimus, atque id facere, quod è dignitate Maieſtatis noſtræ, è commodo Reipublicæ ac æquitatis eſſe videbitur. Id autem tum alias multas ob cauſas nobis videtur, tum verò præcipuè, quod prædictorum bonorum reſtituendorum exequutio, hoc perturbato & periculoſo tempore, præſertim in hac abſentia noſtra, inter arma pro publica defenſione tractanda, non ſatis opportunum locum exitumque ſortiri poſſet: in reditu tamen noſtro felici, ſperamus talem nos modum his quoque bonis remittendis adhibituros, quo quiſque benè contentus eſſe poſſit.

HORTAMVR autem & requirimus fidelitates veſtras, vt quæ inter ſe, iuxta articulos tranſegerunt & concluſerunt, quisq; pro parte & officio ſuo, debitæ exequutioni demandare ſtudeat, ac imprimis omnibus odijs, mutuisque ſimultatibus depoſitis & abiectis, veram vnionem, mutuamq; concordiam, pro ſalute & conſeruatione Regni complectatur, atque adeò coadunatis & coniunctis communiter viribus, aduerſus perpetuum Chriſtiani nominis hoſtem, ſeſe inſtructum reddat.

DEINDE, vt ſubſidium oblatum & promiſſum, tàm gentium, quàm pecuniarum, eo modo quo concluſerunt, integrè & fideliter, iuxta præſcriptos terminos adminiſtrandum & præſtandum fidelitates veſtræ curent.

CÆTERVM quæ per Maieſtatem noſtram, aut ſupremos Regni Capitaneos, ſecundum tenorem confectorum articulorum, vel committenda, vel curanda, vel præſtanda ſunt, & omnia, quantum in nobis erit, debitis, opportunis, ac honeſtis & decentibus modis temporibusq; committere curabimus præſtabimusq;, tàm in diruendis ſcilicet demoliendisq; caſtellis ac fortalicijs per violentos quoſdam extructis, ex quibus occupationes bonorum (vt aſſerunt) rapinæ, violentiæ, & plurima malorum genera, tàm Nobilitati, quàm miſeræ plebi inferuntur, quam in confinijs rectè prouidendis, præſidioq; aliquo firmo ſubmittendo, cuius opera hoſtibus occaſio excurrendi & graſſandi adimatur, alijsque rebus, quæ ſecundum concluſos in Dieta articulos non concernere videntur.

QVÒD verò ad legationem Maieſtatis noſtræ communiter reſpondendo fidelitatis veſtræ ſibi ſatis ſuperq; conſtare fatentur, quo ſtudio, & quàm indefeſſa ſolicitudine, paternoq; planè amore, nos iam inde ab initio regiminis noſtri Vngariæ, defenſionis & conſeruationis veſtræ curam geſſerimus, & quam ingentes propterea ſumptus, pericula ardua, labores immenſos pertulerimus, non poſſumus hoc ipſum veſtrum teſtimonium de nobis factum, tanquam copioſam actionum noſtrarum pro Regni ſalute & incolumitate multifariam ſuſceptarum commemorationem non clementi animo ſuſcipere vobisque de eo meritas gratias agere.

PORRO poſteaquam inter alia fidelitates veſtræ nobis ſupplicant, vt ineunte Vere rurſus valido exercitu ſtipati, iuxta priorem oblationem noſtram in Vngariam deſcendere, perſuaſumque nobis habere velimus, quòd hoc quoque tempore donec auxilij atque opis externæ ſpes aliqua affulſerit, nuſquam vel maiorum ſuorum gloriæ, vel dignitati ſuæ ac nomini deeſſe conſtituerint; quin potius extrema omnia libenter penes Maieſtatem noſtram, & Chriſtianos populos, qui eis in ſubſidium venerint, libenter ſubituræ ſint. Primò ſanè fidelitatum veſtrarum fortitudinem, conſtantiam & virtutem, in ſequentis veſtigijs maiorum ſuorum, qui per multa ſecula in Regno Vngariæ ſemper pro fide & religione Chriſtiana continua bella cum hoſtibus gerere, ſeque cunctis populis ac gentibus Chriſtianis, tanquam propugnaculum quoddam validiſsimum adverſus Turcas exhibere non dubitarunt, maiorem in modum commendamus, debitisque laudibus extollimus.

DEINDE verò eaſdem haud latere volumus, quòd nos, vt antea ſemper, nihil aliud magis elaborauimus, quàm vt afflictum Regnũ illud, fidelesq; ſubditos & Regnicolas è faucibus Turcarum eriperemus, illosque in tranquilla pace & quiete tueremur

&

& conseruaremus, quemadmodum ipsemet fidelitates vestræ id in responsione sua humiliter agnoscunt & fatentur: ita nunc quoque omni studio in hoc incumbimus & enitimur, atque adeò omnes labores, actiones, vigiliasq; nostras eò dirigimus & intendimus, vt quæ ad salutem, tuitionem, eliberationem & conseruationem dicti Regni nostri, & fidelium subditorum nostrorum pertinent, ea omnia cum huius Regni nostri Boëmiæ Statibus & Ordinibus, nec non adiunctorum & incorporatorum illi Principatuum, vt est Morauia, Silesia, Lusatia inferior & superior, ac denique omnium prouinciarum & dominiorum nostrorum, præsertim Austriæ inferioris nuncijs, Commissarijs & legatis, cum plenissima scilicet potestate & facultate à suis deputatis huc expeditis, tàm super celeri defensiua expeditione seu resistentia, id est, vt absque omni mora, finitima loca, ciuitates, arces & fortalitia, necessarijs gentium præsidijs, commeatibus atque munitionibus firmentur & prouideantur, ac pro arcendis hostium incursionibus & inuasionibus, competentes equitum copiæ teneantur & alantur, quàm si per generali eaque durabili expeditione, in præsenti Conuentu conficiamus, concludamus, & in effectum primo quoque tempore perducamus. Quibus ritè confectis, constitutis, ordinatis & prouisis, mox DEO duce, ad conuentum Imperialem Spiram indictum proficisci decreuimus: vbi præsente Cæsarea & Catholica Maiestate, aliorumque Christianorum potestatum Oratoribus, & Imperij Principibus & Statibus comparentibus, eos futuros esse tractatus confidimus, qui Reipublicæ Christianæ pacem, concordiam, aliasq; infinitas vtilitates & imprimis isti afflicto Regno nostro Vngariæ certam salutem sint allaturi. In qua re promouenda, omne sanè studium nostrum consumemus: daturi operam, vt rebus benè confectis, ad Regna & dominia nostra, suscipiendæ contra Turcas expeditionis causa, quanto citius reuertamur.

Morauia, Silesia, Lusatia, Regno Boemiæ incorporatæ.

Defensiua expeditio.

INTEREA verò fidelitates vestras, & omnes Status atque Ordines clementer hortamur, vt & ipsi, quæcunque ad rem tàm salutarem conducere, & ad alendam conseruandamque inter Regnicolas quietem & charitatem, mutuamque defensionem pertinere videbuntur, sedulò curent, neq; de nobis prouinciarumq; & dominiorum nostrorum submittendis auxilijs, vllo modo dubitent; quin potius persuasum habeant, saluti & defensioni istius afflicti Regni nostri, & fidelium Regnicolarum, Maiestati nostræ cum nihil antiquius esse, tum verò nos non commissuros, vt quisquam à nobis, vel maiorem curam, vel diligentiam ea ampliorem, quam præstare velimus, desiderare queat, nil sanè neglecturos vel omissuros earum rerum omnium, quibus incolumitas Regni retineri, atq; adeò impendentia pericula, à ceruicibus fidelitatum vestrarum, aliorumq; Regnicolarum auerti & propulsari possint. Datum Pragæ Vigesima quinta Ianuarij, anno Domini, Millesimo, Quingentesimo, Quadragesimo quarto.

CONSTITVTIONES CONVENTVS TIRNAVIENSIS PRO FESTO PVRIFICATIONIS Beatissimæ Virginis Mariæ, anno Domini M. D. XLV. celebrati.

Præfatio. Art. I.

CVM Maiestas Regia, dominus noster clementissimus, pro paterna sua & singulari erga Regnum hoc, & vniuersos fideles & subditos suos benignitate, significauit sacratissimam Cæsaream & Catholicam Maiestatem, Principes & Status sacri Imperij, vna cum Maiestate sua Regia, & Regnorum Prouinciarumq; Maiestatis suæ viribus, in defensionem & liberationem huius Regni, in hunc annum expeditionem instituisse: proptereaq; Status huius Regni sui gratiosè hortari dignata est, vt de ijs quæ per ipsos quoq; Status, ad promouendam iuuandamq; expeditionem huiusmodi, & propriam salutem tuendam, finesq; interea præsidio firmandos præstari possent, diligenter & sedulò tractarent inter se ac concluderent. Idcirco domini & Status huc congregati, pro

tam pia cura & admonitione suæ Maiestatis, gratias habent quam maximas, studebuntq; fidelissimis seruitijs perpetuò promereri. Quemadmodum autem salutis patriæ amatores decet, sedulò inter se habitis tractatibus, cum viderent Status omnia flagella, quæ afflicto huic Regno acciderunt, peccatis hominum ita exigentibus inflicta esse, à Numine imprimis placanda, & mutua charitate ac vnione colenda, initium facere decreuerunt, quò cæpti conatus & consilia omnia, DEO propicio, successum haberent felicem & fortunam.

Bona ablata, quocunque nomine vocitata, illis ad quos pertinent, restituantur. ART. II.

PROINDE, vt mutuæ dissensiones & odia quæ ex alienis vsurpatis, aut iniustè retentis hucusque durauerunt, prorsus tollantur, conclusum est: quòd vniuersi domini & Nobiles, arces, oppida, villas, decimas Ecclesiarum, & prouentus quorumlibet, nec non syluas, prata, promontoria, metas alienas, quomodocunque per hæc disturbia, citra iuris processum, priuata authoritate violenter occupata & ablata, secundùm constitutionem priorem Nouizoliensem, illis quibus adempta sunt, & ad quos legitimè pertinerent, sub pœna ibidem specificata, vsque diem Dominicam Oculi proximè venturam restituant: & ante omnes, domini supremi Capitanei teneantur aliena bona omnia, si quæ forsitan haberent, dominis bonorum restituere, aliosque ad restituendum indebitè vsurpata compellere, sub eo vinculo & obligamine, quo ad exercendum ritè officium sunt astricti.

Reoccupatores bonorum restitutorum, pœna notæ infidelitatis feriuntur. ART. III.

SI verò quipiam bona semel restituta, rursùm priuata violentia reoccupassent, vel reoccuparent, tales, scita prius superinde ab vniuersitate Nobilium rei veritate, per Capitaneos vel Comites, nec non Vicecomites & Iudices Nobilium, vbi talis reoccupatio facta est, illa pœna, quæ in priori Conuentu Nouizoliensi superinde conscripta est, in bonis rebusque & personis suis eo facto puniantur, & spoliati bonis suis & prouentibus in integrum restituantur.

Bona occupata, possunt etiam manu priuata recuperari, si quibus facultas sit ea recuperandi. ART. IIII.

Articulus hic, non est per Regem admissus.

LICEAT præterea tàm dominis, quàm Nobilibus, bona eorum malè occupata, vel à Regia Maiestate iusto titulo impetrata, & iure obtenta, ab illis, qui contra publicam constitutionem, nec non contra iuris processum, & sententias Iudicum Regni ordinariorum, vsq; ad executionem brachij secularis exinde extradatas, temerè retinerent, etiam priuata manu, si id fieri poterit, omnibus modis, ac per detentionem etiam personarum recuperare, & si qui etiam hactenus propria bona & hæreditaria ipsis malè ablata, recuperare potuerunt, nulli pœnę seu oneri subiaceant.

Nobiles, tempore generalis expeditionis, penes Regem personaliter in bellum vadant, sub pœna notæ infidelitatis. ART. V.

Expeditionis generalis apparatus. Expeditionem ad generalem à decem colonis vnus eques per dominum ducatur.

QVOD autem ad futurum expeditionis generalis apparatum attinet, decretum est: quòd vniuersi domini Prælati, Barones, Proceres, Nobiles, & alij possessionati, teneantur personaliter penes personam sacratissimæ Cæsareæ & Regiæ Maiestatis in generali expeditione interesse, sub nota infidelitatis. Et quòd de singulis decem colonis suis, iuxta connumerationem portarum quæ proximæ futura est, in qua nullus penitus libertinus, vel alius quispiam, præter inquilinos, exemptus habebitur, vnum equitem armis benè instructum, penes suas personas in eadem generali expeditione secum habere debebunt.

Decem colonos non habentes, plures simul suos conferant, vt is numerus compleatur. ART. VI.

SI quis Nobilium decem integras sessiones Iobagionales populosas non habuerit, is cum altero Nobile conferat & componat, vt semper is numerus compleatur, & eques vnus in expeditione sine defectu statuatur.

Bona

Bona in bellum non profecti Rex aliis conferat. ART. VII.

QVOD si quis in expeditione penes personam Cæsaream vel Regiæ Maiestatis non constitueretur, vel equites ratione decem sessionum Iobagionalium integrè non seruaret, talis bona quoad eius portionem cedentia, conferat Maiestas Regia illis qui in expeditione strenuè & fideliter inseruierint.

Seruum alienum in lustratione statuentis, & suum alteri commodantis pœna, amissio capitis. ART. VIII.

SI quis in exercitu vel expeditione generali, tempore lustrationis, equitem alienum statuerit, tàm is qui alienum equitem statuet, quàm etiam is qui illum alteri conferet, habito probabili documento, capite plectatur.

Seruus fugitiuus repertus, domino restituatur: si post expeditionem reperietur, capite plectatur. ART. IX.

SI in exercitu seruus cuiuspiam tacitè discesserit, & inibi repertus fuerit, domino suo per Capitaneum restituatur, apud quemcunque inuenietur. Si verò in exercitu non reperietur, dominus serui talis loco eius, petito ad id competenti termino à Capitaneis, alium statuat, & tandem vbicunque post solutam expeditionem talis fugitiuus reperietur, pœna capitis puniatur. Si quis verò requisitus, restituere nollet, homagium persoluat domino illius serui.

Seruus in exercitu ægrotans, aut mortuus, Capitaneo ostendatur. ART. X.

SI in exercitu seruus vel morietur, vel ægrotabit, significetur & ostendatur Capitaneis, ne fraus aliqua fieri possit.

Castellani & alij officiales domi relicti, loco sui alium, & pro decem colonis, ad instar aliorum Nobilium, equitem vnum in bellum mittere tenentur. ART. XI.

SI quis in stipendio alieno militauerit, aut ab aliquibus dominis & Proceribus in castris seu castellis & fortalitijs, loco Castellani & officialis relictus fuerit, talis pro persona sua, vnum equitem, & ex decem Iobagionibus similiter vnum equitem, in expeditione ea, sine defectu, sub pœna præmissa, habeat in medio Comitatus.

Domini quot personas pro custodia domi relinquere debeant, ex constitutionibus Conuentus Nouizoliensis cognoscent. ART. XII.

DOMINI autem & Proceres, quot personas pro custodia domus & honestate familiæ domi relinquere debeant, seruetur modus in articulo prioris Conuentus Nouizoliensis conscriptus.

Bello inhabiles, pro se alios in expeditionem mittant. ART. XIII.

MVLIERES relictæ & pueri, senes & imbecilles possessionati, qui ad bellum habiles non sunt, tàm pro personis, quàm ratione decem colonorum, similiter vt supra equites suos mittant.

Nobilis, equites ratione bonorum suorum, in diuersis Comitatibus existentium, penes personam suam seruare possit: tempore tamen lustrationis, in singulo quoque Comitatu, in quo bona habet, Comiti eos ostendat. ART. XIIII.

SI quis in diuersis Comitatibus bona habuerit, de omnibus illis equites suos secum in exercitu eius Comitatus, vbi personaliter residentiam facit, habeat: tempore tamen lustrationis, specificè significet & ostendat equites ratione bonorum suorum, in vno quoque Comitatu existentium, Vicecomiti talis Comitatus.

Equites etiam de bonis impignoratitijs seruentur. ART XV.

QVOD de prouentibus Regijs ac Cameris salium, & alijs Tricesimis, apud manus alienas etiam pignori, vel aliter habitis, is qui illos habet, sub amissione talium, teneat,

iuxta quantitatem prouentuum huiusmodi, ratione singulorum centum florenorum, equites quinque.

Regina ratione bonorum, quæ in Vngaria possidet, militem alat. ART XVI.

QVOD Reginalis Maiestas, ratione bonorum & prouentuum suorum in Vngaria habitorum, Banderium suum habeat.

Ecclesiasticæ personæ, vltra milites, quos ratione bonorum intertenent, etiam ratione decimarum, ex redditibus centum florenorum, equites quinque conscribant.
ART. XVII.

QVOD Prælati & personæ Ecclesiasticæ decimas habentes, super equites, quos de decem Iobagionibus eorum, modo præscripto, habere debebunt, etiam de decimis eorum, quantum nunc percipiunt, equites suos teneant; de singulis centum florenis, equites quinque.

Nobiles ex bonis suis per Turcas eiecti, in bellum cum Rege personaliter, pro facultate ipsorum, proficiscantur. ART. XVIII.

QVOD qui per Turcas de bonis suis expulsi sunt, etiam nulla bona habent, nec postea consequuti sunt, tales denique sua persona teneantur expeditioni interesse, vnusquisque pro honestate sua & facultate, prout potest.

Ex fratribus indiuisis vnus, diuisi verò singuli in bellum prodeant. ART. XIX.

QVOD ex fratribus indiuisis, vno pane, simulque in vna domo manentibus, vnus illorum ad expeditionem proficiscatur: qui autem in victu habitationeq; diuisi sunt, illi viritim eant.

Vicecomes si idoneus sit, sin minus alter, in vnoquoque Comitatu in Capitaneum eligatur. ART. XX.

IN singulis Comitatibus, Vicecomes, si idoneus fuerit, vel alter Capitaneus eligatur, qui omnium præmissorum rationem & prouisionem habeat.

Nobiles vnius sessionis, singuli in bellum prodeant, viduæ filios imbelles habentes sint immunes. ART. XXI.

NOBILES viri vnius sessionis, de integra curia seu sessione viritim eant: viduæ tamen mulieres vnius sessionis, qui filios idoneos ad bellum non habent, maneant domi, & DEVM orent.

Ecclesiasticæ personæ, loco sui in expeditionem alios mittant. ART. XXII.

PERSONÆ Capitulares & beneficiatæ, equites ratione capitum suorum teneant, iuxta constitutionem Nouizoliensem priorem, vltra eos, qui ratione decimarum & colonorum suorum tenent.

Plebani & altarium Rectores decem, vnum equitem mittant. ART. XXIII.

Ex Plebanis villanis, & Rectoribus altarium, decem personæ teneant vnum equitem: ita vt inter sese facta collatione, is qui & rebus & prouentu potior fuerit, ad intertentionem equitis plus soluat.

Ciuitates liberæ & montanæ, ratione bonorum inter gentes Comitatus militem alant, pro personis verò ipsorum militent ad arbitrium Regis. ART. XXIV.

CIVITATES liberæ & montanæ, in generali expeditione subeant onus, prout Maiestati Regiæ, iuxta illarum possibilitatem videbitur. De colonis tamen, de quibus in medium Comitatus soluere hactenus consueuerunt, equites suos, sicuti & Nobiles, teneant.

Plebani liberarum ac montanarum Ciuitatum, Beregszaz, Szolos, & Saros Patak, ex prouentibus centum florenorum, duos milites alant. ART. XXV.

PLEBA-

PLEBANI liberarum & montanarum Ciuitatum, ac Beregſzaz, Szölös, Saros Patak, & aliorum potiorum locorum, vel patroni earundem, qui Plebanias eiuſmodi poſſident, teneant iuxta prouentus eorum, ex ſingulis centum florenis equites duos, ſub amiſſione beneficiorum & rerum ſuarum.

Luſtrationis tempore, gentium regeſtum fiat, quod ad Comitatum mittatur, vnde cognoſci poſſit, an domini & Nobiles reſpectu bonorum ſuorum, ſufficientem militem ſubminiſtrarint. ART. XXVI.

QVOD tempore luſtrationis, tàm domini, quàm Nobiles, ſpecificent numerum gentium ſuarum, ratione bonorum ſuorum in quibuſcunque Comitatibus habitorum diſtinctim, & fiat regeſtum omnium gentium, cuius regeſti copia detur per Magiſtros luſtrationum ſub ſigillis eorum, ad manus Vicecomitum ſingulorum Comitatum, vel Capitaneorum Regni, vt & ipſi cognoſcant, ſi domini & Nobiles gentes ſuas de vno quoque Comitatu integrè habent, ne defectus & fraus committatur. Si domini voluerint, & ipſi copiam huiuſmodi luſtrationis habere poſſunt, ne poſtea ſi bona alicuius per Maieſtatem Regiam, ob gentium ſuarum defectum, perſonæ benemeritæ conferrentur, poſſit oriri difficultas, & ſe quisque aſſerat conſtitutioni publicæ ſatisfeciſſe.

Comitatuum gentes, non plus aquo excubiis grauentur. ART. XXVII.

QVOD ſupremi Capitanei Regni, gentes Comitatuum & Nobilium, in ſuos exercitus non diſtrahant. In excubijs quoque tenendis tàm Regiæ Maieſtatis, quàm dominorum & Nobilium militum par ratio habeatur, ne Nobiles ipſi magis, quam alij poſſint aggrauari.

Victualia vndiquaq; ad caſtra ducantur, & quòd Triceſima & tributa ſeu Telonia, à victualibus huiuſmodi non exigantur. ART. XXVIII.

IN vniuerſis Comitatibus publicetur, vt victualia omnis generis ad caſtra Cæſareæ & Regiæ Maieſtatum ſuo tempore ducantur, vectores in eundo & redeundo ab omni ſolutione Triceſimæ & tributi ſeu Telonij, tàm à mercibus, quàm à comeatu liberi ſint: ſi Telonia quis exegerit, Telonium amittat: ſi quis in itinere vel caſtris violenter diripuerit, capite plectatur.

Victualia violenter diripientium pœna.

Victualia per Vicecomites limitentur. ART. XXIX.

QVOD in ſingulis Comitatibus, Vicecomes cum duobus vel tribus Nobilibus ad id eligendis, faciat limitationem omnium victualium, iuxta numerum colonorum, quantum in quacunque villa præſtari poterit, & ſi quis victualia, vel temerè, vel ex negligentia ad caſtra deferre neglexerit, puniatur amiſſione talium victualium. Si quis cum huiuſmodi mercibus ſeu victualibus non ad caſtra, ſed aliò profectus fuerit, vbique & Triceſimam, & Telonium perſoluat: aliter, ſi fraudulenter quicquam in his, per quoſcunq; commiſſum eſſe repertum fuerit, rebus priuetur, vbicunq; reperiri poterit.

Pœna fraudē committentis in Triceſimis, ex parte rerū ad caſtra deducendarum.

Nobiles victualia ad caſtra mittant, & colonorum victualia per Vicecomites limitentur. ART. XXX.

DOMINI vtriusque ordinis & Nobiles, victualia propria in caſtra ad vendendum inducere faciant: de victualibus tamen colonorum eorundem dominorum, Vicecomes cum Nobilibus ad id electis limitationem præmiſſam faciant.

Equus qui in caſtris ſolutus aufugerit, repertus Capitaneo detur, & pœna equum huiuſmodi occultantis. ART. XXXI.

SI cuius equus in caſtris noctu vel die ſolutus aufugerit, quicunque talem equum repererit & apprehenderit, teneatur ſtatim ad manus Capitanei dare, vt apud illum reperiatur. Si quis id non fecerit, ſed equum occultauerit, pœnam capitis ſubeat, & inſuper res talis occultatoris, illi qui talem repererit conferantur.

Domini & Nobiles à Capitaneo requisiti, ad faciendam pro rei magnitudine exequutionem, tenentur penes eum insurgere. ART. XXXII.

SI per dominos Capitaneos, ad aliquam bonorum restitutionem vel etiam executionem faciendam, domini seu Nobiles Comitatuum viciniores, & etiam remotiores, iuxta rei magnitudinem requisiti fuerint, teneantur, iuxta constitutionem Nouizoliensem, cum omnibus gentibus suis, & hi qui ad id idonei fuerint, etiam personaliter penes dominum Capitaneum insurgere. In contrarium facientes, domini Capitanei habeant potestatem animaduertendi in bonis & personis.

Literæ Regis aut Locumtenentis sui constitutionibus Regni contrariæ, in remissione bonorum non obseruentur. ART. XXXIII.

Limitatum est in responso Regio.

QVOD Capitanei, nec non Comites vel Vicecomites, non obseruent literas Regiæ Maiestatis & domini Locumtenentis, si quas in reddendis & remittendis bonis, à Maiestate Regia constitutioni publicæ Nouizoliensi, & alijs constitutionibus postea factis, & etiam præsenti derogantes impetrauerint, sed illis non obstantibus, in his quæ ad officium eorum, ex præmissis constitutionibus pertinebunt, sine fraude exequutionem faciant, sub pœna obligaminis eorum.

Iudicia in duobus terminis per annum celebrentur. ART. XXXIIII.

Iudices integro numero iudicijs intersint.

Assessores tabulæ quatuor.

EA causarum genera quæ ex constitutione priori Nouizoliensi iudicari decreta fuerunt, dum tempus patietur, in duobus terminis per annum iudicentur: vt termini eiusmodi omnibus Regnicolis palàm fiant, ne eorum ignorantia in aliqua onera incurratur. Et quilibet terminus duret diebus quadraginta: ita tamen, vt iudices Regni ordinarij, in integro numero suos habeant Magistros Protonotarios & vicesgerentes. Ex Nobilibus etiam semper ad minus quatuor Assessores iurisperiti penes illos in iudicio sint. Primus terminus festum Georgij Martyris: secundus festum Diui Martini. Dominus Locumtenens semper ante viginti dies ad singulos Comitatus huiusmodi iudiciorum celebrationem significet.

Locumtenens extra terminos maiorum Octauarum, quas causas iudicet. ART. XXXV.

DOMINVS autem Locumtenens etiam extra istos terminos, causas Transmissionis, ac quinque casuum, nec non nouas violentias & bonorum occupationes, à tempore suæ Locumtenentiæ patratas, qualescunque fuerint, cum his, cum quibus sufficere visum fuerit, adiudicet semper.

Fœmineus sexus iura sua contra fratres prosequi in terminis Octauarum potest. ART. XXXVI.

QVOD fratres eiusdem generationis fœminei sexus, iura sua, portionem vel quartalitium de bonis paternis vel auitis, à fratribus eorum masculini sexus, in præscriptis duobus terminis, iuridicè requirere possint & valeant.

Frater propter bonorum occupationem, per alium fratrem conueniri in iudicio potest. ART. XXXVII.

QVOD bona plurium fratrum, vno eorum sine liberis decedente, in reliquos fratres æqualiter condescensa, & per vnum ex illis fratribus ab obitu Ludouici Regis occupata, similiter iudicentur in eisdem terminis.

Literas super bonis suis se amisisse qui probauerint iuribus suis non frustrentur. ART. XXXVIII.

PRÆTEREA, quia plurimæ literæ & literalia instrumenta, tàm dominorum, quàm Nobilium de bonis eorū, tàm præ manibus habitis, quàm iure postea acquisitis, per hæc disturbia, vel etiam antea deperdita sunt: Ne igitur quispiam hoc defectu iuribus suis priuetur,

priuetur, statutum est: vt quicunque super talibus literis & literalibus instrumentis, & causarum processibus, testimonio legitimo & sufficienti, per tales, quibus desuper manifesta rei veritas constat, documentum facere poterunt; iustis eorum iuribus & causis non frustrentur.

Sententionales literæ ante decem dies non extradentur. ART. XXXIX.

MAGISTRI Protonotarij, sententias ante decimum diem primi diei proclamationis cuiusque causæ, extradare non debeant, vt interim causantes venire, & sententias onere consueto prohibere, & causas suas prosequi valeant: elapsis tamen decem diebus mox extradare debeant.

Subsidium oblatum ad munienda castra & gentium conseruationem, non in alios vsus conuertatur. ART. XL.

QVANTVM autem attinet ad subsidium vsque generalem expeditionem; ad munienda castra finitima, & gentium ibidem conseruationem, decretum est: quòd ex nunc offeratur ad continuam defensionem florenus vnus, ad cuius perceptionem eligantur duo; vnus ex dominis, alter ex Nobilitate; qui nunc iurent coram Regnicolis, quòd ex illo subsidio vnius floreni, neq; ad aliqua seruitia seu salaria quorumpiam dominorum, neq; in alios vsus sed solummodo ad confiniorum munitionem & prouisionem, gentiumq;, quæ in eisdem confinijs seruierint; stipendia solutionem facient: & quòd in futura expeditione, seu si congregatio indicetur, coram Regnicolis, ijdem electi, sub eodem iuramento, præsentent Regestum rationis super introitu & exitu eiusdem subsidij, vt cognoscatur, si quis dominorum vel Nobilium priuata manu subsidium hoc vel retinuerit, vel abripuerit: & tales, cuiuscunq; sint conditionis, Maiestas Regia, in bonis, & etiam per detentionem personarum punire possit, non obstante Nobilitari priuilegio, vt etiam alijs, pro perpetuo exemplo habeantur. Nihilominus statutum est, vt lucrum Cameræ (viginti denarij) iuxta connumerationem huius dicæ, Maiestati Regiæ ad Cameram suam fideliter de omnium bonis persoluatur, sub pœna & obligamine super exactione præscripti vnius floreni decreta, administretur.

Dicæ seu subsidij direptores, Nobilitari priuilegio non obstante in bonis & personis per Regem puniantur. Lucrum Cameræ quot denarij.

Subsidium tantummodo in salarium militum conuertatur. ART. XLI.

EX subsidio autem vnius floreni, nemini alteri, quam illi qui vel ex Capitaneis, vel ex alijs dominis & personis militaribus, non domi torpebit, sed in locis confiniorum militabit, solutio fiat. Si qui verò dominorum & Nobilium manus suas in hoc subsidium intromiserint, tales ad requisitionem dictorum duorum electorum, per Capitaneum, qui in confinijs seruierit, per occupationem bonorum, ac alijs omnibus modis quibus possint puniantur; & ad id domini præsentes, literis suis nunc dandis sese obligent.

Regij etiam prouentus ad munitionem confiniorum conuertantur. ART. XLII.

VERVM, quia istud subsidium ad locorum finitimorum munitionem, & gentium in eis intertenendarum solutionem minus sufficiet, statutum est, vt vniuersi prouentus Regij, ex cusione monetarum, ac Tricesimis in Vngaria & Sclauonia vbique habitis, & etiam apud manus serenissimæ dominæ Mariæ Reginæ & aliorum existentibus, in hunc vsum conuertantur: nec ijdem prouentus Regni, extra Regnum deferantur, sed ad necessitates confiniorum & solutionem gentium, aliasq; Regiæ Maiestatis & Regni huius Vngariæ & Sclauoniæ necessitates occurrentes exponantur. In ijsque administrandis, non officiales seu personæ alterius nationis, sed de medio Vngarorum vnus Thesaurarius, persona idonea & fidelis, quæ etiam bonis & authoritate valeat, habeatque pignus satisfaciendi (si malè dispensauerit) eligatur.

Correctus infra in responso

Salaria denegantur illis, qui rapinis viuunt. ART. XLIII.

QVOD Maiestas Regia, nec de hoc subsidio, nec de alijs prouentibus suis Regijs, illis dominis seu personis alijs, qui rapinis & pauperum oppressionibus vtuntur, aliquam solutionem & ordinem faciat.

Flagranti in crimine spolij, vel rapinarum reperti, morte aut alia pœna, quam meruerint, per Comites & Capitaneos puniantur. ART. XLIIII.

SI quis nulla DEI & hominum habita ratione, in flagranti crimine, rapinis, spolijs atque furtis, & oppressionibus pauperum compertus fuerit, comperta rei veritate, iuxta delicti magnitudinem & qualitatem, per Capitaneos & Comites, morte vel alia pœna, quam iure meruerint, puniantur.

Violentorum qui contra Capitaneum insurgunt, seruitores. ART. XLV.

SI quis violentorum, contra Capitaneos in executione iustitiæ, aut subsidiorum administratione, alijsq; malis, pro debito officiorum suorum auertendis & puniendis, in quacunque causa insurgere, seque temerè opponere præsumerent, talium violentorum seruitores, si Nobiles fuerint, sub pœna amissionis & confiscationis bonorum suorum propriorum, teneantur in hoc casu à dominis eorum talibus discedere, & eos deserere, ac Capitaneis assistere: Si verò ignobiles fuerint, vbicunque capi poterunt, rebus omnibus priuentur, & etiam in persona, iuxta meritum delicti eorum, puniantur per Capitaneos Regni.

Wighles Dobraniua, & Lipche restituantur. ART. XLVI.

QVOD Maiestas Reginalis, castra Wighles, Dobraniua & Lipche, prout in omnibus Conuentibus prioribus conclusum est, iam tandem illis: ad quos pertinent, restituat: ne & alij eiusdem Maiestatis exemplo, bona aliorum retinere præsumant. Nec conseruet ea prætextu bonorum suorum, quæ apud manus alienas habentur, cum ea non per dominos vel Nobiles alijs sunt data & inscripta.

Podmaniczki à proscriptione absoluuntur. ART. XLVII.

ET quia domini de Podmanin iam in gratiam Regiam redierunt: ob hoc ijdem ex illa nota infidelitatis, qua in Conuentu Posoniensi proscripti erant, exnunc absoluuntur. Ijdem autem infra quintumdecimum diem præsentis diei, vniuersa bona dominorum & Nobilium, & aliorum occupata, semota omni conditione restituere, & Castellani quoque Szerdahel, infra eundem diem, sine omni conditione manibus domini Reuerendissimi Locumtenentis assignare, alijsque omnib⁹ tractatibus & articulis transactionis Regiæ cum ipsis factæ satisfacere, & omnia onera in defensionem Regni, instar aliorum fidelium subditorum Maiestatis Regiæ gerere debebunt, & subditos quoque fideles & pauperes Regnicolas, iniurijs & oppressionibus non afficiant. Comitatum Trinchiniensem hactenus per eos in duas partes scissum in vnionem remittant, & in locum sedis eiusdem Comitatus, tàm ad iudicia, quàm alia onera subeunda liberè congregari permittant.

Comitatus distracti vniantur. ART. XLVIII.

QVOD Comitatus Zempliniensis, & Vngh, in plures partes distracti, vniantur, & singulum Comitem habeant.

Ciuitates Regiæ in libertate ipsorum obseruentur. ART. XLIX.

QVOD liberæ Ciuitates Regiæ, simul & Montanæ, in eorum libertatibus, tàm in Telonijs, quàm alijs conseruentur.

Marca argenti in Cameram Regiam sex florenis redimatur, minus denarijs viginti quinque. ART. L.

Vide responsum Regis.

CONCLVSVM est etiam, cum pretium omnium rerum in Regno, quod in compendium redactum est, auctum sit, & fodinæ profundiores factæ, & aqua in eisdem auctior de die in diem reddatur, omnesq; expensæ & labores in Montanis triplicati sint, vt singulæ Marcæ argenti ex Camera Regia sex florenis soluantur, minus orthone: Maiestas quoque Regia committat Camerarijs Cremniciensibus, & Commissarijs Reginæ Mariæ,

Mariæ, vt huic conclusioni de facto satisfaciant. Nam nisi hoc fieret, ruinæ Montanarum, atque huius Regni Thesauri Regnicolæ occurrere cogerentur, & cultores Montanarum obligationi illi, qua Cameræ Cremniciensi, sunt obligati, amplius obstrictos esse nollent. Nemo enim ad impossibilia cogi debet, & propter priuatum commodum Respublica & totum Regnum perdendum non est.

Monetarum falsarum cusores puniantur. ART. LI.

QVOD cusores falsarum monetarum, quæ in plerisque locis cudi dicuntur, vbicunque reperiri poterunt, in personis & bonis, iuxta contenta Decreti puniantur.

Comites iurent. ART. LII.

COMITES Comitatuum, qui nondum iuramenta deposuerunt, iurent nunc: alioquin priuentur officijs.

Agriensis Episcopatus prouentus, ab aliorum manibus eliberentur. ART. LIII.

PROVENTVS & decimæ Episcopatus Agriensis, de manibus dominorum per suam Maiestatem eliberentur, & ad conseruationem arcis Agriensis conferantur.

Castrum Zarwasko demoliatur, & bona eius ad Episcopatum Agriensem applicentur. ART. LIIII.

QVOD Maiestas sua castrum Zarwaskő demoliri iubeat, & bona eiusdem castri ad conseruationem Agriensem conuertantur & occupentur; quod castrum semper ad Agriam pertinuit.

Petrus Pereny è carceribus dimittatur. ART. LV.

QVOD Maiestas Regia, dominum Petrum Pereny, post multas supplicationes fidelium suorum, iam tandem gratiosè liberum dimittat. Etenim oblationes eiusdem Petri Pereny, quas Maiestati suæ facere offert, sufficientes esse videntur: & alioqui omnes Regnicolæ, de fide & constantia eiusdem Petri Pereny, se fideiussores offerunt. Nec vident, quòd atrocius dominus Pereny deliquisset illis Capitaneis Hispanis, qui tantæ ruinæ Regni materiam præbuerunt; sunt tamen impunè dimissi, & forte etiam remunerati.

Arx Likawa Ludouico Pekri remittatur. ART. LVI.

QVOD Maiestas Regia, arcem Likawa Magnifici Ludouici Pekri; nunc præ manibus suæ Maiestatis habitam, eidem remittere dignetur, qui se Maiestati suæ perpetuò fidelem & obedientem subditum; & modo illi aliquod seruitium in Curia designetur, continuò in eiusmodi seruitio in aula Maiestatis suæ versaturum offert. *Vide responsio Regis super hoc articulo.*

Ad supplicationes Regnicolarum, Rex benignè respondeat. ART. LVII.

SVNT præterea nonnullæ supplicationes dominorum Nobilium, & quorundam aliorum, quæ pro certiori responso ad Maiestatem Regiam missæ sunt, quibus Maiestas sua benignè respondere dignetur.

RESPONSVM SACRÆ REGIÆ MAIESTATIS, AD articulos constitutionum Dietæ, Anno Domini M. D. XLV. Tirnauiæ celebratæ.

SACRA Regia Maiestas, dominus & Princeps noster clementissimus, intellexit ex articulis fidelium suorum dominorum Prælatorum, Baronum, Nobilium, aliorumq; Ordinum & Statuum Regni sui Vngariæ, in proximo Conuentu Tirnauiensi congregatorum, constitutiones & Decreta per eosdem Ordines isthic facta, simulq; fidem, obseruantiam & subiectionem per eos suæ Maiestati liberaliter oblatam, nec non curam, studiũ & propensam eorum voluntatem, ad promouendam, beneq; obeundam generalem expe-

expeditionem contra Turcam, atque etiam conatus tuendæ salutis, quietis & conseruationis publicæ. Quæ omnia sua sacra Maiestas, tanquam Rex pius, Catholicus, ac Christianæ Reipublicæ, præsertim fidelium subditorum suorum defensionis, salutis, quietisque cupidissimus, paterno amore ac clementia singulari accepit. Pro quibus sua Maiestas sacra, non nisi ingentes fidelibus suis subditis habet gratias, articulosq; ipsos ad suam Maiestatem missos, ratos & acceptos habendo, approbat, paucis duntaxat mutatis: quæ in aliquot eorum punctis, pro dignitate suæ Maiestatis, proque libertate ipsorum fidelium suorum, immutanda, lucidiusq; declaranda, ac in formam infrascriptam redigenda esse censuit. Nihil dubitans ipsos quoq; fideles subditos suos, bona fide ea præstaturos, quæcunq; in articulis ipsis se facturos obtulerunt, & quæ ad quietem, salutemq; & defensionem ipsorum quàm maximè pertinere videbuntur; quemadmodum etiam sua sacra Regia Maiestas nihil earum est prætermissura.

QVANTVM ad quartum articulum, in cuius contextu fideles Status & Ordines Regni suæ Maiestatis permiserunt licere, tàm dominis, quàm Nobilibus bona sua hæreditaria, vel à sua Maiestate Regia impetrata ac iure obtenta, ab illis, qui contra publicam constitutionem & iuris processum, sententiasque Iudicum Regni ordinariorum retinerent, etiam priuata manu, omnibus modis, ac per detentionem etiam personæ occupantis recuperare: respondet sua Maiestas, sese iam antea admisisse & approbasse Decreta priorum Conuentuum vtrorumque, Nouizoliensis & Posoniensis, maximè verò de remittendis recuperandisque alienis bonis, & nunc quoque necessarium esse iudicat, tàm huiusmodi occupatorum, quàm aliorum, iuxta leges Regni, iuridicè obtentorum bonorum rectificationem & remissionem, per Capitaneos suos, adhibitis vbique remedijs opportunis, fiendam. Verùm non conuenire sua sacra Maiestas putat, quempiam suorum subditorum, contra personam alterius, priuata manu & potentia vti. Id enim nihil aliud, quàm magnæ cuiusdam licentiæ, dissensionis, distractionis, perturbationisque publicæ tranquillitatis præberet causam, fomitem & initium, quódque maiorem perniciem in Rempublicam esset inuecturum, quam vt à quopiam cogitari aut credi posset: nec præterea posse id fieri absque Regiæ dignitatis diminutione. Quam quidem dignitatem & authoritatem, ex DEI optimi clementia ei datam, sua Maiestas pro se ipsa seruandam, & nemini hac ratione permittendam vult & statuit, Nam alioqui & DEI ordinationi, suæ Maiestatis authoritati non parum derogaretur, & publica salus veniret in perturbationem & excidium. His itaque ex causis, propria authoritate, priuataq; manu inposterum audere vel permitti quempiam aliquid aggredi, aut personæ alicuius vim intentare, videtur suæ sacræ Maiestati ab æquitate dignitateq; suæ Maiestatis prorsus alienum & indignum, & id sine scitu & consensu Maiestatis suæ, Locumtenentisque & Capitaneorum suorum nequaquam esse audendum & admittendum.

Constitutiones priores, Nouizolien. & Posonien. confirmatæ.

TRICESIMO tertio articulo, Status & Ordines statuerunt, Capitaneos, Comitesq; vel Vicecomites non debere obseruare literas Regiæ Maiestatis, vel domini Locumtenentis. Respondet ad hunc sua sacra Maiestas articulum, se in expeditione ex Cancellaria sua literarum publicarum, ordinem eum semper obseruari curasse, & nunc quoque curare, qui ex Decreto Regni, dignitateque Regia ab antiquo obseruatus fuit: Contra quem si quis grauatur, recursum habet, ad Decreta, leges & consuetudinem Regni. In alijs etiam mandatis priuatis, & suæ Maiestatis literis emanandis pro temporis & negotiorum conditione, is obseruabitur à sua Maiestate modus & ratio, vt neque licitum, neque honestum sit illas non obseruari, & vt fideles subditi authoritatem Principis & domini sui abrogent ac mandata contemnant. Foret enim id in diminutionem dignitatis Regalis, & omnis boni ordinis, totiusq; Reipublicæ benè administrandæ confusionem. Vult itaq; sua Maiestas, vt mandatis suis & Locumtenentis sui, ab omnibus fidelibus suis subditis obediatur Nihil enim sua Regia Maiestas indignum suæ æquitati, aut contra Decretum & libertatem ac ordinationem Regni, Statuumq; & Ordinum publicam, præter æquum & honestum, atq; rationem & conditionem temporis, cuiquam, aut literis, aut verbo est mandatura.

Quan-

Quantùm ad articulum quadragesimum secundum attinet, in quo fidelibus Ordinibus & Statibus Regni suæ sacræ Maiestatis placuit, vt vniuersi prouentus Regij, ex cusione monetarum, ac Tricesimis in Vngaria & Sclauonia habitis, apud manus quoq; serenissimæ dominæ Mariæ Reginę, & aliorum existentibus, in conseruationem locorum finitimorum, gentiumq; in eis alendarum conuertantur: nec ijdem prouentus extra Regnum auferantur, ad eosq; administrandos, non exteræ nationis personæ, sed de medio Vngarorum præficiatur Thesaurarius idoneus & fidelis. Videtur suæ sacræ Maiestati communis æquitatis, vti decet, rationem esse habendam, & ne minimo quidem subditorum suæ Maiestatis, in bonis & redditibus suis iniuriam aut vim aliquam inferendam esse: ne dum serenissimæ dominæ Mariæ Reginæ, sorori Cæsareæ Maiestatis charissimæ; potissimùm ex eo, quòd serenitas sua ex redditibus Cameræ Cremnicìensis, ratione Vrburarum ex lucro redemptionis argenti, pro dote sua debet percipere certos prouentus: qui eidem pro ipsa dote sua, à serenissimo Principe quondam domino Vladislao Rege, ac deinde eius hærede & successore quondam Lvdovico Rege bonæ memoriæ, ipsius dominæ Mariæ Reginæ domino & marito, qui in defensione Regni Vngariæ ac Christianitatis, & pro salute publica mortē oppetere non recusauit, fuerint inscripti, postremò etiā per suā Maiestatē confirmati. Quos sine iniuria æquitatis publicæ violare, aut contra iura serenissimæ Mariæ Reginæ eripere, nec honestum est, nec iustitiæ Regię Maiestatis, quæ omnes à minimo ad maximum in suis iuribus conseruare tenetur, omniū iudicio satis conuenire videtur. Meminerint etiam domini Prælati, Barones, Nobiles, Statusq; & Ordines Regni suam Maiestatē pro salute ipsorum, conseruandaq; quiete, & tuenda publica tranquillitate, ex bonis suis hæreditarijs, & prouentibus aliorum Regnorum, Prouinciarumq; ac exterorum fidelium quoq; suorum, id quod sua Maiestas & modo facit, ab initio regiminis sui Vngarici, innumerabilem Thesaurū & opes expendisse, cum maximo damno suo & incommodo. Cum enim Regni sui Vngariæ prouentus hoc toto disturbiorum tempore, paucos admodū, & penè nullos esse videret, ad tantā bellorum & tumultuū molem sustinendam, non parcens suis proprijs hæreditatibus & bonis, non externorum Regnorū Prouinciarumq; suarum redditibus, opibus & facultatibus, eā omnia in salutem defensionemq; Regni sui Vngariæ, ac fidelium subditorū, à tyrannide hostium liberationem, liberalissimè profudit, non sui ipsius, aut spe futuræ alicuius priuatæ magis vtilitatis causa, quam Dei, Reipublicæ Christianæ, & salutis subditorum suorum, quos Devs ei gubernandos defendendosque commisit, cupiditate atque amore.

Præterea sua Maiestas, vt id omnibus apertum est, ex paterna erga Status & Ordines pietate, dignata est ipsorum testimonio, non solùm exteras nationes magnis stipendijs collectas, in defensionem eorum, annis ferè singulis ducere, verùm plerisque, ex ipsis quoq; Statibus & Ordinibus (prout in præsentia facit) ex prouentibus suis priuatis, & aliorum Regnorum suorum stipendia pendere, eosque subsidijs & alia munificentia iuuare, nunc quoq; suam Maiestatem Regiam hac sola de causa, confectis magnis & laboriosis itineribus huc venisse, & vna cum sacra Cæsarea Maiestate, domino & fratre suo charissimo, cæterisque Principibus Christianis, id maximè curare, vt præsidio & viribus omnibus, quibus fieri poterit, Vngaria à tyrannide sęuissimi hostis erepta, pristinę quam primum libertati restituatur. Quibus externis redditibus ad salutem & defensionem Vngariæ expositis, si prouentus suæ Maiestatis Cæsareæ Vngarici conferantur, proculdubio ij omnium iudicio, quam minima pars illorum externorum erit. Nihilominus non sit dubitandum fidelibus suæ Maiestatis, ac Statibus & Ordinibus, quòd sacra Regia Maiestas, prouentus suos Vngaricos, si quos paucos perceperit, sua sponte eo sit conuersura & erogatura (quo defensio Regni & arcium prouisiones finitimarum exposcent). Erit etiam Maiestatis suæ sacræ non minima cura, vt Tricesimas ipsas quoque, quarum prouentus nonnullos Maiestas sua, grauissimis indies vrgentibus Regni sui Vngariæ rebus, ad tempus alijs inscribere fuerit coacta, & quos tametsi sæpe optauit, tamen hactenus citra offensam dignitatis suæ, libertatisq; fideliū eliberare non

potuit,

potuit, maximè quum Maiestas sua confidat, Diuino numine & sacratissimæ Cæsareæ Maiestatis auxilio, sese ex his malis Vngariam propediem eripere posse) de manibus alienis eliberet, easque vna cum cusionis monetarum, & aliorum redditiuum suorum prouentibus, de manibus aliorum eliberatis, ad defensionem & conseruationem Regni, communisque salutis Reipublicæ applicabit. Commonefaciet etiam serenissimam Reginam sororem suam, subsidij non vulgaris in præmissos vsus ex prouentibus Vngaricis suis ferendi, dubiumq; non erit, quin sua serenitas, vt est salutis & liberationis Vngariæ auida, pro sua pietate plus forte sua sponte ad Vngariæ defensionem collatura sit, quam ipsi Status & Ordines à sua serenitate desiderent.

Videtur itaque sacræ Regiæ Maiestati, prouentibus suis Regijs aut Reginalibus non conueniens, neque opus esse publico Decreto præficiendum Thesaurarium, aut serenissimæ Reginæ in redditibus suis, præter eius voluntatem vsurpandis, iniuriam esse faciendam: quum vt alius quispiam, ita ambæ Maiestates, merum ius & potestatem suorum reddituum & officialium, super illis constituendorum, habere velint & debeant. Et alioqui sua Maiestas sacra de suo, aliorumq; Regnorum suorum (vt præmissum est) prouentibus, ad defensionem Vngariæ longè plus sit præstatura, quam prouentus sui in Regno Vngariæ facerent, aut ab ipsis Ordinibus & Statibus existimari posset: quod ipsum serenissimam etiam sororem suam non dubitat facturam.

Ad articulum Quinquagesimum, in quo Status & Ordines statuerunt, vt propter profunditatem minerarum seu fodinarum auri & argenti, aquarumque in his crescentium, ac triplicatas expensas & labores montanarum, pro Marca qualibet argenti de Camera, sex floreni, cum defectu viginti quinque denariorum soluantur: Maiestas Regia respondet, culturam & augmentum, statumque florentem montanarum imprimis sibi curæ esse, ipsiusque, & non alterius officio incumbere, illarum abusus aut necessitates reformare, pro suo & Regni decore atque ornamento, cum in alijs etiam Regnis suis habeat mineras siue fodinas argenti, ex earumque cultura satis abundè sit docta, quibus potissimùm curis prouisionibusque indigeant. Et propterea, simul atque hinc regredietur, quod Diuino fauore sperat breui futurum, se modis omnibus prouisuram, vt culturæ montanarum, benè & sine detrimento suo & Regni prospiciatur: ac communicato cum serenissima sorore sua consilio, ipsis quoque Vrburarijs & cultoribus, secundùm fodinarum ipsarum conditionem & statum, ac vniuscuiusq; labores & opera, subsidium aliquod licitum impendatur ne quid montanis ipsis decedat, & ne iustæ possint hac de re fieri querelæ.

Ad articulum Quinquagesimum tertium, vbi ab Ordinibus & Statibus actum est, vt decimæ Episcopatus Agriensis, de manibus secularium personarum per Maiestatem Regiam excipiantur, & ad conseruationem castri Agriensis conuertantur: respondet sua Maiestas, non postremam sibi hactenus fuisse curam, decimas ipsas de manibus secularium personarum excipiendi, & Ecclesiæ ipsi Agriensi restituendi, tum ad eiusdem arcis defensionem, tum ad Ecclesiam istic reparandam, eiusque ministeria ad honorem Dei optimi maximi continuanda. In causa tamen huius rei hactenus dilatæ, hoc fuisse quòd arcem ipsam & Ecclesiam, cui Regia Maiestas sacra Prælatum & Episcopum iam pridem alioqui præfecisset, Petrus Pereny, præter honestum & æquum intertenuisset, nec hactenus castrum ipsum, sæpius à Maiestate sua admonitus, reddendum curasset. Quare cùm primum arcem ipsam è manibus Petri Pereny exceperit, quod futurum breui credit, Maiestas sua sacra prouidebit mox, tum de idoneo & sufficienti eius Ecclesiæ Episcopo, tum etiam vt decimæ ad eandem arcem administrentur & applicentur, arxque ipsa præsidio sufficienti, & rebus alijs necessarijs ita prouideatur, ne quid auxilii Dei timendum illi sit periculi.

Ad articulum Quinquagesimum quintum, sacra Regia Maiestas respondet, quò arce ipsa Agriensi ad manus suas Regias prius restituta, dum Dei munere hinc redi-

ri

rit, supplicationis fidelium suorum pro Petro Pereny factæ, non erit immemor: sed eius rationem condignam & æquam est habitura.

Ad penultimum articulum, quo Status & Ordines arcem Likawa, Ludouico Pekri reddi precantur: respondet sua Maiestas, supplicationis huius quoque se memorem similiter futuram, cum fauore Numinis, confectis hic rebus & negotijs venturæ expeditionis, reuertetur.

Postremo Regia Maiestas, dominus noster clementissimus, paterno amore & clementia sua monet, hortatur & suadet fideles suos Status & Ordines dicti Regni sui Vngariæ, firmo & constanti esse animo, sperareque de se omnia ea, quæ ad quietem, salutem & defensionem, tum ipsorum & Regni Vngariæ, tum etiam conseruationem Reipublicæ Christianæ facere videbuntur. Sacratissimam etiam Cæsaream Maiestatem, dominum & fratrem suum charissimum, recuperata iam pristina sua optima valetudine, & resumptis viribus, his diebus ex Brabantia itineri se commisisse, rectaq; huc venire omnes sciant. Qua adueniente, vna cum cæteris Principibus Christianis, curare Maiestatem suam omni studio, cura & diligentia, vt collatis consilijs & viribus, Diuino auxilio ex quo omnia pendent mortalium negotia, fidelium subditorum suorum, & totius Vngariæ, partiumq; ei subiectarum liberationi, saluti, quieti & defensioni, primo quoq; tempore prouideatur. Ad quam rem, tam piam, salutarem & necessariam, vt ipsi quoq; fideles sui subditi viritim quisque paratus sit, subueniat & accurrat, non magis alterius rei, quam priuatæ cuiusque salutis, coniugum & liberorum causa, sacra Maiestas Regia, iterum atque iterum paternè & clementer fideles subditos, Statusque & Ordines Regni sui Vngariæ hortatur. Datum Vormatiæ, vltima mensis Aprilis, anno Domini, Millesimo, Quingentesimo, Quadragesimo quinto.

FERDINANDI IMPERATORIS DECRETVM, IN GENERALI REGNICOLARVM CONVENTV, Posonij, pro festo Conuersionis S. Pauli, anno Domini, M. D. XLVI. celebrato, editum.

Nos Ferdinandvs, Diuina fauente clementia Romanorum, Vngariæ, Boëmiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæque, &c. Rex, semper Augustus, Infans Hispaniarum, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ Marchio Morauiæ, &c. Memoriæ comendamus tenore præsentium, significantes quibus expedit vniuersis, quòd cum nos ob salutem huius Regni nostri Vngariæ conseruandam, pacemq; & quietem publicam curandam, generalem pro festo Conuersionis Beati Pauli Apostoli proximè præterito, in hac ciuitate nostra Posoniensi, vniuersis fidelibus nostris, dominis Prælatis, Baronibus, Nobilibus, cæterisque Ordinibus & Statibus eiusdem Regni nostri Vngariæ, indixissemus congregationem, eique nos etiam personaliter præfuissemus: conclusis tandem mutuis tractatibus, finitaq; congregatione, ijdem domini Prælati Barones & Nobiles, cæteriq; Status & Ordines dicti Regni nostri Vngariæ, nostræ Maiestatis venientes in præsentiam, produxerunt & exhibuerunt coram nobis certos articulos, in hoc eorum nostro iussu celebrato Conuentu, in salutem Regni, pacisque & quietis publicè promotionem, vno concordique animo per eos conscriptos & editos: supplicantes nobis humiliter, vt eosdem articulos, nostra Regia authoritate ratificare, approbare, & clementer confirmare dignaremur. Quorum quidem articulorum tenor talis est.

PRÆFATIO.

Intellexervnt domini Prælati & Barones, Nobiles, cæteriq; Ordines ac Status Regni Vngariæ Posonij congregati, ea quæ sacratissima Regia Maiestas, dominus eorum clementissimus, ipsis in hoc Conuentu, coram & scripto proponere dignata est. Ad quæ omnia sic humiliter respondent.

Status & Ordines Regi gratias agunt, & suam fidem commendant. ART. I.

CVM antea pluribus argumentis sacra Regia Maiestas, benignitatem & clementiam suam fidelibus & subditis suis Regni Vngariæ multifariam ostenderit: ideoq; palàm iam pridem sit vniuersis, Maiestati Regiæ nil prius, neq; antiquius quicquam esse, vel extitisse vnquam, salute & conseruatione fidelium suorum, commemorationem rerum præteritarum prudenter à sua Maiestate hoc tempore in sua propositione prætermissam esse censent. Nam etiam tacente ipsa, fatentur omnes, quæcunque hactenus ad auertendam imminentem ruinam, restituendamq; Vngariæ pristinam quietem, quæcunque ad vnionem inter subditos conciliandam, tuendamque concordiam mutuam, excogitari posse videbantur, ea omnia summa cura, incredibili solicitudine, maximis laboribus, grauissimis sumptibus à sua Maiestate tentata fuisse. Hoc sanè nomine, & si sæpius antehac Ordines & Status Regni Vngariæ, pro eorum officij ratione, & literis, & nuntijs Maiestati Regiæ gratias egerunt, seseque quales sunt, atque esse debent, in omne tempus promptos ac fideles subditos professi sunt suæ Maiestati: nunc quoque tamen ingentes quas possunt eidem gratias agunt, suæq; serenitati, suam fidem in perpetuum humilimè commendatam esse volunt, DEVM optimum maximum, pro sua & serenissimorum Principum liberorum suorum incolumitate & felicitate perpetua, summis votis assiduè deprecantes.

Causa Vngariæ non eliberatæ, ira DEI. ART. II.

ILLVD quoque in præsentia rectè à sua Maiestate consultoque prætermissum esse arbitrantur commemorare, vnde acciderit, quominus hactenus conatus suæ Maiestatis tàm acres, tamque soliciti, pro eliberatione Vngariæ optatum exitum potuerint sortiri. Quanquam huiusce rei multæ & variæ rationes humanitus adduci possent, cum tamen ex vnius summi DEI nutu cuncta mortalibus eueniant, videntur nimirum ista omnia, quæ plerumque præter spem, præterque omnem rationem, contraria sanctissimis suæ Maiestatis institutis, prudentissimisque consilijs acciderunt, vnius summi DEI vindici iræ, iustè videlicet in populum pro suis peccatis indignantis, asscribi posse. Quæ quidem, vel indè maximè hoc tempore patuit, quòd cum præsentia suæ Maiestatis ad dirimendas mutuas contentiones, ac pleraque mala inter subditos auertenda, multos iam annos in Regno plurimum fuerit collatura, idque prope vnum iam pridem expetatur, sic tamen hactenus acciderit, vt nouis subinde emergentibus curis, Maiestas sua alibi potius, quàm inter suos fideles hoc toto tempore persistere coacta sit.

Cæsaris ob ægritudinem opera in eliberando Regno prætermissa. ART. III.

NEC verò dubium est, prouinciam hanc, institutumq; opus eliberandi Vngariam ab imminentibus excidijs, quod in se vltrò superiori anno sacra Cæsarea & Catholica Maiestas susceperat, cum summo animi sui mœrore, vrgente vi morbi grauissimi à sua Maiestate prætermissum esse: confiduntq; Vngari Maiestati suæ Cæsareæ (quæ illius est incredibilis in eos clementia, quodq; in Christianam Rempublicam studium singulare) salutem & liberationem eorum curæ semper fore, suæq; oblationi simul ac per occasionem licuerit, satisfacturam Id quod Vngari quamdiu superstites eos benignitas DEI seruârit, à sua Cæsarea Maiestate, eiusq; posteris promereri contendent.

In componenda pace vel Inducijs cum Turca, Rex Vngarorum consilio vtatur. ART. IIII.

PRÆTEREA, cum Status huius Regni perspectum habeant, Maiestatem Regiam nihil maiori studio, diligentia & affectu paterno curare atque intendere, quàm vt huius Regni sui salutem & incolumitatem totis viribus promoueat. Intellexerunt Maiestatem suam, non in alium finem proximis his temporibus nuntios ad Turcam misisse, quam vt fidelium suorum tranquillitati consuleret: ex quo tamen de rebus Vngariæ agatur, Maiestatem suã fideles sui Status Vngariæ humiliter orant, vt si imposterũ existimaret cum Turca, siue de pace, siue de Inducijs agendum esse, vtatur in hoc consilio Vngarorum

Vngarorũ consilio vtatur Rex, in tractatibus cũ Turca.

rum

rum ad hoc idoneorum, & qui maiori Turcicarum rerum experientia & cognitione prædici sunt; quemadmodum Maiestas sua Regia etiam antea benignè fecit. Illorum enim consilio, omnia rectius & vtilius decerni & fieri possunt.

Subsidium vnius floreni Regi, & viginti denariorum Reginæ offertur.

ART. V.

CÆTERVM, quòd Maiestas Regia hortatur fideles suos, vt pro continua Regni defensione de subsidio annuo inter se decernant: quando seu pax, seu bellum sit cum hoste, gentibus in præsidium per loca necessaria dispositis in Regno opus sit. Etsi satis intelligit Maiestas Regia, intelligunt & reliqui omnes grauissimis cladibus à communi hoste toties iam acceptis, ac tum excursionibus Turcarum, tum verò insolentium nostratum factione, perparum iam restare vsq; in Regno, quod magni momẽti sit, Statusq; & Ordines Regni, qui pauci iam sunt reliqui, vix etiam habere, quo in dies singulos vitam traducant, tantum abest, vt arces quas habent in faucibus hostium, conseruare mutuéue suis sumptibus tàm periculoso tempore possint, atque ideo nequaquam sit quòd quisquam putet, vel exiguam Regni partem proprijs duntaxat Vngarorum viribus, etiã sub Inducijs, ab hostibus pariter & rebellibus defendi posse sine auxilio exterorum: Vt tamen Maiestas Regia sentiat, etiam extremis temporibus, rebusq; afflictis ac prope iam desperatis, nihil ab Vngaria prætermitti, quod in propriam defensionem per eos præstari possit: communibus votis Status & Ordines Regni offerunt Regiæ Maiestati ad continuam Regni defensionem contra hostes, coërcendosq; rebelles & inobedientes per integri anni spatium, subsidium infrascriptum; videlicet, de singulis portis seu colonis eorum sessionatis & censualibus, qui videlicet terras, prata, aliasq; vtilitates sessionum, in quibus sunt, percipiunt, florenum vnum Vngaricum, additis per dominos & Nobiles, cæterosq; Status ex propria eorum bursa singulis viginti denarijs, iuxtà numerum portarum seu colonorum suorum. Quos quidem viginti denarios Status & Ordines Regni, pro sua veteri debitaq; in serenissimam dominam Reginam, conthoralem sacræ Regiæ Maiestatis, dominam eorum clementissimam, obseruantia suæ Reginali Maiestati offerendos dandosq; censuerunt. Ad quod quidem subsidium vnius floreni, & viginti denariorum connumerandum, Dicatores Regij, in Dominica Reminiscere proximè ventura, in omnibus Comitatibus sine mora & dilatione, modo infrascripto, emittantur. Præterea ijdem Ordines ac Status, cum, vt præmissum est, subsidium huiusmodi ad defensionem imprimis suam contribuant: si illud Maiestati Regiæ administratum, in vsum hunc defensionis subditorum suorum, coërcendosq; rebelles & inobedientes conuerti exponiq; cognouerint, neq; per quenquam in priuatos vsus, solita antea licentia, subsidium ipsum diripi aut vsurpari, indeq; appareat, pauperum oppressiones, & facinorosorum hominum licentiam cessare, publicasq; defensiones effectum sortiri, præsertim quoad restitutionem alienorum bonorum, & alia quæ inferius latius descripta sunt, offerunt rursum Maiestati Regiæ ad festum S. Laurentij proximè futurum, alterum florenum Vngaricum, similiter ex singulis eorum colonis & portis: additis de propria bursa rursum viginti denarijs, Maiestati Regiæ simul cum floreno vno administrandis. Teneantur autem omnes domini & Nobiles, Dicatorem Regium ad connumerationem bonorum suorum omnium admittere. Contrarium verò facientes, priuentur per Maiestatem Regiam illis bonis, ad quæ Dicatorem Regium non admiserint.

Reginæ oblatum munus.

Dicatorem ad connumerationem non admittentis pœna.

Nobilium vnius sessionis contributio. ART. VI.

PRÆTEREA statuerunt Ordines & Status Regni, vt Nobiles quoque vnius sessionis, tàm Regales, quàm ad Ecclesias pertinentes, ex integris eorum singulis curijs, singulos quinquaginta denarios, pro eodem festo Diui Laurentij, Maiestati Regiæ persoluant: sic tamen, vt in hac contributione pauperiores qui sunt inter Nobiles huiusmodi vnius sessionis, habita iusta ratione facultatum vniuscuiusque, à ditioribus adiuuentur:

Plebani & capellarum ac altarium Rectores, quid contribuant. ART. VII.

PRÆTEREA, vt Plebani quarumcunq; ciuitatum, oppidorum, ac villarum, siue Regiæ, siuæ Reginalis Maiestatis, seu dominorum aut Nobilium ea loca sint teneantur de singulis personis vxoratis, sub Parochia seu plebanatu vniuscuiusq; eorum existentibus, singulos denarios Vngaricos persoluere, ij videlicet, qui priuatos aut proprios colonos non habent: quibus verò coloni sunt, illi de propria bursa, iuxta numerum colonorum suorum, denarios quinquaginta, præscriptis duobus terminis pari ratione cum cæteris dominis & Nobilibus persoluant. Singuli etiam Rectores capellarum & altarium, singulos quinquaginta denarios in festo prædicto Laurentij persoluant, eaq; pecunia omnis Maiestati Regiæ administretur.

Contributione anni præteriti & præsentis, Regi non parua vis pecuniæ accrescet. ART. VIII.

HIS modo præscripto oblatis, vbi perlustratio in singulis Comitatibus, tàm præteritæ contributionis proximo anno Tirnauiæ oblatæ, quàm priorum facta, iustaq; de illis ratio posita fuerit, vti inferius declarabitur, iudicant Regnicolæ omnino non vulgarem summam Maiestati Regiæ, si modo exactio sine fauore fiat, prouenire posse.

Subsidij Regij exigendi modus. ART IX.

MODVS autem dicationis decretus est, vt Maiestas sua, ad vnum quenq; Comitatum eligat Dicatorem quem voluerit, probum & honestum virum, penes quem etiam ex quolibet Comitatu eligatur vnus Nobilis similiter vir probus, cui pro labore per Comitatum satisfiat, & inuitus etiam ad id cogatur. Qui ambo coram Comitatu tempore quo ad Dicationem emittentur, firmissimum præstent iuramentum, quòd sine acceptione personarum, pro fide & fidelitate eorum, quam Maiestati Regiæ & patriæ debent, probè & fideliter, tàm in connumeratione Dicæ præsentis, quàm etiam perlustrandis & circumeundis præscriptis prioribus contributionibus procedent, neque Iudices Nobilium aliquas possessiones, sub pœna capitis, celare præsumant, sed ad omnes connumerandas Dicatores personaliter perducant: facta tandem connumeratione, mox præfatus electus Nobilis, tàm Regestum præsentis contributionis, quàm etiam Regestum perlustrationis priorum contributionum, Maiestati Regiæ sub sigillo Comitatus fideliter transmittat, ne in exactione præsentis contributionis fraus & defectus fiat, & vt de præteritis certa ratio habeatur.

Post connumerationem portarum intra quindecimum diem, ab omnibus contributio inferatur. ART. X.

FINITA connumeratione, quilibet tàm dominorum, quàm Nobilium pecuniam dicatam, cum viginti denarijs, ad manus Dicatoris Regis, ad quintum decimum diem importet & assignet, nulla conuocatione aut sede Nobilium ad rectificationem expectata, quæ iam vigore præsentis constitutionis sublata est, cum pro iusta connumeratione Dicæ, in quolibet Comitatu iuratus Nobilis Dicatori adiungatur.

Literæ Exmissionales Vicecomitibus statim post finitam connumerationem dentur, & quod Vicecomes & Iudices Nobilium consuetis salarijs sint contenti. ART. XI.

LITERÆ Birsagiales in prima statim sede post finitam connumerationem, per vniuersitatem Nobilium Vicecomiti extradentur, teneanturq; Vicecomites, mox acceptis huiusmodi literis, ad birsagiandum exire: & quòd tàm Vicecomes, quàm Iudices Nobilium, consueto suo salario sint contenti, nec vltra illud quicquam de bonis suis & aliorum, exigere præsumant, sed eadem salaria sua quisque de manibus Dicatorum rehabeat.

Dicatores ad festum Pentecostes contributionem importare, deniq; rationem reddere, sub pœna capitis, teneantur. ART. XII.

TENEANTVR autem omnes Dicatores singulorum Comitatuum præteritarum contributionum, ad festum Pentecostes proximum hîc Posonij, sub pœna capitis & con-

fiſcationis bonorum comparere perſonaliter, & rationem de eiuſmodi contributionibus Maieſtati Regiæ dare: & quicquid vel per ipſos Dicatores, aut Vicecomites & Iudices Nobilium, vel alios Nobiles, aut etiam per potentiarios ipſos ablatum retentumue eſſe fuerit compertum, id totum Maieſtas Regia non ſolùm ab illis ſine gratia exigat, verùmetiam reos & in crimine depræhenſos, pœna condigna puniat, iuxta delicti meritum. Debebunt autem pro iuſtiori ratione huiuſmodi præteritæ Tirnauienſis contributionis exigenda & reddenda, Theſaurarij quoque, in quorum manus contributio adminiſtrari debebat, ad eundem diem feſti Pentecoſtes ſimiliter hîc Poſonij conſtitui.

Exempti pro præſenti neceſſitate Regni, dicentur coloni: ditiores in exoluenda ſolutione pauperiores iuuent: Iudices dicam non ſoluant, ART. XIII.

STATVTVM eſt præterea, quòd nullus libertinus, molendinator, vel alij qui Regias exemptiones impetrarunt, in tam graui Regni neceſſitate, ab his contributionibus ſint liberi. Dignum eſt tamen, vt coloni ditiores, plus ſoluant quàm pauperes, vſque ad completionem ſummæ, quæ in vnaquaque villa numerabitur, habita videlicet recta ratione facultatum vniuſcuiuſque. Inquilini etiam pecora & ſubſtantias, domosq; proprias habentes, in ſolutione adiuuent colonos ſeſſionatos, pro facultate eorum. Mercenarij verò & ſeruitores dominorum & Nobilium, qui victu & amictu, ac ſolutione dominorum ſuorum aluntur, nec non coloni ciuitatum Montanarum, vt puta Carbonarij, & alij qui ab antiquo exemptiones habent, eo quòd ad culturam fodinarum ſunt neceſſarij, à contributione exempti habeantur. Iudices ſimiliter villarum, iuxta veterem conſuetudinem, non dicentur.

Carbonarij montanorum dicam non ſoluant. Iudices exempti à dica.

Ex præſenti contributione nulla deputatio ſalariorum fiat. ART. XIIII.

QVOD in his contributionibus nulla deputatio præteritorum ſeruitiorum cuiquam fiat, & ne futurorum quidem: ſed vnusquisque de bonis ſuis illas integrè ad manus Regiæ Maieſtatis adminiſtrari ſinat, & ſeruitia ſua de manibus ſuæ Maieſtatis expectet, nec per ſe quisquam in hanc contributionem ſeſe auſit ingerere. Contrarium facientes, Maieſtas Regia per occupationem bonorum, detentionemq; perſonarum, & non per pauperum colonorum depopulationem puniat ſine gratia, ſineq; delectu perſonarum.

Dicam propria authoritate, pro ſuis ſalariis auferentes, quomodo puniendi.

Regnicolæ in ſuis veteribus libertatibus conſeruentur. ART. XV.

QVOD Maieſtas Regia, hominem idoneum & probum ex Vngaris deligat, ad cuius manus ſubſidia nunc decreta, ex omnibus locis adminiſtrentur, aliosque officiales ſuos in Regno ex Vngaris, non externæ nationis præficiat, cum non deſint etiam inter Vngaros, qui fide & integritate ac rerum peritia pollentes, honeſtè ad omnia munia poſſent adhiberi. Cæteris quoque in rebus Maieſtas ſua Ordines & Status Vngariæ, in ſuis veteribus libertatibus immunitatibusq; conſeruet, quemadmodum reliquos fideles aliorum Regnorum & Prouinciarum ſuarum benignè conſeruat. In negotijs etiam omnibus Vngaricis, literis ſuis ex Cancellaria Vngarica expeditis vtatur, iubeatq; ſubditis ſuis, cuiuſcunq; nationis ſint, in Regno Vngariæ eos obſeruari, cum publica querimonia ſit, nec Iaurini, nec in Comaron, neq; in Sclauonia, neq; alijs vſquam in locis, in quibus adminiſtratio aliqua externis hominibus commiſſa eſt, literas huiuſmodi in Vngarica Curiæ ſuæ Maieſtatis Cancellaria expeditas obſeruari, aut vllum habere pondus. Nec deroget Maieſtas ſua veteri conſuetudini & libertati Regni, ac priorum Regum prædeceſſorum ſuæ Maieſtatis, qui nunquam in negotijs Regni, minoribus, & quaſi annularibus ſigillis vſi ſunt, ſed maiori ſigillo ſecreto. Ac propterea Maieſtas ſua dignetur ſigillum ſecretum ſuum maius domino Cancellario ſuo dare, vt inpoſterum eo Cancellarius vtatur, tum pro maiori authoritate dignitatis ſuæ Maieſtatis, tum ne ſuccedente tempore, vlla litis occaſio præbeatur, de literarum vel donationalium, vel aliarum quarumcunque, ſub ipſo minori ſigillo confectarum vigore.

Vngari officiales creentur. Cancellaria ex Vngarica expeditæ literæ, ab omniū nationum hominibus in Vngaria ſeruentur.

Prælati gentes ratione decimarum in confiniis adhuc alant. ART. XVI.

QVOD domini Prælati & aliæ personæ Ecclesiasticæ, gentes suas ratione decimarum suarum, quæ adhuc restant, iuxta tenorē Decreti, in confinijs conseruare teneantur.

Expeditionem ad generalem Nobiles viritim penes personam Regis ituri. ART. XVII.

QVOD attinet ad generalem expeditionem, ad quam Regia Maiestas hortatur fideles & subditos suos, vt parati instructique sint, si forte pax cum Turca succedere non posset, etsi satis in proximis Conuentibus, præcipuè autē in superioris anni Tirnauiensi Conuentu demonstratum est Regiæ Maiestati, communibus omnium Ordinum & Statuum votis, quibus modis, quibus apparatibus Vngari generalem expeditionem penes personam suæ Maiestatis adituri sint; breuiter tamen & nunc repetunt, sese maiorum suorum exemplo viritim, omni quo poterunt meliori apparatu instructos armatosque præstò affuturos suæ Maiestati in expeditionem personaliter descendenti, libenterque penes suam Maiestatem, vitam & sanguinem ad interitum vsque profundere paratos esse. Si autem interim aliquam arcem siue fortalicium Turcas obsidere, vel aliter aperta vi in deuastationem & euidens periculum ditionis Maiestatis Regiæ, Regnorumq; & Prouinciarum suarum excursiones facere velle compertum fuerit, aut si ad reprimendum rebelles & inobedientes viribus opus esset: extunc domini & Nobiles cum eorum colonis, ad requisitionem domini Locumtenentis, vel generalis domini Capitanei suæ Maiestatis, aliorumue Capitaneorum supremorum Regni, penes personas Comitum parochialium, iuxta tenorem articuli in secundo Conuentu Nouizoliensi superinde editi, sub pœna generalis Decreti Regni, insurgere teneantur.

Capitaneorum penes personas quando æqualiter insurgendum.

Rex in Vngaria pro maiori parte resideat. ART. XVIII.

QVOD verò attinet ad conciliandam pacem mutuam, & vnionem in Regno retinendam & conseruandam, atque ad continuam Regni defensionem, inobedientesque & rebelles reprimendos, atque omnes Ordines continendos in officio, abundè satis constat, maximum momentum esse positum in præsentia Principis. Proinde quamuis non dubitant Status, Maiestatem suam, quoties ad externa & remota loca proficiscitur, salutis fidelium suorum curandæ causa proficisci: nihilominus vti dominum eorum clementissimum humilimè orant & obtestantur, vt cum sciat, eo potissimum esse aduigilandum, vbi periculi plurimum timendum est, dignetur si non continuè, at magnam temporis partem, more prædecessorum suorum Regum Vngariæ, inter suos morari & residere in Vngaria, quo fidelium suorum periculis propulsandis commodius ac citius semper prospicere possit.

Rex copias in Regno conseruet, non saltem ad vires hostis comprimendas, verùm etiam ad rebelles & contumaces coërcendos. ART. XIX.

EST autem necessarium, vt Maiestas Regia, siue præsens, siue absens sit, solutum semper exercitum habeat in Regno, non solùm ex Vngaris, sed etiam externæ nationis, eo numero, eoque apparatu bellico, vt non solùm ab externo hoste reliquiæ Regni per omnes partes pro necessitate defendi & conseruari, verùmetiam inobedientes ac rebelles coërceri, ac pro merito vbique puniri possint.

Rex militem ex omnibus Comitatibus conducat. ART. XX.

ITEM quòd Maiestas sua, in singulis Comitatibus Nobiles & personas militares conducat ad seruitia sua, competenti equitum numero: qui tamen singuli, non excedant numerum duodecim vel sedecim equitum, militentq; vbique in locis necessarijs, contra externos & domesticos hostes, sub illo Capitaneo, quem Maiestas sua pro necessitate locorum, temporumq; & negotiorum præfecerit.

Nobiles

Nobiles seruire possint Prælatis & Baronibus, qui Regni libertates tuentur, qui verò libertates turbant, illis sub amissione bonorum non seruiant. ART. XXI.

QVOD Nobiles possint seruire etiam dominis Prælatis & Baronibus, qui Nobilium libertates perturbare non solent, neque prædis, vel oppressione pauperum, vel Nobilium, aut Ecclesiarum DEI gaudent: contra verò his, qui manifestè inobedientes, & publicarum constitutionum violatores, Regiorum prouentuum seu contributionum perturbatores sunt, prædasque, spolia, homicidia, & id genus mala exercere solent, nullus ex Nobilibus Vngaris seruire præsumat. Contrarium facientes, & penes eorum dominos facinorosos deprehensi, pœna debita puniantur: ita videlicet, vt bona eorum, veluti Regio fisco deuoluta personis benemeritis, per Maiestatem Regiam conferantur, ac etiam in personas eorum animaduertatur, quemadmodum in ipsos eorum dominos animaduerti debebit.

Rex ad seruitium suum dignos recipiat præfectos, cum numero centum equitum. ART. XXII.

QVOD Maiestas Regia, ex ordine dominorum, quos dignos viderit, ad seruitia sua recipiat, non tamen magno numero equitum, sed eo, vt si defectus stipendij acciderit, possint equites suos in proprijs bonis, sine iniuria aliorum, & oppressione miseræ plebis alere, scilicet, vt numerum centum equorum nemo excedat: & vt si se rebelles exhiberent, eo facilius puniri possint, & ne si maiori numero equitum conducantur, officiales, libertinos & domesticos suos, quos etiam alioqui ad custodiam & defensionem domorum suarum alere debent, in numero equitum asscribant, ac tempore lustrationis eos recensendos exhibeant, aut mutuo acceptos statuant, atque ita dimissis illis, & Regiam Maiestatem, & patriam defraudent.

Rex quales conducat ad seruitia sua. ART. XXIII.

QVOD Maiestas sua ad seruitia sua tales conducat, qui non domi, sed in confinijs, & in locis magis necessarijs personaliter seruiant. Quòd si qui tempore lustrationis alienos equites lustrandos exponerent, quiq; suos equites ad lustrandum alteri clàm mutuo darent, vel etiam qui officiales & seruitores suos, domesticosque ad lustrandum proponerent, factaq; lustratione, & illis dimissis, in seruitio equitum minori numero remanerent, tales omnes in delicto comprehensi, tanquam proditores & fraudatores patriæ & Principis sui per Capitaneum suum pœna capitis puniantur. Quod si Capitaneus id negligeret, eadem ipse pœna à Regia Maiestate puniatur.

Seruum seu militem alienum in lustratione statuentis, & suum alteri commodantis pœna.

Bona ab obitu Ludouici Regis occupata remittantur, sub pœnis in prioribus constitutionibus statutis. ART. XXIIII.

QVOD bona ab obitu quondam serenissimi domini Ludouici Regis violenter occupata, quæ iuxta priores publicas constitutiones Nouizolienses, Posonienses, & Tirnauienses, remitti debebant, & hactenus remissa non sunt, dum & quando ij, qui ea bona tenent, ad instantiam partis læsæ, per Vicecomites & Iudices Nobilium singulorum Comitatuum fuerint requisiti, absque mora illis ad quos pertinent restituant, eo modo, & sub eisdem pœnis, quibus in priori Conuentu Nouizoliensi fuerat conclusum. Et nihilominus bonis ipsis remissis, pars læsa, quæ videlicet bonis fuerat priuata, talem bonorum detentorem, tàm de damnis, quàm de violentia sibi illata, iure requirere possit. Quòd si qui ad restitutionem hoc modo adduci non possent, in eos Maiestas Regia, per se vel Capitaneos suos, visis literis testimonialibus Vicecomitum & Iudicum, ac vniuersitatis Nobilium, veluti vigore primæ constitutionis Nouizoliensis, ipso facto iam condemnatos, in persona & bonis, vbique intra & extra Regnum, nullo vlteriori iuridico processu expectato animaduertat: & nihilominus Maiestas Regia, per Capitaneos ac Comites vel Vicecomites & Iudices Nobilium, læsos ipsos in dominium bonorum suorum, quibus fuerant spoliati, introduci iubeat defacto.

Bonorum occupatorum detentores, post eorũ restitutionem de damnis & violentia iure requiri possunt

Bona occupata non restituens, Rex intra & extra Regnum puniat.

Malefactores publici, tàm intra, quàm extra Regnum per Regem dicta causa puniantur. ART. XXV.

ITEM quòd Maiestas sua, illos quoque manifestos publicarum constitutionum violatores, qui se legibus Regni, ac iudicijs sedis Maiestatis suæ Regiæ temerè ac violenter opponere præsumunt: Item prouentuum Regiorum, nec non contributionum & subsidiorum publicorum direptores: Ecclesiarum DEI, ac decimarum priuata authoritate ablatores: Nobilium & miseræ plebis oppressores, homicidas, & id genus facinorosos homines, de quibus publicæ querimoniæ Regnicolarum vel Comitatuum, non fauore vnius vel alterius personæ, sed propter communem tyrannidem & oppressioné pauperum, ad Maiestatem Regiam deferuntur, similiter absq; omni iuridico processu, tàm intra, quàm extra Regnum, in personis & bonis, iuxta eorum demerita punire, & per Capitaneos puniri facere, omnimodam habeat authoritatem. Dignum est enim, vt qui libertatem patriæ & Nobilitatis apertè violare non formidat, huic libertates Regni in patratis malis suffragari non debeant.

Intra & extra Regnum, per Regem qui possunt absq; Iuridico processu puniri. Huc pertinet & art. 27.

Violentiæ priuatorum, ordinario processu requirantur. ART. XXVI.

ALIÆ autem violentiæ, quæ non communiter in ruinam vnius vel plurium Comitatuum & districtuum, sed inter duas vel tres personas, sæpe etiam antiquitus committi contigerunt, iuxta leges Regni, coram Iudicibus ordinarijs, secundum Regni libertates requirantur.

Tyrannides, prædas & spolia exercentes, intra & extra Regnum puniantur. ART. XXVII.

ITEM, quòd Maiestas Regia illos quoque, qui propria bona non habentes, in aliorum castellis sibi vtcunque domicilium acquisiuerunt, vel qui ipsi noua ædificia aut fortalitia erexerunt, atq; inde coacta latronum manu, varias tyrannides, prædas & spolia, in miseram plebem, inque Nobiles ipsos, atque etiam in Ecclesias DEI exercere soliti sunt, iuxta illorum demerita, in personis, intra & extra Regnum puniendi habeat facultatem.

Fortalitia nouiter erecta distrahantur. ART. XXVIII.

ITEM castella & fortalitia omnia, per quoscunque, tàm dominos, quàm Nobiles, aliasq; personas, in quocunq; Comitatu nouiter ædificata, ex quibus spolia & deprædationes miseræ plebis, ac Nobilium & Ecclesiarum DEI patrantur, vbiq; per eos à quibus sunt ædificata, infra terminum vnius mensis, sub pœna in articulo Nouizoliensi superinde decreta, distrahantur. In singulis autem Comitatibus Nobiles eiusdem Comitatus conuocati & congregati, faciant inquisitionem de talibus castellis, ac Maiestati Regiæ præscribant, vt ea quæ contra Turcas ad defensionem necessaria videbuntur, integra maneant: reliqua, ex quibus præmissa mala fiunt, distrahantur, & ea si ab eorum dominis non distraherentur, Maiestas Regia, quacunque ratione curet demolienda.

Regina Maria inducatur ad remittendas arces & bona per suos occupata. ART. XXIX.

VIDETVR autem apprimè necessarium esse, & ad restituendam mutuam concordiam in Regno maximè pertinere, vt quemadmodum in proximis Conuentibus, communibus votis omnium Ordinum & Statuum Regni Maiestati Regiæ extitit supplicatum, Maiestas sua, serenissimam Mariam Reginam sororem suam inducat, adeóque efficiat apud ipsam, vt sua Reginalis Maiestas, arces ac similiter bona, literas & priuilegia, quæ iam pridem per ipsam & suos homines occupata tenentur & ablata, post tot supplicationes, fidelibus suæ Maiestatis, qui magno eorum damno, grauique iactura, bonis illis & arcibus iam pridem carent, restituat, vt sic reliqui alienorum bonorum possessores hoc exemplo adducti, facilius ad restitutionem inducantur.

Iudicia

Iudicia celebrentur, sententiaque lata executioni demandentur. ART. XXX.

QVOD Regia Maiestas in Regno Vngariæ, iuxta conclusionem Nouizolienſem & Tirnauienſem, iudicia ſine intermiſſione celebrari curet, & ſententias tàm antehac latas, quàm in poſterum ferendas, ſeruatis de iure ſeruandis, pro authoritate ſua Regia, in Brachio ſuo Regali, debitæ exequutioni demandandas curet, nec ad quorumpiam ſupplicationes, prorogationibus, vel alijs impedimentis huiuſmodi iudiciorum exequutionem interturbare patiatur. *Brachium Regale.*

Pœna eorum qui iudiciis & Iudicibus Regni non apparent. ART. XXXI.

QVOD Maieſtas Regia in eos, qui iudicijs parere noluerint, aut ſe temerè illis opponere, ac (prout antea ſæpius contigit) homines Regios, & teſtimonia Capitulorum vel Conuentuum verberare, ac etiam neci tradere non formidauerint, iuxta contenta Decreti Regni, in perſonis & bonis eorum pœna debita animaduertat.

Comitatuum ſuperiorum ſupplicatio, pro iudiciis in Comitatibus illis celebrandis. ART. XXXII.

ITEM ſupplicant fideles ſubditi ſuæ Regiæ Maieſtatis, ex Comitatibus vltra Tibiſcum, in partibus ſuperioribus conſtituti, videlicet, Maromarus, Zolnok mediocris, Kraſzna, Vgocha, Vngh, Beregh, Szabolcz, Szatmar, Liptho, Arwa, Scepuſien. Saros, Zemplinien. Vywar, Thorna, Borſod, Gömör & Heues, prout & annis ſuperioribus ſupplicauerunt, dignetur Maieſtas ſua, vel totam ſedem ſuam iudiciariam, Magiſtroſq; omnes Protonotarios, vel ſi id fieri non poteſt, Locumtenentem perſonalis præſentiæ ſuæ in iudicijs cum Magiſtris Protonotarijs ſuis, ad partes ſuperiores dimittere, qui in termino & loco ad id præfigendis, adhibitiſque ex ſingulis Comitatibus certis iuratis aſſeſſoribus, nomine & authoritate ſuæ Maieſtatis, cauſas & negotia ipſorum adiudicent, prout ad priores eorum ſupplicationes Maieſtas ſua illis gratioſè conceſſerat.

Iudicia pro Dominica Reminiſcere Poſonij, & Leuchouiæ pro vigeſimo die feſti Beati Georgij celebrentur. ART. XXXIII.

VIDETVR autem Regnicolis, vt (ſi Regiæ Maieſtatis benignus conſenſus acceſſerit) iudicia pro Dominica Reminiſcere proximè futura, Comitatibus reliquis hîc Poſonij inchoëntur, & vſque ad Dominicam Palmarum continuentur: ac tandem vigeſima die feſti Beati Georgij Martyris, cum aliquibus Conſiliarijs, cumque Magiſtris Protonotarijs, Locumtenens perſonalis præſentiæ ſuæ Maieſtatis, modo præmiſſo, ad partes ſuperiores proficiſcatur, ac in ciuitate Maieſtatis ſuæ Leuchouia, totis quadraginta diebus iudicia continuentur. *Leuchouienſia Iudicia.*

Iudicia non pro feſto Diui Martini amplius, ſed pro feſto Lucæ celebrentur. ART. XXXIV.

IVDICIA autem, quæ iuxta conſtitutionem Tirnauienſem, pro feſto Beati Martini, in ſecundo termino iudicari deberent, cum quinquaginta dies ab eo feſto, vſque ad feſta Natalitia interſint: ob hoc non pro feſto Martini, ſed pro feſto Beati Lucæ celebrentur.

Locumtenens ſua iudicia pro Dominica Reminiſcere incipiat. ART. XXXV.

ITEM quòd dominus Locumtenens, iudicia quæ ad officium Locumtenentiæ ſpectant, ſimiliter ad Dominicam Reminiſcere inchoari; & deinde ſemper continuari curet.

Literarum taxa, ſecundùm Decreta veterum Regum, fiat. ART. XXXVI.

QVOD redemptio literarum, tàm in Cancellaria Maieſtatis ſuæ, quàm apud Magiſtros Protonotarios, ac in Capitulis & Conuentibus, more ab antiquo obſeruari ſolito fiat, prout in Decretis diuorum Regum continetur. Quódque teſtimonia Capitulorum

& Con-

& Conuentuum, pro labore viarum, per vnum diem, non plus quam duodecim denarios, more aliâs obseruato, & iuxta Decreta, à Regnicolis exigere præsumant.

Vicecomitum salarium, quando ad aliquam exequutionem proficiscuntur.

ART. XXXVII.

QVIA Vicecomites & Iudices Nobilium, vbi ad restatutionem vel diuisionem aliquorum bonorum profecti fuerint, etiamsi bona fuerint exigua, duodecim florenos pro salario suo in quibusdam Comitatibus exigere consueuerunt. Propterea statutum est, quòd Vicecomites in executione, ex qua illis Birsagia proueniunt, nullum salarium ab his, in quorum executionem fuerint profecti, exigere præsumant: quòd si executionem talem, vel bonorum diuisionem restatutionemq; fecerint, vnde nulla Birsagia habeant, in ea executione pro labore vnius diei florenum vnum, & non plus exigere præsumant.

Comites iurent, alioqui honore Comitatus priuentur. ART. XXXVIII.

QVOD Comites Comitatuum, qui nondum sunt iurati, iuramentum solitum præstent, alioquin honores Comitatuum Regia Maiestas alijs conferat, qui iuramentum præstent. Si qui autem non præstito iuramento, officia Comitum exercere præsumerent, tales Maiestas Regia puniat.

Colonorum libera transmigratio ad aliam Dietam reiecta. ART. XXXIX.

QVOD verò attinet ad libertatem colonorum, de qua pluribus verbis Maiestas Regia Ordines & Status Regni in sua propositione admonuit, etsi libertas huiusmodi æqua & iusta forè videatur, ob eas rationes, quas sua Maiestas prudenter commemorat: cum tamen Nobiles & coloni eorum vsque adeò à potentioribus oppressi sint, vt coloni ipsi in dies singulos, tum violenter abducantur, tùm verò oppressionum genere affecti, ad bona potentiorum commigrare demum cogantur, atque ita præmissa licentia commigrandi, Nobiles breui tempore subditis penitus priuarentur. Statuerunt igitur Regnicolæ, libertatem hanc commigrationis colonorum, vsque ad alium Conuentum, qui primus post præsentem celebrabitur, esse differendam. Quo quidem in Conuentu, si interim præmissæ violentiæ, tyrannides ac deprædationes cessauerint, parati erunt Regnicolæ ea facere in negotio prædicto, quæ meliora videbuntur. Interim verò statuerunt, vt coloni per hæc tempora à violentis abducti, vel qui ad alia bona aut liberas Ciuitates furtim aufugerint, dominis eorum, sub pœna Decreti superinde constituta, restituantur: illos quoque qui metu Turcarum de bonis alicuius aufugerunt, dummodo eorum dominus alia bona habeat, vbi illis tutam residentiam, iuxta reuisionem & cognitionem Vicecomitum & Iudicum Nobilium, dare possit, hi ad quorum bona confugerunt, teneantur remittere dominis eorum: alioquin autem maneant, vbi tutò esse possunt.

Comitatus, quibus Mehmet Passa minatus est ignem & ferrum, Rex defendat.

ART. XL.

QVOD Regia Maiestas habeat curam defensionis Comitatuum, Nittriensis, Hontensis, Barsiensis, Neugradiensis, Vesprimiensis, Szaladiensis, Heuesiensis, & Simigiensis, ad quos Mehmet Passa literas dedit, comminans illis ignem & ferrum: quæ literæ Maiestati suæ iam sunt in specie præsentatæ.

Nobiles profugi in ciuitatibus liberis, ab omni solutione taxarum Regiarum & decimarum, iudicatuque Iudicum ciuitatum, sint deinceps exempti.

ART. XLI.

QVOD Nobiles profugi, qui amissis bonis & hæreditatibus eorum, quique è sedibus proprijs, ad loca tutiora commigrare coacti sunt, ac vel in ciuitatibus Regijs, vel in bonis dominorum, aut aliorum Nobilium sedes sibi ac domicilia acquisiuerunt, ab omni solutione taxarum, tàm Regiæ Maiestatis, quàm etiam in medium Regnicolarum sint exempti,

exempti, similiter & à solutione decimarum, ratione culturæ eorum. Nec iudicatui Iudicum ciuitatum, aliorumue locorum, in quibus habitant, officialibusue sint subiecti, sed semper in Iudicijs Regni, coram eorum Iudicibus ordinarijs iudicentur: demptis illis causis, si quæ ratione illorum locorũ, in quibus denuò residere cæperunt, illis mouerentur, exceptisq; illis, qui se iam in ciuitatibus liberis in medium ciuium sponte tradiderunt, oneraque ciuitatum vltrò subierunt.

Castra, castella, & fortalitia defensioni minus necessaria, in Regno Sclauoniæ diruantur: quibus autem opus est, præsidio muniantur. ART. XLII.

QVOD Maiestas Regia, castra, castella, & fortalicia in Regno Sclauoniæ & Croatiæ Turcis finitima, & quæ vel ex suis redditibus, vel eorum quorum sunt, priuatis opibus conseruari non possunt, statim per dominum Capitaneum suum, aut Banum illius Regni, vel per alios commissarios suos diligenter vbique inspici & considerari curet, & ea quæ pro defensione Regni illius necessaria videbuntur, ad manus suæ Maiestatis recipiat, vel aliter de illorum conseruatione maturo consilio, quoad eius fieri potest, prouideat: illa verò quæ minus necessaria visa fuerint, dirui & comburi faciat, ne in manus hostium deueniant.

Sclauoniæ Regnum Rex diligenter tueatur, & de salario Banorum ac militum suorum tempestiuè prouideat. ART. XLIII.

QVOD Maiestas Regia defensioni Regni Sclauoniæ maturè prospiciat, & inter cætera, tum domino Bano solutionem subinde fieri curet, vt ipse cum suis gentibus præstò semper ad defensionem, quocunq; opus fuerit, esse queat; tum verò alijs quoq; dominis ac Nobilibus Croatis, quibus in confinijs bona sunt, nec propter excursiones continuas Turcarum, quas sub præsentibus inducijs crebriores quam antea faciunt, agros colere, vel sese aliter ex proprijs redditibus sustentare possunt; de solutione aliqua prouideat, vt & hi in defensionem illorum Regnorum præstò sint.

Castrorum, vltra & citra Danubium existentium, fiat prouisio ART. XLIIII.

QVOD Maiestas Regia, conseruationi castrorum Dombo, Kapros, Vyuar, Somogyuar, Kak, Szigeth, Tihany, Cheſznak, arcis Sancti Martini, & aliorum vltra Danubium existentium, quæ omnibus ferè prouentibus ac redditibus per Turcas spoliata sunt: citra Danubium verò castris ac fortalitijs Saagh, Pbſztho, Dreghel, Szechen, Buiak, Leua, & si quæ sunt alia, præsidijs necessarijs omnium generum maturè prouideat, aut si quæ ex prædictis locis diruenda viderentur, maturè diruantur, habita videlicet per Capitaneum suæ Maiestatis in ea re diligenti consideratione.

Agriensi Ecclesiæ de Episcopo, & arci de præsidio prouideatur. ART. XLV.

QVOD Maiestas Regia tàm de Episcopo Agriæ collocando, quàm etiam alijs necessarijs ibidem prouidendis, clementer recordari dignetur, & ponat ibi Capitaneum cum præsidio necessario, pro loci illius, & partium superiorum tuitione atq; defensione.

Challokoz insulæ libertates veteres obseruentur, in eductione & inductione frumenti & vini. ART. XLVI.

QVOD Maiestas Regia admittat Nobilibus, ac etiam colonis, & alijs incolis insulæ Challokoz, vt eductionem seu inductionem frumentorum ac vinorum, iuxta veterem eorum consuetudinem ac libertates possint liberè exercere, mandetq; Maiestas sua Capitaneo suo generali, ac cæteris Capitaneis suis, Germanis simul ac Vngaris, vt libertatem incolis præfatæ insulæ inuiolabiliter obseruent. Hactenus enim in ea re Capitanei ipsi, mandatis suæ Maiestatis parere recusarunt.

Debita Hispanorum creditoribus refundantur. ART. XLVII.

QVOD Maiestas Regia, illa debita, quæ domini Hispani milites ab eisdem Nobilibus

bus dictæ insulæ, vel ab alijs, siue dominis, siue Nobilibus, ad literas eorum obligatorias, ac domini quondam Felcz admonitionem contraxerunt, his quibus debentur, solui curet. Damna insuper quæ per eosdem milites, in diuersis Regni Comitatibus illata sunt, diligenter inquiri, & iustè probata refundi faciat. De cætero autem Maiestas Regia eum modum adhibeat, vt in his locis, ac sub tali disciplina eos contineat, vt pauperum subditorum damna præcaueantur.

Monetarum falsarum cusores puniantur. ART. XLVIII.

ITEM cusores falsarum monetarum, Maiestas Regia absque omni gratia, iuxta tenorem Decreti, puniat.

Vada inconsueta, Teloniaque sicca tollantur. ART. XLIX.

ITEM vada inconsueta, & Telonia quæ sicca vocantur, nullibi permittantur, & quæ erecta sunt tollantur. In vadis autem & Telonijs iustis ac veteribus, sub illorum amissionis pœna, à transeuntibus iusta ac debita exactio fiat.

Ciuitatum libertates obseruentur. ART. L.

ITEM quòd omnes libertates, tàm liberarum, quàm etiam montanarum ciuitatum super non solutione Teloniorum, superque alijs prærogatiuis, à Diuis Regibus eisdem concessis, vbique & per quoscunque Maiestas Regia inuiolabiliter obseruari facere dignetur.. Contrarium facientes, Maiestas sua pœna condigna, de iure Regni puniat.

Negotiatores solutis soluendis, liberum transitum per Regnum habeant. ART. LI.

STATVTVM est etiam, vt negotiatores tàm interni, quàm externi quicunque Regnum intrantes, & è Regno exeuntes, cum rebus & mercibus eorum, solutis de iure soluendis, vbique liberum transitum habeant, dummodo vetitas merces, contra generalium mandatorum suæ Maiestatis prohibitionem, ad hostes non exportent. Itinera, quæ hactenus versus Vratislauiam, & alias partes Silesiæ, aliaque quæcunque loca, occlusa fuêre, per Regiam Maiestatem libera reddantur, ac in prædones & itinerum perturbatores seuerè animaduertat. *Prædones puniantur.*

Rex Comitatus & ciuitates partium superiorum defendat. ART. LII.

QVOD Maiestas Regia, fideles suos ex Comitatibus Saros, Vywar, Zemlen, & Vngh, quos Cassouienses, sub nomine & titulo filij Regis Ioannis, ab obedientia Maiestatis Regiæ modis omnibus abstrahere conantur, defendere, & ab illorum oppressionibus liberare dignetur: ne Comitatus ipsos sic in partes distractos & oppressos, penitus desolari oporteat. Similiter etiam defensioni ciuitatum superiorum, partiumq; quæ ab eisdem Cassouiensibus multa identidem incommoda & oppressiones patiuntur, Maiestas sua maturè prouideat.

Possessiones à suo auulsæ Comitatu, eidem rursus incorporentur. ART. LIII.

QVOD possessiones per hæc disturbiorum tempora ab vno Comitatu auulsas, & alteri Comitatui vtcunq; annexas, Comites authoritate officij ipsorum, illi Comitatui, ad quem de iure & ab antiquo pertinent, incorporare rursum curent.

Tricesimæ è manibus eorum, quibus oppositæ sunt, eliberentur, fisco applicentur, & nouiter erecta loca Tricesimarum negligantur. ART. LIIII.

QVOD Maiestas Regia Tricesimas suas, quas Podmaniczky, Koczka, Duboczky ac domina consors domini Ioannis à Pernstain, alijque quicunque nostrates vel externi quoquomodo tenent, similiter & alios redditus suos ordinarios, Maiestas Regia de manibus eorum, qui illa tenent, eliberare, & Cameræ suæ Vngaricæ applicare dignetur, & prouentus huiusmodi omnes ad Regni defensionem conuertantur: vtque querelæ varijs ex locis, de nouis Tricesimarum locis erectis, præcipuè autem à montanis delatæ, eo facto

eo facto cessent. Quòd si tamen Maiestas sua ad necessitates defensionis Regni à quopiam pecuniam leuauit, pro qua coacta sit Tricesimam aliquam inscribere, dignum videtur, vt talibus per concordiam honestam satisfiat, vt sic Tricesimæ inscriptæ liberentur. Ab illis verò, qui nulla pecunia in Regni defensionem mutuata, sed cum aliter ad obedientiam Maiestatis Regiæ accedere nollent, Tricesimas aliquas sibi inscribi vel donari curarunt. Quia certum est, tales indebitè publicos Regni prouentus percipere, debeant Tricesimæ ipsæ sine omni solutione auferri, & fisco Regio de facto applicari.

Decimæ, vsque festum Georgij, nemini arendentur. ART. LV.

QVONIAM variæ querimoniæ deferuntur, super conductione arendationeque, & exactione decimarum, quas potentiores ante tempus in arendam conducere, atque ita à pauperibus colonis insolitis modis magna illorum oppressione exigere consueuerunt. Ob id statutum est, vt à modo inposterum, domini Prælati, vel alij decimas habentes, vsque ad festum Diui Georgij decimas suas, nemini locare possint, vt interim Nobiles decimas bonorum suorum conducere pro se valeant. Exacto autem illo die, liceat cuicunque decimas ipsas conducere: sic tamen, vt solitam decimam, & modo antiquo in huiusmodi obseruato, nec aliter exigant, plebanisque suam persoluant sedecimam. *Decimæ, post festū S. Georgij possunt cuicunque arendari.*

Castella nouiter erecta demoliantur, & bona per Podmaniczki occupata, quorum sunt, restituantur. ART. LVI.

QVOD Maiestas Regia, inter alios tractatus cum Podmaniczki agat, efficiatque vt castella Szerdahely in Nittriensi, Bakon Vywar, in Vesprimiensi, Ordo in Simigiensi, Comitatibus, per hos annos erecta, ex quibus variæ deprædationes & oppressiones pauperum circumquaque exercentur, Maiestati suæ Regiæ, absque mora restituat, eademque restituta, sua Maiestas demolienda curet. Bona verò ad arces seu castella, aliaque quæ idem Podmaniczki violenter, vel aliter quomodocunque per hæc disturbiorum tempora occupata tenet, Maiestas sua, ijs ad quos pertinent, iam tandem per eum curet restitui.

Metæ Regni vndiquaque rectificentur. ART. LVII.

QVOD Maiestas Regia, metas Regni Vngariæ versus Poloniam & Morauiam, nec non Styriam & Carniolam, aliasque Prouincias hæreditarias existentes, quæ per sententiam aut concordiam hactenus non sunt determinatæ, rectificare dignetur, prout in transactionibus Principum est expressum, si earundem controuersiæ aliter concordari aut componi non poterunt.

Bona per Mauritium Marchionem Brandenburgensem occupata restituantur. ART. LVIII.

ITEM bona Capituli Castri ferrei, per Mauritium Fyerst, & alia ex metis Regni Vngariæ, tàm à manibus Nobilium, quàm aliorum iniustè occupata, remitti faciat sua Maiestas.

Poloni in Vngaria, & Vngari in Polonia, commertia liberè vt exerceant, Rex prouideat. ART. LIX.

QVONIAM prohibitum est per sacratissimum Regem Poloniæ, ne quis subditorum suorum, res aut merces vllas in Vngariam importet, dignetur Maiestas sua eundem Poloniæ Regem hortari, atque apud eum efficere, vt sublata hac prohibitione, sinat Polonos liberè commertia in Vngaria exercere: alioquin si hoc per illum fuerit denegatum, Maiestas sua fidelium suorum commodo prospiciens, dignetur vicissim datis mandatis inhibere, ne quis ex Vngaria, Morauia, aut Silesia, merces, aut res vllas, in Poloniam ducere præsumat. Diuersum facientes, rerum suarum huiusmodi, per Tricesimatores & officiales Maiestatis vestræ ablatione puniantur, resque ablatæ, ad Cameram Maiestatis vestræ applicentur. Quòd si tamen Poloni aliqui in Vngariam venientes, res

aut merces emerint, solutis de iure soluendis, liberè transire, resque abducere permittantur.

Inscriptionum causæ per dominum Locumtenentem discutiantur. ART. LX.

QVOD Maiestas Regia dignetur iubere domino Locumtenenti, vt in absentia Maiestatis suæ, causas inscriptionum, vna cum Iudicibus Regni ordinarijs reuideat, quemadmodum in priori Conuentu Posoniensi, per Status & Ordines Regni conclusum, ac ibidem per Maiestatem Regiam fuerat concessum: & quicquid iure mediante per eos fuerit compertum, id Maiestati Regiæ ante sententiæ pronunciationem rescribant, Maiestasq; sua facere postea dignetur, quod iustum & æquum fuerit.

CONCLVSIO.

Nos itaq; accepta præfatorum fidelium nostrorum dominorum Prælatorum, Baronum, Nobilium, cæterorumq; Statuum & Ordinum Regni nostri Vngariæ supplicatione, præscriptisq; articulis & constitutionibus ipsius Dietæ nobis porrectis, tàm his quæ pro temporis ratione specialiter in contributionibus subsidiorum pro defensione Regni, contra excursiones Turcarum repellendas, atque in alios vsus confecta sunt, quàm etiam, quæ ad vnionem, concordiam & tranquillitatem publicam in Regno nostro Vngariæ restituendam pertinent, exactè & diligenter perlectis, perpensis & moderatis, eos omnes ipsos articulos & statuta, quatenus quæque eorum pro temporis conditione, alia videlicet saltem ad præsens tempus, alia verò ad longiorem vsum edita sunt, clementer approbauimus, ratificauimus, & nostra potestate Regia confirmauimus: imò approbamus, ratificamus, & confirmamus: harum nostrarum per Cancellarium nostrum Regium subscriptarum, secretoq; sigillo nostro, quo vt Rex Vngariæ vtimur, munitarum, vigore & testimonio literarum mediante. Datum in arce nostra Regia Posoniensi, penultima mensis Februarij, Anno Domini, Millesimo, Quingentesimo, Quadragesimo sexto: Regnorum nostrorum Romani decimo sexto, aliorũ verò vigesimo.

CONSTITVTIONES CONVENTVS TIRNAVIENSIS, PRO FESTO S. CATHERINÆ Virginis, Anno Domini, M. D. XLVII. celebrati.

Gratiarum actio Regnicolarum, quòd Rex defensioni & eliberationi Regni sedulam operam nauet. ART. I.

PRIMVM omnium, Prælati, Barones, Nobiles, cæteriq; Ordines & Status Regni Vngariæ, gratias immortales humilimè agunt atque habent sacræ Regiæ Maiestati, domino eorum clementissimo, de omni studio, cura & solicitudine, quam sua Maiestas pro salute & conseruatione ipsorum iam inde ab initio semper impendit; deq; liberali & clementi oblatione, qua sese imposterum quoq; itidem facturam esse, Maiestas sua per Oratores suos ad hunc Conuentum delectos, benignè affirmauit, nihil verentes quin sua Maiestas, sacræ Cæsareæ Maiestatis fratris sui, & domini nostri clementissimi, cæterorumq; Christianorum Principum auxilio, omnia quæ ad defensionem eliberationemq; Regni Vngariæ pertinere videbuntur, sedulò sit omni tempore curatura, & in præsenti Conuentu Imperiali, de omnibus ad eam rem necessarijs conclusura, cum præsertim intelligat Ordines & Status Regni, secundùm DEVM, omnem salutis ipsorum fiduciam, in sua Maiestate iam pridem reposuisse.

Induciæ cum Imperatore Turcarum, quibus cum conditionibus pactæ. ART. II.

QVOD verò Maiestas sua significauit ijsdem Ordinibus & Statibus Regni fidelibus suis, sese varijs rationibus adductam, pacem in quinquennium, pro commodo & salute eorundem fecisse cum Turca, ijs conditionibus, vt quicquid in potestate est suæ Maiestatis, suorumue fidelium & subditorum, penes eosdem pacificè hoc temporis spacio remaneat,

neat, absque omni Turcico impedimento. Præterea vt Tymari, hoc eſt, oppida, villæ & poſſeſſiones antea militibus Turcis aſſignata, ex quibus hactenus Turcæ, vi potius & rapinis, quàm pacifica poſſeſſione ſolutionem vel cenſum aliquem ſunt conſecuti, Maieſtati ſuæ & ſuis ſubditis libera ac ſalua, ſub hoc induciarum tempore, maneant. Inſuper vt per Haydones & Martaloſios, ab vtraque parte nulla damna & mala inferantur, & ſi qui ea facerent, puniantur: Negotiatoribus quoque tutum ſit exercere negotiationem vbique, ſolutis debitis vectigalibus. Et poſtremò, ne transfugæ ab alterutra parte ſub inducijs ſuſcipiantur. Agnoſcunt Ordines & Status Regni, ſingulare Maieſtatis ſuæ ſtudium erga ipſos fideles & ſubditos ſuos. Ac tametſi nihil verentur, quin Maieſtas ſua conditiones prædictas induciarum, pro commodo fidelium ſuorum imprimis ſuſceperit, ſperans omnino, Turcas eas firmiter obſeruaturos eſſe: cum tamen ijdem Turcæ iniquiores multo conditiones paſſim diuulgent, & alioqui etiam in multis locis, pauperes colonos non ſolùm inter arces finitimas exiſtentes, ſed etiam remotiores quique à fidelibus & ſubditis ſuæ Maieſtatis pacificè poſſeſſi ſunt, multo grauioribus, quàm antea oneribus exactionibuſque premere iam inceperint, & quod grauiſſimum eſt, non permittunt Maieſtati ſuæ vllam dicam, dominiſque proprijs vllum cenſum præbere, victualia quoque & ſeruitia, quæ ante inducias præſtabant, ad arces finitimas præſtare; timendum eſt, ne ex hinc maiores tumultus oriantur. Supplicant propterea Ordines & Status Regni ſuæ Maieſtati, dignetur modum atque ordinem certum adhibere, vt conditiones quidem induciarum à Turcis inuiolabiliter obſeruentur, neq; fideles aut ſubditi ſuæ Maieſtatis, eorumue coloni, vllo onere vel exactione ab illis grauentur: illa tamen vna conditio, quæ de transfugis non recipiendis eſt, reformetur. Parum enim videtur eſſe pium Chriſtianum è dira ſeruitute hoſtium effugientem non recipere, aut receptum rurſus nefariæ Turcarum crudelitati cruciandum reddere.

Loca finitima, ſub inducijs, præſidijs muniantur. ART. III.

CVM autem conſtet Maieſtati ſuæ, antea quoque temporibus induciarum, Turcas, & arces aliquot occupaſſe, & vaſtitatem magnam feciſſe in Regno, videanturque planè ſub his inducijs reliquum hoc quod Regni eſt, omnino velle opprimere: Ordines & Status Regni ſupplicant Maieſtati ſuæ humilimè, dignetur loca finitima vltra citraque Danubium, neceſſarijs vbique præſidijs firmare, vt perfidorum hoſtium conatus retardari, atq; ipſi fideles Maieſtatis ſuæ, defenſi eſſe poſſint.

Pacis & concordiæ in Regno retinendæ ratio. ART. IIII.

QVOD verò Maieſtas Regia hortatur eoſdem fideles ſuos, vt depoſitis mutuis ſimultatibus, pacem & amicitiam inter ſe amplectantur, deſinantq; alere inter ſe diſcordiæ fomites, ex quibus oppreſſiones miſerorum ſubditorum, atque hinc grauior indies ſummi DEI vindex ira procedit: agunt Ordines & Status Regni Maieſtati ſuæ gratias immortales, de huiuſmodi benigna & paterna admonitione, planéque affirmant, huiuſmodi mutuas diſcordias, non minus forte, quam vim hoſtilem, Regnum in hunc, in quo eſt, ſtatum afflictum produxiſſe. Ideóque ad placandam ſummi DEI iram, reconciliatione, mutuaq; & ſincera animorum coniunctione opus eſſe affirmant. Sed quoniam ita apud nonnullos licentia, iam longo vſu diuturnaque impunitate increbuit, vt non facilè monitis atque adhortatione in melius verti poſſit, ſed vi atque armis debeat coërceri. Probatur magnopere Ordinibus & Statibus Regni, vt Maieſtas ſua, quemadmodum benignè offert in legatione ſua, dum ipſa per ſe venire, atque inter fideles ſuos iam tandem in Vngaria perſiſtere (cuius præſentia, confuſa & perturbata cuncta facilè componet) poterit, modum & facultatem tribuat, tum generali, tum ſupremo Capitaneis ſuis, vt cum gentibus & alijs bellicis apparatibus ad id neceſſarijs, quas Maieſtas Regia penes ipſos Capitaneos debet alere continuè, non ſolùm hoſtes repellere à finibus, verùmetiam re ipſa tandem, iuxta conſtitutiones priorum Conuentuum, ſine cuiuſquam reſpectu, facinoroſos inobedienteſq; noſtrates poſſint perdomare. Quo facto, miſerorũ

insontiumq; oppressio auerti, authoritasque suæ Maiestatis conseruari; ac publicæ constitutiones ad exitum poterunt perduci. Quod si, vt sperant, & ipsa offert Maiestas sua, fecerit, ijdem fideles & subditi suæ Maiestatis vicissim offerunt sese, in tàm sancto opere nusquam defuturos pro viribus ipsis Capitaneis & gentibus suæ Maiestatis.

Rex pro maiori tempore in Vngaria maneat, vel serenissimum Principem Maximilianum Archiducem loco sui relinquat. ART. V.

SED quia iam satis longa experientia edocti sunt omnes, diuturniori absentia sacræ Regiæ Maiestatis ab Vngaria, licentiam inter multos maiorem in modum creuisse, satisque constat, vetustis etiam temporibus pacatiores fuisse semper omnes Regni partes, præsente quam absente Rege: & idcirco à maioribus esse Decreto cautum, vt Rex Vngariæ in Regno maiorem temporis partem conterat. Quo quidem Decreto ipsos quoque Romanorum Imperatores, qui Reges Vngariæ fuerunt, licet Romanum Imperium cæteraq; Regna & Prouincias tenuerint, in Vngaria tamen plerumq; perstitisse memoriæ proditum est, quod satis intelligerent, quantopere vel pacatis temporibus, ad continendos subditos in officio, ipsorum præsentia conduceret. Propterea supplicant Maiestati Regiæ, domino ipsorum clementissimo, dignetur iam tandem in Vngariam se recipere, & velut caput, membra hæc sua languentia fouere atque erigere. Quod si fortè Maiestas sua Christianæ Reipublicæ negotijs præpedita nondum venire, vel inter fideles suos in Vngaria nondum potest persistere, dignetur serenissimum Principem Maximilianum filium suum, dominum nostrum, in medium fidelium suorum in Vngariam dimittere, vti ea de re supplicantibus Ordinibus & Statibus Regni, in Conuentu Posoniensi Maiestas sua coràm benignam spem dederat. Nam cum sese Ordines & Status Regni, non solùm Maiestati suæ, sed etiam suorum hæredum imperio & potestati in omne tempus subdiderint, non minori fide, studio atque obseruantia, ab omnibus Ordinibus & Statibus, illi in Vngaria permanenti, parebitur, quam ipsi personæ suæ Maiestatis. Eo autem præsente, facilius impunitati, licentiæ, & omnibus deniq; facinoribus obuiam itum iri, omnes facilè confidunt. Id verò Maiestas sua vel ideò benignè debet in præsentia fidelibus suis concedere, quòd se absente, serenissimum Principem Ferdinandum alterum filium suum, paulò ante inter Boëmos reliquit.

Milites nostrates conducantur. ART. VI.

CVM autem iam satis experta sit Maiestas Regia, Vngaricam nationem plurimum aduersus Turcas, neq; magno stipendio, posse Christianæ Reipublicæ seruire: videtur illud apprimè Maiestati suæ curandum esse, vt nostrates milites, qui nunc ab hostibus, patrijs sedibus eiecti, non vulgari numero reperiuntur, quo plures possunt, penes gentes externas conducantur, ac distribuantur per loca finitima magisq; necessaria. Quo quidem facto, & rebelles inobedientesq;, qui huiusmodi nostratibus militibus stipendio aliunde destitutis, solent esse stipati, debiliores reddentur, & milites huiusmodi stipendijs prouisi, non amplius pro sustentatione sua cuiquam iniuriam inferent.

Subsidium pro facultate Regni offertur. ART. VII.

QVOD verò ad subsidium attinet, quod sibi ad ista curanda exequendaq; Maiestas sua dari postulat ex Vngaria, intelligit profectò iam satis Maiestas sua, quo in statu sint reliquiæ huius Regni sui, quamq; sint attritæ omnium fortunæ, in quot partes distrahantur exigui pauperum census, & quid subsidij ab hinc possit expectari. Constat siquidem exiguam admodum Regni partem teneri adhuc per fideles suæ Maiestatis: Turcis maiorem partem, Regina verò vidua cum fratre Georgio non exiguam regionem possidentibus; adeò vt cum in angustum admodum redacta sit ditio suæ Maiestatis, perparũ sit quod suæ Maiestati, in quemcunq; vsum ex Vngaria possit præstari. Nihilominus, vt sentiat Maiestas sua, ne extremis quidẽ rebus, Vngaros sibi vlla ex parte deesse velle, subsidiũ obtulerunt Regię Maiestati, quod sua Maiestas inferius cognoscet. Supplicantes

eidem

eidem, dignetur grato & clementi animo, hoc quod præstare fideles sui possunt, accipere, ac tempestiuè addere, sua & sacræ Cæsareæ Maiestatum, ac istorum Imperij Principum subsidia. Hoc etenim, quod Vngari obtulerunt, pecuniario subsidio, imminentia vel à Turcis, vel à domesticis hostibus pericula propulsari minimè posse, facilè omnes intelligunt.

Contributio duorum florenorum cum lucro Cameræ. ART. VIII.

OBTVLERVNT ergò Ordines & Status Regni, communi consensu, sacræ Regiæ Maiestati, domino eorum clementissimo, subsidium duorum florenorum, in duobus terminis, modo infrascripto, de omnium dominorum & Nobilium bonis exigendum: ex quibus terminis, primus est mensis Martij proximè futuri primus dies: secundus verò terminus, festum Natiuitatis Diui Ioannis Baptistæ immediatè subsequens; ita videlicet, vt singulo quoque termino, singuli floreni Vngarici exigantur. Ex huiusmodi autem duobus florenis Vngaricis, centum sexaginta denarij, ad intertentionem gentium, præsidiaque locorum finitimorum conuertantur: Viginti denarij pro lucro Cameræ: reliqui autem viginti denarij ad legationes, aliasque necessitates suæ Maiestatis exponantur.

Duo Thesaurarij eligantur, quibus solutio ad septuaginta quinque equites fiat. ART. IX.

HÆC autem pecunia, quæ vtroque termino pro conseruatione gentium, & præsidio locorum finitimorum, modo prædicto, exigi debet: vt rectius in hunc vsum, & non in alium conuertatur, Ordines & Status, communibus votis elegerunt duos Thesaurarios; alterum videlicet ex ordine dominorum, Reuerendissimum dominum Episcopum Nittriensem; alterum verò ex ordine Nobilium egregium Sigismundum Forgach, quibus ad septuaginta quinque equites ordo est constitutus. Domino scilicet Episcopo Nittriensi ad Quinquaginta, per tres florenos, atque insuper sexaginta florenos in singulos menses pro mensa sua. Egregio verò Sigismundo Forgach, ad viginti quinque equites, similiter per tres florenos, & triginta duos florenos in singulos menses pro sustentatione mensæ: Ita tamen, vt ijdem Thesaurarij, vbique penes personas Capitaneorum supremorum Regni, cum eorum gentibus adesse, & tàm suis, quàm suorum Capitaneorum, aliorumq; dominorum vel Nobilium gentibus, ad seruitia Regiæ Maiestatis & Regni, modo infrascripto conducendis, per tres florenos in singulos menses stipendium persoluant, vltra pecuniam pro conseruatione mensæ Capitaneorum, facta videlicet semper lustratione ipsarum gentium. Idemque Thesaurarij, de data & accepta pecunia huiusmodi, rectam teneantur suo tempore reddere rationem. Quadraginta autem denarij præscripti, ad manus Camerariorum Regiæ Maiestatis administrentur.

Contributionem exigendi modus. ART. X.

MODVS autem dicationis talis esse debere visus est: vt statim per ipsos Thesaurarios Dicatores viri probi, & Regiæ Maiestati ac Regno iurati, dimittantur in singulos Comitatus, vltra citraque Danubium. Qui quidem Dicatores, iuxta numerum portarum, in quibuscunque oppidis, villis & pagis sessionatos colonos recenseant & connumerent: habitaque de facultatibus & bonis vniuscuiusque coloni, iuxta numerum portarum, ratione, singulos florenos, singulo quoque termino exigant: ita vt quicunque res & bona ad valorem sex florenorum habuerint, dicentur, dicamq; soluant, exceptis tamen his colonis, quorum domicilia recens conflagrarunt, vel qui denuo in loco antea deserto, à fundamentis domos erigunt, vel iam erexerunt, nec dumque tertius illis noui ædificij annus exactus est. Nam ijs omnibus triennij exemptio obseruari debet. Similiter seruitores & mercenarij, qui dominorum aut Nobilium victu amictuque aluntur: portarij item, qui in arcibus & castellis dominorum & Nobilium seruientes, dominis eorum, præter hoc nihil contribuunt: præterea allodiatores, à solutione dicæ exempti sint, vt antehac in huiusmodi est obseruatum. Dicatores iuramento iudicum contenti

sint, & solutionem ad mensam per singulos florenos tres, vsque ad numerum trium vel quatuor equorum, vsque quo connumerationem perfecerint; postea verò, dum in exigendis dicis perstiterint, per quatuor florenos habeant.

Restantiæ contributionum exigantur. ART. XI.

CVM verò antehac quoque experta sit Maiestas sua, quam solita fuerint subsidia huiusmodi proximis annis Maiestati suæ ad Regni defensionem oblata, per violentos atque inobedientes nonnullos turbari, adeò vt exigua admodum illorum pars in eum fuerit vsum distributa, in quem erat institutum subsidium. Necessarium omnino esse iudicant Ordines & Status, vt quemadmodum Maiestas sua clementer admonet, modus & ratio certa adhibeatur, qua non solùm hoc quod nunc offertur subsidium exigi, & manibus Thesaurariorum modo suprascripto administrari, & in vsum alendi gentes in locis Regni necessarijs distribui, verùm etiam præteritorum subsidiorum reliquiæ seu restantiæ, iuxta mandatum suæ Maiestatis, domino Capitaneo suo generali iam datum, de omnium dominorum ac Nobilium bonis, per omnia opportuna remedia possint extorqueri. Ex quibus quidem restantijs subsidiorum Comitatuum trans Danubianorum, quæ subsidia proximis mensibus per eosdem Comitatus ad conseruationem gentium ordinata sunt, dominus generalis exigat, & militibus ad rationem ipsorum subsidiorum conductis, solutionem facere curet.

Oppressiones, violentiæ, & alia malorum genera fieri prohibeantur. ART. XII.

NEQVE verò ad id solùm certa ratio & modus excogitandus, verùmetiam ad auertenda omnia violentiarum & oppressionum, occupationumque bonorum vel prouentuum aliorum genera, solicitè prouidendum, & tranquillitati Regni cumprimis studendum esse ijdem Ordines ac Status Regni existimarunt.

Gentes conducantur, & ad loca finitima distribuantur. ART. XIII.

CVM igitur facinora violentiæque huiusmodi soleant vt plurimum contingere in his partibus, inter Danubium & Tibiscum, videtur illud primum necessarium esse, vt dominus generalis Capitaneus, ac ipso vel præsente, vel absente, dominus Andreas Bathori, supremus Regni Capitaneus in partibus illis, in quibus ea mala solent, vt prædictú est, contingere, continuè maneat, idemque ex consilio dominorum Locumtenentis, Capitanei generalis, ac Thesaurariorum supra nominatorum, iuxta limitationem ac deliberationem Regiæ Maiestatis super ea re faciendam, ex pecunia subsidij prædicti, dominos ac Nobiles viros militares, ad militiamque idoneos, ac qui prædas facere non solent, vel ab illis iam destiterunt, cum gentibus, per tres florenos in singulos menses, singulis equitibus, vltra pecuniam pro conseruatione mensæ, conducat, distribuatque per loca necessaria, vt contra excursiones insultusque Turcarum, contraque facinorosos atque inobedientes, prout necessitas postulauerit, prestò esse queant sine mora. Caueatq; idem Capitaneus supremus, vna cum Thesaurarijs, ne subsidium huiusmodi ad defensionem Regni constitutum, in vllos alios vsus exponatur, aut per quempiam distrahatur.

Oratoribus ad Regem delectis, expensæ suppeditentur. ART. XIIII.

STATVTVM tamen est, vt expensas dominis Oratoribus ad suam Maiestatem ex hoc Conuentu delectis, per nonnullos dominos & Nobiles datas, ijdem domini ac Nobiles, de bonis suis ex primo subsidio vnius floreni excipere possint. Vt autem in conseruatione gentium defectus non committatur, expensæ huiusmodi, ex denarijs viginti, ad legationes publicas modo præmisso oblatis, ipsis dominis Thesaurarijs Regni refundantur.

Loca finitima præsidio firmanda sunt. ART. XV.

VIDENTVR etiam castra & munitiones finitimæ, necessarijs præsidijs equitum & peditum, vltra citraque Danubium, ac in Regno Sclauoniæ, sine cunctatione firmanda esse. Castella autem & fortalitia denuo vbiuis absque consensu Regiæ Maiestatis erecta,

erecta, ex quibus plerumque deprædationes fieri solent, funditus diruantur, iuxta priores constitutiones, habita videlicet prius, per dominos Locumtenentem & Capitaneos generalem ac supremos, diligenti inquisitione super huiusmodi castellis & fortalitijs, vtilitateq; & incommodo quoq; perpenso, quod ex illis, si nō diruantur, consequi possit.

Contributio Regnicolarum non sufficit ad conseruationem confiniorum.

ART. XVI.

AD ea autem castra & fortalicia, quæ dirui non debent, & præsidio egent, pro necessitate munienda & conseruanda, subsidium, vel pecuniarum, vel gentium sacræ Cæsareæ & Regiæ Maiestatum, ac Imperij Principum, omnino est necessarium: quemadmodum ex Regesto super his ad suam Maiestatem misso facilè constabit. Nam Vngaricum per se subsidium, ad ista omnia haudquaquam satis futurum esse, iam Maiestas sua intelligit.

Domini & Nobiles equites & pedites paratos habeant, qui ingruente necessitate, Capitaneis viritim assistant. ART. XVII.

SI dominus generalis cum supremo Regni Capitaneo, gentibusq; modo præmisso conductis, ad defensionem terræ contra Turcas atque rebelles, & inobedientes puniendos, vel ad dirimenda castella aut fortalicia, præter voluntatem aut scitum Regiæ Maiestatis erecta, non sufficeret, emergente videlicet aliqua grauiori necessitate. In eo casu, is est ordo constitutus, vt domini & Nobiles, ac cæteri subditos vel colonos habentes, ex singulis quibusq; centum colonis, ternos equites, totidemq; pedites iugiter habeant paratos: vt cum à dominis Locumtenente & Capitaneo generali fuerint admoniti, absente videlicet sua Maiestate, ternos equites ac pedites huiusmodi, vel vnum tantum, aut duos, prout ex necessitate fuerint requisiti, penes personam domini generalis, aut ipso absente, penes supremum Capitaneum, sine mora dimittere, quocunque iussi fuerint, & quamdiu necessitas postulauerit, sumptibus suis ibi tenere debeant. Ipsi quoque domini ac Nobiles, tali existente necessitate, penes eosdem Capitaneos generalem aut supresupremum viritim insurgere, atq; illis assistere teneantur. Quòd si tàm repentina contingeret necessitas, vt mandata vel Regiæ Maiestatis, vel in sua absentia dominorum Locumtenentis & Capitanei generalis, expectari non posse viderentur, ad vnius supremi Capitanei mandatum illicò eadem præstare teneantur. Si quis autem recusaret, aut negligeret, dominus, Nobilisue, illius bona illicò occupentur per eundem Capitaneum supremum, occupataque teneantur, donec duplum exigatur illius, quod modo supradicto præstare debuisset.

Capitaneus supremus quibus in casibus executiones peragat. ART. XVIII.

TRIBVS autem ex causis executiones aduersus violentos, modo supradicto, per Capitaneos & gentes Regiæ Maiestatis fieri debere visæ sunt. Primùm ex vltima sententia Iudicum ordinariorum Regni, in sede iudiciaria Regiæ Maiestatis, contra quemcunque, iudiciorum terminis & processibus lata. Deinde ex transgressis constitutionibus articulorum Nouizoliensium, & aliorum Conuentuum, seruato videlicet eo ordine & modo in punitione transgressorum, qui ordo & modus, in articulis ipsorum Conuentuum est expressus. Postremò, ex aperta violencia, ablationeque manifesta prouentuum ac decimarum, oppressione Nobilium aut colonorum, quæ palàm per quemcunque fieret, in quocunque Comitatu. *Decimarum contra ablatores, Capitanei officium.*

Capitaneus supremus Agriæ, vel Nittriæ, vel Semptauiæ maneat.

ART. XIX.

QVIA dominus Capitaneus generalis plerumque extra Regnum, in negotijs aliorum Regnorum & Prouinciarum suæ Maiestatis solet esse occupatus. Propterea constitutum est, vt dominus Bathori supremus Regni Capitaneus, Agriæ vel Nittriæ, aut in Semptie continuè permaneat, & cū gentibus per loca circū vicinia, magisq; opportuna

diſtributis,ad præmiſſa ritè curanda atque exequenda,ſeduló inuigilet. Quòd ſi fortè contingeret neceſſitate exigente,eundem vltra Tybiſcum,proficiſci oportere,in eo caſu relinquat in his partibus loco ſui virum ſufficientem,qui dum ipſe cogeretur abeſſe, eius vices ſuppleat.

Capitaneus Regni ſupremus alter quoque nominandus. ART. XX.

CVM autem partes trans Danubium contra Turcas circum vicinos, & in viſceribus illorum Comitatuum vbique ferè poſitos, capite imprimis egeant, à quo defenſio ipſarum continuè curetur, æquè ac in his partibus citra Danubium: dominus verò Bathori,vltra citraque Danubium,non poſſit vlla ratione rectè proſpicere. Videtur propterea neceſſarium eſſe, vt ſua Maieſtas, ſupremum alterum Regni Capitaneum trans Danubium nominet,illique ordinem & conditionem honeſtam conſtituat, qua officio ſuo ritè vacare poſſit: id quod Comitatus trans Danubium à Maieſtate ſua etiam atque etiam humiliter poſtulant. Interim autem dum ſua Maieſtas ſupremum Capitaneum huiuſmodi in partibus illis nominat,dominus generalis ad eas partes curam gerere debebit. Idem autem ſupremus Capitaneus,reſideat vel in Szigeth,vel in Papa,vel in Kaniſa, prout neceſſitas poſtulauerit.

Iaurienſis Epiſcopatus decimas Germanis inſcriptas,Rex ad ſe recipiat.
ART. XXI.

SVPPLICANT etiam ijdem Comitatus,ac ſimul Ordines & Status Regni Maieſtati ſuæ,vt decimas Epiſcopatus Iaurienſis, ab annis compluribus quibuſdam Germanis inſcriptas,ex quibus decimis ijdem Germani magno cum fœnore pecunias ſuas iam dudum perceperunt,excipere iam tandem ab illis,& domino Capitaneo generali ad munitionem arcis & ciuitatis Iaurienſis aſſignare dignetur gratioſè.

Bona & prouentus violenter occupati remittantur. ART. XXII.

Confirmatio conſtitutionum ſuperiorum Dietarum.

EST autem conſtitutum in hoc Conuentu,vt bona aliena,& prouentus & decimæ violenter occupata,dimittantur ijs ad quos ſpectant, iuxta tenorem articulorum ſuperiorum Conuentuum: quorum quidem Conuentuum omnium conſtitutiones omnes & ſingulas, prout in articulis illorum expreſſæ ſunt, ijdem Ordines & Status, ratas, firmasque eſſe decreuerunt.

Indebitam actionem quis non niſi in prima inſtantia deponere poſſit.
ART. XXIII.

Depoſitio indebitæ actionis quando fieri poſſit.

SI quis contra alterum indebitam actionem ſeu litem intentare, & in iudicio proſequi non dubitauit,is niſi in prima inſtantia ab actione diſceſſerit,& cauſæ renunciauerit ſecuto poſtmodum proceſſu,factaque atteſtatione,vel aliqua literali de more iudicij comprobatione,amplius ſe ab incæpta lite pro libito retrahere, & quod vulgo dicitur, cauſam ipſam condeſcendi facere non poſſit, ſed in onere actionis indebitæ conuincatur. Hactenus enim poſt multas impenſas aduerſario partas, ante latam ſententiam, pro libito quisque actioni cauſæque,quam ipſe mouerat,potuit renunciare,& eam cauſam cum onere ſex marcarum condeſcendi facere.

Moneta in priori liga cudatur, & falſarum cuſores puniantur.
ART. XXIIII.

SVPPLICANT præterea Ordines & Status Regni Maieſtati Regiæ,domino eorum clementiſſimo, vt monetam Vngaricam,iuxta priorem ligam paulò ante immutatam, Cremniciæ in Camera cudi iubeat. Magnum etenim damnum capit fidelibus ſuis redundari,poſt diminutionem ligæ ipſius monetæ: adeò, vt vix etiam cum additione poſſit moneta Vngarica exponi,quæ priusquam immutaretur, etiam ipſa augmentum & lucrum ferebat,in permutatione vel rerum,vel pecuniæ Germanicæ. Iubeat etiam Maieſtas ſua,ſine reſpectu cuiuſcunq;,acriter iuxta Regni Decretum,falſæ adulterinæq; monetæ cuſores,quicunque illi eſſe comperiantur, puniri.

Kolos

Kolos Abbatiæ fortalicium demoliatur. ART. XXV.

FORTALICIVM in Claustro de Kolos, per dominum Podmaniczki, post dirutum castellum Szerdahely erectum, vnde circum vicinis Nobilibus & colonis non parua damna eueniunt, Maiestas sua euerti ac demoliri iubeat: Ecclesia tamen siue templum integrè maneat, & Abbas in ea Abbatia regularis ordinetur.

Colonis vetus migrandi libertas restituitur. ART. XXVI.

CVM autem varijs exemplis, & vetustis & recentioribus sæpenumero palàm innotuerit DEI optimi maximi vindex ira ob peccatum aliquod populi grauius: neq; vlla res magis ab aliquot annis, florenti quondam Vngariæ nocuisse videatur, oppressione colonorum, quorum clamor ascendit iugiter ante conspectum DEI: ad auertendam indignationem summi rerum omnium opificis, eiusdemque benignitatem, pietatem & clementiam, aliquando tandem afflicto huic Regno reconciliandam: præsertim quòd sua Maiestas coràm eius rei benignè admonuerat fideles suos, in proximo Conuentu Posonienſi: Ordines & Status Regni inter alia, quæ ex benigna paternaq; sacræ Regiæ Maiestatis, domini eorum clementissimi admonitione, in hoc Conuentu concluserunt; illud quoq; statuerunt vnanimiter, vt libertas subditorum miserorum colonorum, superioribus annis, quacunq; ratione illis adempta restituatur: liceatq; inposterum nolentibus sub imperio potestateue alicuius domini vel Nobilis, durioris fortassis & seuerioris, viuere, aliô commigrare, modo atq; ordine infrascripto obseruato.

De colonorum migratione, certiora habes, in constitutionib. anni 1556.

Migrandi potestas colonis restituta.

Colonus quomodo aliô migrare possit. ART. XXVII.

QVOD quicunq; subditus vel colonus aliorsùm migrare proposuerit, dominum seu Nobilem, in cuius bona migrare voluerit, & Iudicem Nobilium Comitatus in quo est, de suo faciat proposito certiorem. Qui quidem Iudex Nobilium; propositum coloni, domino ipsius vel Iudici loci illius, in quo habitat colonus, significare debeat. Ac si intra spacium quindecim dierum, ab ipso domino suo non poterit adduci colonus, vt remaneat in loco suo, tum Iudex Nobilium, cum vno Nobile eiusdem Comitatus, ad possessionem illam, vbi talis discedere volens residebat, accedat, & ibi colonus ipse ante omnia, præsente Iudice, ciuibus, cæterisq; colonis eius pagi, villæ, aut oppidi, in quo habitauit hactenus, coram eodem Iudice Nobilium, ac vno Nobile ex eodem Comitatu, iuramentum deponat, quòd ipse nullo priuato odio, aut alia vllà ratione adductus inde discedat, quam quòd præter veterem libertatem aut consuetudinem, seruitute vel solutione pecuniaria, aut alio aliquo præter æquitatem onere impedimentoue, à domino suo fuisset oppressus. Atq; ita iuramento deposito, de omnibus debitis, quibus vel domino suo, vel eius subditis, alijsue quibuscunq; ad dominum suum pertinentibus, aut eius loci incolis, siue pecunia, siue rebus, prouentibusue vel censu fortasse seu libertate ei concessa, domino suo debebat, integram satisfactionem impendat: domum suam desolatam non relinquat, aut dirutam: & si quam litem habet vel controuersiam, quacunq; de causa cum cæteris illius loci incolis, in quo hactenus habitauit, ante discessum ab ea se expediat, fine iuridico in huiusmodi causa consecuto. Atq; ita tandem colonus ipse, data ei licentia per Iudicem Nobilium, præsenteque dicto vno Nobile, ac deposito censu, quem terragium vocant, liberè quo maluerit commigret. Domus autem huiusmodi coloni, domino illius loci, vnde discessit, remaneat, quam is alteri colono pro libitu tradere possit.

Migrare colonus quomodò possit.

Si litem habet migrans.

Domus migrantis.

Colonum violenter abducentis pœna. ART. XXVIII.

SI quis dominus aut Nobilis, priuata authoritate, & non per licentiam, medio Iudicis Nobilium, modo supradicto impetratam, colonum cuiusquam violenter abduceret; is protinus pœnam, quam abducti homagium vocant, ac insuper mulctam ducentorum florenorum parti læsæ, siue ipsi domino coloni abducti persoluendam incurrat. Pro quà quidè mulcta ac pœna, Vicecomes & Iudex Nobilium possessionem illam, ad quã colonus huiusmodi violenter fuerat abductus, ad manus partis læsæ, titulo pignoris tradant & assignent:

assignent. Quam possessionem si conuictus ille è manibus partis læsæ, cui fuit assignata, ante debitam satisfactionem huiusmodi ducentorum florenorum, ac pœnæ supradictæ abducti coloni, eripere auderet: extunc pro huiusmodi noua violentia & ereptione vel occupatione possessionis, in facto maioris potentiæ, per Iudices Regni ordinarios condemnatus pronuncietur, ac possessio erepta rursum tradatur, cui antea fuerat assignata, perque Maiestatem Regiam ac dominos Capitaneos, seruatis de iure seruandis, contra illum animaduertatur debita executione.

Colonum fugitiuum non restituentis, & migrare volentem vi retinentis pœna. ART. XXIX.

Migrare volẽtem colonum vi retinentis, vel fideiußione astringentis pœna.

Si clam fugeret colonus ad bona alterius, nulla prius licentia petita, teneatur is, ad cuius bona profugit, illum ad admonitionem Iudicis Nobilium remittere ad priorem dominum, sub pœna præmissa. Vicissim si quis dominus aut Nobilis colonum suum aliô migrare volentem, post modum atque ordinem supradictum per colonum obseruatum, vi retineret, in præmissa pœna ducentorum florenorum, ac mulcta siue homagio talis coloni retenti, contra illum, in cuius bona migrare decreuerat, conuincatur: & possessio illa, vbi colonus retentus habitabat, parti læsæ pignoris titulo tradatur, modo prædicto: ac si illa de manibus læsæ partis, ante debitam satisfactionem ducentorum florenorum, & homagij, quod est floreni quadraginta, eriperetur, eandem pœnam capitalis sententiæ, is qui eripuit incurrat, & modo prædicto fiat executio. Similiter etiam intelligatur de ijs, qui colonum suum fideiussione vel cautione astringunt, quo minus de bonis suis posset discedere, tùm sanè, cum iam colonus per Iudicem Nobilium, propositum suum aliô migrandi denunciauit. Talis enim dominus vel Nobilis, in eandem pœnam incurret, in quam eum incurrisse supra dictum est, qui vi aperta retinuit. Si quas terras, prata, aut vineas colonus discessurus in territorio prioris domini sui habet, quas sumptibus vel laboribus suis excoluisset, extirpassetue, pro his terris, pratis, aut vineis, iuxta antiquam illius loci consuetudinem, post discessum suum, nonas frugum, vinorum, aut capetias, vel vrnas, aut munera & prouentus solitos teneatur domino suo, à quo discesserit, soluere inposterum, etiamsi ante nihil soluisset. Quòd si dominus suus, terras, prata, aut vineas huiusmodi in suo territorio modo prædicto excultas, precio sibi vendicare vellet, facta prius per Iudicem Nobilium, & vnum Nobilem de illis vera æstimatione, conuocatisque ad id vicinis colonis, soluto iusto pretio earum terrarum, vinearum, & pratorum, eas sibi possit habere & redimere.

Migrans colonus, ex vineis & terris, in bonis prioris domini habitis, eidem prouentus reddit.

Migrantis coloni terras, vineas &c. dominus quo pacto sibi vendicare potest.

Vicecomitum & Iudicum Nobilium, in colonorum translatione fideliter non procedentium, pœna. ART. XXX.

Si Vicecomes aut Iudices Nobilium in exequutionibus præmissis, fauore vel prætextu fortè metus Comitis eorum, vel alterius potentioris, procedere fideliter nollent, in amissione officiorum suorum, & singulis ducentis florenis conuincantur.

Iudicum Nobilium à iudicio ad sedem Comitatus appellatio datur, hinc ad tabulam Regiam. ART. XXXI.

Migrationis colonorum in causa, quo appellandum.

Si Iudex Nobilium, & Nobilis illi adiunctus, in licentiatione coloni, iudicium aliquod fecerint, pars non contenta possit causam prouocare seu appellare ad sedem Comitatus: si ibi quoque iudicio facto non esset contenta, tum ad iudiciariam sedem Regiæ Maiestatis liceat prouocare, interim colonus maneat in loco prioris residentiæ, cum ordinarijs prouentibus & seruitijs domino suo persoluendis & exhibendis.

Pœna insurgentis contra Vicecomitem vel Iudices Nobilium, etiamsi ipse Comes fuerit. ART. XXXII.

Migrationis colonoru in exequutione, con-

Si Comes ipse, qui Comitatui præest, aut alius dominus vel Nobilis, contra Vicecomitem & Iudices Nobilium in his exequutionibus palàm, hostiliter & armata manu insurge-

insurgeret, ac contumelijs, vituperijsq; illos vel alterum afficeret, in pœnam repulsionis, hoc est, septuaginta duorum florenorum: si verò verberibus, vulneribus, aut captiuatione afficeret, in pœnam maioris potentiæ: quòd si mortem inferret, in pœnam notæ infidelitatis protinus incurrat. Quod si absente domino suo, vel absque eius scitu, Officialis vel colonus aliquid huiusmodi aduersus præmissos exequutores patraret, dominus illicò teneatur talem malefactorem, Officialem scilicet, aut subditum suum, Iuri sistere ad sedem Comitatus, sub pœna solutionis mulctæ siue homagij illius, vt sic ille ex merito puniatur. Si forte Officialis vel colonus huiusmodi malefactor iam fugisset, ita vt per dominum suum in iudicium sisti non posset, dominus suus cum duobus Nobilibus teneatur in sede Comitatus deponere iuramentum, quòd absque scitu suo facinus per suos commissum fuerit, & illi clam ab ipso aufugerint. Si capti vel ad iudicium producti malefactores, culpam facinoris commissi in dominum reijcerent, teneatur similiter dominus suus, cum duobus Nobilibus sese ab ea culpa expurgare iuramento deposito. Si verò malefactor facinus sine scitu & commissione domini sui perpetrasse affirmauerit, id ad innocentiam domini sui sufficiat, & malefactor pœnam sui facinoris subeat: qui si aufugeret, vbique liberè capiatur.

tra Vicecomitē & Iudices Nobilium insurgentis pœna.

Vicecomitum & Iudicum Nobilium salarium in translatione colonorum.

ART. XXXIII.

VICECOMITES & Iudices Nobilium, cum Nobile adiuncto, in his exequutionibus, salarium eorum, vt antiquitus mos fuit, habeant. In licentiatione scilicet coloni, singuli denarios duodecim, per colonum discedentem. In occupatione verò & statutione possessionis illius, qui constitutiones præmissas non obseruaret, florenos duodecim, per eum, cuius nomine fit exequutio, persoluendos.

Tricesima boum propter necessitates Regni duplicata, reducatur ad pristinum calculum.

ART. XXXIV.

RECORDARI potest præterea Maiestas sua, quomodo in Posoniensi proximo Conuentu, Regnicolis iam maiori in parte discedentibus, proposuerat necessarium esse, pro munitione castrorum finitimorum, vt exactio vectigalis vnius floreni, de singulis bobus extra Regnum educendis, in Tricesima duplicaretur: cuius videlicet pars dimidia, ad necessitates confiniorum verteretur. Et quia nullum inde in negotiatores detrimentū redundare affirmabatur, quod viciſſim ipsi pro duplicato vectigali, maiori premio pecora sua vendere possent, Consiliarij nonnulli, simul & certæ personæ ex Nobilitate, qui tum fortè aderant, voluntati suæ Maiestatis in ea re consenserant. Verùm postea certissima experientia claruit, duplicato vectigali, maximum detrimentum accidisse, non pecorarijs negotiatoribus solùm, quorum sic complures exhausti, negotiationem intermittere coacti sunt, verumetiam communiter omnibus Regni Statibus, vtpotè grauiori pretio emere iam coactis, ea omnia, quæ venalia in Regnum, ex alijs Regnis & prouincijs solent inferri. Accedit autem, quòd pecorarij ipsi modos & rationes quærunt omnes, quibus per graues huiusmodi exactiones declinent, per Poloniam & alias prouincias iter facientes, interdum quoq; conducentes auxilia, quibus vel furtim, vel fraude loca vectigalium euadant. Quos cohiberi vix duplicato equitum numero, qui nunc in Tricesima dicuntur esse, videtur esse possibile, præsertim quòd per fora Morauica inspectores, & alij officiales Maiestatis suæ nequaquam admittuntur. Quarè cum duplicatio huiusmodi vectigaliorū in Tricesima, directè contra libertates & antiquam Regni consuetudinem sit, supplicant Maiestati suæ Ordines & Status Regni, vt modum vectigalis in Tricesima, ad pristinam & antiquam consuetudinem vnius floreni, benignè restituere dignetur: atque insuper mandare dominis Regentibus suis Viennæ, vt mercatoribus ac pecorarijs negotiatoribus, cum pecoribus & mercibus eorum, per loca & vias ab antiquo consuetas, solutis vectigalibus eorum debitis, iter facere permittant, nec illis solita eorum itinera prohibeant.

Decima

Decimæ arrendentur, per denuntiationem in omnibus Comitatibus, pro festo Sancti Georgij. ART. XXXV.

PORRO quod ad decimas Ecclesiarum attinet, ad tollendos tumultus, qui in perceptione earundem decimarum sæpenumero contingunt, auertendasq; pauperum vel Nobilium, vel colonorum oppressiones & damna etiam eorum, ad quos spectant decimæ, is est ordo constitutus, vt domini Prælati, vel Capitula & Conuentus decimas habentes, & easdem locare in arendam volentes, ad festum Diui Georgij decimatores suos mittant singulis annis, ad loca præcipuè eorum districtuum, in quibus habent decimas: ibiq; per ipsos denuncianda curent dominis ac Nobilibus, ex quorum bonis proueniunt decimæ, vt quicunq; de suis bonis decimam conducere voluerint in arendam, solitum & iustum pretium eo mittant vel afferant: atque ita dominis terrestribus ante omnes alios, si conducere illi voluerint, locare decimas teneantur. Ex pretio autem earundem decimarum modo præmisso arendatarum, vel ex ipsis in specie perceptis, ijdem domini Prælati, Capitula & Conuentus, præter necessitates ipsorum quotidianas, pro dignitate, statu & conditione ipsorum gentes ad defensionem Regni conseruare debebunt.

Nobiles profugi decimas soluere non teneantur. ART. XXXVI.

NOBILES patrijs sedibus eiecti per Turcas, & qui ad loca tutiora profugerunt, non teneantur decimas soluere ex vllis terræ fructibus, etiam in illis bonis, ad quæ sese receperunt.

Metæ Regni, cum Styria, Austria & Morauia, rectificentur. ART. XXXVII.

SVPPLICANT etiam Ordines & Status Regni, vt Maiestas Regia, metas Regni cum Stiria, Austria & Morauia, prout antehac quoq; Maiestati suæ fuit supplicatum, & sua Maiestas benignè obtulit, rectificari iam tandem facere dignetur. Atq; insuper iubeat Maiestas sua domino Honorio Kinispergher, vt Nobiles vnius sessionis, in possessionibus felso & also Eor, in Comitatu Castri ferrei existentibus commorantes, quas possessiones Maiestas Regia, ipsi domino Kinispergher inscripsisse dicitur, in bonis & possessionibus ipsorum, nullo modo ausit impedire, neq; molestia, damno & iniuria vllo modo afficiat, vel manus suas in occupationem bonorum ipsorum ingerat, cum Nobiles sint Regni Vngariæ.

Capitulo Castri ferrei bona per Mauritium Brandenburgensem Electorem occupata restituantur, & causæ familiarium Sarkan & Raiki discutiantur. ART. XXXVIII.

PRÆTEREA, quòd Maiestas sua possessionem Capituli Ecclesiæ Castri ferrei, per dominum Mauritium Fyrsth, superioribus annis occupatam, de qua etiam antea Maiestati suæ est supplicatum, iam tandem eidem Capitulo reddi & remitti iubeat. Alias etiam differrentias, quæ ratione quorundam prædiorum & terrarum, Nobilibus Sarkan, Rayki, & alijs, de Comitatibus Castriferrei & Soproniensi, cum dominis Germanis est, reuideri & rectificari facere, Maiestas sua dignetur.

Ad supplicationes priuatas Rex respondeat. ART. XXXIX.

QVOD denique Maiestas Regia priuatas fidelium subditorum supplicationes, quas Oratores ad suam Maiestatem missi exhibebunt, gratiosè reuideri, & de illis clementem facere relationem dignetur.

RESPONSVM REGIS AD PRÆSCRIPTAS Statuum & Ordinum constitutiones.

FERDINANDVS DIVINA FAVENTE CLEMENTIA, Romanorum, Vngariæ, Boëmiæ, &c. Rex, semper Augustus, Infans Hispaniarum, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, &c.

VBI fideles nostri Status & Ordines Regni nostri Vngariæ, seruitia sua fidelia, tum scripto, tum etiam verbo, per Oratores suos nobis humiliter offerunt, hanc eorum oblationem clementi ab eis accepimus animo.

QVOD autem gratias nobis agunt, pro nostro erga ipsos Regio fauore & studio defendendæ salutis, ac liberationis ipsorum, per fideles Commissarios nostros, Spectabiles & Magnificos Nicolaum Comitem à Salmis, Capitaneum generalem, &c. ac Thomam de Nadasd, Comitem perpetuum terræ Fogaras, Iudicem Curiæ nostræ, &c. nostro nomine ipsis, in frequenti eorum Conuentu significato, hanc quoque eorundem fidelium nostrorum erga nos humilem gratitudinem, & animi sui fidelis significationem, clementer accepimus, & gratia nostra Regia eisdem respondemus.

QVANTVM ad inducias quinquennales cum Turca initas attinet, intellexerunt fideles Status & Ordines, ex fidelibus nostris, Reuerendissimo in Christo patre domino Strigoniensi, Locumtenente nostro, ac Spectabile & Magnifico, Comite Nicolao à Salmis, Capitaneo nostro generali, causas & rationes initarum cum Turca induciarum, eas & tales esse, quæ hoc pro tempore non careant vero fundamento, & quæ non in detrimentum & incommodum prædicti Regni nostri Vngariæ, atque ipsorum fidelium nostrorum vergant, sed potius pro tuenda quiete eorum, ac vitanda Regni istius nostri vastatione, ad præfinitum vsque tempus plurimum conducant. Nam ea ratione & conditione inducias ipsas cum Turcis pepigimus, quòd intra hoc quinquennalium induciarum tempus, ea omnia, quæ apud Christianos in Regno nostro Vngariæ, & partibus ei subiectis fuerunt, & sunt, apud nos & Christianos maneant, & coloni in confinibus & alibi existentes, qui nobis & fidelibus subditis nostris tributum penderunt, non obstante eo, quod Turcis quoque solutionem fecerunt, & seruitia exhibuerunt, deinceps quoque pendant, & hi qui Turcis similiter solutionem deberent, eisdem & solutionem ipsam persoluant, nec vna pars aliam in hoc, durantibus ipsis inducijs, prohibeat aut impediat. Existimamus autem Turcas ipsos has inducias inuiolabiliter, quemadmodum nos, & literis, & nuncijs certificarunt, esse obseruaturos, sicuti etiam nos per omnes fideles subditos nostros obseruari volumus, & præcipimus: nec Turcas saluis inducijs colonos ipsos prohibituros esse arbitramur, quindicam & census suos, nobis, & dominis eorum terrestribus semper persoluant, & victualia quoque ad arces nostras finitimas, & dominorum suorum terrestrium more veteri præstent.

SI tamen Turci ipsi aliquid contra induciarum pacta fortassis attentarent, vel latius quam conueniret, ad ditionem nostram & nostrorum se intromitterent, habemus apud eorum Principem agentem nostrum, continuè isthic commorantem, cuius medio, ea quæ contra inducias fierent, & ea quoq;, quæ etiam alioqui pro dignitate nostra Regia, suo quoq; tempore reformanda erunt, rectificare facilè possumus, prout nunc quoq; de his rectificandis, quæ hactenus tempore induciarum contigisse, ad nos per fidelem Locumtenentem nostrum scripta sunt, præfato agenti nostro mandata dedimus.

VBI verò Status & Ordines declarant, ad benè gubernandum Regnum nostrum Vngariæ, coërcendosque rebelles, qui iam longa impunitate in licentiam quandam, omnia contra ius & æquum perpetrandi abijssent, præsentia nostri opus esse. Supplicant nobis, vt vel nos ipsi personali commoratione maiorem partem anni, more veterum Regum Vngariæ, ibi transigeremus, aut si id propter curas aliorum Regnorum & prouinciarum nostrarum fieri non posset, mitteremus in medium ipsorum filium nostrum charissimum, serenissimum Principem Maximilianum, Archiducem Austriæ, &c. Sciant fideles nostri, magnæ etiam ante hæc tempora semper nobis curæ fuisse, vt personaliter in illo Regno nostro Vngariæ, in medio eorum continuè resideremus, & præsentia nostra, sublatis primum internis odijs & dissidijs, publicæ quieti, ac defensioni quoque eorum prouideremus. Verùm prætermissis nunc alijs rationibus, antea ipsis fidelibus nostris, & coram, & literis significatis, quæ scilicet causam absentiæ nostræ hactenus præbuerunt: cum videremus ad defensionem & liberationē à tyrannide hostium

ipsius Regni nostri Vngariæ, maioribus opus esse auxilijs, quam ipsum per se præstare posset, coacti fuimus, vna cum sacratissima Cæsarea Maiestate, domino & fratre nostro charissimo, viam quærere, qua extinctis Germaniæ factionibus, & aliorum quoque Regnorum nostrorum tumultibus Diuina clementia compressis, ac in obedientiam reuocatis, commodius postea in salutem & defensionem Regni istius nostri Vngariæ, fideliumq; subditorum nostrorum totis viribus incumbere possemus. Cuius solius rei causa, nunc quoq; coacti sumus huc venire. Postquam tamen ope Diuina, vt speramus, rem benè hîc perfecerimus, continuò inferius descendemus, & in medium ipsorum fidelium nostrorum veniemus, ac de nostra ibi commoratione, & de rebus nostris Vngaricis coràm isthic curandis, talem viam & modum cum eisdem inueniemus, de quibus benè contenti esse poterunt.

De subsidio ad conscribendos milites, nec non lucro Cameræ nostræ viginti denariorum, & aliorum quoque viginti denariorum, per fideles Status atque Ordines, ad expediendas certas necessitates ad Cameram nostram administrandorum, oblato, pro præsentis tempore ratione, sumus contenti: ita quòd florenus vnus & denarij sexaginta, ad gentium conseruationem, secundùm ordinationem fidelium nostrorum, in duobus suis terminis exigantur, & ad manus Thesaurariorum assignentur. Ipsi verò quadraginta denarij, partim pro lucro Cameræ nostræ, partim verò ad expediendas certas necessitates Decreti, ad Cameram nostram Vngaricam, demptis illis expensis, quas Oratoribus ad hanc Imperialem Dietam nunc missis, per certos dominos & Nobiles datas esse intelligimus, sine vllo defectu administrentur.

Vbi verò Status & Ordines ipsi supplicant nobis, vt cum subsidium illud Vngariæ vnius floreni & sexaginta denariorum nobis oblatum, ad conscribendum & alendum eum numerum gentium, quem nobis in Regesto significarunt, non sufficeret, dignaremur tum apud sacratissimam Cæsaream Maiestatem, tum apud Principes Imperij, partes nostras interponere, pro maiori subsidio, ad Regni nostri Vngariæ pacem & tranquillitatem, fideliumq; subditorum nostrorum salutem, ordinando & præstando: id quamuis etiam nostra sponte, priusquam ijdem fideles nostri, per ipsos articulos & Oratores quoq; suos hoc à nobis peterent, cordi nobis fuerit, & curauerimus diligenter.; eorundem tamen fidelium Ordinum & Statuum Regni nostri Vngariç addita supplicatione, magis nunc incitati, curabimus & faciemus perlibenter, nihilq; earum rerum, quæ per nos præstari poterunt, negligemus, speramusque nos eá subsidia externa curaturos, quæ pro securitate atq; conseruatione Regni, ac fidelium subditorum nostrorum quiete, salute ac permansione satisfacere posse videantur.

Verum quum ad id apud sacratissimam Cæsaream Maiestatem, dominum & fratrem nostrum charissimum, ac alios Principes Imperij curandum & perficiendum, aliquo temporis spatio sit opus, neque ita subitò, vt necessitas fortè exigeret, confici possit, atque pecunia ipsa subsidij nobis per fideles Status & Ordines oblati, ad conscribendum atque alendum eum numerum equitum ac peditum, qui ad prouidenda castra finitima, Regniq; istius nostri defensionem, ac subditorum nostrorum quietem stabiliendam necessarij essent, pro minima parte (vt ipsimet testantur) sufficere censeatur. Videtur numerus ille gentium (qui ad nos in Regesto missus est) diminuendus, atque dum, tum hinc, tum ex Regnis & prouincijs alijs nostris, externum subsidium ordinare poterimus, pecunia ipsa subsidij Vngarici non semel insumenda esse. Quamobrem informationem & commissionem dedimus fidelibus nostris, Locumtenenti ac Capitaneo nostro generali, Comiti à Salmis, nec non Andreæ Bathori Capitaneo istius Regni nostri supremo, de numero, vsque ad reditum nostrum, conscribendarum gentium, ad violentorum & inobedientium temeritatem coërcendam, necessariarum, atq; ad loca finitima, pro præsentis temporis necessitate, locandarum ac distribuendarum. Qui secundum nostram eis datam commissionem, eius rei diligentem, vt debent, & fides erga nos eorum postulat, curam habebunt.

CONTENTI etiam ſumus fidelem Capitaneum noſtrum generalem, Comitem Nicolaum à Salmis, interim dum alia noſtra & Regnorum noſtrorum negotia eum illinc ad noſtram commiſſionem non auocauerint, vna cum fideli noſtro Magnifico Andrea Bathori, ſupremo iſtius Regni noſtri Capitaneo, cum præfatis æquitibus vltra Danubium, Sempthauiæ, Nittriæ, vel Agriæ, vel alibi, vbi neceſſitas poſtulabit, reſidere, atque Theſaurarios, per ipſos fideles Status atque Ordines electos, cum eis vna eſſe, ad luſtrationem & ſolutionem quolibet menſe ipſarum gentium.

DEDIMVS etiam commiſſionem præfatis, Locumtenenti & Capitaneo noſtro generali, vt cum Capitaneo illo noſtro eis per nos nominato, qui citra Danubium verſus Szighet eſſe debebit, nomine noſtro tractent & concordent, vt defenſioni illarum partium cum gentibus ſibi adiungendis, continuè inuigilare poſſit.

VOLVMVS tamen, vt gentes, quæ ex pecunijs ſubſidij per Status & Ordines ad Regni defenſionem, ac puniendos rebelles, aliaq; exequenda conſcribi debebunt, per præfatos, Locumtenentem & Capitaneum noſtrum generalem, ac Andream Bathori, tales conſcribantur, qui ſint viri militares & idonei, atque à prædis omnino abſtineant, & hi omnes ſint iuramento nobis adſtricti, ad omnem obedientiam & fidelitatem omni tempore nobis præſtandam.

ELECTIONEM etiam duorum Theſaurariorum (durante noſtro beneplacito) clementer admittimus: ita tamen, vt his ex Camera noſtra aliquem idoneum & ſufficientem virum adiungamus, qui vna cum eiſdem Theſaurarijs, ſingulis menſibus, gentes ipſas, ſub vtroque Capitaneo fideliter recenſere & luſtrare debeat: ne quis defectus, vt hactenus ſæpe factum fuiſſe ſcimus, in conſeruatione gentium ipſarum committatur, & Regnum ſuis pecunijs atq; defenſione fruſtretur.

QVOD ad præſidia caſtrorum & fortaliciorum finitimorum attinet, dedimus informationem prædictis, Locumtenenti & Capitaneo noſtro generali, atq; etiam Capitaneo Regni noſtri ſupremo, vt his caſtris, quæ pertinentias deſolatas habent, prouentusq; proprios, vnde prouideri poſſint, non habent, de peditibus per eos conſcribendis, pro eorum præſidio & tutela prouideant. Nam alia caſtra & fortalitia, quæ & pertinentias, & prouentus aliquos habent, per dominos ſuos prouideri debebunt.

CASTELLA verò & munitiones, quæ præter annuentiam noſtram ædificatæ ſunt, & etiam aliæ quæ plus incommodi, quam vtilitatis Regno afferunt, iuxta deliberationem & Statuum & Ordinum Regni noſtri, per præfatos Capitaneos noſtros dirui & demoliri volumus & iubemus.

ALIOS etiam articulos, qui de conſeruatione ternorum equitum & peditum, ratione ſingulorum centum colonorum, de leuatione quoq; eorum per Capitaneos noſtros futura, atq; etiam dominorum & Nobilium, penes perſonam Capitaneorum, tempore grauioris neceſſitatis, inſurrectione: Item de termino & modo arendationis à dominis Prælatis & Capitulis, atq; Conuentibus, decimarum, nec non de indebita actione, ſiue litis in iudicio intentatione tractati, & per fideles Status atque Ordines noſtros concluſi, ac ad nos miſſi ſunt, acceptamus & approbamus.

QVOD ad reſtitutam tranſmigrandi colonis libertatem pertinet, conſtitutionem fidelium Statuum & Ordinum approbamus, & ſi quid vlterius ea de re agendum & tractandum erit, in futura poſtea Dieta, communi voto & deliberatione tractare poterimus.

QVANTVM verò ad exactionem Triceſimarum noſtrarum minuendam, & ad reſtituendam cuſionem monetarum in priorem ſuam ligam, atque ad liberationem decimarum Epiſcopatus Iaurienſis, ab his quibus inſcriptæ ſunt: Item ad rectificationem metarum Vngariæ, Auſtriæ, & Morauiæ, atque etiam remiſſionem villæ ac poſſeſſionis Capituli Caſtriferrei, ac alias differentias, ratione quorundam prædiorum & terrarum Nobilium, Sarkany, Raiky, & aliorum, atque etiam ad alia negotia præſentiam noſtram concernentia attinet, cum primum DEO iuuante negotijs hîc finitis, ad fideles Status

 atque

atque Ordines Regni nostri (quod propediem fore speramus) reuertemur, curabimus de præmissis omnibus, quantum fieri poterit, ita, & tàm gratiosè prouidere, vt fideles ipsi nostri de nobis contenti esse poterunt.

PRÆTEREA, cum fideles nostri ciues ciuitatum nostrarum liberarum, Posoniensis, Tirnauiensis, Sopronienſis, Leuchouienſis, Barthphensis, Eperies, Cibiniensis, Cremnicienſis, Schemnicienſis, Nouizolienſis, & aliarum ciuitatum Montanarum, in suis libertatibus & priuilegijs passim vbique, vti nobis sæpius hac de re conquestum est, turbentur & impediantur: volentes eos in iuribus & priuilegijs suis per omnes immunes conseruari, fidelibus nostris dominis Prælatis, Baronibus, Nobilibus, cæterisque Ordinibus & Statibus dicti Regni nostri Vngariæ, mandamus, vt eosdem ciues prædictarum ciuitatum nostrarum liberarum, in rebus suis omnibus commendatos habeant, ac priuilegia libertatesque eorum saluas & integras vbiq; conseruent, manuteneant & defendant, & extra illas, ipsos nusquam impediant, aut impediri patiantur, aut ipsos indebitè arestent, aut alio quouis modo turbent, molestent, aut turbari molestarique permittant, sed ipsos contra omnes violentos, modis omnibus tueantur. Datum Augustæ Vindelicorum Vigesima secunda die Februarij, anno Domini, Millesimo, Quingentesimo, Quadragesimo octauo.

FERDINANDI IMPERATORIS DECRETVM, POSONII, ANNO DOMINI M. D. XLVIII. editum.

NOS FERDINANDVS Diuina fauente clementia, Romanorum, Vngariæ, Boemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæque Rex, semper Augustus, Infans Hispaniarum, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchio Morauiæ, &c. Memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes quibus expedit vniuersis: quòd cum nos ob salutem huius Regni nostri Vngariæ, conseruandamq; pacem, & quietem publicam curandam, generalem, pro festo Beati Lucæ Euangelistæ proximè præterito, in hac ciuitate nostra Posoniensi, vniuersis fidelibus nostris, dominis Prælatis, Baronibus, Nobilibus cæterisq; Statibus & Ordinibus eiusdem Regni nostri Vngariæ, indixissemus congregationem, eiq; nos ipsi personaliter præfuissemus. Conclusis tandem mutuis tractatibus ac rebus omnibus, finitaque ipsa congregatione, ijdem domini Prælati, Barones & Nobiles, cæterique Status & Ordines Regni nostri Vngariæ, nostram venientes in præsentiam, produxerunt & exhibuerunt coram nobis certos articulos, in hoc eorum nostro iussu celebrato Conuentu, in salutem Regni, pacisq; & quietis publicæ promotionem, vno concordique animo, per eos conscriptos & editos: supplicantes nobis humiliter, vt eosdem articulos, nostra Regia authoritate, ratificare, approbare, & clementer confirmare dignaremur. Quorum quidem articulorum tenor talis est.

Quid Rex Statibus offerat, in hac Præfatione declaratur. ART. I.

SINGVLAREM sacræ Regiæ Maiestatis erga suos fideles subditos gratiam & clementiam, Ordines & Status Regni Vngariæ, cum iam inde ab initio Imperij Maiestatis suæ, pluribus argumentis experti sunt: hoc quoque tempore, ex ijs quæ sua Maiestas coram eis proponere dignata est, facilè cognouerunt, cum sanè Maiestas sua, non solùm ipsorum piè ac paternè ad ea coram adhortari dignata est, quibus vitam & fortunas suas, ac liberorum retineri, communem patriam conseruari, & pristinæ quieti restitui posse prudenter existimauit; verumetiam liberaliter, vti antea semper, ad omnia pericula, omnes labores, omnesque sumptus pro ipsis subeundos, promptam se obtulit & paratam.

Gratiarum actio & preces pro incolumitate Regis. ART. II.

PRIMVM igitur Maiestati suæ Regiæ, domino ipsorum clementissimo, ijdem Ordines

nes & Status,maximas,quas possunt,gratias agunt atque habent, de ista sua in eos benignitate & clementia incredibili: & vt Maiestatem suam cum serenissimis liberis, feliciorem indies,omnibusq; fortunæ donis affluentem & incolumem conspiciant,à DEO optimo maximo precantur omnibus votis.

Rex nihil prætermisit in defendendo Regno. ART. III.

DEINDE agnoscunt Maiestatem suam,vti diserte in propositione sua commemorauit,omnibus modis & rationibus,semper ad eliberationem defensionemque suorum fidelium, iam inde ab initio fuisse intentam,neque quicquam prætermisisse,quo sanctissimos suos conatus ad exitum posset perducere: cæptis tamen obstitisse ea omnia, quæ à Maiestate sua sunt breuiter explicata. Quæ quidem iam sublata esse magna ex parte, magnamque spem affulsisse,iam tandem eliberandi Vngariam à calamitatibus, DEO optimo maximo imprimis,deinde Regiæ simul & Cæsareæ Maiestati fratri suo referunt acceptum: nihil verentes,quin,vti hactenus, sic etiam inposterum, Maiestas sua benignis oblationibus suis omni sit ex parte satisfactura.

Supplicatio Regnicolarum,vt Rex constitutiones confirmet. ART. IIII.

Ex benigna autem admonitione Regiæ Maiestatis, Ordines & Status Regni, post diuersos tractatus inter se habitos,super his,quæ à sua Maiestate proposita fuerunt, tandem in hos articulos conuenerunt,qui sequuntur: quosque Maiestati suæ in scriptis offerunt: humilimè illi supplicantes, deliberationes ipsorum benignè acceptare, adeoq; clementer confirmare,& qua solet benignitate, suorum fidelium supplicationibus respondere dignetur.

Religio ad pristinam normam redigenda. ART. V.

IMPRIMIS quoad negotium religionis, omnes Ordines & Status Regni vna voce sentiunt,cultum Diuinum & religionem ad pristinam normam esse redigendam,& hæreses vndique tollendas,iuxta admonitionem suæ Regiæ Maiestatis. *Adde Lud. Sec. Anni 1523. articu. 54. & 1525. art. 4.*

Ferdinand. Imperatoris Poson. 1550. art. 12. 13. 14. 15. 16. Ann. 1552. art. 7. Ann. 1553. art. 7. Ann. 54. art. 7. An. 56. art. 25. & 26. Ann. 57. art. 10. Ann. 63. art. 31. & 32. Ann. 69. artic. 43.

Religio qua ratione possit ad pristinam normam redigi. ART. VI.

ID autem ita rectè fieri posse existimant,si omnibus Ecclesijs Prælati, siue sint Episcopi, siue Præpositi,siue Abbates,viri Ecclesiastici,& doctrina præditi, quam primum præficiantur: qui & ipsi doceant verbo & exemplo gregem sibi commissum, & Vicarios suos ministrosq; sibi subiectos,eorum officium exercere faciant,mittantq; sine mora in omnes partes Archidiaconos, Vicearchidiaconos,& alios,quorum interest,ad docendam plebem,quibus si ipsi fortè pro se sufficientes non sunt, prædicatores boni adiungantur,vt vbique vetus religio,pristinusq; DEI cultus restituatur. Parochos etiam in omnibus oppidis & villis tales constituant,qui veram doctrinam sapiant, & eandem doceant,sacraq; administrent,iuxta ritum Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ.Ijdem etiam Prælati, pro facultatibus ipsorum Scholas erigant,in quibus bonæ literæ,& vera religio doceatur,vt sic indies magis praua dogmata tollantur, & vetus religio repululet: prædicatoresq; boni per Regnum dispergantur. Sacerdotes autem non creentur,nisi probatæ vitæ ac doctrinæ viri,& his Sacerdotia Ecclesiastica,beneficiaq; conferantur.Ipsi autem Prælati,penes Ecclesias ipsorum iugiter resideant: & vnusquisq; siue Prælatus,siue alius vir Ecclesiasticus,vnum tantum beneficium possideat, non plura. Si quis Prælatus publicis muneribus occupatus,penes Ecclesiam residere non posset,Vicarium,virum sufficientem & Ecclesiasticum,loco suo continuè teneat penes Ecclesiam.

Ecclesijs Prælati digni præficiantur. *Archidiaconi Vicearchidiaconi.* *Parochi veræ doctrinæ à Prælatis constituendi.* *In Scholis verà religio doceatur, quæ Romana est, vt infra Poso. An. 1550. artic. 12.* *Prælati resideant.* *Vicarij Ecclesiarum.*

Literis operam nauantes à Rege illis prouideatur. ART. VII.

VT autem facilius & citius boni & docti viri per Regnum dispergantur,dignetur Maiestas sua Regia,ijs qui in gymnasijs bonis literis operam dant,gratiosè prouidere,ita vt studia ipsorum continuare,& perficere possint.

Bona Ecclesiastica à Laicis auferantur, & Ecclesiis, quarum sunt, restituantur.

ART. VIII.

PRÆTEREA, vt Prælati omnes, modo præmisso, officio ipsorum possint omni ex parte satisfacere, videntur bona omnia Ecclesiastica, quocunq; nomine vocentur, prouentusq; ac decimæ: item Abbatiæ, aliaq; omnia beneficia, quæ per laicos possidentur, quæq; à Maiestate sua Regia ad beneplacitum, vel ad tempus iam præteritum inscripta sunt, vel per laicos de facto & sine titulo occupantur, de manibus quorumcunq; statim eliberanda esse, & his restituenda, ad quos spectant: si quæ autem beneficia huiusmodi vacarent, ea Maiestas Regia personis idoneis conferat. Super bonis autem & prouentibus Episcopatus Iauriensis, & alijs similiter iam inscriptis, Maiestas sua, quemadmodum gratiosè se obtulit, dignetur tractatus fieri curare: quibus tractatibus ea bona ac prouentus, quo facilius potest, de manibus eorum, penes quos sunt, eliberentur.

Laici, bona Ecclesiarum Ecclesiis relinquant.

Episcopatus prouentibus spoliati sunt: ideò pro confirmationibus summus Pontifex gratis concedendis, per Oratores interpellandus est.

ART. IX.

ET quoniam Episcopatus ferè omnes, qui sub ditione Regiæ Maiestatis sunt, in his disturbijs, magna ex parte bonis & prouentibus ipsorum spoliati sunt; adeò, vt vix quotidiani sumptus Episcopis suppetant, ne dum arces ipsorũ finitimas conseruare possint: supplicant Ordines & Status Regiæ Maiestati, vt sua Maiestas instet, & efficiat apud Sanctissimum dominum nostrum, id quod etiam Ordines & Status publico nomine facturi sunt, quò sanctitas sua, Confirmationes Episcoporum nondum consecratorum, gratis concedat: authoritatemq; insuper gratis tribuat aliquibus ex eis consecrandi hîc in Regno Suffraganeos, vt sint qui sacros Ordines impertiant. Nam & hactenus Suffraganeorum inopia, multis in locis magnus defectus clericorum & Sacerdotum in Regno accidit.

Clerici à quibus Ordines accipiant.
Suffraganei in Ecclesiis constituantur.

Archidiaconi, Idiotas & non Sacerdotes, concionari inhibeant. ART. X.

PRÆTEREA, cum hactenus multis in locis, ex licentia multorum dominorum & Nobilium, homines Idiotæ, & plerumq; Mœchanici ac alij, prædicatorum fungi officio veriti non sint. Videtur Ordinibus & Statibus Regni, vt prædicatores, Vicarij, Archidiaconi, Vicearchidiaconi, & alij qui modo supradicto, ad reformationem religionis per Prçlatos emittentur, diligenter tales prohibere, & ad pristinam veramq; religionem redigere curent. Qui si resipiscere nollent, tum de bonis illis eijciantur, & ex merito puniantur. Domini autem terrestres, non solùm id non impediant, sed ipsos prædicatores, & alios ministros verbi DEI per Prælatos emissos, iuuent omnibus modis, ad exercendum officium ipsorum. Si quis ex eis aliter facere intelligetur, ad primam requisitionem suæ Maiestatis, vel in eius absentia domini Locumtenentis, personaliter, vel per procuratorem comparere teneatur, & iure conuictus, ex merito puniatur.

Non ordinatos legitimè ferendos non esse.
Domini terrestres non impediant Visitatores.

Anabaptistæ & Sacramentarij è Regno pellendi. ART. XI.

ANABAPTISTAS & Sacramentarios, iuxta admonitionem Regiæ Maiestatis, qui adhuc in Regno supersunt, procul expellendos esse de omnium bonis, Ordines & Status Regni statuerunt, nec amplius illos, aut quempiam illorum, intra Regni fines esse recipiendos.

Ecclesiarum desertarum bona, ad prædicatorum intertentionem, & erectionem Scholarum, conuertantur. ART. XII.

PRÆTEREA bona & prouentus Monasteriorum & Claustrorum, ac Capitulorum desertorum, excepta Belavar & eius pertinentijs, quas Maiestas Regia, durante beneplacito suo Francisco Tahi ad sustentationem eius, ad tempus concessit, ad alendos doctos parochos, & verbi DEI synceros prædicatores: qui populum in veteri Orthodoxa vera Catholicaque fide & religione conseruare, & si qui ab ea desciuerunt in hoc Regno, ad eam

ad eam reducere studeant: nec non ad instaurationem & erectionem Scholarum particularium, earundemq; magistrorum, qui docti & probi sint, intertentionem: & denique ad bonæ spei ac indolis iuuenum & adolescentum, vt bonis literis operam dare possint, promotionem & auxilium, applicentur & conuertantur, quò tali ratione boni & docti viri alantur & nutriantur. Ad hæc autem præmissa ritè atque ordine exequenda, prouentusq; prædictos in præmissum vsum fideliter conuertendos, quilibet Prælatus sub sua diocæsi curam gerere teneatur, ac vbi opus fuerit, Maiestati Regiæ de administratione huiusmodi rationem reddat.

Concilium per summum Pontificem celebrari petitur. ART. XIII.

SVPPLICANT Ordines & Status Regiæ Maiestati, domino eorum clementissimo, vt tam sua, quàm sacræ Maiestatis Cæsareæ authoritate, agat apud Sanctissimum dominum nostrum, quò Sanctitas sua generale Concilium, pro complanandis omnibus differentijs, varijsque opinionibus de religione, sine diuturniori mora celebrare dignetur. Quòd si Sanctitas sua id differret, Maiestas Cæsarea dignetur modum adhibere, ne celebratio Concilij diutius protrahatur.

Obedientia Regi ab omnibus præstanda. ART. XIIII.

QVOD ad obedientiam attinet, quam Regia Maiestas sibi per suos subditos præstari cupit: agnoscunt Ordines & Status Regni Maiestati Regiæ, domino eorum clementissimo, debitam ab omnibus obedientiam præstari debere. Quòd si qui inobedientes fuerint, Maiestas Regia, tanquam verus Rex Vngariæ, ordinaria, authoritate sua, potest in eos animaduertere, pro merito cuiusque.

Inobedientes vti puniantur. ART. XV.

PRÆTEREA, in proximis Conuentibus super punitione inobedientium, tales constitutiones factæ sunt, tanta & tàm ampla authoritas & potestas, omnium Ordinum consensu, Maiestati suæ ad id attributa, vt nihil planè amplius fieri aut constitui posse videatur. Atque ideo, dummodò vtatur Maiestas sua authoritate illa sua, facilè omnes in officio & obedientia continebit.

Bona occupata retinentes, iuxta priores constitutiones, puniantur. ART. XVI.

VIDETVR autem imprimis, vt Maiestas sua, eos qui contra priores publicas constitutiones Regnicolarum, castra, castella, & Iura possessionaria aliena occupata tenere ausi sunt, & hactenus remittere recusaruut, iuxta tenorem earundem constitutionum punire, & omnia talia bona occupata defacto illis, ad quos spectant, restitui facere dignetur.

Executio rei iudicatæ fiat. ART. XVII.

IN ijs etiam causis omnium dominorum & Nobilium, quæ iam obseruatis omnibus iudiciorum processibus, per sententiam diffinitiuam determinatæ, imò etiam vsq; ad pœnam notæ infidelitatis, ex secundaria etiam repulsione publicatæ sunt, vti domini Locumtenentis Palatinalis, ratione Holich & Sassin, omniumq; aliorum dominorum & Nobilium, sine delecta personæ, & absq; vlla mora, Maiestas sua exequutionem facere dignetur: quemadmodum ipsa Maiestas sua obtulit se gratiosè facturam. Sic enim & debita erga Maiestatē suam fides & obedientia ab omnibus obseruabitur, & pax & tranquillitas Regni augebitur indies magis. *Franciscus Reuai Locūtenens Palatinatus.*

Palatini creatio in aliud tempus reiecta. ART. XVIII.

CÆTERVM, quoniam per aliquod Comitatus, de creatione Palatini mentio facta fuerat, omnium Ordinum & Statuum communi consensu decretum est, vt Palatinus hoc tempore eligi non posse videatur, eo quod iuxta generale Decretum Regni, specialis Dieta ad id celebrari debeat. Vbi igitur Maiestas sua Palatinum creare voluerit, id quod sine diuturniore mora fieri debere Ordines, & Status Regni censent: tunc iuxta veterē cōsue-

tudinem, omnibus Statibus Regni Conuentum indicat, & in edicto causam electionis Palatini specificet, atque ita ex consilio Prælatorum & Baronum ac Regni Nobilium pari voluntate, Palatinus creetur. Eodem autem tempore, super celebratione veterum Octauarum, Maiestas sua deliberare dignetur.

Comitatuum Regni bifariam, iudiciorum celebrandorum causa, diuisio.

ART. XIX.

QVANTVM autem ad continuationem iudiciorum, iuxta publicas constitutiones hactenus celebratorum, attinet: quia temporibus celebrationis iudiciorum sæpius contigit, quòd propter causarum multitudinem, omnes causæ iudicari non potuerunt, sicq; multi pauperes, post maximos labores, & graues expensas, potissimùm verò qui ex Comitatibus remotioribus, & quasi in finibus Regni constitutis, venerunt, absq; decisione causarum suarum, maximo cum damno & periculo domum redire sunt coacti. Igitur vt id caueri possit, & nemo causarum suarum non adiudicatarum conquerendi occasionem habeat: statutum est, vt Comitatibus propinquioribus, videlicet, Simigiensi, Szaladiensi, Castriferrei, Sopronensi, Vesprimiensi, Iauriensi, Mosoniensi, Comaroniensi, Posoniensi, Strigoniensi, Nittriensi, Barsiensi, Zoliensi, Hontensi, Thrinchiniensi, Thurociensi & Arua, Iudicia, tàm iuxta publicas constitutiones, quàm authoritate Locumtenentis iudicari solita, pro Epiphaniarum Domini, & Beati Iacobi Apostoli festiuitatibus: alijs autem Comitatibus, videlicet, Neugradiensi, Gemeriensi, Tornensi, Heuesiensi, Borsodiensi, Vyuariensi, Zempliniensi, Sarosiensi, Scepusiensi, Lipthouiensi, Vngh, Bereg, Maromarus, Zathmariensi, Szabolcz, Vgocha, Kraszna, & Zolnak mediocris, pro Beatorum Lucæ & Georgij festiuitatibus, hîc Posonij adiudicentur: vt his quatuor terminis, omnium Regnicolarum causæ adiudicari possint, ne quisquam frustra, & sine adiudicatione causarum suarum expensas fecisse conqueratur: ita tamen, vt actus potentiarij, qui à præsentis Dietæ termino contigerint, per dominũ Locumtenentẽ continuò iudicentur, vti antea, simul etiã causæ Transmissionales priores, & præsentes, ac futuræ.

Militum violentias in castris supremus Capitaneus cognoscat. ART. XX.

SED quia plerumq; solent etiam in exercitu Regiæ Maiestatis sub dominis Capitaneis, generali vel supremis, inter milites, violentiæ & contentiones, aliæque huiusmodi differentiæ ac lites accidere: ea omnia huiusmodi, quæ in castris vbiuis positis acciderint, per ipsos, dominum generalem, aut supremos iudicari, & iustitia vnicuiq; administrari debebit: quemadmodum etiam alioqui semper in hoc Regno obseruatum est. Quòd si quis miles indigena Regni, extra castra alicui vim intulerit, iniuria vel damno affectus non prohibetur, quin, si minus ad Capitaneum generalem, vel supremos, querelam deferre voluerit, coram Regia Maiestate, aut in eius absentia, coram domino Locumtenente, cæterisq; Iudicibus Regni ordinarijs, pro remedio iuris opportuno, possit reum illum indigenam Regni, à quo iniuriam & damnũ accepit, in ius conuenire: multo verò magis, si quid huiusmodi acciderit, à præsidiarijs militibus, qui in arcibus finitimis aluntur. Inde etenim plerumque istiusmodi mala solent euenire. Reliqui verò externi milites intra Regnum existentes, iudicio ipsius generalis, post Regiam Maiestatem immediatè subiaceant.

Milites ratione violentiarum, in duplici foro conueniri possunt.

Iura Regni reuideantur & corrigantur. ART. XXI.

VIDENTVR etiam per Regiam Maiestatem eligendi aliquot viri Iurisperiti, qui iura Regni reuideant: etsi quid contra æquitatem, iusq; Diuinum esse videbitur, in melius reforment. Et quicquid per eos fuerit conclusum, producatur per ipsos in futura Dieta, per Maiestatem Regiam super Palatini creatione indicenda: & eodem tempore, super illis concludatur per suam Maiestatem.

Ann. 1550. artic. 10. 11. Ann. 1563. artic. 30. Decreta contra Ius Diuinũ & æquitatem sancita in melius reformentur.

Rex in Vngaria maneat, & Regnum in suis libertatibus conseruet.

ART. XXII.

CVM autem satis iam superque constet, absentia Regiæ Maiestatis, quantum detrimenti,

menti,& suis,& aliorum fidelium rebus hactenus attulerit: satisq; liqueat,pacatis etiam temporibus,absentiam Regum ab Vngaria,multas sæpe clades attulisse, multorumque tumultuum,grauiorum seditionum,& multorum malorum in Regno fuisse causam:supplicant Ordines & Status Regiæ Maiestati,domino eorum clementissimo,vt pro recta gubernatione Regni,executione iustitiæ, defensioneq; ritè curanda, & alijs perficiendis,sine quibus solida quies & vnio in Regno,obedientiaq; erga suam Maiestatem constare non potest: Maiestas sua iam tandem, tanquam Rex Vngariæ, inter fideles suos eius Regni,& in Vngaria permaneat,quemadmodum ipsa se, quantum per cætera negotia Reipublicæ Christianæ,& aliorum suorum Regnorum, dominiorum, & prouinciarum licuerit,gratiosè facturam obtulit. Status & Ordines Regni in suis antiquis libertatibus, immunitatibus & priuilegijs, tàm negotiorum publicorum administratione,quàm arcium intra Regnum gubernatione, atque alijs etiam quibusuis Magistratibus, Præfecturis & officijs,ipsis, & non externis hominibus committendis clementer conseruare dignetur,vt ipsa se,iuxta Regiæ Maiestatis suæ responsum & scriptum,facturam similiter obtulit gratiosè.

Poson. An. 46. art. 20. Tirna. ann. 47. art. 5. Poson. ann. 52. art. 32. an. 55. artic. 1. Maximiliani Poson. An. 67. art. 46.

Priuilegia Regno & immunitates seruabuntur.

Subsidium duorum florenorum, combustis & nouiter ædificantibus triennij exemptio seruetur. ART. XXIII.

QVOD ad subsidium attinet,etsi Ordines & Status Regni tot subinde cladibus,continuisq; calamitatibus,ad summam ferè inopiam redacti sint,adeò vt nedum ad conseruandas arces quas habent,sed ne ad quotidianos quidé victus sufficientes habeant reditus: considerata tamen paterna Regiæ Maiestatis admonitione; & quod ad defensionem ipsorum,Maiestas sua subsidium petit, quodq; se, vti hactenus aliunde quoq; prospecturam benignè offert,conuenerunt in hoc vnanimiter vt ex singulis integris portis seu sessionibus Iobagionalibus populosis,demptis videlicet inquilinis,domibus totaliter combustis,ac ijs,qui à fundamentis in locis antea desertis ædificarunt,quibus alioquin ex Decreto Regni triennij exemptio debetur,per anni spacium duobus terminis,videlicet festis Epiphaniarum Domini,& Natiuitatis beati Ioannis Baptistæ, proximè sequentibus, duos florenos, ad conseruationem gentium,pro Regni defensione,arciumq; finitimarum prouisionibus,conferant Maiestati suæ: & insuper ex proprijs eorum facultatibus sexaginta denarios,iuxta numerum colonorum, addant similiter eisdem duobus terminis exigendos, ex quibus triginta denarij similiter ad Regni defensionem, arciumq; finitimarum conseruationem,viginti denarij pro lucro Cameræ cedant Maiestati suæ: reliqui decem denarij, tum ad solutionem reliquarum expensarum, factarum in legationibus proximorum annorum, tum verò ad satisfactionem certarum expensarum, ad publica negotia erogatarum, conuertantur.

Coloni Turcis vectigales, dimidium oblati subsidij soluant. ART. XXIV.

SIC autem offerunt subsidium prædictum,vt de colonis illis, qui sub ditione Regiæ Maiestatis existentes,Turcis quoq; tributa & seruitia præstant, duobus terminis prædictis,non plus,quam centum denarij Vngarici exigantur, propter ipsorum pauperum graues oppressiones. Domini autem & Nobiles,qui tàm in Vngaria,quàm Sclauonia & Croatia arces habent finitimas,per Regiam Maiestatem,iuxta eiusdem oblationem, quantum fieri potest iuuentur in earum conseruatione. Eas verò arces & castella, quæ minus necessaria videntur,sua Maiestas demoliri faciat.

Et Maximiliani Poson. an. 69 art. 10. E. Ferdin. Poson. An. 55. art. 7. & 63. ar. 54

Nobiles vnius sessionis, etiam hac vice denarios quinquaginta soluant.
ART. XXV.

NOBILES vnius sessionis, de qualibet integra curia soluant denarios quinquaginta, in duobus terminis prædictis.

Et Poson. ann. 42. art. 15.

Dicator emitti debet, ex primitus post Dietam, celebranda in Comitatu sede.
ART. XXVI.

IN emitten-

Dicatoribus nemo leges dicandi præscribat præter Status in Dieta.

IN emittendis autem Dicatoribus, hunc ordinem obseruari debere statutum est, vt ex prima statim sede, semota omni dilatione, Dicatores ad connumerationem emittantur: non sicut hactenus, vt de vna sede, in aliam dilatio facta fuerit. Neque domini, aut Nobiles, vllas nouas leges, aut limitationes Dicatoribus dare, sed eos, secundùm modùm atque ordinem hic conclusum procedere sinant. Reliquis in rebus connumeratio colonorum fiat per omnia, iuxta modum in Conuentu Posoniensi, anni Millesimi, Quingentesimi, Quadragesimi sexti, præsente sua Maiestate, celebrato conclusum.

Pœna ingerentium se in Dicam & Tricesimas. ART. XXVII.

Tirn. Ann. 45. art. 40. & 41.

DOMINI autem & Nobiles, qui vi & potentia mediante, quouis modo in Dicam se ingesserint, vel Dicatorem, quo minus officium suum facere possit, violenter impedire, aut prohibere, vel in vsum suum Dicam conuertere præsumpserint, in ea pœna conuincantur, quæ in turbatores, tum taxarum, tum aliorum prouentuum Regiorum, in articulis Conuentus Posoniensis, prædicti anni Millesimi, Quingentesimi, Quadragesimi sexti, copiosè descripta est. Idem in eos, qui Tricesimatores vel alios officiales, prouentusque Regios impedire, aut quouis modo violenter, præter omnem causam, molestare audent, comperta veritate rei, sancitum esse volunt.

Tricesimas & alios prouentus Regios fraudantium & turbantium pœna.
ART. XXVIII.

Tricesimas defraudantes, Mercatores, Domini, Nobiles, Serui.

MERCATORES autem, & id genus quæstores, qui quouis modo fraudasse Tricesimas comperti fuerint, rerum æstimatione puniantur, iuxta Decretum. Domini autem & Nobiles, si qui manifestè depræhensi fuerint participes fuisse huiusmodi fraudis, ac auxilio vel consilio ipsis mercatoribus ad fraudem faciendam fuisse, eandem pœnam incurrant, in quam violentos supradictos incurrere debere, similiter veritate semper comperta, demonstratum est. Si seruus vim aliquam intulerit, vel aliquid huiusmodi admiserit, absente vel inscio domino, dominus purget se iuramento, per se & per duos Nobiles præstando. Si seruus Nobilis fuerit, eandem pœnam subeat. Si ignobilis, teneatur dominus tradere eum ad manus Regiæ Maiestatis, vt debita pœna plectatur. Si fugeret, dominus iuret sine voluntate & scitu suo fugisse, & ille qui aufugerit, liberè vbique capiatur.

Salium Maromarosiensium cura habenda, vnde non exiguus prouentus Regi accrescet. ART. XXIX.

VIDETVR etiam Ordinibus & Statibus Regni, vt sua Maiestas, ad reformationem Cameræ suæ salium Maromarusiensis, curam adhibeat Inde enim non parum commodi, & suæ Maiestati & Regno, prout superioribus temporibus accidit, euenturũ esse constat. Modus autem videtur esse adhibendus eiusmodi, vt sua Maiestas, in bonis quorumcunque dominorum vel Nobilium, loca ad deponendos sales seu Cameras filiales sibi possit eligere, prout commodius videbitur: vtque exactio & oppressio vectorum huiusmodi salium vbique cesset, sub pœna in articulis supradictis Conuentus Posoniensis, Anni Millesimi, Quingentesimi, Quadragesimi sexti, in turbatores huiusmodi Regiorum prouentuum decreta, & superius expressa: ita tamen, vt sales Transyluanienses ad suos vsq; terminos tantum conuehi possint. Vtq; tres Comitatus, videlicet Turocz, Arwa, Liptho, qui & longè absunt, & ferè inaccessi sunt propter Alpes, iuxta vetera eorum priuilegia, Polonicis: & Regnum Sclauoniæ, quod & ipsum longè abest, maritimis salibus intra suos terminos conuehendis, vti possint. Maiestas autem Regia, Cameras salium intra certum tempus eligendas, & in eas sales sufficientes conuehendos curet, eoq; facto denunciet, in omnes Regni partes, ne aliunde, quam ex Cameris prædictis, quisquam sales sibi emere, vel domi eos tenere possit. Qui secus fecerint, puniantur: fiatq; inquisitio super his per Camerarios & officiales suæ Maiestatis, super ipsis salibus constitutos. Prius verò quam loca salium constituta, & sales in illis repositi fuerint, prohibendi externi sales non sunt, ne fortè defectum in quotidiano vsu Regnicolæ patiantur.

Turocz, Arua, Liptho, Polonico, Sclauonia maritimo sale vtantur.

Tricesi-

Tricesimarum inscriptiones meritò facta, obseruentur. ART. XXX.

VIDETVR etiam Ordinibus & Statibus Regni, vt inscriptiones super Tricesimis, his, quibus dignè & meritò inscriptæ sunt, Maiestas sua obseruare dignetur: quemadmodum viua voce sese gratiosè facturam obtulit. Reliquas verò inscriptiones bonorum, aut prouentuum quorumcunque, quouis tempore, & quacunque de causa per Maiestatem suam factas, non aliter obseruandas esse censetur, quam in priori Conuentu Nouizoliensi extat abundè conclusum. *Aliud Poson. 46. art. 56.*

Restantia dicarum soluantur, aut sine mora exigantur. ART. XXXI.

VIDENTVR autem restantiæ priorum Dicarum, vbiq; exigendæ, per omnia opportuna remedia, habita tamen per Regiam Maiestatem clementi ratione, de ijs, qui arces finitimas conseruarunt, & iugiter conseruant. Super connumeratione autem & exactione præteritorum subsidiorum, videtur Dicatorum administratio diligenter exploranda esse, & qui fraudulenter egisse comperientur, debita pœna puniantur, etiam in personis eorum, non obstante libertate Nobilitatis, si Nobiles fuerint, vti semper est obseruatum. Idem fiat de futuris Dicatoribus. *Dicator fraudulentus, non obstante Nobilitatis libertate, etiam in persona puniatur.*

Colonorum migratio ad tempus conditionaliter suspenditur. ART. XXXII.

QVOD verò ad colonorum transmigrationem attinet, licet in proximo Conuentu Tirnauiensi, huiusmodi transmigrationem, sub certis modis & conditionibus, Ordines & Status Regni liberam fecerant: quia tamen, vel hoc exiguo temporis spacio, magnam colonorum inobedientiam erga suos dominos, & insurrectionem contigisse constat. Tum igitur ex eo, tùm alijs bonis respectibus, conclusum est, vt huiusmodi transmigratio pronunc, vsque ad alium generalem Conuentum cesset, nec coloni de bonis dominorum suorum, nisi modo infrascripto, aliò se conferre possint. Ne tamen per hoc dominis & Regnicolis, aut alijs possessionatis hominibus, potestas detur exercendæ tyrannidis in miseros colonos, statutum est, vt coloni in eorum libertatibus conseruentur, nec vltra, quam iustum honestumq; & tolerabile est, taxentur, crucientur, aut rebus suis spolientur: vtque id commodius euitari possit, is modus solutionis, & seruitiorum eorundem colonorum videtur obseruandus.

Colonorum census, victualia & munera. ART. XXXIII.

PRIMO, quòd solutio pecuniaria, quæ census ordinarius dicitur, nec non victualium, vinorum, munerum, & aliorum prouentuum ordinariorum administratio, vbique dominis terrestribus, iuxta antiquam & veterem quarumcunq; ciuitatum, oppidorum, & colonorum cuiuslibet loci consuetudinem fiat. Si verò essent aliquæ villæ seu oppida, vbi coloni nihil censuum ordinariorum seu victualium, & munerum hactenus soluissent, in ijs locis fiat solutio, iuxta morem & consuetudinem, quæ in alijs villis & possessionibus illis propinquioribus & vicinioribus obseruatur.

Colonorum seruitus. ART. XXXIIII.

ITEM communiter quilibet colonus possessionatus, singula hebdomada, singulum vnum diem domino suo terrestri seruire teneatur: salua tamen in ijs antiqua consuetudine Regni Sclauoniæ.

Colonorum aratura. ART. XXXV.

ITEM in aratura, tàm Vernali, quàm Autumnali, coloni omnes singulo aratro, vno die integro à mane ad Occasum Solis, cum omnibus huiusmodi iteratis arationibus solitis perarare, & semente domini sui terrestris seminare teneantur.

Vinearum cultura, falcatio, messis ART. XXXVI.

ITEM tempore culturæ vinearum, nec non falcationis & messis, quilibet colonus, singulis hebdomadis, singulos duos dies domino terrestri laboret, vsque quo tempus huiusmo-

huiuſmodi culturæ ac falcationis & meſſis durabit: ita tamen, quòd poſtea ex alijs hebdomadis, labor huiuſmodi vnius diei ſuperadditi, deducatur.

Colonus per totum annum quinquaginta duobus diebus domino ſeruiat tantum.
ART. XXXVII.

ITEM ſi contigerit colonum in ſeruitijs domini ſui, ſiue peditem, ſiue equitem, ſiue in curru, in vehendis vinis aut victualibus, vel alijs ſeruitijs vna hebdomada plus vno die laborare, & iter facere, id quoq; ex ſeruitijs reliquarum hebdomadarum deducatur: ita quòd per totum annum, coloni ipſi, quodcunque genus ſeruitij præſtent, non niſi dies quinquaginta duos, tot enim ſunt hebdomadæ, expleant.

Inquilini ſeruiant pro facultate. ART. XXXVIII.

ITEM inquilini, ſecundùm facultates eorum, ſeruiant dominis ipſorum.

Pro redemptione capitis, item primitiarum, & nuptiarum, adminicula à colonis accipienda.
ART. XXXIX.

Coloni quando tenētur dominis ſuis, extraordinarium ſubſidium præſtare.

ITEM nullus dominorum & Regnicolarum ac poſſeſſionatorum, taxas extraordinarias exigat, aut res colonorum ſuorum violenter auferat. Tamen ſecundùm veterem conſuetudinem, pro redemptione capitis domini terreſtris, aut in ſolennitate primitiarum, & nuptiarum, aliquod honeſtum & tolerabile ſubſidium dominis eorum, ipſi coloni præſtare teneantur.

Birſagia & mulctas, coloni iure conuicti, dominis perſoluant. ART. XL.

SI quis colonorum pro aliquibus delictis & exceſſibus, iure condemnatus fuerit, talis & pœnam iure illi decretam ſubeat, & Birſagia ſeu grauamina iure pronunciata perſoluat domino ſuo terreſtri, vel eius officialibus.

Coloni, ſine manifeſtis delictis, non recipiantur in carceres. ART. XLI.

ITEM nemo ſine manifeſtis delictis & exceſſibus, colonum ſuum in carcerem vel vincula conijcere, aut alijs fortaſſis etiam maioribus cruciatibus afficere poſſit.

Colonus qua de cauſa de bonis domini ſui migrare poſſit. ART. XLII.

Colonis migrandi modus alius inſtitutus quàm in præcedētibus, Anni 1547. articulis, ſed non ſeruatur in toto.

ITEM ſi qui nec DEI, nec hominum timore permoti, colonum ſuum quempiam pactauerint, & ad maiora ſeruitia facienda, & cenſus ac munera, & victualia danda administrandaque vi coëgerint, vel alio quouis modo, contra ſeriem præſentis conſtitutionis vexauerint ac oppreſſerint, talis colonus, liberam de bonis domini ſui diſcedendi habeat facultatem, tali modo: quòd in ſingulis Comitatibus eligantur ſinguli iurati duodecim Nobiles probi & Iuriſperiti viri: in minimis verò Comitatibus ſex. Talis autem colonus diſcedere volens, vel dominus aut Nobilis, ad cui9 bona migrare voluerit, compareat in ſede iudiciaria Comitatus, vbi reſidet, ac deferat ſuam querimoniam coram Vicecomite & Iudicibus Nobilium, ac iuratis Nobilibus; quorum iuratorum ad minus pars media ſemper intereſſe debeat. Qua quidem querimonia delata, Vicecomites & Iudices Nobilium ac Iurati Nobiles, poſtpoſita illa trina citatione, quæ in alijs litibus ſeu cauſis fieri ſolet, ad primam citationem, ſuper huiuſmodi querimonia, inter colonum & dominum ſuum iudicium & iuſtitiam faciant. Et ſi colonus iuſtam querimoniam habere compertus fuerit, illorum iudicio, citra omnem appellationem, eo quo voluerit, de bonis domini ſui, coram vno Iudice Nobilium diſcedat, ac teneatur dominus ſuus eum ad bona alterius domini vel Nobilis, quo ire voluerit, dimittere, ſub pœna ſolutionis centum florenorum, partim Iudicibus, partim verò parti aduerſæ ſoluendorum. Viceuerſa autem, ſi quis colonus vel clam aufugeret, & dominus talis, quo ſe conferret, admonitus non reſtitueret, vel fortaſſis violenter per quoſcunque abduceretur, talis pro violenta abductione, ac fugitiui coloni non reſtitutione, in eadem pœna centum florenorum, partim Iudicibus, & partim aduerſæ parti perſoluendorum, conuincatur.

Vicecomes negligens facere executionem, perdit officium, & Comiti in florenis centum conuincitur. ART. XLIII.

DE quibus pœnis, Vicecomites talium Comitatuum exequutionem faciant sine mora: & si non fecerint, priuentur officio, & in pœna centum florenorum conuincantur Comiti persoluendorum.

Coloni in quem locum translati sunt, in eo maneant. ART. XLIIII.

QVOD coloni, qui post liberam transmigrandi facultatem Tirnauiæ factam, per legitimam licentiationem, adimpletis omnibus necessarijs, prout conclusum est, ad bona aliorum moraturos se contulerunt, ibidem maneant.

De damnis priori domino per fugitiuum colonum illatis, dominus terræ, in cuius bona colonus migrauit, tenetur colonum ad satisfactionem cogere.

ART. XLV.

COLONI etiam, qui sub hoc tempus, vel antea fugitiuè discesserunt, & violenter abducti sunt, ibidem maneant, quo se contulerunt: si tamen aliqua damna prioribus eorum dominis intulerunt, vel debitores manserunt, teneantur domini eorum, in quorum bonis manebunt, iudicium & iustitiam, ac satisfactionem administrare: si non fecerint, in pœna centum florenorum conuincantur. Qui autem vltrò ad priores eorum dominos redire voluerint, si pœna centum florenorum remittantur. Sic autem super colonorum migratione, in præsenti Conuentu, modo atque ordine prædicto decretum fuit, vt in futuro proximo Conuentu generali, Maiestas sua cum Ordinibus & Statibus Regni reuideat, num præsens modus colonis ipsis præscriptus, an Tirnauiensis constitutio sit Regnicolis & colonis ipsis maiori vsui & vtilitati ac tranquillitati. Atque ita super ea re, certior & stabilior constitutio ac determinatio tunc fieri poterit: vtrum videlicet in constitutione Tirnauiensi, an in præsenti fuerit permanendum.

Colonus vltrò redire volens remittatur, sub pœna flor. 100.

Castella nouiter erecta diruantur. ART. XLVI.

QVOD Castella Szabadfalua, Gach, Ordo, Gyulakőzy, Tanasdlonya, Nemethi, Helmecz, Zethen, Szithnya, Kauas, & alia tàm in Sclauonia, quàm in Vngaria, nouiter & sine permissione Regiæ Maiestatis erecta, per Comitatus illos, qui ex locis illis mala patiuntur, vbique diruantur, iuxta priores constitutiones. Si Comitatus per se id facere non posset, Regia Maiestas, vel Capitaneus per Comitatum requisitus, diruenda curet, & Comitatus illi assistat.

Castellorum in demolitione Comitatus adsit.

Kolos Abbatiæ fortalicium diruatur. ART. XLVII.

QVOD Kolos fortalicium diruatur, & Abbatia, si Abbatem non habet, viro religioso conferatur.

Fures & prædones, per Capitaneos vel Comites puniendi. ART. XLVIII.

QVOD publici fures & prædones, vbique per supremos Regni Capitaneos, ac liberos Comites, nec non Comites Comitatuum, ac Vicecomites, prout in Decreto Regni continetur, capiantur, ac puniantur: prouideaturque per eosdem omnibus modis, vt itinera vbique sint tuta.

Prædones alentes, quomodo puniantur. ART. XLIX.

QVIA verò dicuntur nonnulli esse, qui in suis arcibus, satellites prædones, & Zaskornikos alunt, ab hisq; ad latrocinandum emissis, partem prædæ capiunt, tales homines, in quos publica querela extiterit, per Maiestatem Regiam, vel Capitaneos Regni illicò puniantur: ita vt & arces ipsæ expugnentur, & ipsimet inde extracti, turpi morte afficiantur, sine cuiusquam respectu personæ. Bona etiam ipsorum, omniumq; illis adhærentium, per Regiam Maiestatem benemeritis personis conferantur. Inprimis autē, cum satis constet Matthiam Baso huiusmodi malefactores multos fouere, adeò vt in partibus superioribus, per satellites ipsius certis in locis itinera iam pridem obsideantur,

Baso puniatur.

multaq; latrocinia commissa sint,& indies committantur, multiq; etiam speciales Nobiles interfecti & spoliati sint: dignetur Maiestas Regia ad punitionem ipsius Baso, omniumque seruitorum,& aliorum illi adhærentium, absque mora curam adhibere, vt exemplo illius,desinant alij ab huiusmodi latrocinijs,& Maiestati Regiæ, publicisque constitutionibus pareant. Et quia latrones huiusmodi,à quibus infestari solent itinera, in partibus illis syluarum densitate solent delitescere: statutum est,vt huiusmodi syluæ, per ducentorum cubitorum spatium, circumquaq; penes vias, per colonos vicinorum Comitatuum succidantur,vt commoditas illis latronibus sit sublata.

Syluæ circa vias ad 200. cubitos excidēdæ.

De malefactoribus inquisitio fiat per Comites & Vicecomites, singulis anni quartalibus. ART. L.

DE his autem quorum suspecta,tantummodo, non planè omnibus nota sunt latrocinia,videtur hic modus obseruandus: vt Comites,vel Vicecomites quorumcunq; Comitatuum,vna cum Iudicibus Nobilium,ac electis illis Nobilibus, qui ad facienda iudicia,super colonis transmigraturis,eligendi erunt modo supradicto,singulis anni quartalibus diligentem inquisitionem super omnibus dominis, Nobilibus & ignobilibus faciant: & si qui latrones fouere,vel ipsi latrocinari comperientur,illicò Comites vel Vicecomites,si per se sufficientes fuerint,tales omnes ex merito puniant: sin minus,ea de re omni Capitaneos Regni edoceant,vt modis omnibus malefactores tollantur.

Monetarum cusio & cursus. ART. LI.

MAIESTAS Regia dignetur prouidere, vt cúsores monetarum adulterinarum, iuxta Decretum puniantur,& qui in eo crimine fuerint in posterum deprehensi, ijs Maiestas sua gratiam minimè facere dignetur,absq; consensu Ordinum & Statuum Regni: quandoquidem publicum hoc crimen sit,&ad omnes pertinet.Et vt tàm antiquæ,quàm nouæ Cremnicienses monetæ,vbique in Regno recipiantur,sub pœna ablationis rerum ac victualium. Nummi verò Boëmici, qui Babkones vocantur, terni pro vno crucifero, quemadmodum in Boëmia,ita etiam in Vngaria vbique accipiantur. Polonica autem moneta,nusquam in Regno accipiatur.

Monetarum adulterinarũ cusoribus, gratia non fiat sine Regni consensu.

Babka, quantum valeat.

Polonica moneta non accipiatur.

Tricesima pro vno boue, florenus sesquialter exigatur. ART. LII.

QVOD Tricesimam Maiestas Regia, si non minus, prout prius exigebatur, de singulis bobus, saltem per vnum florenum cum dimidio, vt gratiosè se obtulit, exigi faciat.

Telonia sicca tollantur. ART. LIII.

QVOD Telonia sicca, vectigalia, & aliæ exactiones absque consensu Regiæ Maiestatis,imò etiam cum consensu,ex indebita supplicatione Maiestati suæ facta, recens erecta vbiq; tollantur.

Telonium siue tributum pro cupro euehendo, quando non soluitur. ART. LIIII.

DE cupro autem,quod ex fodinis Bistriciensibus,quas Maiestas sua nunc coli facit, nomine suæ Maiestatis educitur, nusquam in bonis dominorum aut Nobilium Telonium exigatur,quamdiu sua Maiestas per se fodinas huiusmodi colendas curauerit. Ab alijs verò,qui quæstus gratia cuprum ipsum educunt,Telonium ipsum,more solito,exigi potest. Caueatur tamen,ne aurum etiam & argentum non cusum extra Regnum educatur: & educentes,iuxta Regni Decretum,puniantur per oblationem auri & argenti,& detentionem personarum.

Aurum & argentum non cusum è Regno non educatur.

Tricesimæ à Nobilibus non exigantur. ART. LV.

An.1550. ar.66

QVOD à dominis & Nobilibus, rebusque eorum,Tricesimæ & Telonia,intra Regnum Vngariæ nullibi exigantur, sed omnes antiquæ libertates obseruentur, iuxta conti-

continentiam generalis Decreti. Si quis autem dominus aut Nobilis aliquid in Regnum pro vſu ſuo proprio importauerit, nullam Triceſimam aut Telonium vſquam ſoluere teneatur: caueatur tamen, ne ſub hoc prætextu, aliquæ res in defraudationem Triceſimarum Regiæ Maieſtatis, quæſtus gratia inducantur vel educantur, ſub pœna ablationis rerum.

Libertates Statuum conſeruentur. ART. LVI.

QVOD libertates, exemptioneſq; dominorum ac Nobilium, nec non liberarum ciuitatum & Montanarum, ſed & montis Græcenſis, vbique conſeruentur: hæ ſcilicet exemptiones & libertates, in quarum vſu fuerunt & exiſtunt.

Comitatus, per F. Georgium auulſi, recuperentur. ART. LVII.

QVOD Comitatus, Heueſienſis, Vyuarienſis, Saros, Zemplin & Vngh, qui per fratrem Georgium diſtracti ſunt, Maieſtas ſua curare velit, vt ad ditionem ſuæ Maieſtatis recuperentur.

Triceſimæ per fratrem Georgium erectæ, tollantur. ART. LVIII.

QVOD Triceſimæ in Varano, Szepſi, Iaſzow, ac Thorna, per fratrem Georgium erectæ, tollantur: quod vt fieri poſſit, Maieſtas ſua ad id poteſtatem & facultatem dominis Regni Capitaneis tribuat. Nobiles quoque, tàm in Vngaria, quàm Sclauonia & Croatia, qui per vim & potentiam his temporibus diſturbiorum, in ruſticitatem redacti ſunt, in ſuam libertatem reſtituantur, ſub pœna facti maioris potentiæ. *Nobilibus per diſturbia in ruſticitatem redactis libertas reſtituatur.*

Bona apud Iſabellam Reginam, & fratrem Georgium exiſtentia, recuperentur, & ijs quorum ſunt, reſtituantur. ART. LIX.

DIGNETVR etiam Maieſtas Regia modum adhibere, vt bona fidelium ſuæ Maieſtatis, ſub poteſtate sereniſſimæ dominæ Iſabellæ Reginæ, & fratris Georgij exiſtentia, reſtituantur ijs ad quos ſpectant. Et ſicuti per Maieſtatem ſuam Nobilibus, ſub illorum poteſtate exiſtentibus, iuſtitia & ſatisfactio adminiſtratur, itidem & illinc fiat.

Decimas in ſpecie exigere licet, nec earum domini tenentur eas cuiquam arendare. ART. LX.

ITEM ſtatutum eſt in negotio decimarum, vt domini Prælati, Abbates, Plebani, vel aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ decimas habentes, non teneantur decimas ipſas cuiquam in arendam locare, ſed eas liberè pro ſe colligere & percipere de omnium bonis poſſint & valeant, prout in Decretis continetur.

Decimæ ſi arendandæ ſint, dominis terræ locentur. ART. LXI.

SI quas autem decimas ipſi ſponte locare voluerint, eas vſq; ad feſtum Beati Georgij nemini alteri, quam dominis terreſtribus eorum locorum, ex quibus decimæ proueniunt, arendare poſſint. Quo quidem feſto Beati Georgij aduenienre, vnuſquiſq; dominus & Nobilis, ſuper arenda decimarum bonorum ſuorum concordare teneatur cum Prælato, vel alia perſona Eccleſiaſtica, aut alio quouis, ad quem decima ſpectat, ſiue eius officiali, qui ad Comitatum ſeu diſtrictum, ob id ad præmiſſum diem mitti debebit. Ita vt ſi ab antiquo precium illius decimæ, quam in arendam conducere voluerit, expreſſum & limitatum eſſe conſtet, teneatur decimæ dominus, ipſo limitato & conſueto pretio, decimam ipſam domino fundi ſupradicto conducere volenti, locare, & is pretij huiuſmodi dimidiam partem, tempore huiuſmodi arendationis ſtatim, alteram verò mediam partem ad feſtum Diui Nicolai, vel Purificationis Mariæ, iuxta locorum conſuetudinem perſoluere teneatur. Cuius autem decimæ limitata arenda non eſt, ſi dominus fundi cũ Prælato vel alio decimæ domino, vel eius officiali concordare non poſſit; extunc Prælatus decimam ipſam pro ſe retinere, & nemini alteri arendari poſſit, priuſquam decimam ipſam in ſpecie non collegerit: & ita collectam, cuicunq; voluerit, vinum & fruges liberè diuendere valeat. Si quis Prælatus, vel perſona Eccleſiaſtica, deci-

De arendatiõ. decim. Poſon. An. 46. art 59. Tirna. 47. ar. 3 Poſon. An. 54. art. 12. An. 57. art. 12. An. 63. artic. 68. Sopro. Ann. 53. art. 8. Poſon. Ann. 63. ar. 68 & ar. 72 Maximi. Imp. Poſon. An. 69. art. 27. an. 74. art. 22. & 24. Decimarũ fruges collectas, Prælatus cui vult vendit.

decimam bonorum quorumcunq; dominorum, aut Nobilium, ante festum prædictum Beati Georgij, alij, quam domino terrestri ipsius loci arendauerit, vel non facta modo præmisso concordia, cum dominis ipsis terrestribus, sub prætextu aliquo, ante messis tempus vel vindemiæ, decimam alteri locare audeat, decimam illius loci, pro eo anno amittat, & eam dominus fundi gratis habeat. Similiter si quis dominus vel Nobilis, inuito, domino decimæ, se ad illam quouis modo ingereret, & eius exactionem quocunq; modo impediret aut turbaret, in pœnam dupli eius decimæ mox incurrat, quæ ab eo irremissibiliter de facto exigatur.

Decimam Prælatus quando amittit.

Decimam turbans, in eius duplo conuincitur

Decimas rustici conuehere, contra tenorem Decreti, non cogantur.

ART. LXII.

COLONI Nobilium, ad conuehendas decimas quorumcunque Prælatorum & personarum Ecclesiasticarum, per dominos decimarum, vel earum arendatores nusquam compellantur contra tenorem Decreti: decimæq; ipsæ, vbiq; iustè exigantur.

Bona & possessiones olim ad Regnum Vngariæ pertinentes maneant, & sint sub iurisdictione Regni. ART. LXIII.

BONA ac possessiones, quæ olim intra limites Regni Vngariæ fuerunt, nec sub contractu serenissimorum quondam Maximiliani Imperatoris, ac Vladislai Regis, felicis recordationis, continentur, Maiestas sua per Prouinciales suos à Regno distrahi non patiatur, sed eas iurisdictioni Regni parere iubeat. Quòd si quæ de metis & terminis Regni, tàm cum ipsis Prouincialibus, quàm alijs vicinis Regnis & prouincijs differentiæ essent, quæ antea decisæ non fuissent, eas omnes differentias Maiestas sua per Commissarios vtrinque electos reuideri, ac sine diuturniori mora determinari curet, vti gratiosè se obtulit.

Capitulum Varadiense executionem in sua iurisdictione peragat.

ART. LXIIII.

CAPITVLVM Varadiense, & Sancti Stephani Protómartyris in Comitatibus vbique, vbi antea exequutionem fecerunt, deinceps quoque faciant, deque ea re, Maiestas Regia ad fratrem Georgium scribere dignetur, vt is omnino executionem huiusmodi patiatur.

Arestatio quorumuis contra Regni Decreta non fiat. ART. LXV.

Vlad. Prim. ar. 89. 90. 91. 92.

LIBERARVM & Montanarum ciuitatum, vel aliorum quorumcunq; locorum accolæ, indebitè, contra Regni Decreta, non arestentur: iusti videlicet pro iniustis non plectantur. Si qui verò arestum indebitum fecerint, iuxta tenorem Decreti, puniantur.

Comitis non iurati & violenti pœna. ART. LXVI.

COMITES qui hactenus, iuxta mandatum Regiæ Maiestatis, non iurarunt, amoueantur: & qui in futurum creabuntur, statim iurent. Similiter si qui officia ipsorum malè administrant, vel violentias in illis exercent, ad supplicationem totius Comitatus, comperta prius rei veritate, auferatur ab eis officium, & alter præficiatur loco illius: violentus autem ille ex meritò puniatur. Si quis iurare noluerit, auferatur ab eo officium.

Literarum taxa, & salarium fidedignitatum. ART. LXVII.

CAPITVLA & Conuentus, dum ad executionem exeunt, non plus quam denarios duodecim pro itinere vnius diei exigant: quemadmodum etiam antea fuit conclusum, sub pœna amissionis beneficij. Redemptio autem literarum fiat iuxta antiqua Decreta.

Vlad. Prim. art. 95.

Szakolczenses terras eorum Morauis non vendant, & metas Regni non alienent.

ART. LXVIII.

QVONIAM feruntur ciues de Szakolcza, terras & prata ipsorum hominibus Morauis, ac

uis,ac Iudæis etiam vendere: Maiestas Regia modum constituat,vt Nobiles,qui morantur in Szakolcza,vel alij Vngari, eas terras & prata retinere possint, ac insuper ciuitas puniatur,ne metæ Regni alienentur.

Arx Kuszegh,& brachium Regale super Chaszarwara. ART. LXIX.

MAIESTAS Regia dignetur cum domino Petro Erdődi, super iure, quod ipse habet in arce Kűszegh tractare,& quod iustum fuerit, statuere Brachium etiam Regale, quod super arce Chaszarvvara, ipse dominus Erdődi iam dudum obtentum habet,confirmare & exequi facere.

Vicecomitis electio. ART. LXX.

VICECOMITES, non per Comitem solum, sed consensu totius Comitatus, iuxta Regni Decreta eligantur,& iurent statim: alioqui iudicio illorum nemo pareat, nec illius iuris administratio locum habeat.

Literæ quæ in arcibus, Posoniensi & Saaros existunt, restituantur. ART. LXXI.

DIGNETVR Maiestas Regia,certorum Nobilium literas,quæ in arcibus Posoniensi & Saros sunt,ad manus eorum,ad quos spectant,in futuris iudicijs reddi facere, Priuilegia etiam,super libertatibus Regni Vngariæ,Ioanni Kaczianer,in arce Scepusiensi per manus Derencheni tradita,quæ nunc sunt in arce Posoniensi, Maiestas sua dignetur reuideri facere,& postea de illis restituendis gratiosè deliberare.

CONCLVSIO.

Nos itaq; accepta præfatorum fidelium nostrorum Prælatorum, Baronum & Nobilium,cæterorumq; Statuum & Ordinum dicti Regni nostri Vngariæ, humilima supplicatione,præscriptos articulos,& constitutiones publicas ipsius Dietæ, Maiestati nostræ modo præmisso porrectas,præsentibusq; literis nostris de verbo ad verbum, sine diminutione[j] & augmento aliquali insertas & inscriptas,in omnibus suis punctis & clausulis,ratas,gratas,& acceptas habentes,clementer acceptauimus approbauimus,& ratificauimus,nostraq; Regia authoritate & potestate gratiose confirmauimus, harum nostrarum secreto sigillo nostro, quo vt Rex Vngariæ vtimur,munitarum,vigore & testimonio literarum. Datum in arce nostra Posoniensi,vigesima secunda mensis Nouembris,Anno Domini,Millesimo,Quingentesimo,Quadragesimo octauo, Regnorum nostrorum,Romani, decimo octauo: aliorum verò vigesimo secundo.

FERDINANDI IMPERATORIS DECRETVM, ANNO DOMINI M. D. L.

Posonij editum.

NOS FERDINANDVS, diuina fauente clementia, Romanorum, Vngariæ, Boëmiæ,&c. Rex,semper Augustus,Infans Hispaniarum,Archidux Austriæ,Dux Burgundiæ,Brabantiæ,Marchio Morauiæ,Comes Tyrolis, &c. Memoriæ commendamus tenore præsentium,significantes quibus expedit vniuersis: quòd domini Prælati,Barones,Nobiles,cæteriq; Status & Ordines,fideles subditi huius Regni nostri Vngariæ, in præsenti generali Conuentu,pro festo Epiphaniarum Domini, anno Millesimo, Quingentesimo, Quinquagesimo, Posonij celebrato, ex edicto nostro congregati, exhibuerunt & præsentauerunt nobis humiliter infrascriptos articulos,in Conuentu ipso,communibus omnium ipsorum votis conclusos, ad propositionem nostram eis factam respondentes: supplicaruntq; nobis humilimè,vt vniuersos & singulos ipsos, omniaq; & singula in eis contenta,ratos,gratos & accepta habentes,nostrumq; Regium consensum eisdem præbentes,authoritate & potestate nostra Regia, acceptare , approbare & confirmare,atq; tàm nos ipsi conseruare,quàm per alios omnes conseruari facere dignaremur. Quorum quidem articulorum tenor talis est.

Præfatio, in qua Status fidelitatem & obedientiam Regi deferunt. ART. I.

SINGVLARE & eximium sacræ Regiæ Maiestatis animi studium, benignitatemq; & clementiam planè paternam, qua Maiestas sua, fideles suos Ordines & Status Regni, ex edicto suæ Maiestatis ad præsentem Conuentum congregatos, suscipere, eisdemq; liberaliter se se offerre, initio propositionis suæ, ab amplitudine sua Regia non alienum sibi futurum existimauit: ijdem Ordines & Status Regni, ea, qua fideles & obedientes subditos decet, humilitate & submissione, lætis animis excipiunt, ac votis omnibus, ingentiq; prosequuntur gratiarum actione, ac se se, vitam & fortunas suas, pro sua Maiestate, eiusq; serenissimis liberis, in omne tempus profundere offerunt paratos. Et quòd seriùs aliquanto, quam edictum erat, huc conuenerint, vt Maiestas sua Regia locorum distantiæ, & discriminibus viarum, non vlli inobedientiæ generi, clementer asscribere dignetur, eidem supplicant humilimè.

Recognoscunt Status, Regis erga se, & Regnum Vngariæ, Regiam, piam & liberam voluntatem. ART. II.

QVOD verò sub compendio summatimq; Maiestas suas ijsdem fidelibus suis Ordinibus Regni & Statibus significatum esse voluit, sese cum iam inde ab initio Imperij sui in Vngaria suscepti, huc duntaxat omnes curas, omnes contulerit cogitationes suas, vt Regnum vnitum, pristinæ aliquando redderet desiderataeq; tranquillitati, imposterum quoq;, nihil prius, nihil antiquius habituram, hoc eodem instituto suo, effecturamq; modis omnibus, vt sentiant fideles sui, defensionem, vnionem & conseruationẽ Regni Vngariæ, sibi maximæ curæ fuisse, foreq; omni tempore. Agnoscunt Ordines & Status Regni, veterem, & planè Regiam voluntatis erga subditos significationem, & animi ardorem illum, quo Maiestatem suam ad salutem eorum incensam semper fuisse, cuncti facilè orbis terræ populi intelligere potuerunt. Et cum nihil à sua Maiestate prætermissum esse constet, quod ad perficiendum hoc suum institutum spectare visum sit, satisque liqueat, hoc toto tempore, nullos prorsus labores, nullos sumptus, nulla etiam sæpe pericula, pro salute suorum fidelium, à Maiestate sua fuisse detrectata: agunt ijdem Ordines & Status Regni Maiestati suæ, domino eorum clementissimo, gratias immortales, & cum Deum Opt. Maxim. pro salute incolumitateq; suæ Maiestatis & serenissimorum liberorum, totis animis assiduè orant, tum verò penes suam Maiestatem, penesq; pios & salutares eiusdem conatus, in omnes casus promptos se in omni tempore futuros recipiunt.

Gratum est Ordinibus, quòd Rex non longè à Regno moram ducere, & per se Rempublicam administrare, aut per serenissimos filios, proposuisset. ART. III.

ACCIDIT autem ijsdem Ordinibus & Statibus Regni optatissimum, quòd Maiestas sua clementer subiunxit, sese, cum propter ardua Christiani orbis negotia, longo tempore, non modò à Regno Vngariæ, verumetiam ab hæreditarijs suis prouincijs, procul abesse oportuerit, pacatis iam Diuino beneficio, Sacræq; Cæsareæ & Catholicæ Maiestatis fratris sui ope, rebus in Germania, propositum in animo habere, haud longè ab eisdem discedere imposterum, sed tum per se, tum verò per serenissimos suos liberos administrandæ Reipublicæ sedulò incumbere.

Quòd Rex in Vngaria maneat. ART. IIII.

QVARE, quod Maiestas sua offert benignè, fideles Ordines ac Status Regni sui humilimè petunt à sua Maiestate, persistat iam tandem inter fideles suos, nec diutius patiatur eos confici desiderio sui, vtilitatemq; experiatur, quam ex continua præsentia sua est consecutura.

Maximilianus Rex ex Hispanijs in Vngariæ moderatorem accersiri petitur. ART. V.

QVOD si id fieri nequaquam posset, tum vel saltem serenissimum Principem Maximilianum Regem Boëmiæ, filium suum charissimum, ex Hispania quam primum in Vngariam accersere, & inter fideles suos, in hoc Regno ad Reipublicæ moderationem curan-

curandam, adque linguæ Vngaricæ vsum, & militarem disciplinam perdiscendam, collocare dignetur.

Dum Maximilianus ex Hispaniis redeat, Rex non longè ab Vngaria absit.

ART. VI.

INTEREA verò temporis, dum serenissimus Rex Maximilianus, ex Hispania reuocatus, venire potest ad trahendam moram in Vngaria: Status & Ordines Regni supplicant humilimè, vt Maiestas sua inter ipsos persistere dignetur, ne ipsa discedente, maneant ipsi penitus sine capite, omnibus casibus, omnibusque periculis expositi: quemadmodum Maiestas sua, se, quantum per cætera negotia Reipublicæ Christianæ, & aliorum suorum Regnorum, dominiorum & prouinciarum licuerit, omni studio, clementerque & paternè facturam obtulit.

Quòd inobedientes & rebelles puniendi sint, Regnicolæ id gratum ipsis esse testantur.

ART. VII.

CÆTERVM, quòd Maiestas sua copiosè recensuit, ea quæ proxima Æstate iussu suo, à suis præfectis & copijs, puniendis inobedientibus, ac publicæ quietis turbatoribus, ad communem omnium vtilitatem feliciter gesta sunt, seque inposterum offert diligenter curaturam, ne quis subditus sese impunè audeat efferre contra fideles & obedientes: agunt pro eodem Ordines & Status Regni Maiestati suæ, domino eorum clementissimo, gratias immensas, affirmantq; omnibus passim fidelibus suæ Maiestatis, ex ipsa proxima expeditione, non mediocrem vtilitatem redundasse: plurimumque momenti, ad vnionem, pacemq; & tranquillitatem restituendam & retinendam positum esse, in hac ipsa inobedientiæ punitione: quemadmodum antehac sæpè, ab ipsis Ordinibus ac Statibus Maiestati suæ est commemoratum.

Damna per milites quibusdam illata, ex dica refundantur, & talis damnorum compensatio, ex salarijs militum detrahatur. ART. VIII.

FATENTVR etiam id, quod Maiestas sua prudenter adduxit de damnis, quæ à quibusdam militibus tenuioris fortunæ hominib⁹, in oppidis & villis, penes quos aliquamdiu castra metari exercitus contigit, inferri solent; neque dubitant istiusmodi damna, quæcunque acciderunt, præter scitum, adeoq; præter omnem suæ Maiestatis voluntatem, licentia militum accidisse. Verùm cum plerique domini ac Nobiles, in suis oppidis ac villis, non solùm ab Hispanis peditibus, verumetiam ab equitibus suæ Maiestatis Vngaris, eiusmodi damna accepisse se grauiter querantur, quæ nulla ratione possunt silentio præteriri, sed planè videantur esse resarcienda: quippe quum etiam ad quæstum ea, quæ miseris plerisq; colonis incolis direpta sunt, ab ipsis militibus conuersa esse, & lucro exposita compertum sit. Supplicant Ordines & Status Regni Maiestati suæ humilimè, præcipuos aliquos viros dignetur deligere, ad cognoscenda huiusmodi damna, quæ hi, quorum interest, priuatis eorum supplicibus libellis Maiestati suæ explicabunt, cognitaq; tandem resarciri curari clementer, & inposterum certum modum atque ordinem constituere dignetur, ne huiusmodi querelis iusta à spis militibus præbeatur occasio. Nam alioqui non solùm Regni vastitas ex huiusmodi impunitate, verumetiam ipsi Regiæ Regiæ Maiestati non mediocris iactura consequeretur, propter imminutionem dicæ, quam in illis locis fieri necesse esset. Quòd si aliter refusio damnorum huiusmodi videretur fieri non posse, tunc ex dicis futuris poterit Maiestas sua, sine vllo incommodo vel detrimento suo, id præstare, & quicquid in dicis ipsa relaxauerit, ex stipendio militum, qui damna intulisse comprobabuntur, sibi ipsa excipere.

Induciæ cum Turca initæ, & quòd Rex ditioni suæ sedulò inuigilet, muniendo præsidijs confinia. ART. IX.

AGVNT etiam ijdem Ordines & Status Regni Maiestati Regiæ gratias immortales, pro eo, quòd se Maiestas sua, causa inprimis salutis & conseruationis ipsorum, inducias cum Turcarum Principe pepigisse significauit, nihil verendo, quin Maiestas sua

certa ratione vt id faceret adducta sit,& quum inposterum quoque quæsitura sit remedia ipsis fidelibus suis,& Regni Vngariæ vnioni, conseruationiq;, & amissorum recuperationi,cum primis vtilia & salutaria,neque interim prætermissura, cum arces finitimas præsidijs necessarijs ac mœnibus &propugnaculis ita offirmare,vt si quid periculi emergeret, nullos non hostiles insultus valeant remorari (quemadmodum pacis tempore, maximos semper Reges,& Principes fecisse constat) tum verò ita in omnes partes ditioni suæ inuigilare,vt nulla occasione rei benè gerendæ omissa,defensum & conseruatum hoc Regnum suum, Diuina inprimis benignitate, ac deinde sacræ Cæsareæ & Regiæ Maiestatis authoritate & viribus,tandem liquidò appareat.

Reformatio Decretorum non retardetur segniori sumptuum suppeditatione.
ART. X.

PROBATVR etiam Ordinibus & Statibus Regni, quòd Maiestas sua de reformatione Decreti,& iuris interim æqua administratione clementer proposuit: opere precium esse censent,inceptum opus,quo ad eius fieri possit,celerius ad exitum perduci,ac proinde & solicitando eos,quibus hæc prouincia demandata est,& largius quoq; quam hactenus sumptus suppeditandos,vt omnis cunctatio facilius tollatur.

Decreti reformationem maturandam.

Decreti reformati reuisio diligens per Regnicolas fieri debet. ART. XI.

CVM autem negotium hoc,priuilegia,libertates,iura,deniq; tranquillitatem, tum præsentem,tum futuram Ordinum ac Statuum Regni in se contineat, ijdem Ordines ac Status Regni constituerunt,vt simul ac Maiestas sua de huiusmodi reuisione reformationeq;, per ipsos ad id delectos viros, iam absoluta, fuerit certior facta,tunc vniuersis Comitatibus per literas suas iubere dignetur,vt ex singulo quoq; Comitatu,vnus aut alter præcipuus,Iurisq; peritus Nobilis,ad eum diem, quem Maiestas sua literis suis, præfatis ipsis Comitatibus denunciandum duxerit, deligantur ad suam Maiestatem. Quibus sic delectis Nobilibus,simul & dominis Prælatis, Baronibus, ac Iudicibus Regni ordinarijs Magistrisq; Protonotarijs adhibitis,Maiestas sua opus reformationis huiusmodi recognosci,pertractari,& prout magis videbitur expedire,emendari,corrigi,addiq; aut imminui quæcunque videbuntur,necessaria aut iuri consona, curare dignetur. Tandemq; his peractis absolutisq;,generalem Conuentum omnibus Regni Statibus Maiestas sua indicat,in eoq; Conuentu recognitum atq; absolutum opus Decretorum huiusmodi reformatorum,publicè coram cunctis perlegendum promulgandumq; exhibeat. Atque ita omnibus omnium Ordinum & Statuum Regni suffragijs, vnanimiq; consensu,voluntate atq; approbatione si quę ad huc in ipsis Decretis sic recognitis addenda, minuenda,vel aliter videbuntur esse immutanda addantur, minuantur atq; immutentur,totumq; opus ipsum perficiatur,ac per suam Maiestatem demum confirmetur, in singulosq; Comitatus,sub sigillo suæ Maiestatis transmittatur,ad solidam, perpetuamq; omnium temporum obseruationem.

Episcopi & Prælati muneri eorum insistant,Sanctæ Romanæ Ecclesiæ omnes adhæreant,eiusq; fidem amplectantur. ART. XII.

PORRO quòd Maiestas sua disertè, simul & piè fideles suos hortari dignata est,ad vnionem fidei & religionis: agnoscunt in hoc quoq; Ordines & Status Regni singularem in DEVM Optimum Maximum Regiæ Maiestatis pietatem,& in subditos clementiam,arbitranturq;, secundùm benignam & paternam admonitionem suæ Maiestatis, enitendum esse omnibus modis, vt Sancta & Catholica fides ac religio, Deiq; Optimi Maximi cultus (iuxta veterem sanctorum patrum doctrinam) longo tempore per vniuersum orbem Christianum recepta atque approbata,vbiq; in Regno restituatur: eiulsisq; vndiq; hæresibus,& impijs doctrinis, Sanctæ Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ, quæ vnica est,& sibi perpetuò constans errare non potest, omnes ex omnibus Ordinibus & Statibus Regni perpetuò adhæreant,ac velut membra in vnum corpus conglutinentur,

Romana, Catholica Ecclesia

vt sic vera & solida animorum coniunctio vnioque in Regno, & exinde DEI Optimi Maximi misericordia, indies magis augeatur.

Episcoporum & aliorum Prælatorum in promouenda religione officium.

ART. XIII.

VT autem id citius & facilius fiat, videtur secundùm eandem Regiæ Maiestatis piam adhortationem, vt Episcopi & Prælati, qui vel solo etiam titulo, vt nunc sunt tempora, eam dignitatem possident, primùm moribus & exemplis, deinde verò doctrina & prædicatione, muneri ipsorum, quantum fieri poterit, insistere atq; inuigilare debeant, idque vel inprimis curare, vt religionem cultumq; Diuinum, sub eorum Diocœsibus dissemin ent vbiq;, secundùm pristinam Catholicæ Ecclesiæ normam: gregemque sibi commissum, ab erroribus & malesanis doctrinis auocare, ac tanquam è tenebris, ad lucem reducere, conentur pijs eorum concionibus, doctrinaque à Sanctis patribus deprompta. Ijdem etiam Vicarios, Archidiaconos, parochos, Concionatores tales vbique curent constituere, & omni studio vndiq; conquirere, à quibus hoc idem eorum pastorale officium, ipsis Episcopis vel absentibus, vel legitimis alijs impedimentis præpeditis, ritè peragatur, neque quicquam prætermittatur, ex quo Diuini cultus, pristinæq; & veræ Religionis detrimentum, atq; inde animarum iactura sequatur. *Parochos in Ecclesijs constituere, ad Episcopos pertinet.*

Episcoporum nouiter electorum confirmatio à Papa petenda. ART. XIIII.

VIDETVR autem illud apprimè esse necessarium, vt, quò Episcopi tum per se, tum verò suos ad id delectos Vicarios, ac cæteros ministros munia ipsorum ritè possint obire, cum plerique ex ipsis Episcopis à Regia Maiestate, tum antea, tum proximis temporibus ad id muneris electi, nondum sint à Sancta sede Apostolica confirmati, ac proinde impares sint, ad præstandum ea omnia, quæ ipsorum officio incumbunt, Maiestas Regia dignetur primo quoq; tempore, præcipuo aliquo Oratore suo misso, diligenter instare, & efficere apud futurum Summum Pontificem, vt gratuitam confirmationem Episcoporum à sua Maiestate electorum in Regno Vngariæ, nec non Suffraganeorum aliquot in locis necessariorum, clementer elargiri, & in manus suæ Maiestatis expeditas Bullas huiusmodi liberaliter mittere dignetur, vt eas Maiestas sua Episcopis ipsis, ad quos spectauerint, benignè distribuere, & illi hoc modo confirmati, munus suum pastorale valeant postmodum liberius exercere. Constat etenim calamitosis temporibus, quibus Regnum armis hostilibus diu vexatum est, Episcopatuum reditus ac bona, vel maiori ex parte imminuta esse, vel si quæ adhuc supersunt, in vsum ad conseruandas arces finitimas vix sufficere, ne dum ad quotidianas necessitates Episcoporum pro dignitate satis esse posse: vsqueadeò vt quæ olim annatæ pro huiusmodi Confirmationibus in Vrbe pendi solitæ erant, haud quaquam, vel minima ex parte, hoc tempore videantur posse conflari, atque ita interim multa negliguntur, in quibus pietatem & religionem pessundari necessum est: quemadmodum hactenus ob hanc causam, multis in locis contigisse res ipsa edocuit. Siquidem consecratorum Episcoporum inopia, qui vel saltem Ordines impartirent presbyterorum, aliorumque ministrorum Ecclesiæ mira paucitas orbitasq;, in multis Regni partibus est subsecuta, atque hinc facilior prauis dogmatibus aditus fuit.

Huc refer de religione Poson. ann. 1548. art. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13.

Episcopatuum prouentus imminuti.

Annatæ Rom. Pont.

Episc. habent à Papa confirmari eiusque consecrari authoritate, qui ordines clericis conferant.

Prauum dogma vnde nam emerserit.

Orator ad Summum Pontificem mittendus. ART. XV.

VIDETVR etiam, nomine Ordinum ac Statuum Regni, Orator aliquis ad ipsum futurum Summum Pontificem deligendus esse, qui non solùm negotium Confirmationis huiusmodi vrgeat penes suam Sanctitatem, verùmetiam Regni statu diligenter exposito, & quantis in periculis laboret Vngaria propugnaculum totius Reipublicæ Christianæ, ad confinia tuenda, confirmandáq;, subsidium aliquod studeat cum ipso Regiæ Maiestatis Oratore, porrectis humiliter nomine totius Regni precibus, à sua Sanctitate, alijsq; Italiæ Principibus impetrare.

Secula-

Seculares non se opponant, sed pareant Episcopis. ART. XVI.

PRÆTEREA, cum nulla ratione possent Episcopi munus suum ritè exercere, nisi patienter audiantur ab ijs, ad quos docendos missi sunt, tum ipsi, tum ipsorum ad id electi ministri: ac nisi plebs subdita pareat eorum doctrinæ præceptisque, & desinant hi, qui plus cæteris videantur posse moliri aliquid contra ipsorum pios conatus: neq; solùm concionatores ad docendum missos liberè admittant, verumetiam teneantur pro viribus defendere. Videtur idcirco is modus adhibendus esse, vt Seculares omnes, sine vlla controuersia aut disputatione, contentioneq;, obedientes (vt par est) sese præbeant eorum Episcopis, & ad id per eos delectis ministris, in his videlicet, quæ ad DEVM, eiusq; cultum spectant, neq; contra eorum doctrinam quouis modo, aut quauis ratione sese audeant efferre: sed si quid deliberatione egere, aut in disputationem vocari posse, ipsis, vel eorum fortè alicui videretur, relinquant id totum generali Concilio dirimendum. In quo, si quæ in fide & religione reformanda esse videbuntur, Diuina inspiratione reformatum iri sperandum est. Interim autem veteribus Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ institutis insistendum, nec cuiquam, quouis prætextu, ab illis quoquo modo videtur esse discedendum.

Seculares obediant Episcopis

Concilij general. iudicio sub mittendæ sunt controuersiæ de religione.

Ecclesiæ Catholicæ veteribus institutis insistendum.

Decimæ & alij prouentus, bonaq; Ecclesiarum, his ad quos spectant, reddantur, & nullus se in ea, inuitis eorum dominis, ingerat. ART. XVII.

VT autem Episcopi ipsi, & eorum ministri, Archidiaconi, plebani, & id genus alij, ritè possint exercere officium suum, omnis querelæ vel tergiuersationis occasione summota, videtur æquum & iustum esse, vt iuxta benignam adhortationem Regiæ Maiestatis, decimæ, & alij prouentus bonaq; Ecclesiarum, his ad quos spectant integrè de omnibus reddantur, neq; in eas, partemue illarum, inuitis dominis, se quisquam ingerat. Supplicantq; Ordines & Status Regni sacræ Regiæ Maiestati, dignetur bona & prouentus Ecclesiarum, quæ adhuc sunt sub inscriptione apud nonnullos Seculares, tam Vngaros quàm externos quoscunq;, clementer eliberare, & Prælatis, Ecclesijsq;, ad quos ab antiquo spectant, reddere, & eos apud quos huiusmodi bona vel redditus Ecclesiastici inscripti sunt, aliunde contentos fieri curare, quemadmodum ipsa Maiestas sua, pro rerum ac temporum ratione, sese prudenter tractaturam pro eorum eliberatione, obtulit.

De decimis. ad. de An. 1548. ar. 60. et 61. Nouoz. an. 43. art. 28.

Episcopatus, & aliæ Prælaturæ benè meritis conferantur. ART. XVIII.

SVPPLICANT etiam in eo vehementer, vt Prælaturas, & alia Ecclesiastica beneficia, tàm maiora, quàm minora, quæ vbiuis nunc in Regno vacant, & nec dum cuiquam à sua Maiestate collata sunt, præcipuè autem Archiepiscopatum Strigoniensem, qui iam inde ferè ab ipsis Christianæ religionis in Vngaria primordijs, caput, secundum Regiam Maiestatem, in Regno omnium Ecclesiarum fuit, ex quo religionis, cultusque diuini, in toto Regno vel tuendi, vel augendi præcipua semper ratio dependet, personis benè meritis, & Maiestati suæ gratis, miniméque externis conferre dignetur, vti sanè Maiestas sua, quam primum fieri queat, se facturam clementer obtulit, vt sic vbiq; facilius diuinus cultus instaurari possit, neq; vlla Regni pars careat cura animarum, Sacramentorumq; administratione, quantum his turbulentis temporibus licet.

Strigonien. Ecclesia, Ecclesiarum in Vngaria caput.

Bona & prouentus Ecclesiarum, Capitulorum, Conuentuumq; desertorum, ad erectionem scholarum conuertantur. ART. XIX.

DIGNETVR etiam Maiestas sua quemadmodum superiori anno conclusum erat, bona & prouentus Ecclesiarum, & Capitulorum, Conuentuumque desertorum, ad erectionem scholarum, doctorumq; virorum sustentationem, sine diuturniori mora, vbiq; conuerti facere, & tergiuersantes, authoritate sua Regia compellere, quò sic viris doctis in Regnum conductis, scholisq; erectis, diuinus cultus, & religio pristina passim celerius repullulet, quemadmodum Maiestas sua benignè se facturam obtulit.

Scholæ ex prouentibus Ecclesiarum desertarum fundandæ.

Episcopi,

Episcopi, res & bona ab Ecclesijs distracta, perquirant, & authoritate Regia recuperent. ART. XX.

EPISCOPI etiam,& alij Prælati, res & bona Ecclesiarum suarum, turbulentis his temporibus distracta perquirere,& ab ijs apud quos reperierint, modis omnibus recuperare curent,quibus Maiestas sua authoritate Regia præstò adesse dignetur.

Subsidium Rex, ad conseruationem confiniorum, à suis fidelibus petit. ART. XXI.

QVOD verò Maiestas sua, enumeratis breuiter sumptibus prægrauibus, quos per hos annos alendis gentibus in Regno, locisq; finitimis communiendis facere Maiestatem suam oportuit,subsidium in hunc quoq; annum ad easdem necessitates, superioris anni subsidio non inferius,ab Ordinibus & Statibus Regni conferri operæ pretium esse existimant. Affirmant Ordines & Status in ea tempora incidisse Maiestatem suam, vt ad Vngariæ conseruationem non vulgaris illi pecunia, ex alijs quoq; Regnis & prouincijs suis, fuerit eroganda: qua de re agunt atque habent Maiestati suæ gratias immortales. Agnoscunt etiam decere ipsos, quorum res imprimis agitur, ad suam ipsorum salutem & defensionem,quam maxima possunt præsidia auxiliaque conferre. Verùm quum notiores vbiq; sint communes calamitates & ruinæ huius Regni,quam vt magna vel ampla inde subsidia expectari hoc tempore possint,mirumq; potius omnibus hominibus videri debeat,vix vllas ex tot tantisque cladibus reliquias, vlla vestigia superesse illius, quæ quondam diu floruit, Vngariæ, & ea insuper per hos annos contributa fuisse subsidia,quæ pacatis etiam temporibus vix conflari posse videbantur. Accesserint prætereà ad reliqua incommoda,quòd cum à tribus ferè annis,tum vel maximè hoc anno,tanta fuerit in Regno caritas annonæ,vt vix extet hominum memoria, frugum, iuxta ac vini caritatem in vniuersum,in toto Regno tantam vno eodemq; anno extitisse. Ob has & alias huiusmodi rationes,Status & Ordines Regni, quantumuis, vt decet Maiestati Regiæ,domino eorum clementissimo,morem gerere cupiunt,prohibentur tamen vel inuiti,quòd minus quàm vellent eis præstare liceat. Supplicantq;, vt quod nihilominus in tantis rerum angustijs,etiam cum summa sua & colonorum oppressione iacturaque, subsidium decreuerunt,grato ab eis & clementi animo accipere dignetur.

Subsidium duorum florenorum, ad gentium conseruationem, & locorum finitimorum munitionem offertur. ART. XXII.

EST autem decretum subsidium ipsum duorum florenorum,duobus terminis hoc anno exigendum,ex omnium bonis,& ad Cameram Maiestatis suæ administrandum, ad gentium conseruationem,finitimorumq; locorum munitionem (lucro videlicet Cameræ in his supputato) ex quibus terminis,primus constitutus est, festum Beatorum Philippi & Iacobi Apostolorum: secundus,festum Beati Martini. Videturque exactio ipsius Dicæ, vtroq; termino, secundùm connumerationem dicationemq; proximi anni, facienda esse. Ita tamen, vt quo sumptus illi non mediocres,qui hactenus soluendis Dicatorum salarijs, per singulos Comitatus dimissorum, fieri consueuerunt, simul & fraudes surreptionesq; euitentur,quas sæpe ab ipsis Dicatoribus fieri auditum est, atq; hinc augeatur numerus dicæ,ad commodum Regiæ Maiestatis: statutum est, vt in singulis Comitatibus,Vicecomites ipsi,qui Regiæ Maiestati ad omnem fidelitatem obstricti sunt,ad ipsam dicæ exactionem,& in Cameram administrationem,curam gerant loco Dicatorum, modo infrascripto. *Vicecomites habeant curam dicæ.*

Regestum dicæ superioris anni mittatur ad Vicecomitem, pro deprahendenda falsitate Dicatorum. ART. XXIII.

VT ex Camera Regia,regesta oppidorum & villarum,quæ in quocunq; Comitatu, proximo anno dicatæ sunt,ad manus ipsorum Vicecomitum mittantur: ijdemq; accepto regesto,

regesto, vniuersis dominis & Nobilibus, quisq; in suo Comitatu congregationem indicat. Qui domini, ac Nobiles, ad sedem Nobilitarem Comitatus, die constituto, cum regesto soluti subsidij proximi, de suis quisq; bonis venire debeant. In qua tandem sede Nobilitari, publicato regesto, per Camerarios Vicecomitibus misso, vnusquisque tàm dominus, quàm Nobilis, pro fide sua erga Regiam Maiestatem, palàm referat, num id ipsum de bonis suis ad manus Dicatoris proximi subsidij datum sit, quod regestum ipsum per Camerarios missum continet: an verò plus, vel minus. Et si minus per Dicatores in Cameram Regiam administratum fuisse comperietur, quam ipsi perceperint, resarcire teneantur Dicatores, & insuper ex merito puniantur. Ipsi verò ijdem Vicecomites, secundùm huiusmodi regestum Camerariorum, in exactione huius vtriusq; subsidij pergant: edicto per eos proposito, vt si qui ex quocunq; oppido, aut villa, ab anno superiori, vel demortui, vel incensis domibus sunt, aut in aliam calamitatem seu desolationem inciderunt, perferant eorum nomina ad ipsos Vicecomites, & hi exactè super huiusmodi desolatione inquirant, hoc modo.

Iudex Nobilium ad locum exeat, in quo desolatio facta fuisse prætendetur, & oculata fide exploret, an defectus sit in numero portarum. ART. XXIIII.

Vt vnus ex Iudicibus Nobilium, cum vno ex iuratis Nobilibus, ad faciem eius loci, vbi defectus huiusmodi esse dicitur, personaliter accedat, & non ex iuramento Iudicis loci illius, sed oculata fide inspiciat, an vera sit desolatio, & an portarum numerus prioris dicæ integer sit, nec ne. Vbi verò ad loca Turcis vicina, Iudex Nobilium, ac iuratus ille Nobilis accedere non possent: tunc Iudex illius loci cum duobus ciuibus requisiti, veniant ad faciem sedis Nobilitaris, ac sub iuramento fateantur, exponantq; numerum portarum loci, in quo habitant, & defectum ab anno superiori, si quis accidit: atq; ita syncerè & fideliter Vicecomites de singulis portis integris, his videlicet, quibus nulla exemptio ab anni superioris constitutione, Regniue Decreto suffragari potest, dicam ipsam exigendam, & non alio, aut in alium vsum, vel ad manus alterius cuiusquam, quam ad manus Cameræ Regiæ Maiestatis, sine expresso Maiestatis suæ, aut ipsorum Camerariorum mandato, administrent. Quibus Vicecomitibus, si ipsos pecuniam dicæ exactam ad Cameram perferre contingeret, moderatæ expensæ itineris per Camerarios restituantur, vel factæ admittantur. Dica autem de bonis, ex quibus tributum Turcis quoq; penditur, iuxta superioris anni deliberationem, dimidia tantum exigatur.

Iudices villarũ tributariarum

Congregatio Nobilium, seu sedes, ad collationem Regestorum in Comitatibus post Dictam indicatur. ART. XXV.

Vt autem dica ipsa vtraque pro præsentis temporis necessitate, ad terminum vtrumq;, apud manus Vicecomitum integrè administrata esse queat: statutum est, vt ad primum diem proximè futuri mensis Martij, congregatio, vel sedes in singulo quoque Comitatu per Vicecomites, modo præmisso indicatur. Quo die facta collatione regestorum, prout sæpius est declaratum, emittantur dicti Iudices Nobilium, cum iuratis Nobilibus, ad inquisitionem faciendam, super defectibus, qui ab anno superiori, per quospiam in suis bonis fuissent allegati (quæ quidem inquisitio, sumptibus & expensis illius fieri debebit, qui rectificationem fieri cupit) & postquam inquisitores ipsi, infra spatium quindecim dierum, cum perfecta absolutaque inquisitione, certaq; & vera informatione, super huiusmodi defectibus certiores reddiderint Vicecomites, hoc temporis spatio exacto, quisque in suo Comitatu, omnibus & singulis bona in eo Comitatu habentibus, denuntiare teneantur, vt ad quintum decimum diem subsequentem, quisq; de bonis suis dicam integrè adferre teneatur ad manus suas, sub pœna in superiorum annorum articulis expressa. Si qui autem inobedientes forent, tũ exacto quindecimo die, Vicecomites ad Birsagia exigenda in his bonis, de quibus dica ad præscriptũ diẽ non fuerit administrata, veteri de more pergant, nulla prorsus noua rectificatione admissa. Atq; ita, siue sponte administretur, siue per Birsagia ad præscriptum terminum festi Beatorum Philippi &

Rectificatio fit in expẽsis eius qui rectificationem vrget.

Vicecomes post decimum quintum diẽ in sede Comitatus indictæ & promulgatæ dicæ, ad exigẽda Birsagia procedit.

pi & Iacobi Apoſtolorum, prioris termini, dica ad manus Vicecomitum integrè debeat eſſe adminiſtrata. Simili verò ratione, per duos menſes ante ſecundum terminum dicæ præſcriptæ, feſtum videlicet diui Martini, per eoſdem Vicecomites, in actione alterius dicæ procedatur, neque contra huiuſmodi ordinationem, vel in Comitatibus quibuſuis nouæ ullæ exactiones fiant, vel per Camerarios Regiæ Maieſtatis noua vlla inſtructio commiſſiouè mittatur, vti antea aliquando contigit. Teneanturq; Vicecomites, ſub pœna amiſſionis officij, & ſolutionis dupli illius pecuniæ, quæ per eos negligeretur, exigenda, ad ſupradictam adminiſtrationem, modo & ordine præmiſſo, curare diligentiamque adhibere.

Instructio ex Camera dicatoribus non detur.

Vicecomites in exigendis Birſagijs, Comitum, & ſi opus ſit, etiam Capitaneorum implorent auxilium. ART. XXXVI.

QVOD ſi Vicecomites in exigendis Birſagijs, in bonis alicuius potentioris fortè non ſufficerent, tunc ſtatim Comites ſuos in auxilium, ad executionem huiuſmodi vocare curent: adhibitisque penes ſe duobus iuratis Nobilibus in teſtimonium, tempore vocationis huiuſmodi, implorationiſuè auxilij, Comites teneantur illicò, ſub pœna amiſſionis officij, & ſolutionis dupli (vt ſupra) ad exigenda Birſagia in locis Birſagiandis, & per Vicecomites demonſtrandis, omnibus viribus procedere, & dicam vtroq; termino ad ſuos dies conſtitutos adminiſtratam eſſe integrè curare. Qui ſi & ipſi ad id fortè non ſufficerent, denuncient illicò Regiæ Maieſtatis Capitaneo ſupremo ſibi propinquiori, & gentes ſibi ad talem executionem faciendam tempeſtiuè dari poſtulent, atque earum gentium auxilio, præſenti conſtitutioni ſatisfacere curent. In exemptionibus autem obſeruandis diuerſorum generum hominibus, tempore exactionis vtriuſque dicæ, procedatur iuxta conſtitutionem anni ſuperioris, quemadmodum & iuxta anni eiuſdem connumerationem, dicam ipſam vtramque exigi debere eſt conſtitutum, modo & ordine ſuperius declarato.

Comes adſit Vicecomiti, ſub pœna dupli, & amiſsionis officij, cum eius auxilium imploratur.

Dicæ nomine nullus à colono plus exigat, ſub pœna dupli fiſco ſoluendi. ART. XXVII.

SI quis dominus, aut Nobilis, prætextu dicæ Regiæ, à ſuis colonis plus exigeret, quam ipſa dica Regia facit, in pœna dupli per eum indebitè exactæ pecuniæ ipſo facto conuincatur, mulctaque ipſa per Vicecomitem irremiſsibiliter exigatur, fiſco Regio applicanda.

Subſidium anni præſentis, adæquat anni præteriti contributionem. ART. XXVIII.

HOC autem ordine obſeruato, confidunt Ordines & Status Regni, Maieſtatem ſuam hoc duorum florenorum ſubſidio, non minorem ſummam, & fortè etiam maiorem, quàm ex ſubſidio duorum florenorum, & quinquaginta denariorum ſuperiori anno ſolutorum, percepturam eſſe.

Reſtantiæ dicarum per Vicecomites inquirantur, & ab omnibus perſoluantur. ART. XXIX.

ET quoniam Maieſtas Regia, de reſtantijs ſuperiorum annorum perſoluendorum, fideles ſuos, & Status Regni benignè admonere voluit, ſtatutum eſt, vt reſtantiæ omnes, quæcunque apud quoſuis dominos, aut Nobiles, poſt celebrationem vltimi Conuentus Tirnauienſis, quæ celebratio fuit anno milleſimo, quingenteſimo, quadrageſimo ſeptimo, ſupereſſe dicuntur, per Vicecomites inquirantur, & quæ certæ & liquidæ, necdum ſolutæ comperirentur, exigantur: ita videlicet, vt Dicatores ipſorum ſubſidiorum præteritorum, qui reſtantias in Cameram profeſſi ſunt, mittantur ad Comitatus, & coram ipſis fiat rectificatio, ac ſic tandem exactio, ab ijs, qui non ſoluiſſe apertè depræhendentur, fiat modo præmiſſo. In rectificatione autem huiuſmodi facienda, iuramento Iudicum ſtari debeat, in ſingulis oppidis & villis, quòd

Reſtantia contributionum.

Iuramento Iudicum, ſtetur in reſtantijs exigendis.

Nn videlicet

videlicet, antehac Iudices ipsi eius loci, dicam, vel ad manus dicatorum, vel dominis eius loci dederint, vel violentus aliquis abstulerit. Hoc etiam specialiter declarato: quòd quoniam Maiestas sua, & tempore supra dicti Conuentus, & postea etiam diuersas ordinationes fecit cum nonnullis fidelibus suis, partim ad conseruationem gentium, partim verò ad artium eorum finitimorum præsidia, secundùm quas ordinationes stipendia illis solui debuissent. Constat autem plerosque, non eum solùm, quem ex ordinatione debuissent, verùmetiam maiorem numerum gentium, vel intra arces, vel extra, in seruitijs suæ Maiestatis aluisse: & quòd stipendia suis temporibus consequi nequiuerint, manus in dicas suorum bonorum inijcere oportuisse, vel etiam deputationes ex Camera, aut ab ipsa etiam Maiestate sua nonnullis in ipsa dica factas esse; Maiestas sua dignetur iubere, vt subducta cum istiusmodi omnibus recta ratione, si quid eos vltra debitum stipendium percepisse ex dicis comperietur, integrè persoluant, & per Vicecomites modo supradicto, ab ipsismet, non ab eorum colonis, qui illas iam semel persoluerunt, exigant.

Restantiæ per violentos exactæ, ab eisdem exigantur. ART. XXX.

VBI autem restantiæ aliquæ, de bonis Nobilium, per violentias exactæ esse comperirentur, ab eisdem violentis exigantur; quæ verò restantiæ in bonis Turcicæ ditioni subiectis fuerint, ac perinde per Vicecomites exigi non possunt, suæ Maiestatis Capitanei, ad eas exigendas, cum gentibus curam gerant.

Salaria Vicecomitum, Iudicum Nobilium, & Notariorum ex dica soluenda. ART. XXXI.

VICECOMITIBVS, Iudicibus Nobilium, ac Notarijs Comitatuum, pro cura administrationis dicæ, modò præmisso per eos gerenda, iuxta antiquam consuetudinem, ac non aliter salaria eorum persoluantur, videlicet, Vicecomitibus singulis floreni duodecim, Iudicibus nobilium floreni quatuor: Notario verò in minoribus Comitatibus, florenus vnus, in maioribus floreni duo, & non amplius.

Vicecomitis expensæ in exactione dicæ. ART. XXXII.

HOC tamen edicto adiecto, quòd quia Vicecomites pro exigenda dica, debebunt vsque ad statutos dies, integrum semper mensem persistere in loco sedis, & penes se habere vnum Rationistam, pro isto vno mense, utroque termino, ad tres personas, singuli tres floreni pro expensis ipsi Vicecomiti persoluantur: & in quibus Comitatibus duo sunt Vicecomites, quilibet ipsorum florenos duodecim habere possit pro salario, modo præmisso, & non amplius.

Vicecomites de defectibus rationum respondere teneantur. ART XXXIII.

DE defectibus autem, si qui in rationibus Vicecomitum fuerint deprehensi, ijdem ipsi Vicecomites respondere teneantur, neque vlla libertas, aut Nobilitas eis suffragari possit, quo minus ad satisfactionem præstandam cogi possint. Ita tamen, vt si Camerarij cum aliquo Vicecomite, in ponenda ratione conuenire fortè non possent, manus illicò in eum non inijciant, sed cognita prius causa per dominum Locumtenentem, ac Consiliarios Regiæ Maiestatis, auditaque allegatione & excusatione Vicecomitis, si reus compertus fuerit, mox, vel satisfaciat, vel sufficientem pro se cautionem & fideiusionem præbeat.

Migratio colonorum libera. ART. XXXIIII.

QVOD ad migrationem colonorum attinet, ad quam liberè permittendam multis & grauibus rationibus Maiestas Regia fideles suos clementer hortari dignata est. Tametsi dominis Prælatis, ac nonnullis etiam ex dominis Baronibus probabatur.

migratio-

migrationem colonorum liberam vbique relinquendam esse, nulla conditione interposita; cum tamen in contrariam sententiam pluribus suffragijs itum esset, vt videlicet conditionibus quibusdam interiectis, migratio libera non relinquatur, tandem communibus votis sic est conclusum.

Colonorum seruitus, & vinorum educillatio onerosa temperetur.

ART. XXXV.

VT seruitia, & alios census & prouentus, iuxta superioris anni constitutionem, teneantur coloni ab hoc etiam tempore præstare. Verùm in impositione educillatioque vinorum, quæ plerumque miseris grauis & onerosa esse solet, certa limitatio fiat, supra quæ seruitia superiori anno limitata, colonus oppressus, aliò migrandi habeat liberam facultatem, modo & ordine vt inferius declarabitur.

Seruitia & alij prouentus colonorum.

Vina, colonis inuitis, etiam pretio, non auferantur, & vinorum educillatio.

ART. XXXVI.

STATVTVM est igitur, quòd nemo dominorum aut Nobilium vina colonorum suorum illis inuitis, etiam pretio, auferre possit: sed si vina coloni alijs venderent, ea domini pretio ipso, quo alijs vendita fuerant, sibi recipere potius quàm alijs concedere possint. Modus verò educillandi vina is est constitutus, vt in quorum dominorum aut Nobilium bonis promontoria vinearum non sunt, coguntur que coloni aduenticia & externa vina bibere, liberum sit colonis à festo Michaëlis, vsque ad festum Natiuitatis Domini vina educillare: & tandem dominis toto anno, iusto pretio, iustaque & consueta loci mensura: tandummodo ne per vrnas vel amphoras, in singulas colonorum domos vina imponant, ac distribuant, preciumq; vini hoc modo distributi exigant, ab his etiam, qui vino libentius carerent. In illis verò locis, in quibus promontoria sunt vinearum, habentque coloni vina sua ex promontorio eodem conuenientia: conclusum est, vt à festo Michaëlis, vsque ad festum Georgij, coloni sua vina huiusmodi possint educillare. Reliquo verò tempore, dominis in bonis suis continua vinorum educillatio sit libera, modo superius descripto, & non aliter. Quòd si infra dicta festa, Michaëlis & Georgij, vina illius promontorij colonis deficerent, dominus eius loci, non alius quispiam possit medio hoc quoq; tempore, educillare modo supra dicto. Educillatio autem ipsa, medio vnius vel alterius ex colonis, per dominos aut Nobiles in suis bonis, iuxta veterem consuetudinem, modo præmisso fieri possit: ita tamen, quòd colonus ille interea quo vinum educillauerit ab hebdomadali seruitio domini sui liber sit, & insuper dominus suus, pro cura & expensis educillationis, de singulis vrnis, quæ vbique ad triginta duas pintas supputari possint, singulos quatuor denarios Vngaricales, soluere teneatur.

Vina inter colonos educillandi modus.

Promotoriâ ubi sunt, quãto tẽpore dominus uinum educillet.

Educillatio per quem fiat in medio colonorum.

Educillatoris salarium.

Colonus quomodo migrare possit. ART. XXXVII.

SVPER modo autem & ordine, qui in licentiatione coloni migraturi, si cui videlicet immunitates & ordo, tum in superioribus, tum uerò in præsenti Conuentu super his constitutus non obseruaretur, talis teneri debent: statutum est, vt in singulis Comitatibus, coram Vicecomite, ac Iudicibus Nobilium, & iuratis Nobilibus, qui superiori anno fuerant constituti in facie sedis Nobilitaris, dominus aut Nobilis is, in cuius bona colonus migraturum se conferre proposuerit, deferat querelam ipsius coloni migraturi: ita tamen, vt singulis quindecim diebus aut ad summum singulis mensibus, sedes in Comitatu celebretur: eaq; querela audita, Vicecomes, Iudices & iurati Nobiles, de eorum medio mittant tres Nobiles, cum vno vel altero Iudice Nobilium, ad faciem eius loci, vbi habitat colonus migraturus: ibiq; præfatus dominus aut Nobilis, coram ipsis, per Iudicem & duos ciues illius loci simul, & tres vicinos & commetaneos propinquarum villarum Nobiles, vel ignobiles comprobet, colonum illum per dominum suum, extra præmissam constitutionẽ, impeditum fuisse: nec talis Iudex aut

Migrationis colonorum nouiter institutus modus.

Sedes in Comitatu singulis quindecim diebus celebretur.

ciuis illius loci, vicinique & commetanei per dominos suos à dicenda veritate prohibeantur, sub pœna sedecim Marcarum. Qui si prohiberentur, colonus illicò liber dimittatur, sine vllo vlteriori iudicio: propterea quòd prohibitio, pro sufficienti probatione iustæ querelæ haberi debere videatur. Quòd si ipsi Iudex, vel ciues duo testificari nollent, in singulis Marcis conuincantur, & nihilominus ad fassionem solam præscriptorum trium vicinorum ac commetaneorum, colonus migraturus absoluatur. Quòd si vicini quoq; & commetanei fateri nollent, ipsi quoq; in singulis Marcis conuincantur, & colonus modo præmisso liber dimittatur. Casu verò, quo testes ipsi testimonia sua deponentes, inter se discreparent, & tam pro colono, quàm contra eum paria essent testimonia: tùm Iudices supradicti, secundùm eorum conscientiam, prout videlicet veriora & probabiliora eis testimonia videbuntur, iudicium & iusticiam faciant. Examinatio autem testium, eo modo fiat, vt singillatim & seorsim testes examinentur, ac ad depositionem iuramenti de veritate facienda, vtraque pars, quarum interest, admoneatur. Quæ si ambæ non comparerent, tum nihilominus ad comparentis instantiam, dicti Iudices procedant modo supradicto, iudiciumque & iusticiam, secundùm præmissas attestationes vbique faciant. Quòd si colonum absoluendum esse compererint, solutis prius debitis, si quibus colonus ipse domino suo, vel alteri alicui in bonis domini sui obligatur, illum liberum faciant. Quod si alterutri parti graue & onerosum iudicium illorum foret liceat vtrique pro libitu causam prouocare seu appellare ad Vicecomitem, ad cæteros iuratos Nobiles & Iudices Nobilium, in faciem sedis Comitatus eiusdem: teneanturque ipsi, Vicecomes, Iudices Nobilium & Iurati, sine mora causam ipsam reuidere, & in ea finalem sententiam pronunciare. Cuius sententiæ nulla vlterior sit appellatio: neque post Iudicium huiusmodi factum, colonum suum liberum iam pronuntiatum quispiam dominus, aut vi, aut fideiussione, vel alio quouis prætextu, retinere audeat, sub pœna ducentorum florenorum per Vicecomitem irremissibiliter exigendorum, & partim ipsi Vicecomiti, Iudicibus ac iuratis Nobilibus æqualiter, partim verò læsæ parti soluendorum. Eadem ratio, tam in iudicio primo, quàm in appellatione obseruetur, si cum ipsomet etiam Comite causa alicuius coloni de bonis illius migraturi emergeret. Dominus præterea ac Nobilis, qui sub iudicio, vel appellatione colonum illum suum, de quo fit iudicium, quouis genere pœnæ aut mulctæ oppresserit, in pœna supradicta ducentorum florenorum conuincatur. Interim tamen idem colonus seruitia, instar aliorum colonorum exhibere ipsi domino suo teneatur, vsque ad finem litis. Si verò compertum fuerit, quòd colonus nullam iustam querimoniam habuisset, propter indebitam accusationem domini sui, in viuo homagio, florenorum videlicet viginti, domino suo conuincatur.

Attestatio in causa migraturi coloni fiat.

Hic modus migrandi iam non obseruatur.

Appellatio in causa migrationis ad sedem datur.

Post Iudicium Vicecomitis, colonus, sub pœna florenorum ducentorum non retineatur.

Colonus contra dominum in uiuo homagio conuincitur.

Colonus vi abductus, aut fugitiuus, debet, sub pœna florenorum ducentorum, priori domino restitui. ART. XXXVIII.

Hoc etiam declarato, quòd si quis colonum alterius, siue per vim abduceret, siue clàm & furtim aufugientē reciperet, modo præmisso, tres iurati Nobiles, cum uno vel duobus Iudicibus Nobilium, ad faciem loci illius, quo se colonus alterutro modo reciperet, accedant, & ibidem, ordine prædicto, comperta rei veritate, colonum talem statim domino suo priori restituendum pronuncient. Si verò dominus eius loci colonum ipsum, contra illorum deliberationem retineret, extunc in ducentis florenis modo præmisso parti læsæ, & Iudicibus persoluendis conuincatur. Si verò dominus vel Nobilis ipse, non in eodem Comitatu, sed remotius resideret, aut fortè absq; scitu illius, talis colonus, per illius officiales vel colonos abductus foret, aut ipse colonus clam ad eius bona aufugisset, sicq; officiales & coloni talis loci, vbi colonus reperiretur, inscio domino reddere recusarēt, tunc dominus prēmissa pœna mox non mulctetur, sed iuxta loci distantiam, terminus vnius vel alterius sedis Iudiciariæ, ad restituendum talē colonum ei concedatur. Qui si ad terminum statutū restituere recusauerit, extunc præmissa

Colonum ui detinens in floren. 200. conuincitur.

pœna

pœna mulctetur, & colonus domino suo, per Vicecomitem & Iudices Nobilium, restituatur, siue is in bonis Regijs, siue in aliorum fuerit.

Colonus, prætextu alicuius uani iudicij, vel fideiussionis, detineri non potest.
ART. XXXIX.

HOC præterea addito, quòd cum plerumque contingat, aliquos dominos, aut Nobiles, colonum quempiam suum, sub prætextu alicuius falsi criminis, captiuare, & congregatis personis, quæ sibi videntur, cum in amissione capitis, sub forma iudicij, condemnari facere, vel etiam aliter captiuare, & tandem fideiusione obligare, vt sic semper colonus obstrictus aliò migrare non possit. Propterea statutum est, vt non obstante talis iudicij administratione, aut fideiusionis obligatione, colonus indebitè hoc modo affectum se esse prætendens, per eum, ad cuius bona, migrare proposuerit, querimoniam, & omnes processus ac probationes modo præmisso agere, & si indebitè grauatus fuisse, vel aliter iniustè in obligatione fideiusionis positus, iure comperiretur, fideiussores absoluantur, & colonus modo præmisso migrare posit. Si autem iusto iudicio condemnatus, & fideiusione meritò obligatus fuisse iudicabitur, satisfaciat domino suo, & maneat. *Colonus iusto iudicio conuictus, detineri potest.*

Commissarij ad reuisionem metarum & limitum Regni delegandi. ART. XL.

CÆTERVM, quòd ad Commissarios attinet in diuersas partes eligendos, arbitrantur Ordines & Status Regni, necessariam imprimis esse limitum & metarum rectificationem; quemadmodum ipsi aliquoties Maiestati Regiæ supplicarunt. Ac quamuis super huiusmodi Commissarijs eligendis expediendisque, & pleno mandato eis dando, absoluta Regiæ Maiestati potestas sit, tanquam vero legitimè coronato Regi Vngariæ, iuribus duntaxat & libertatibus ipsius Regni Vngariæ saluis permanentibus: postquàm tamen Maiestati suæ visum est, hoc quoque negotium communicare cum fidelibus suis, ijdem communibus votis, infrascriptos dominos & Iurisperitos, ad loca infrascripta, pro huiusmodi reuisionibus rectificationibusq; limitũ, & aliarum differentiarum, aptos & idoneos esse existimarunt, quibus etiam, quantum in ipsis positum est authoritatis, nomine publico, ex hoc tempore, plenum mandatum concedunt hoc præsenti articulo, ad præmissa negotia exequenda planè confidentes, ipsos dominos ac Iurisperitos, quæcunq; ad Regni commodum iuraq; pertinere videbuntur, diligenter, ac sollicitè & fideliter procuraturos esse. *Plenum mandatum commissarijs concessum.*

Commissarij Scepusium delecti. ART. XLI.

AD Scepusium, in montem Sancti Martini, ad primum diem mensis Maij proximè futuri, delecti sunt domini Episcopi, Quinqueecclesiensis & Vaciensis, dominus Reuay, ac egregij, Georgius Vernerus, ac Georgius Rabolchy, & penes eos pro interesse Regiæ Maiestatis & Coronæ, Director causarum suæ Maiestatis. *Commissarij ad reuisionem metarum Regni delecti.*

Commissarij Szakolczam delegati ART. XLII.

AD Szakolcza, ad eundem primum diem Maij delecti sunt, domini Episcopi, Wesprimiensis & Nitriensis, dominus Seredy, Egregius Gregorius Sibryk Thomas Kamaray, & Magister Damianus Protonotarius, ac penes eos, loco Directoris causarum, egregius Ambrosius Chernel.

Commissarij versus Köszegh conscripti. ART. XLIII.

AD Köszegh, ad Dominicam Reminiscere, dominus Wesprimiensis, dominus Vaciensis, dominus Mercy, egregius Paulus Isthwanffi, Thomas Kamoray, Ambrosius Chernel, & penes eos Director causarum suæ Maiestatis, pro interesse suæ Maiestatis & Coronæ.

Commissarij in Sclauoniam designati. ART. XLIIII.

AD Sclauoniam, ad primum diem Maij in Zamobor, domini Episcopi, Bosznensis & Tininiensis; dominus Batthyani, egregij Magister Michaël de Rauen, ac Andreas Chorom: loco autem Directores causarum, penes eos, Magister Lucas Canonicus Zagrabiensis, & Archidiaconus Chaszmensis.

Commissarij de quibus tractent in limitibus Regni. ART. XLV.

IIDEM autem Commissarij, quantum ad metas attinet, non tam de vsu, prout hactenus externi contenderunt, sed te proprietate verarum metarum tractent & concludant: ac sicubi vna vel altera ex parte, metas occupatas esse compererint, rectificent. De alijs verò damnis & violentijs, similiter ea, quæ iuris sunt, statuere, ac partem læsam contentam reddere iudicialiter curent.

Commissarijs vtriusque partis, addantur vnus vel duo arbitri. ART. XLVI.

VT verò facilius prædicti Commissarij, cum Commissarijs externis, cum quibus in prædictis locis conuenire debent, in omnibus differentijs concordare possint: videtur penes Commissarios tàm Regiæ Maiestatis, quàm serenissimi Regis Poloniæ, modo præmisso ad Scepusium conuenturos, vnus aut alter, æquali vtrinque numero, externus, ac neutrius Regis subditus, prudentia & authoritate præditus vir eligendus esse. Qui sic electi, tractatibus per Commissarios faciendis intersint, & ipsos, vbi discrepauerint, in concordiam redigere nitantur, vt sic differentiæ omnes inter Principes & eorum subditos tollantur. Quòd si ne hoc quidem pacto concordia succedet, tunc ad arbitrium sacræ Cæsareæ & Catholicæ Maiestatis, causæ omnes indecisæ, vtriusq; Maiestatis Regiæ consensu, remittantur, saluis tamen iuribus Regni Vngariæ permanentibus. Similiter etiam penes alios Commissarios, ad reliqua loca prædicta, cum Commissarijs ex vicinis prouincijs suæ Maiestatis conuenturis, addantur per suam Maiestatem, duo aut plures probati viri, tànquam mediatores, pro faciliori concordia in omnibus differentijs consequenda. Et si quid demum etiam hoc modo irresolutum remanserit, ad solam Regiam Maiestatem referatur, suaque Maiestas, adhibitis tàm ex Vngaris, quàm ex illis prouincijs, æquali vtrinque numero, penes se Consiliarijs suis, acta ipsa reuidere, & quod iuris fuerit, tandem decernere & concludere dignetur.

Abbatia Borsmonostra, vt Iurisdictionis Regni sit; quod si Austriaci negarent, eam quoq; controuersiam Commissarij ad Kőszeg designati cognoscere valeant.
ART. XLVII.

TAMETSI constat, Abbatiam Borsmonostra esse intra limites Regni Vngariæ, nec vigore contractus inter Principes quondam facti, Archiducatui Austriæ, vllo inscriptionis iure, esse obligatam; imò tempore serenissimi quondam Vladislai Regis, post transactionem prædictam, inter ipsum, & serenissimum quondam Maximilianum Imperatorem factam, in sede Iudiciaria Regia, Budæ contra Abbatem eius loci, à plerisque Nobilibus vicinis causam motam fuisse, & eundem Abbatem ibidem, tanquam coram suo Iudice ordinario, legitimè comparuisse, respondisseque, ac iudicium recepisse, super quo literæ etiam adiudicatoriæ extare dicuntur: nec desunt prætere inter nostrates quam plurimi, qui recordantur, ex ea Abbatia, eiusque pertinentijs dicas ad Regnum Vngariæ exactas esse. Quum tamen domini Austriaci, rationes sua in contrarium allegare dicantur, vt hæc quoque controuersia finem aliquando haber possit, statutum est, vt Commissarij supradicti, qui ad Kőszegh vtrinque conuenerint hanc quoque differentiam, vna cum alijs reuidere, ac finire debeant.

Monetæ Vngaricæ liga, redigatur ad monetam Germanicam. ART. XLVIII.

IN negotio cusionis monetæ, ad ligam valoremque æqualem monetæ Germanicæ, & vicinorum nonnullorum Regnorum, redigendæ; probata est Ordinibus & Statib

Statibus Regni, benigna propositio Regiæ Maiestatis, propter eas maximè rationes, quas Maiestas sua hoc articulo disertè commemorat: planè confidentes, omnem in posterum difficultatem sublatam iri, exponendi monetam Vngaricam in Regionibus externis, atque hinc finem fore damnis & iacturis, quas hactenus in sua moneta Vngari, præter omnem rationem, passi sunt. & quotidie patiuntur: quum monetam Vngaricam, melioris ligæ esse vicinarum prouinciarum moneta, facilè constet. In cusione tamen numismatum siue grossorum, tum maiorum, tum minorum, iuxta propositam picturam suæ Maiestatis, eam Ordines & Status Regni rationem habendam esse censent, vt Maiestas Regia, antiqua Regni Vngariæ insignia, mutari abolerique minimè patiatur, sed ab altera parte omnes generis numismatum siue grossorum, imaginem Beatæ Virginis Mariæ, de veteri more Vngariæ ponere, in altera suam ipsius, hoc est, Maiestatis suæ imaginem, vel aquilam, in cuius medio Vngariæ insignia sint insculpta, cum inscriptione vtrinque solita, excudi faciat. Minores verò denarij Vngarici, tres numeros Viennenses valentes, ijsdem vtrinque signis ac imaginibus imprimantur excudanturque quibus ab antiquo & hactenus consueuerunt. Præterea ad faciliorem commodioremque vsum tenuioris fortunæ hominum, nonnullos etiam minutos, ternos videlicet in singulos denarios, vt æquales sint nummis Viennensibus, sed sub ea impressione vtrinque, qua hactenus illi excussi sunt, qui in Vngaricali vernacula lingua Fyller vocantur, Maiestas sua excudi iubeat.

Imago Beatæ Virginis Mariæ, in numismate Vngarico, necessaria est.

Nummus Vngaricalis, Viennenses tres ualet.

Obulus Fyller.

Moneta Vngarica intra Regnum & in Austria accipiatur. ART. XLIX.

INTEREA autem, dum monetæ huiusmodi adæquatio, & cusionis inchoatio fiat, statutum est, vt sacræ Regiæ Maiestatis firmissimo edicto, sub pœna amissionis rerum venalium, vbique locorum, intra Regni Vngariæ limites existentium, præsertim verò Posonij, & in finibus Austriæ, moneta Vngarica, tàm vetus quàm noua, Cremnicij cusa, accipiatur: quam etiam domini teneantur à suis subditis vbique accipere. Et qui moneta falsa seu adulterina vti fuerint depræhensi, similiter & eius monetæ falsæ cusores, sine mora, sineque respectu cuiusquam, pœna Decreti puniantur.

Moneta Vngarica ubique accipiatur.

Moneta falsa utentes decreti pœna puniantur.

Iudiciorum quatuor termini, ad duos rediguntur. ART. L.

CÆTERVM, cum experientia ipsa hoc anno compertum sit, pergraue, adeòque benè impossibile esse, non solum Iudicibus, verumetiam ipsis dominis & Nobilibus litigantibus, quater in anno, iuxta superioris anni constitutionem, iudicia seu Octauas celebrare. Statutum est propterea, vt quatuor illi termini, ad duos tantum, videlicet, octauum diem S. Michaëlis, pro Comitatibus propinquioribus, & Transdanubianis: ad festum Epiphaniarum Domini, pro Comitatibus vltra Tybiscum, & alijs remotioribus, in articulis proximæ constitutionis conscriptis, rediguntur: ita tamen, vt quoniam plerosque ex dominis Iudicibus, & Magistris Protonotarijs, ac sedis Iudiciariæ Assessoribus, alijsq; Iurisperitis, in supradictis metarum Regni, aliarumque differentiarum, cum vicinis Regnis & prouincijs reuisionibus occupatos esse oportet: quæ reuisiones breui temporis spatio absolui non posse videntur, ac proinde ipsos ad hæc munia delectos Commissarios, alijs curis solutos esse necesse est, dum his vacant rebus, quæ ad totum Regnum spectant. Propter hanc causam, terminus iudiciorum, qui pro festo Beati Georgij hoc anno celebrari debebat, penitus omittatur. Futuris autem temporibus, termini supra dicti, videlicet, octauus dies festum Beati Michaëlis subsequens, Comitatibus Transdanubianis; & festum Epiphaniarum Domini, Comitatibus Transtybiscanis & remotioribus, obseruentur, in eisque causæ omnes, iuxta ordinem & modum in proximis Conuentibus conclusum, iudicentur, & singulo quoque termino, singulis sexaginta diebus iudicia ipsa continuentur.

Series causarum in Iudicijs, qualiter obseruanda. ART. LI.

HOC duntaxat superaddito, quòd vt rectius & commodius, citra litigantium &

procuratorum tergiuerſationes, iudicia celebrari poſſint, videtur obſeruandum, vt iuxta contenta Decreti, cauſæ omnes, ſecundùm quod antiquiores ſunt, iudicentur, & teneant regeſtum ſuper ſerie earundem cauſarum: & nullæ cauſæ extra ſeriem, ſiue ſint Iudicum, ſiue Protonotarioriorum & Aſſeſſorum, iudicentur, & ſeries regeſtorum fiat à prima die Citationis. Cauſarum quoque maiores, quæ ratione bonorum & iurium poſſeſſionariorum, quocunque titulo, motæ ſunt, & quæ factum verberationis, vulnerationis, detentionis, & interemptionis Nobilium, ac inuaſionis curiarum Nobilitarium concernere dignoſcuntur, primum adiudicentur, & poſtea his adiudicatis, cauſæ factum minoris potentiæ concernentes, ſimiliter ſecundùm ſeriem vetuſtatis earum iudicentur. Quòdque cauſæ, quæ ſub iudicijs inchoantur, ſub eodem termino non leuentur, ſed quæ quintodecimo die ante terminum iudiciorum motæ ſunt, adiudicentur continuis ſexaginta diebus, à prima die termini inchoando, vt præmiſſum eſt.

Ordo cauſarum maiorum & minorum.

Cauſæ ſub iudicijs ortæ, in eodem termino non leuentur.

Prohibitio trinaria, in proceſſu cauſarum, quomodo fiat. ART. LII.

ILLA autem abuſiuè per Procuratores nouiter introducta trinaria prohibitio, nulla facta reſponſione, aboleatur & omittatur, ſed iuxta veterem conſuetudinem, reſpondere cauſantes, & eorum Procuratores teneantur, ac ſi quid per eos in huiuſmodi reſponſione earum erratum fuiſſet, illam trinariam prohibitionem reſponſionum ſuarum, & deliberationum exinde factarum, eodem die, quo deliberatio fit, ſine omni onere facere, & reſponſiones ſuas reformare poſſint. Quarta autem prohibitio, cum onere ſtatim poſt factam deliberationem, non niſi ante ſextum diem vltimi diei iudiciorum fieri poſſit, & non præterea in vltimis iudiciorum diebus: Ne vt ſcilicet eo modo, cauſa ipſa, vel per exempla, ſiue parium literarum acceptionem, vel aliter à termino illo iudiciorum, ſine omni deciſione, in alterum terminum differatur.

Prohibitio quarta fit ante ſextum diem vltimi diei.

Pauperum cauſæ, feria ſexta & Sabbatho leuentur, & diſcutiantur. ART LIII.

ITEM feria ſexta & Sabbatho, pauperibus & viduis iudicentur, iuxta conſuetudinem hactenus obſeruatam.

Prohibitio communis inquiſitionis, & iuramentalis depoſitionis, fiat ante octauum diem. ART. LIIII.

ITEM prohibitiones communis inquiſitionis, & iuramentalis depoſitionis, ſi qui facere voluerint, ſimul cum euocatione exinde fienda, ante octauum diem temini ad id præfixi, & non poſtea, facere poſſint; ne partes, cum iam teſtes ſuos vel ſimul iuraturos magnis ſumptibus congregauerunt, ipſis diebus & terminis, quibus iam huiuſmodi communis inquiſitio celebrari, & iuramentum præſtari deberet, in caſſum fatigentur.

Inhibitio non detur ei, qui in iudicio comparet. ART. LV.

INHIBITIO his qui tunc in iudicio comparent, vel cum alijs in iudicio agunt, non detur: & ſi quis, quacunque via indebita, impetrauerit, in pœna emendæ linguæ conuincatur.

Procurator reuocatur ante latam ſententiam: in quinque caſibus tamen non reuocatur, & paria actorum ſemel dantur. ART. LVI.

ITEM Procuratores poſt deliberationem communis inquiſitiónis, ante latam & pronunciatam ſententiam diffinitiuam reuocari poſſint: exceptis tamen quinque caſibus, in quibus, ex Decreto Regni, reuocatio huiuſmodi non permittitur. Paria etiam literarum in ſede iudiciaria, non niſi ſemel peti poſſint, ad euitandas dilationes.

Iudicia continuè celebrentur: & Locumtenens quales causas cognoscat.

ART. LVII.

PRAETEREA statutum est, vt reliquo etiam medio tempore, infra videlicet duos terminos Octauarum supradictos, iustitiae administratio non cesset. Iudicia Locumtenentis, quinque videlicet casus, Transmissiones & Appellationes omnes, quae in curiam Regiam deuenerint, tám super violentijs nouis, quàm super casus, quae tempore Reuerendissimi domini quondam Locumtenentis proximè defuncti, indecisae apud eum remanserunt, per Regiam Maiestatem, vel in eius absentia, per dominum Locumtenentem continuè iudicentur.

Locumtenens Transmissiones, Appellationes, quinque casus, & violentias semper iudicet.

Literarum euocatoriarum copia, sine literis praeceptorijs, ex Capitulis & Conuentibus edatur. ART. LVIII.

STATVTVM est etiam, vt si quis in Curiam Regiam alterum citauerit, & infra terminum euocationi praefixum, Relatorias literas à Capitulo vel Conuentu non exceperit, & propterea, exemplum seu paria literarum ipsarum, absque literis Praeceptorijs, post huiusmodi terminum modo solitò extradata non sunt, deinceps huiusmodi paria per Capitula vel Conuentus, sine Praeceptorijs literis extradentur.

Comitatus superiorum partium, ab insolentijs Episcopi Varadiensis defendantur.

ART. LIX.

CAETERVM, cum satis constet, magnam partem Comitatuum, Heuesiensis, Abauyvariensis, Zempliniensis, Saro , & Vngh, ac nonnihil etiam de Comitatibus Szabolch, & Szolnok, per dominum Episcopum Varadiensem, ab obedientia Regiae Maiestatis, per hos annos seorsim fuisse abalienata, non sine incommodo Nobilium, & aliorum in illis Comitatibus degentium, & iactura ipsius quoque Maiestatis suae. Supplicant Ordines & Status Regni, dignetur Maiestas sua Comitatus praedictos, in fide & obedientia suae Maiestatis, contra illius violentiam defendere, & manutenere: ita, vt tàm in iudicijs, quam dicarum solutionibus, Conuentuum quoque celebrationibus, & alijs rebus omnibus, Maiestati suae, & nemini alteri subiaceant. Dignetur etiam Maiestas sua, bona fidelium suorum, quae apud ipsum dominum Varadiensem, vel eius homines indebitè occupata adhuc permanent: quemadmodum Michaëlis Vardai, & aliorum nonnullorum, ipsis, ad quos spectant, iam tandem modis omnibus restitui curare: ne ipsi fideles sui, extra dominium bonorum suorum diutius, cum iniuria ac damno maneant non mediocri.

Frater Georgius, Episcopus Varadiensis.

Francisci Reuai, & Bakyth tractatus, vt finem accipiant, Regia Maiestas curet.

ART. LX.

SVPLICATVR etiam Maiestati suae, nomine Ordinum & Statuum Regni, vt quoniam Maiestas sua tractatus, inter dominos Reuay & Bakyth, fieri curaturam gratiosè se obtulit: dignetur primo quoque tempore, Commissarios ad eos tractatus designare, qui si partes ipsae quoquomodo concordare non possent, sua Maiestas Regia dignetur, vtriusque seruitijs benignè consideratis, curare, vt pro vtriusque partis aequitate, iam tandem finis inter eos fiat.

Capitulorum & Conuentuum desertorum sigilla, Rex conquiri curet, & ad restaurationem eorum vsque, apud se, vel Locumtenentem retineat. ART. LXI.

ET quoniam compertum est, ex quibusdam Capitulis & Conuentibus nunc desertis, vnum aut alterum Canonicum, vel fratrem, incertis sedibus vagari, qui tamen sigillo, quod apud eos remansit, vti, vt literas falsas obsignare non dubitent: Maiestas Regia sigilla huiusmodi desertorum Capitulorum & Conuentuum, vndique conquiri curare, & donec Ecclesiae reformentur, apud se retinere, vel apud dominum Locumtenentem suum relinquere dignetur.

Sigilla Capitulorum desertorum.

Sigillum singuli Comitatus habeant, quod in arca, sub sigillis Vicecomitum & Iudicum Nobilium & iuratorum, seruetur. ART. LXII.

PRÆTEREA statutum est, vt pro euitandis diuersis inconuenientijs, quæ hactenus sæpenumero in Comitatibus contigerunt, propter incertà ignotaque sigilla: imposterum in singulis Comitatibus, sub vno sigillo literæ, nomine Comitatus expediendæ, ex benigna concessione Regiæ Maiestatis expediantur: quemadmodum fit in Comitatu Simigiensi. Quæ quidem sigilla postquàm fuerint impetrata & confecta, asseruentur in singulis Comitatibus in arca seu ladula, sub sigillis Vicecomitum, Iudicum & iuratorum Nobilium: neque excipiantur, nisi cum tempore sedis Iudiciariæ literæ aliquæ nomine Comitatus fuerint obsignandæ. Quibus etiam literis subscribant se ijdem Vicecomes, Iudices aut iurati Nobiles, vel ex eis qui sciunt scribere, simul etiam Notarius Comitatus.

Subscribunt qui literis Comitatus.

Agriense Capitulum, præsenti rerum statu, in quibus Comitatibus executiones peragant. ART. LXIII.

CVM autem proximis temporibus, magni sæpe defectus, atq; inde dominis & Nobilibus damna non mediocria contigerint in executionibus literarum, quæ ad Conuentus de Lelesz & Iaszow, ex sede Iudiciaria Regiæ Maiestatis emanari solent: maximè autem Comitatibus partium superiorum & trans Tybiscum, quæ ad eos Conuentus necessariò recurrunt, propterea, quòd ob miram religiosorum paucitatem, in Iaszow vix vnus frater aliquando esse dicatur Ad euitanda imposterum eiusmodi damna, [&] defectus, statutum est, vt vsq; ad proximam Conuentus celebrationem, Capitulum Agriense, ad executiones faciendas, in Comitatibus Vywar, Zemplen, Vngh, Beregh, Maromarus, Vgocha, Szolnok, Kraszna, non minori authoritate, quam prædicti duo Conuentus Lelesz & Iaszow, similiter ad ea loca, ad quæ Capitulum Varadiense potest procedere, ad quamuis executionem liberè possit exire. Interim autem Conuentus aut Capitula, maximè verò Conuentus de Lelesz, contra quem communis est querela, non plus quàm duodecim denarios, in singulos dies, iuxta Regni Decretum, executionum tempore possint accipere: vtq; Nobiles, qui pro literis vel executione obtinendis, ad Conuentum de Iaszow proficiscuntur, depositis armis, vnus aut alter ordine intromittatur: tempore autem fassionis per plures faciendæ, vel iuramenti depositione, maneat foris hoc tempore periculoso.

Pauci, & sine armis ad fatendum ueniant.

Archiepiscopi Strigoniensis, & prioris de Lëwöld priuilegium, vt per Officiales iuramentum præstent, obseruetur. ART. LXIIII

CÆTERVM, quod ad priuilegia attinet, quæ olim Archiepiscopis Strigoniensibus, ac prioribus Lòwöld pro tempore constitutis, certisq; alijs in Regno per diuos Reges dicuntur esse concessa, quibus priuilegijs eximuntur ipsimet à præstando iuramento, cum iudicialiter eis imponitur, permittiturq; eis, vt loco suo, Officiales ipsorum possint iurare. Cum domini Prælati, ac Barones cum dominis Nobilibus, super hoc articulo non conuenirent, sed communi deliberatione, pariq; consensu, ad arbitrium Regiæ Maiestatis, negotium integrum esset reiectum: tandem statutum est per suam Maiestatem, & per Ordines Regni admissum, vt priuilegia ipsa, secundùm eorum tenorem, in suo veteri & pristino maneant vigore, habeanturque rata, & firmiter obseruentur in omne tempus

Regia Maiestas, ex parte Regni Poloniæ, indemnitati Regnicolarum prouidere velit. ART. LXV.

CONSTAT insuper, in magnam iniuriam & damnum fidelium Regiæ Maiestatis, in partibus Regni superioribus habitantium, per serenißimum Regem Poloniæ, à certo tempore esse prohibitum, ne quis mercator Polonus, in Vngariam merces,

ces, aliasque res venales inducat, easque res venales inducat, easque in locis antea consuetis deponat. Licet igitur Regnicolæ supplicauerint Regiæ Maiestati, vt vicisim Maiestas sua hoc idem prohiberet subditis suis ex Vngaria: quum tamen ab ipsa Regia Maiestate intellectum fuerit, Maiestatem suam super hoc, & alijs negotijs statum vtriusque Regni concernentibus, tractatus nunc cum serenissimo Rege Poloniæ habere, Maiestas sua infra finem huiusmodi tractatuum decernere aliquid non censuit: quòd si in eisdem tractatibus hac de re concludi nequaquam poterit, Maiestas sua alia via indemnitati fidelium suorum prouidere non detrectabit.

Tricesimæ à Nobilibus, à rebus de externis prouinciis ad vsum proprium inuehendis, nullæ exigantur. ART. LXVI.

DIGNETVR etiam Maiestas sua seriò committere Camerarijs & Tricesimatoribus suis, ne contra libertates dominorum, aut Nobilium, de rebus, quas ad vsum suum, & familiarium suorum necessitates, ex externis prouincijs inuehere curant, Tricesimæ exigantur, vti hactenus à multis sunt exactæ; id quod Maiestas sua benignè se facturam obtulit: ita tamen, ne fraus, aut negotiatio aliqua causa lucri, huius rei prætextu, per quemcunque cuiusuis ordinis fiat.

Nobiles causa lucri aliquid in Regnum inuehentes Tricesimam num soluant? Idem Anno 1548. art. 55.

Telonia sicca perlustrentur, & superflua tollantur. ART. LXVII.

QVEMADMODVM autem antehac sæpenumero; ita nunc quoque Ordines Regni supplicant Regiæ Maiestati, dignetur Telonia in locis aridis erecta, & quæ Telonia sicca vocantur, deponi vbique curare. Quod vt citra iniuriam, iustamq; querelam cuiuspiam fiat, statutum est, vt vigesimo quinto die, postquàm à præsenti Conuentu, domini ac Nobiles domum redierint, in singulis Comitatibus, Vicecomes cum Iudicibus & iuratis Nobilibus, perambulent vniuersa loca, in quibus Telonia huiusmodi sicca erecta sunt, considerentque & intelligant diligenter, tum locorum & viarum situm, tum certas causas & onera, propter quæ hactenus Telonia ipsa mansisse videantur. Atque ita de sua huiusmodi perambulatione inspectioneque, cum causis & oneribus supradictis, Maiestatem Regiam per suas literas informent. Quibus literis acceptis, Maiestas sua supra amouendis & relinquendis huiusmodi Telonijs deliberet, & quæ amouenda censuerit, dominis eorum seriò committat literis suis, vt ea deponant absque mora, nec inposterum erigant. Qui si non paruerint, in pœna centum florenorum conuincantur, per Comitem Comitatus illius irremissibiliter sibijpsi exigendorum: per quem etiam Comitem Telonium ipsum nihilominus deponatur. Quòd si ipse Comes executionem non faceret, tum ipse in ducentis florenis fisco Regio applicandis conuincatur, & per eum qui pœnam à Comite, iussu Regiæ Maiestatis, exegerit, Telonium etiam modo prædicto deponatur.

Telonia sicca deponantur. Poson. Anno 1546. art. 51. an. 1548. ar. 52. an. 52. art. 35. Sopr. an. 53. ar. 27. Poson. an. 54. art. 21. ann. 55. art. 14. an. 56. ar. 36. ann. 57. art. 17. ann. 59. art. 45. ann. 63. ar. 58. & 59. ann. 66. art. 11. ann. 69. art. 51.

Comes sicca Telonia deponat, ab erigente denuò, flor. centum accipiat.

Sale Polonico Comitatus partium Regni superiorum quando vtantur.

CÆTERVM, cum ex partibus Regni superioribus, per nonnullos Comitatus magna querela exciterit, super defectu salium inter ipsos: conclusum est ex annuentia Regiæ Maiestatis, ut domini ac Nobiles, alijque Status earum partium, sal quidem emant ex Camera Regiæ Maiestatis, sed si in illis sal defecerit, Polonico sale interim vti liberè possint.

Regia Maiestas ad arces finitimas prouisionem offert. ART. LXIX.

CVM autem Ordines Regni humiliter supplicarunt Regiæ Maiestati, vt Maiestas sua, ad arces finitimas aliquot, tàm circa, quàm vltra Danubium, sine vllis ferè redditibus sitas, subsidium ad conuersationem earum ferre dignetur: Maiestas Regia, tametsi grauibus sumptibus multos iam annos, & hoc quoque tempore ad Regni conseruationem, grauatam se esse affirmaret: ita vt ex externis quoque Regnis suis, magnam vim pecuniæ, ad Regni Vngariæ defensionem, Maiestatem suam insumere oporteat,

vltra

Sigillum singuli Comitatus habeant, quod in arca, sub sigillis Vicecomitum & Iudicum Nobilium & iuratorum, seruetur. ART. LXII.

PRÆTEREA statutum est, vt pro euitandis diuersis inconuenientijs, quæ hactenus sæpenumero in Comitatibus contigerunt, propter incertà ignotaque sigilla: imposterum in singulis Comitatibus, sub vno sigillo literæ, nomine Comitatus expediendæ, ex benigna concessione Regiæ Maiestatis expediantur: quemadmodum fit in Comitatu Simigiensi. Quæ quidem sigilla postquàm fuerint impetrata & confecta, asseruentur in singulis Comitatibus in arca seu ladula, sub sigillis Vicecomitum, Iudicum & iuratorum Nobilium: neque excipiantur, nisi cum tempore sedis Iudiciariæ literæ aliquæ nomine Comitatus fuerint obsignandæ. Quibus etiam literis subscribant seijdem Vicecomes, Iudices aut iurati Nobiles, vel ex eis qui sciunt scribere, simul etiam Notarius Comitatus.

Subscribunt qui literis Comitatus.

Agriense Capitulum, præsenti rerum statu, in quibus Comitatibus executiones peragant. ART. LXIII.

CVM autem proximis temporibus, magni sæpe defectus, atq; inde dominis & Nobilibus damna non mediocria contigerint in executionibus literarum, quæ ad Conuentus de Lelesz & Iaszow, ex sede Iudiciaria Regiæ Maiestatis emanari solent: maximè autem Comitatibus partium superiorum & trans Tybiscum, quæ ad eos Conuentus necessariò recurrunt, propterea, quòd ob miram religiosorum paucitatem, in Iaszow vix vnus frater aliquando esse dicatur Ad euitanda imposterum eiusmodi damna, & defectus, statutum est, vt vsq; ad proximam Conuentus celebrationem, Capitulum Agriense, ad executiones faciendas, in Comitatibus Vywar, Zemplen, Vngh, Beregh, Maromarus, Vgocha, Szolnok, Kraszna, non minori authoritate, quam prædicti duo Conuentus Lelesz & Iaszow, similiter ad ea loca, ad quæ Capitulum Varadiense potest procedere, ad quamuis executionem liberè possit exire. Interim autem Conuentus aut Capitula, maximè verò Conuentus de Lelesz, contra quem communis est querela, non plus quàm duodecim denarios, in singulos dies, iuxta Regni Decretum, executionum tempore possint accipere: vtq; Nobiles, qui pro literis vel executione obtinendis, ad Conuentum de Iaszow proficiscuntur, depositis armis, vnus aut alter ordine intromittatur: tempore autem fassionis per plures faciendæ, vel iuramenti depositione, maneat foris hoc tempore periculoso.

Pauci, & sine armis ad fatendum ueniant.

Archiepiscopi Strigoniensis, & prioris de Lőwöld priuilegium, vt per Officiales iuramentum præstent, obseruetur. ART. LXIIII

CÆTERVM, quod ad priuilegia attinet, quæ olim Archiepiscopis Strigoniensibus, ac prioribus Lőwöld pro tempore constitutis, certisq; alijs in Regno per diuos Reges dicuntur esse concessa, quibus priuilegijs eximuntur ipsimet à præstando iuramento, cum iudicialiter eis imponitur, permittiturq; eis, vt loco suo, Officiales ipsorum possint iurare. Cum domini Prælati, ac Barones cum dominis Nobilibus, super hoc articulo non conuenirent, sed communi deliberatione, pariq; consensu, ad arbitrium Regiæ Maiestatis, negotium integrum esset reiectum: tandem statutum est per suam Maiestatem, & per Ordines Regni admissum, vt priuilegia ipsa, secundùm eorum tenorem, in suo veteri & pristino maneant vigore, habeanturque rata, & firmiter obseruentur in omne tempus

Regia Maiestas, ex parte Regni Poloniæ, indemnitati Regnicolarum prouidere velit. ART. LXV.

CONSTAT insuper, in magnam iniuriam & damnum fidelium Regiæ Maiestatis, in partibus Regni superioribus habitantium, per serenissimum Regem Poloniæ, à certo tempore esse prohibitum, ne quis mercator Polonus, in Vngariam merces,

ces, aliasque res venales inducat, easque res venales inducat, easque in locis antea consuetis deponat. Licet igitur Regnicolæ supplicauerint Regiæ Maiestati, vt vicißim Maiestas sua hoc idem prohiberet subditis suis ex Vngaria: quum tamen ab ipsa Regia Maiestate intellectum fuerit, Maiestatem suam super hoc, & alijs negotijs statum vtriusque Regni concernentibus, tractatus nunc cum serenißimo Rege Poloniæ habere, Maiestas sua infra finem huiusmodi tractatuum decernere aliquid non censuit: quòd si in eisdem tractatibus hac de re concludi nequaquam poterit, Maiestas sua alia via indemnitati fidelium suorum prouidere non detrectabit.

Tricesimæ à Nobilibus, à rebus de externis prouinciis ad vsum proprium inuehendis, nullæ exigantur. ART. LXVI.

DIGNETVR etiam Maiestas sua seriò committere Camerarijs & Tricesimatoribus suis, ne contra libertates dominorum, aut Nobilium, de rebus, quas ad vsum suum, & familiarium suorum necessitates, ex externis prouincijs inuehere curant, Tricesimæ exigantur, vti hactenus à multis sunt exactæ; id quod Maiestas sua benignè se facturam obtulit: ita tamen, ne fraus, aut negotiatio aliqua causa lucri, huius rei prætextu, per quemcunque cuiusuis ordinis fiat.

Nobiles causa lucri aliquid in Regnum inuehentes Tricesimam num soluant? Idem Anno 1548. art. 55.

Telonia sicca perlustrentur, & superflua tollantur. ART. LXVII.

QVEMADMODVM autem antehac sæpenumero; ita nunc quoque Ordines Regni supplicant Regiæ Maiestati, dignetur Telonia in locis aridis erecta, & quæ Telonia sicca vocantur, deponi vbique curare. Quod vt citra iniuriam, iustamq; querelam cuiuspiam fiat, statutum est, vt vigesimo quinto die, postquàm à præsenti Conuentu, domini ac Nobiles domum redierint, in singulis Comitatibus, Vicecomes cum Iudicibus & iuratis Nobilibus, perambulent vniuersa loca, in quibus Telonia huiusmodi sicca erecta sunt, considerentque & intelligant diligenter, tum locorum & viarum situm, tum certas causas & onera, propter quæ hactenus Telonia ipsa mansisse videantur. Atque ita de sua huiusmodi perambulatione inspectioneque, cum causis & oneribus supradictis, Maiestatem Regiam per suas literas informent. Quibus literis acceptis, Maiestas sua supra amouendis & relinquendis huiusmodi Telonijs deliberet, & quæ amouenda censuerit, dominis eorum seriò committat literis suis, vt ea deponant absque mora, nec inposterum erigant. Qui si non paruerint, in pœna centum florenorum conuincantur, per Comitem Comitatus illius irremissibiliter sibijpsi exigendorum: per quem etiam Comitem Telonium ipsum nihilominus deponatur. Quòd si ipse Comes executionem non faceret, tum ipse in ducentis florenis fisco Regio applicandis conuincatur, & per eum qui pœnam à Comite, iussu Regiæ Maiestatis, exegerit, Telonium etiam modo prædicto deponatur.

Telonia sicca deponantur. Poson. Anno 1546. art. 51. an. 1548. ar. 52. an. 52. art. 35. Sopr. an. 53. ar. 27. Poson. an. 54. art. 21. ann. 55. art. 14. an. 56. ar. 36. ann. 57. art. 17. ann. 59. art. 45. ann. 63. ar. 58. & 59. ann. 66. art. 11. ann. 69. art. 51.

Comes sicca Telonia deponat, ab erigente denuò, flor. centum accipiat.

Sale Polonico Comitatus partium Regni superiorum quando vtantur.

CÆTERVM, cum ex partibus Regni superioribus, per nonnullos Comitatus magna querela extiterit, super defectu salium inter ipsos: conclusum est ex annuentia Regiæ Maiestatis, ut domini ac Nobiles, alijque Status earum partium, sal quidem emant ex Camera Regiæ Maiestatis, sed si in illis sal defecerit, Polonico sale interim vti liberè possint.

Regia Maiestas ad arces finitimas prouisionem offert. ART. LXIX.

CVM autem Ordines Regni humiliter supplicarunt Regiæ Maiestati, vt Maiestas sua, ad arces finitimas aliquot, tàm circa, quàm vltra Danubium, sine vllis ferè redditibus sitas, subsidium ad conuersationem earum ferre dignetur: Maiestas Regia, tametsi grauibus sumptibus multos iam annos, & hoc quoque tempore ad Regni conseruationem, grauatam se esse affirmaret: ita vt ex externis quoque Regnis suis, magnam vim pecuniæ, ad Regni Vngariæ defensionem, Maiestatem suam insumere oporteat,

vltra prouentus huius Regni; & hoc quoquo anno subsidium sibi à Regnicolis, subsidio anni superioris inferius, oblatum esse. Nihilominus, vt suam erga nos fideles benignitatem magis ac magis ostendat, eisdem arcibus, quibus superiori anno prouisionem se clementer facturam obtulit, eodem modo, quo anno superiori prouiderat, prouidebit.

Nicolao à Salmis, generali Capitaneo, in duobus terminis, decem denarij exigendi. ART. LXX.

CÆTERVM, cum à certis annis, diversæ & quam plures literæ, priuilegia, ac literalia instrumenta, factum bonorum & alia diuersa negotia complurium dominorum ac Nobilium huius Regni concernentia, apud dominum Comitem à Salmis, generalem Capitaneum Regiæ Maiestatis sint reposita, per eum de manibus quondam Koczianer pecunia redempta. Tum igitur pro redimendis eliberandisq; ab eo literis & priuilegijs omnibus huiusmodi, tum verò consideratis seruitijs, quæ idem dominus generalis, cum antea, tum proxima Aestate, Regiæ Maiestati, & toti Regno ad conseruationem imprimis libertatum dominorum ac Nobilium Regni, non vulgaria præstitit, quæque Ordines Regni imposterum quoque ab eo præstitum iri sperant: statutum est his de causis, vt penes illos duos florenos, qui Maiestati Regiæ duobus terminis hoc anno oblati sunt, decem denarij ex singulis colonis, omnium dominorum ac Nobilium bonis, quinque scilicet denarij singulo quoque termino, per Vicecomites supra dicto modo exigantur, & ipsi domino generali administrentur. Literæ autem & priuilegia supradicta apud eum existentia, domino Episcopo Iauriensi, ac Locumtenenti personalis præsentiæ simul assignentur, vt per eos his, ad quos spectant, dominis vel Nobilibus, integrè, sine vllo pretio restituantur.

Commissarij in Sclauoniam mittendi, qui loca finitima per lustrent, & ne Abbatia Taposzka desoletur. LXXI.

SVPLICANT præterea Ordines & Status Regni, dignetur Maiestas Regia suos Commissarios in Sclauoniam dimittere, qui arces & fortalicia eius Regni reuideant, & quæ diruenda esse videbuntur, diruantur, & quæ conseruanda, conseruentur, & muniantur ac prouideantur. Iidem etiam Commissarij ædificia ciuitatis Montis, Græcensis, & expensas per ciues ad ea factas, diligenter reuideant, & rationem ab eis de Tricesimis, annuente Maiestate sua, ad id perceptis accipiant. Querelas etiam omnes prædialium Abbatiæ de Taposzka, contra Keglewyth audiant, & differentias omnes inter eos definiant, modumque & ordinem statuant, ne Abbatia ipsa per eundem Keglewyth grauari ac desolari possit.

Coloni Sclaui, ad loca sua redire permittantur. ART. LXXII.

STATVTVM est etiam, vt rustici illi, qui vel propter famem, vel metum Turcarum, ex Sclauonia in Vngariam per hos annos emigrarunt, per eos, in quorum bonis sunt, si sponte redire voluerint, remittantur, nec retinere eos audeant, sub pœna in articulis migrationis colonorum expressa.

Supra eodem art. 38.

Fridericus Malatesta Secretarius, in Vngarum creatur. ART. LXXIII.

CÆTERVM, cum egregius Fridericus Malatesta, Secretarius Regiæ Maiestatis, ab ineunte ætate in Vngaria ferè continuò permanendo, linguam Vngaricam, & mores Vngaricos probè didicerit, suamque fidem & studium grauissimis quibusque rebus Regni pertractandis, à multis annis, cunctis Regni Statibus probauerit, Decretaque ipsa Regni ab aliquot annis conscripserit: Status & Ordines Regni, accedente consensu benignaque approbatione sacræ Regiæ Maiestatis, eundem Fridericum Malatestam, Nobili alioqui, nec obscura familia in Italia oriundum, vna cum eius posteris, in numerum

rum Nobilium Vngarorum, communibus votis recipiendum cooptandumque duxerunt, offerente insuper Maiestate Regia, ad supplicationem eorundem Regni Statuum, de honesto & competenti statu eidem Friderico se clementer profecturam, vt is, suique posteri, perpetuò possint Maiestati suæ, & toti Regno fideliter ac diligenter seruire.

Conuentus seu Dieta celebrari debeat circa festum Sancti Georgij. ART. LXXIIII.

STATVTVM est prætereà ex benigno consensu Regiæ Maiestatis, vt quoniam propter duos Iudiciorum terminos, festi videlicet Epiphaniarum Domini, & diui Michaelis, per Ordines Regni modo præmisso constitutos, circa illos terminos celebratio Conuentus non videtur commodè fieri posse, inposterum circa festum Diui Georgij prout ab antiquo fieri consueuerat, Maiestas sua Conuentum agat in Vngaria: exceptis tamen occurrentibus necessitatibus, propter quas alio tempore Conuentum ipsum indici & celebrari oporteat, quod iuxta rerum & temporum occasiones, ad Regiæ Maiestatis arbitrium est relictum. *Dieta in Vngaria, circa festum Beati Georgij celebretur.*

Causa possessionis Hay in Turocz, relinquitur in suo statu. ART. LXXV.

SVPER possessionibus Hay Maiestas Regia causam illam, quæ nunc in sede iudiciaria Regiæ Maiestatis controuertitur, relinquit in eo statu, in quo ante Conuentum præsentem fuit. Et postea, cum inter partes aliquid actum & ventilatum fuerit, Maiestas sua prouidebit, ne ciuitas Cremniciensis, & Montanæ Maiestatis suæ, aliquod incommodum patiantur.

Bona Rex, præter ius, non occupabit, leges & Decreta Regni obseruabit.
ART. LXXVI.

IN negotio occupationis bonorum, quæcunque ad Maiestatem Regiam, quocunque titulo, deuoluuntur, sua Regia Maiestas gratiosè se obtulit illum modum & ordinem seruaturam, qui temporibus diuorum Regum prædecessorum suorum fuit obseruatus, & tàm in hoc, quàm in alijs Decreta & leges Regni clementer obseruaturam.

Externi in Vngaros quomodo per Regem creandi. ART. LXXVI.

CÆTERVM, cum ad supplicationes humilimas Ordinum Regni & Statuum, sacræ Regiæ Maiestati, domino eorum clementissimo, super eo porrectas, ne Maiestas sua externos homines in Vngaros, absque consensu & approbatione Ordinum Regni ac Statuum assumere dignaretur, sacra Maiestas sua clementer responderit, sese iuxta authoritatem, potestatemq; suam Regiam, ac serenissimos quondam Reges prædecessores suos, super huiusmodi Nobilitationibus externorum, ex consilio Consiliariorum suorum Vngarorum vsos, ex literis quorundam Regum constaret; inposterum, cum Comitiorum in Vngaria tempore, creare externum aliquem voluerit in Vngarum, cum scitu & participatione fidelium suorum Ordinum Regni ac Statuum id facturam. Vbi verò intra, vel extra Regnum, præter Comitiorum tempus, aliquem de se & Regno benè meritum, Maiestas sua in Vngarum creare vellet, illum ex consilio dominorum Prælatorum & Baronum, Consiliariorum suæ Maiestatis, ex hoc Regno creaturam esse: Ordines & Status Regni clemens responsum suæ Maiestatis, submissis animis acceptantes, deliberationi Maiestatis suæ hac in re assenserunt: hoc tantum adiecto, vt quicunque hoc modo, in Vngaros, per suam Maiestatem, intra vel iuxta Regnum modo præmisso, fuerint assumpti, teneantur iuramentum præstare, quòd Regni legibus in omnibus parebunt, libertatesq; eiusdem Regni defendent pro virili, neque contra eas quicquam vnquam admittent, nullas arces, nullamue Regni partem à Regno alienabunt, sed alienata etiam omni studio recuperaturi sint. Quæ quidem forma Iuramenti in libro Regio, qui in Cancellaria seruatur de verbo ad verbum, simul cum die & loco nomineq; iurantis, sicut antea quoque fuit obseruatum, inscribatur. *Iuramentum Externorum in Vngaros creatorum.*

Ciuitatum liberarum libertates obseruentur. ART. LXXVIII.

PRÆTEREA, cum Ciuitates liberæ, & etiam Montanæ Maiestatis Regiæ, contra eorum priuilegia & libertates vetustas multis in locis indebitè impediantur, arestentur, vel vexentur: statutum est, vt eorum priuilegia & libertates, vbiq; per omnes omnium Statuum & Ordinum homines inuiolatè obseruentur, sub graui indignationis Maiestatis Regiæ pœna.

CONCLVSIO.

NOs igitur supplicatione præmissa dictorum fidelium nostrorum, dominorum Prælatorum, Baronum ac Nobilium, aliorumq; Regni huius nostri Ordinum ac Statuum clementer admissa, prædictos vniuersos & singulos articulos, modo præmisso nobis præsentatos, præsentibus literis nostris de verbo ad verbum inseri & inscribi fecimus, eosdemq;, ac omnia & singula in eis contenta, ratos, gratos & accepta habentes, eisdemque nostrum Regium consensum beneuolum, pariter & assensum præbuimus, ac illos, & quæuis in eis contenta, nostra Regia authoritate acceptauimus, approbauimus, ratificauimus & confirmauimus, offerentes non clementer, quòd præmissa omnia in prædictis articulis contenta tàm nos ipsi inuiolabiliter obseruabimus, quàm per alios fideles subditos nostros, cuiuscunque Status & Ordinis existant, obseruari faciemus: imò acceptamus, approbamus, ratificamus & confirmamus, harum nostrarum vigore & testimonio literarum mediante. Datum Posonij, decima tertia die Februarii, annò Domini, Millesimo, Quingentesimo, Quinquagesimo: Regnorum nostrorum, Romani vigesimo, aliorum verò vigesimo quarto.

FERDINANDI IMPERATORIS DECRETVM, ANNO DOMINI M. D. LII.

Posonij editum.

NOs FERDINANDVS, diuina fauente clementia Romanorum, Vngariæ, Boëmiæ &c. Rex, semper Augustus, Infans Hispaniarum, Archidux Austriæ, &c. Memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes quibus expedit vniuersis: quòd domini Prælati Barones, Nobiles, cæterique Ordines ac Status, fideles subditi huius Regni nostri Vngariæ, & partium ei subiectarum, in præsenti generali Conuentu, pro festo cathedræ Beati Petri Apostoli, anno Domini, Millesimo, Quingentesimo, Quinquagesimo secundo celebrato, congregati, exhibuerunt & præsentauerunt nobis humiliter infrascriptos articulos, in Conuentu ipso communibus votis conclusos, ad propositionem nostram eis factam respondentes: supplicaruntq; nobis humilimè, vt vniuersos & singulos articulos ipsos, omniaq; & singula in eis contenta, ratos, gratos, & accepta habentes, nostrumq; Regium consensum præbentes, authoritate & potestate nostra Regia, acceptare, approbare & confirmare, atque tàm nos ipsi obseruare, quàm per alios omnes, quorum interesset, obseruari facere dignaremur. Quorum quidem articulorum tenor talis est.

Transyluania, cum alijs partibus Regni inferioribus recuperata.

ART. I

PRIMVM omnium, vbi Sacra Regia Maiestas in propositione sua, initio præsentis Conuentus facta, fideles suos Ordines & Status Regni huc propterea se conuocasse, exponere dignata est, vt tempestiuè de periculis imminentibus, deq; alijs, quæ ad salutem eorum maximè pertinerent, cleméter eos commonefaceret, quodq; paucis, obiterq; in eadem propositione commemorauit, quantis & sumptibus & laboribus, defensioni Regni sui Vngariæ, iam inde ab initio studuerit, quodq; iam tandē Transyluaniam,

niam, diuina benignitate, cum reliquis Regni partibus inferioribus, in manus suas receperit, ac Regnum omne ad vnionem redegerit: agnoscunt fideles Ordines ac Status Regni, piam paternamq; sacræ Regiæ Maiestatis, domini & Regis eorum clementissimi, erga eos voluntatem, singularemq; clementiam, ac proinde quàm maximas possunt gratias agunt, atque habent suæ sacratissimæ Maiestati, pro his tot tantisq; in ipsos fideles suos beneficijs, & DEVM optimum maximum pro felicitate, incolumitateque diuturna eius sacræ Maiestatis, & serenissimorum liberorum, assiduè precantur: cum verò sese, vitam & fortunas suas, in fide & seruitio suæ Maiestatis, eorundemque eius serenissimorum liberorum, profundere paratos offerunt in omne tempus.

Ad bellum contra Turcarum Principem, Status se Regi promptos offerunt.
ART. II.

QVOD verò sacra Maiestas, communicare itidem cum ijsdem fidelibus suis dignata est, rumores quos vndique habet certos, de Turcarum Principis in Vngariam celeri ingressu: affirmauitque Maiestas sua, eius se esse propositi, vt personaliter aduenienti hosti, personaliter ipsa omnibus viribus occurrat, ac proinde hortata est eosdem fideles suos, vt Vngari, ad quos præ cæteris imminens periculum propulsandum spectat, pro sua, liberorumque ac coniugum salute, more maiorum suorum, ad insurgendum viritim penes Maiestatem suam parati sint, & alia, quæ in eius Maiestatis propositione continentur. Status & Ordines Regni, sanctissimum Maiestatis suæ præpositum summopere probant, supplicantque, vt etiamsi fortè Turcarum Principem erumpere non contingat: nihilominus Maiestas sua institutum suum intermittere nolit, sed ad recuperandam eam Regni partem, quam Turca possidet, ipsa in expeditionem prodire dignetur, ac propterea ad ipsam expeditionem, quæcunque communibus omnium Ordinum suffragijs decerni posse in præsenti Conuentu visa sunt, Maiestati suæ humiliter offerunt. Supplicantes, vt quamvis ipsi intelligant, pro rerum impendentium magnitudine, multo ab eis maiora præstari oportuisse, si id per rerum & fortunarum copiam liceat: consideratis tamen clementer calamitatibus eorum innumeri, ad quas proximi anni quoque summa annonæ caritas accessit, dignetur hæc, quæ præstari à se hoc tempore posse putarunt, ab ipsis suis fidelibus clementer accipere.

Stipendio externo, nemo Vngarorum hac vice militet, sed iuxta constitutiones Tirnauienses, anni Millesimi, Quingentesimi, Quadragesimi quinti, in expeditionem omnes prodeant. ART. III.

CVM itaque constet, id quod Maiestas Regia in sua propositione commemorauit, & antea, & proximo imprimis anno, Vngaros complures, externæ pecuniæ stipendijs militasse suæ Maiestati. Intelligant autem, tum ob hanc causam, tum verò quòd in proximè futura expeditione, innumerabiles Maiestas sua sit sumptus habitura, decere ipsos sine externa pecunia, & Maiestati Regiæ, & Christianitati, vel in hac saltem expeditione inseruire, & palàm omnibus facere, sese nullo tempore, vel sibi, vel patriæ deesse. Statutum est propterea communibus omnium votis, vt Prælati, Barones, Nobiles, cæterique Ordines & Status Regni possessionati, hoc est quibus coloni sunt, ac simul Nobiles vnius sessionis, nemine excepto, viritim, hoc est persingula capita, armati insurgant penes sacram Regiam Maiestatem, vel serenissimum Regem Maximilianum eius filium in expeditionem peodeuntem, atque insuper ex singulis decem colonis, iuxta numerum dicæ proximè præteritæ, singulos equites benè instructos, ex proprijs eorum facultatibus, non sumptibus colonorum, & præterea ex singulis viginti colonis, vnum peditem pixidarium, colonorum sumptibus secum adducere teneantur; neq; quisquam Vngarus possessionatus *Ex decem colonis eques, & ex viginti pedes unus.*

ſub hac èxpeditione, vſque ad illius exitum, externa pecunia audeat poſſitue militare. Modus autem ſuper hac in expeditionem profectione is ſeruetur, qui in articulis Tirnauienſibus, Conuentus anni Milleſimi, Quingenteſimi, Quadrageſimi quinti, celebrati, ſuper eadem re clarè eſt expreſſus: ad quos quidem articulos, Ordines ac Status Regni ſeſe in hac parte omnino referunt, eosque ratos habent, tanquam præſentibus àrticulis, de verbo ad verbum inſertos, eo excepto, quod ex prouentibus decimarum eorum Prælatorum, Præpoſitorum, Abbatum, vel Capitulorum, quorum redditus per Turcas magna ex parte diſsipati ſunt vel occupati, ex ſingulis centum florenis, non quinque equites, prout in prædicto Conuentu fuerat concluſum, ſed duo tantummodo, per eoſdem Eccleſiaſticos qui decimas percipiunt, ex earundem decimarum prouentibus, in prædicta expeditione alantur. Vtque ex ſingulis Capitulis, non tot perſonæ, ſicuti antea erat decretum, ſed vnus tantum idoneus, & ad docendum ſacraque adminiſtranda, quo fieri poterit aptior, reliquorum domi manentium ſumptibus expediatur, & quod Capitula ditiora in his adiuuent pauperiora. Similiter etiam eo excepto: quod communes plebani, rectoresque altarium, quibus tunc onus impoſitum erat, vt ſinguli decem ex eis vnum equitem in expeditionem ſuis ſumptibus dimitterent, ab eo onere nunc ſunt abſoluti.

A decimis centum florenos ualentibus, equites duo.

Capitula, unũ è medio ipſorum ad bellum mittant.

Plebani communes nullum militem mittant.

Subſidium trium florenorum offertur. ART. IIII.

DECREVERVNT præterea, vt tum pro inſtruenda nauali claſſe, tum verò alijs neceſſitatibus futuræ expeditionis, ex ſingulis eorum colonis integræ ſeſſionis, præſenti anno, duobus terminis, tres floreni Vngarici Maieſtati ſuæ contribuantur: videlicet, dimidia pars ad feſtum Beati Georgij proximè futuri: altera verò dimidia pars, ad feſtum Beati Lucæ ſubſequentis. Ea tamen interiecta conditione, vt coloni nuſquam locorum vllo onere, ſine pecuniaria ſolutione opprimantur, hoc eſt, ne ad munitiones arcium, vel alterius loci, neue ad inſurrectionem, præter Conuentus conſtitutionem, vel opera, cum perſonis iumentiſque ipſorum præſtanda, aut milites internos & externos inter ſe alendos, aut id genus alia permulta, quibus hactenus oppreſsi ſunt, cuiuſquam iuſſu compellantur. Et quia propter celeritatem, èxactionem prioris termini dicæ, iuxta ſuperioris anni connumerationem, ſecundi verò per nouam poſtea connumerationem fieri debere Maieſtati ſuæ placuit. Propterea ſtatutum eſt, vt in actione eiuſdem primi ſubſidij, is modus obſeruetur: vt videlicet ſtatim poſt reditum nuntiorum ſingulorum Comitatuum à præſenti Conuentu, in ſingulo quoque Comitatu, congregatio quàm citiſsimè celebretur, ibique publicetur, vt ad decimum quintum diem eiuſdem congregationis cuiuſuis Comitatus, dica ipſa primi termini de omnium Statuum & Ordinum bonis, ad manus Perceptorum Regiæ Maieſtatis, qui ad ſingulos Comitatus, ex Camera ſuæ Maieſtatis mitti debebunt, per Iudices oppidorum & villarum, plenè & ſine defectu importari & adminiſtrari debeat: Et in eadem prima congregatione, literæ Birſagiales ad manus Vicecomitum in ſingulis Comitatibus extradentur: vt mox elapſo ipſo decimo quinto die, Vicecomites præmiſſam contributionem de illorum bonis, qui ad eum diem non ſoluiſſent per onera conſueta exigere, & ad manus Perceptorum adminiſtrari facere, ſub pœna amiſsionis officiorum, & ſolutionis dupli teneantur. Quia verò à ſuperioris anni connumeratione, tum propter libertatem in pleriſque locis expletam, tum etiam aliter, augmentum, vel etiam defectus in bonis quorumcunque contingere poterit. Ne igitur hi, qui aucti ſunt, immunes ſint à ſolutione, & è contra qui ſunt immuniti, ne compellantur ad ſolutionem: ſtatutum eſt, vt pro cognoſcenda veritate, Perceptores, ſi voluerint, à Iudicibus ipſis, tàm de augmento, quàm de defectu iuramentum exigere poſſint, & ſecundùm id dica exſoluatur. Quòd ſi Perceptores ipſi aliquibus in locis iuramentum Iudicum

Dica flor. 3.

Modus exigendi nouus dicam Regiam.

Birſagiales literæ.

Vicecomitum negligentium dicam exigere pœna.

Iuramentum Iudicum.

Iudicum acceptare nollent, liberum sit eis ad faciem talium locorum exire, & oculata fide reuidere, ac debitam contributionem secundùm augmentum vel diminutionem exigere. Secundæ autem partis contributionis oblatæ, connumeratio fiat per Dicatores Regios, similiter de integris sessionibus, secundùm modum & ordinem in nouissimo Conuentu, tàm de libertinis, quàm alijs descriptum. Et tandem facta connumeratione, is idem modus exactionis obseruetur, qui hic superius de primi termini subsidio est descriptus.

In duos sequentes singulos annos, subsidium vnius & dimidij flor. offertur.

ART. V.

QVIA verò in proximum triennium, Maiestas Regia certum subsidium in præsenti Conuentu decerni voluerit, fideles Ordines ac Status, duobus subsequentibus annis, in singulum quemque annum, singulos florenos cum dimidio, Maiestati suæ ad necessitatem Regni emergendam sese daturos offerunt, modo supradicto. Nisi forte expeditio hoc anno incæpta, continuanda foret, vel alia contingant, ob quæ subsidium ipsum imminui vel augeri necessariò oportere videretur.

Damna deinceps Regnicolis ne inferantur à militibus, Rex prouideat.

ART. VI.

SVPPLICANT præterea Ordines ac Status Regni Maiestati suæ, vt cum hactenus à militibus, tàm Vngaris, quàm externis, stipendio suæ Maiestatis militantibus, grauissima damna & iniurias, plerisque in locis, tum ipsi, tum eorum coloni perpessi sint, adeò vt ne Prælati quidem, Ecclesiasticæq; personæ, vel Nobiles, quibusdam in locis, domi suæ tuti esse potuerint; dignetur Maiestas Regia, certum iam tandem constituere ordinem & modum, vt hæc inposterum penitus cessent. Nouizol. ann. 43. art. 23. Sopron. ann. 53. art. 5. Poson. ann. 50. art. 8. an. 54. art. 2. ann. 55. art. 16. ann. 57. art. 20. ann. 63. art. 37.

Articuli de religione confecti ab omnibus obseruentur. ART. VII.

QVOD autem ad negotium religionis attinet, ad quam sacra Maiestas Regia fideles suos clementer hortata est, Status & Ordines Regni breuiter respondent, fuisse in duobus proximis Conuentibus, ex admonitione similiter suæ Maiestatis, satis in ea re tractatum & conclusum, tum pro ritè exercendo officio Prælatorum, & aliorum Ecclesiasticorum hominum, tum etiam pro obedientia, quæ ipsis Ecclesiasticis ab hominibus secularibus debetur. Super qua eiusmodi conclusione, extare articulos confectos, in quibus articulis Ordines & Status Regni, sine augmento vel diminutione vlla nunc quoque persistunt. Restare igitur tantummodo, vt sua Maiestas articulos ipsos, ab vtroque Ordine, tàm Ecclesiastico, quàm seculari obseruari curet: & si alterutra pars obediens non esset, vel aliquis hos articulos non obseruaret, Maiestas sua secundùm præfatos articulos in eos procedat. Conuentus Poson. an. 48. art. 5. ann. 50. art. 12. & sequentibus.

Colonorum migratio in priori statu relicta. ART. VIII.

DE colonorum transmigratione, tametsi Status & Ordines Regni, ex pia paternaque Regiæ Maiestatis admonitione, satis inter se multa tractarunt, conabanturque omnino, permissa colonis migrandi facultate, hac in re quoque, cum DEVM Optimum Maximum sibi reddere placatiorem, tum verò sacræ Regiæ Maiestati, vt cupiunt, in omnibus morem gerere. Verùm instante, ac præ foribus existente expeditione, atque inde exactione subsidij oblati, vel collectione militum, secundùm numerum colonorum, nullam moram admittente. Visum est ob eam causam in præsentia, sine magna confusione, nihil ea in re posse decerni: sed relicto negotio ipso, in eo, in quo nunc est, statu, postquam Diuina ope, ab expeditione incolumes redire licebit, tum in primo Conuentu, migrationem ipsam colonis liberam permittere, ordine & modo ad hoc excogitato, atque adhibito, qui melior, & secundùm DEVM, eiusq; iusticiam adhiberi posse videbitur.

Pœna Nobilis, qui sine licentia Capitanei vel domini sui, de bello abierit.

ART. IX.

Nobilis è bello fugiens incurrit notam infidelitatis: adde hunc casum ad Vlad. Secund. ar. 4.

QVOD verò ad modum & ordinem atinet, quem Maiestas Regia, super puniendis his seruitoribus aut militibus, qui sine Capitanei, vel eorum domini licentia abirent, constitui oportere exposuit: statutum est, vt quod ad eos attinet, qui iuxta præmissam constitutionem, in expeditionem suis sumptibus conuenire debent: si Nobilis aliquis in exercitu deesse fuerit compertus, in pœnam capitis, notamq; infidelitatis incurrat, vti in præfato Conuentu Tirnauiensi fuerat conclusum: sin autem ignobilis, ac proinde ab alio conductus, teneatur is qui eum adduxerat, alium statim conducere loco illius, aut si non inueniret, Capitaneo suo referat, vt is alterum substituat sumptibus supra dicti. Quòd si nec Capitaneus quidem inuenerit, tum is qui alterum substituere debet, terminum competentem iuxta loci distantiam à Capitaneo eodem suo petat, ad alterum conducendum. Quo termino exacto, si non faceret, duplum stipendium eius qui discessit, Capitaneo suo persoluat, vt is tandem duplo stipendio alium inueniat, & alat pecunia prædicti, qui alterum substituere debuerat, donec alter loco fugitiui per dominum suum statuatur.

Milites exoluendi modus & tempus. ART. X.

Seruitor à domino discedens literas à Capitaneo accipiat.

DE militibus autem qui conducuntur in singulos menses, statutum est, vt milites huiusmodi, initio semper mensis suum stipendium accipiant, & (nisi aliter facta cum eis fuerit conuentio) expleto mense, si illicò ad alterum mensem non soluatur, vltra octo dies non teneantur expectare Quibus octo diebus exactis, si stipendium totius mensis non accipiant, liceat eis saluo honore, cum persona & rebus suis à domino suo discedere, teneaturque nihilominus dominus eius de seruitio octo dierum supradictorum ei satisfacere. Qui si non faceret, aut eum non dimitteret, possit is ad suum Capitaneum recurrere & ille ex rebus, vel stipendio domini sui satisfactionem illam octo dierum ei impendi curet, eumque ab eius seruitio absoluat. Talis autem seruitor, vel literas ab eodem Capitaneo suo accipiat, super hac libera abeundi sibi permissa facultate, vel duos tresue militares viros, coram eodem Capitaneo, eius rei testes adhibeat, atque ita tandem cui maluerit alteri, ibidem tum in exercitu seruire possit. Quòd si fortè ibi dominum non inueniret, à quo reciperetur, ad generalem Capitaneum recurrat, per quem vel conducatur ad stipendia Regiæ Maiestatis, vel datis ei literis, liberè ab exercitu dimittatur. Milites autem, qui stipendio Regiæ Maiestatis conducti forent, siue in arcibus finitimis, siue in exercitu, secundùm quod à sua Maiestate, vel eius Capitaneis, cum eis facta fuerit conuentio stipendij, solutionem expectare debeant, nec ab arcibus vel castris, possint discedere.

Seruitorum conductorum annuum salarium. ART. XI.

Seruitus ante mensem renuncianda.

Ratio reddenda ab officialibus.

Seruitorem apud dominum quæ remorari possint, discedere uolentem.

DE his autem seruitoribus, officialibus, castellanis, ac militibus, qui annuo salario, pro cuiusque arbitrio conducti vel conducendi sunt, ea est ratio constituta, vt quilibet ante finem anni, quo amplius seruire nolit, teneatur ad minus per vnum mensem renunciare seruitutem domino suo. & ab eo accepta sua solutione, reddita prius videlicet ratione. per eos, qui officia aliqua administrarunt, quo malit, possit abire: eo excepto, quòd si fortè contingat dominos eorum in expeditione esse, vel aliqua publica functione, aut extra Regnum in seruitio Regiæ Maiestatis & Regni, vel si arx, in qua tales aliqui castellani sint, obsessa, vel in manifesta certaque expectatione obsidionis esset, teneantur hi omnes, etiam vltra anni spacium persistere in seruitio incæpto, donec vel expeditio, vel negotia illa dominorum suorum, aut arcis obsidio finita esset: atque ita tandem, de hoc quoque spacio, quo vltra annum seruiuit, pro rata stipendij secum constituti parte, à domino suo solutionem accipiat, & dimittatur.

Pœna

Pœna stipendiariorum se ab exercitu subtrahentium: & quòd hæ constitutiones de exercituatione, etiam de particulari expeditione constitutæ intelligantur.

ART. XII.

Si quis autem accepto stipendio, clam se ab exercitu subtraheret, siue Nobilis, siue ignobilis, capitis pœnam luat. Supradictæ autem constitutiones omnes de officialibus, seruitoribus ac militibus, modo præmisso factæ, non solùm in generali, sed etiam in particulari expeditione, adeòque omni tempore obseruari debeant.

Equitum & peditum solutionis & stipendij quantitas. ART. XIII.

Statutum est etiam, ut equitibus, qui in singulos menses conducuntur, & annuum salarium non habent, tres tantum floreni, & viginti denarij: peditibus verò duo floreni Vngarici in singulos menses numerarentur. Cum his autem, qui annuo salario conducuntur, liceat quidem vnicuique, vt potest, de salario conuenire, sed cum hi in expeditionem conducuntur, in singulos equites pro pecunia menstrua, duos tantum florenos accipiant.

Nouizol Ann. 42. art. 52. Tirna. ann. 45. art. 41. Qui rapinis uiuunt, nihil accipiant.

Victualium ad exercitum conuehendorum ordo. ART. XIIII.

Visum est etiam obseruari debere ordinem illum, qui super conuehendis ad exercitum victualibus, ex omnibus Regni partibus fuerat in præfato Tirnauiensi Conuentu constitutus, & limitationem insuper de omnibus victualibus fieri oportere, vt neque militibus commeatus desint, & pauperes coloni non opprimantur. Ad quorum quidem damna auertenda, quæ in progressu exercitus quotidie pati consueuerunt: ita est constitutum, vt in quocunque oppido aut pago gentes hospitare contigerit, priusquam inde discedatur, Capitaneus Iudicem & iuratos ad se accersitos interroget, num quid ibi damni à quopiam sit illatum? Ac si quid compererit, mox per eum qui intulit resarciri curet. Quòd si is soluendo non esset, tum ex rebus aut bonis illius ibidem existentibus, illicò Capitanei satisfieri curet. Sin autem illa fortè non sufficerent, ex stipendio tandem militis illius, colono damnum suum remittat. Qui si negligeret, aut sibi retentum illud stipendium vsurparet, vel militum deprædationi conniueret, aut consentire deprehenderetur, per supremum Regni Capitaneum capiatur, tàm diuque habeatur in vinculis, donec duplum illati damni persolueret. Si verò milites huiusmodi, tàm Maiestatis Regiæ, quàm dominorum Prælatorum & Baronum, aliorumque Statuum stipendijs militantes, quacunque de causa, in progressu vel descensu exercitus, vel ex stationibus eis designatis prædas facerent, & colonis damna inferrent, & ea per præfatos Capitaneos modo præmisso non rectificarentur, contra tales, & eorum etiam dominos, quorum nomine ea patrantur, pro talibus violentijs, iure agi possit, & iudicia hæc continuè exerceantur: & hi qui rei comperti fuerint, pœna capitis plectantur, & ex bonis eorundem damna refundantur; reliqua ad eorum hæredes deuoluantur.

Tirn. Ann. 45. art. 43. Sopro. Ann. 53. art. 17. Poson. Ann. 57. art. 7. Tirn. an. 45. art. 28. 29. & 30. Poson. Ann. 63. art. 10, 13. Maximil. Poson. ann. 66. art. 17. ann. 67. art. 22. Damna, per milites colonis inferri solita, auertendi ratio.

Militũ ex stationibus prædas facientium pœna.

Capitanei siue Præfecti, militibus Vngaris præficiantur Vngari, & non exteræ nationis homines. ART. XV.

Vt verò præmissa hæc omnia rectius curari & perfici possint, visum est Ordinibus ac Statibus Regni summè necessarium, libertatibus præsertim ipsorum ita exigentibus, & ita etiam supplicant sacræ Regiæ Maiestati, vt generales Capitanei, post eius Maiestatem, vel serenißimum eius filium, aut hi, qui in eo nunc sunt officio, vel si illi, alterue illorum ægritudine, aut alia ratione impedirentur, quominus suo officio fungi possent, alij nationis Vngari ad id numeris apti, per suam Maiestatem in expeditione præficiantur Vngari, vt quæcunque exequenda contigerint, ex mandato suæ Maiestatis, vel serenissimi eius filij primùm, deinde etiam ex consilio, mutuaque intelligentia cæterorum Capitaneorum, quos Maiestas sua secum in exercitu hebuerit, per Vngaros

ros Capitaneos, non per externos eis committantur. Quód si exercitum fortassis aliqua ratione diuidi continget, etiam in tali casu, Vngaris similiter Capitaneus generalis Vngarus præficiatur, qui modo præmisso, pari consilio & authoritate, quo ad Vngaros, cum externo Locumtenente, vel generale suæ Maiestatis procedat.

Bonorum occupatorum ratio. ART. XVI.

Regno unito curandum, ut fomites simultatum tollantur.

Nouizol. ann. 42. art. 1. 3. 4. 12. 13.

CVM autem diuina iam tandem benignitate, atque opera sacræ Regiæ Maiestatis, Status & Ordines Regni antehac per multos annos in diuersas factiones distracti, ad vnionem concordiamque redierint, iamque in id summa ope incumbendum esse videatur, vt reconciliati Deo optimo maximo, ipsam vnionem, animorumq; consensum confirmare, & indies magis roborare inter se possint, ac proinde omnes odij ac simultatis fomites è medio sunt tollendi: qui quidem ex retentione imprimis rei alienæ oriri, ortique incendium plerumque parere solent. Visum est ob has causas Ordinibus ac Statibus Regni, vt quod de restitutione bonorum alienorum, per hæc disturbiorum tempora violenter occupatorum, aut per vnum vel alterum Regem, propter adhæsionem cuipiam collatorum, in primo Conuentu Nouizoliensi conclusum fuerat, & in sequentibus etiam Conventibus confirmatum, idem nunc in Transyluania quoque & reliquis Regni partibus, quæ nunc recens ad obedientiam Regiæ Maiestatis accesserunt, imò etiam in reliquis quoque Regni partibus, si quæ bona huiusmodi nondum essent remissa, vel si qua denuo forent occupata, obseruetur, hoc est, vt bona omnia huiusmodi per eos qui ea tenent, his â quibus occupata sunt, hæredibusq; eorum, ad quos legitimè spectant, sub pœna notæ infidelitatis, in præfatis superioribus Conuentibus expressa, restituantur. Eiq; rei terminus præfixus est, in reliquis quidem Regni partibus, festum Diui Georgij proximè futurum: in Transyluania verò quintus decimus dies, ab eo Conuentu, qui ibidem in Transyluania hinc proximè celebrabitur. Et si qui id facere, ac huic constitutioni parere negligerent, in cæteris quidem Regni partibus per Capitaneos supremos; in Transyluania verò per Waiuodam: in Sclauonia per Banum: & in Comitatibus Regni inferioribus, per Comitem Temesiensem, executio super his fiat. Imò etiam per Comites & Vicecomites in quibuscunque Comitatibus Regni inferioribus, prout in prædictis Conuentibus clarius est expressum.

Capitanei, Vaiuodæ, Bani, Comites.

Fassiones coactæ, ratione bonorum factæ, irritæ sint. ART. XVII.

Faßiones.

ITEM statutum est, quód fassiones coactæ, per quoscunque ratione bonorum, propter adhæsionem donatorum, vel aliter sub his disturbijs violenter occupatorum, pro eliberatione partis bonorum suorum, de reliqua parte, vel aliter factæ, irritæ sint, & de his iuridica reuisio fieri possit: & etiamsi qui fortassis in recuperatione talium bonorum suorum aliquam summam soluerint, pro ea iure agere possint.

Iauriensis Ecclesiæ prouentus restituantur. ART. XVIII.

SVPPLICANT autem Ordines & Status Regni sacræ Regiæ Maiestati, vt quemadmodum clementer obtulit, prouentus Episcopatus Iauriensis, olim ad graues necessitates Regni quibusuis inscriptos, quantum pro rerum & necessitatum magnitudine licuerit, clementer eliberare, & Ecclesiæ restituere: de bonis verò dominorum aut Nobilium, quæ à certo tempore in manus suæ Maiestatis deuenerunt, & nunc habentur, intra anni spacium clementer statuere, & eos ad quos bona ipsa spectant, vel bonis æquiualentibus, vel pecunia contentos reddere, vel ipsa eis bona restituere dignetur. De illis autem bonis domini Andreæ de Bathor, & aliorum litis consortium, quæ ex insciptione suæ Maiestatis apud dominum Lucam Szekeli, & Petrum Erdődy habentur, Maiestas sua, prout in tractatu se super illis esse significauit, tractatus ipsos perficere, & bona ipsa primo quoque tempore eliberare, & restitui facere dignetur.

Andreæ Bathori bona Lucæ Szekel inscripta.

Iniuria

Iniuriæ inter vnius partis & alterius subditos illatæ, obliuioni tradantur.
ART. XIX.

QVONIAM autem permulta, adeòque innumerabilia damna & incommoda, ex violentijs, vltro citroque illatis, factiosis temporibus præteritis contigerunt, quæ si iudicentur secundùm leges Regni, magnos tumultus, & discordiarum atque odij semina sint paritura. Statutum est igitur, quòd omnes violentiæ, damna neces iniuriæ, & alia huiusmodi malorum genera, quæ proximis temporibus, vsque ad obitum serenissimi quondam Ioannis Regis, per subditos vnius, contra subditos alterius partis patrata sunt, tanquam ea iure belli contigissent, consopita sint penitus & abolita, ac in omne tempus extincta, nec earum ratione quisquam, iure vel facto, aduersus alterum quempiam agere possit. De his verò, quæ viuente quondam eodem Ioanne Rege, per vnius & eiusdem Regis subditos, contra sese inuicem, & præterea, quæ post mortem eiusdem Ioannis Regis, per quoscunque Regnicolas generaliter patrata sunt, liceat vnicuique contra alterum, pro suo iure procedere.

Ioanis Regis per subditos, fidelibus Ferdinandi, & è contra, illata damna, neces, iniuriæ, consopita & extincta sunt.

Iniuriæ post obitum Ioannis Regis illatæ iure prosequi possunt.

Donationes vtriusque Principis iusto titulo factæ, & legitimè apprehensæ, in suo vigore permaneant. ART. XX.

QVONIAM autem super donationibus bonorum, aut iurium possessionariorum, per sacram Regiam Maiestatem, tàm de bonis scilicet præfati quondam Ioannis Regis hæreditarijs, quàm etiam alienis, & è contra, per eundem Ioannem Regem cuius factis, diuersæ controuersiæ suboriri posse videbantur, quæ vnionem præsentem facilè disrumperent. Visum est Ordinibus ac Statibus Regni ita statuere, vt donationes omnes, quæ per Maiestatem eius, alicui quouis iusto titulo, excepta videlicet defectione siue adhæsione Ioanni Regi facta, de quibusuis bonis factæ sunt, quorum scilicet bonorum dominum donatarius legitimo processu, vel per legitimam concordiam apprehendit & tenet, in suo vigore permaneant: non obstante, quòd ea bona per Regem Ioannem alteri alicui donata fuissent. Et è contra quæ donationes per Ioannem Regem datæ sunt, iusto titulo, & aliter, quam per adhæsionem ad Regiam Maiestatem, in suo vigore similiter permaneant: non obstante, quòd eadem bona per Regiam Maiestatem alteri fuissent collata. De quibus etiam Ioannis Regis donationibus, possint, qui voluerint, confirmationem impetrare à Regia Maiestate.

Donationes Ferdinandi Imperator.

Donationes Ioan. Regis.

Donationes vtriusq; Regis iusti tituli, nondum apprehensæ, in quibus Comitatibus robur habeant. ART. XXI.

SVPER donationibus verò per alterutrum Regem cuiuis, præmisso legitimo titulo, factis, quarum vigore donatarij dominum talium bonorum assequi non potuissent, sed adhuc penderent, conclusum est, vt donationes Ioannis Regis, super bonis in partibus Transyluaniæ, & Comitatibus, Bihoriensi, Orodiensi, Chongradiensi, Chanadiensi, Szarand, Bekes, Thorontaniensi, Themesiensi, Szolnak exterioris, & Szörimiensi, habitis, defectu seminis, aut alio titulo legitimo, & à Diuis Regibus obseruato, emanatæ, ac debito tempore, per legitimam statutionem executæ, non obstante donatione Regiæ Maiestatis, super talibus bonis in eisdem locis facta, robur habeant, & earum vigore suis modis recuperari queant, per eos quorum interest. In reliquis verò omnibus Comitatibus & partibus Regni Vngariæ, donationes Regiæ Maiestatis legitimo titulo factæ, non obstante quauis Ioannis Regis danatione, suum habeant vigorem, & per eos quorum interest, recuperari possint suis modis.

Adde huc Poson. Ann. 63. art. 37.

Ioannis Regis propria bona, ART. XXII.

SIMILITER etiam de bonis quondam Ioannis Regis proprijs & hæreditarijs statutum est, vt quicunque penes donationem vnius vel alterius Regis, per legitimam statutionem, in pacifico dominio est aliquorum Ioannis Regis propriorum bonorum, in

Bona Ioan. Regis.

in illis permaneat. Contentiones autem, si quæ ratione huiusmodi aliquorum bonorum, inter donatarios quoscunque quoquomodo suboriri possent, Maiestas sua superinde in proximè futuro Conuentu, clementer se deliberaturam obtulit, quid sit faciendum.

Donationes Reginæ Isabellæ, & eius filij, ac aliorum irritæ sint. ART. XXIII.

Isabellæ Reginæ, &c. donationes.

QVIA verò ab obitu quondam Ioannis Regis, nullus in Regno Vngariæ, vel partibus illi subiectis, præter serenißimam Maiestatem Regiam, legitimus Rex fuit, cui videlicet authoritas donandi bona vel vlla iura possessionaria, quouis titulo ad Coronam ab antiquo pertinentia, aut deuoluta esse potuissent: statutum est, vt donationes omnes, quæ nomine serenissimæ Reginæ Isabellæ, vel eius filij, vel Episcopi quondam Waradiensis, vel Petri Petrowith, aut alterius cuiusquam, super bonis ad Coronam pertinentibus, vel deuolutis, aut etiam super alienis bonis, quouis pacto aut titulo emanatæ, nullius sint vigoris, nisi illæ iam per Regiæ Maiestatis Commissarios, proximo anno ad Transyluaniam, cum pleno (vt dicitur) mandato delegatos, vel aliter per eius Maiestatem fuissent confirmatæ, vel in posterum confirmarentur: saluis tamen (vt moris & iuris est) iuribus alienis. Venditiones autem & emptiones bonorum in prædictis locis, ab obitu ipsius Ioannis Regis, coram Capitulis, vel alijs personis authenticis, iuxta consuetudinem & leges Regni, legitimæ factæ, suis modis in vigore permaneant. Iudicia autem per præfatum Episcopum Varadiensem, si quæ per iuridicos processus finem sortita sunt, maneant in suo vigore: ita tamen, vt si qui in huiusmodi causis decisis iniuriam sibi illatam putarent, novum iudicium in illis impetrare, & eas virtute noui iudicij resuscitare posint, non obstante, quod ibi quoque nouum iudicium obtentum, & per illud causæ reuisæ & decisæ forent, perpetuumque sit silentium impositum. Ita tamen, vt hæc alterius noui Iudicij petendi constitutio, generali Decreto, de nouo iudicio semel tantum concedendo, non deroget in alijs causis, coram suis Iudicibus ordinarijs vertendis & adiudicandis. Illæ verò causæ quæ indecisæ mansissent, in eodem, in quo nunc sunt, statu, reassummi, & in illis iure procedi possit coram Iudicibus suis ordinarijs.

Frat. Georgij Iudicia.

Nouum Iudicium.

Palatino creato, vniuersæ causæ, etiam veteres, aliter verò solitæ tantum iudicentur.
ART. XXIIII.

CVM autem nullæ soleant esse constitutiones publicæ, adeòque frustra fiant, nisi postmodum obseruentur, & nisi in earum transgressores, iure mediante animaduertatur: & alioqui etiam nullum tempus iusticia vacuum, oportere esse videatur. Statutum est propterea, vt creato Palatino, vniuersæ causæ, non solùm videlicet de quibus reuidendis & adiudicandis in proximis Conuentibus fuit conclusum, sed veteres etiam, atq; ante obitum serenißimi quondam Ludouici Regis piæ memoriæ, Octaualibus suis antiquis terminis iudicentur. Quòd si fortè Maiestati Regiæ in præsentia Palatinum pronunciare non placeat, nihilominus reliquæ causæ omnes, secundùm priores, & præsentem constitutionem, à primo videlicet Conuentu Nouizoliensi, ad hunc vsque diem factas, modis ac terminis in eisdem Conuentibus, eorumque articulis expresis iudicentur.

Ludouici Regis ante obitū ortæ causæ.

Ecclesiastica Iudicia, præter quam tempore belli, continò fiant, & inuocato brachio Regali executioni demandentur. ART. XXV.

Sopr. ann. 53. art. 22. Poson. an. 56. art. 35. ann. 57. art. 9. an. 63. art. 27. ann. 67. art. 28.

Brachium Regale.

IVDICIA etiam Ecclesiastica, processusque per censuras, per Iudices Ecclesiasticos fieri, inuocatoque auxilio brachij sæcularis, ad effectum perduci continuè debeant, modo & ordine super his ab antiquo obseruato: ita tamen, vt quo tempore sæcularia iudicia propter bella celebrari non possunt, etiam Ecclesiastica iura sileant.

Iudicia de rapinis & violentijs, etiam in bello fiant. ART. XXVI.

PRÆ-

PRÆTEREA, quia ſæcularia iudicia, modo præmiſſo celebranda, propter inſtantem expeditionem, inchoari forte nunc non poterint; ne per intermiſſionem omnium iudiciorum, multa malorum genera committantur, ſtatutum eſt, vt latrocinia, violentiæ, occupationesque bonorum, cum quinque caſibus, à die creationis moderni domini Locumtenentis patratæ, per Regiam Maieſtatem, vel præfatum dominum Locumtenentem, Iudicesque Regni ordinarios ſecum exiſtentes, tàm vſque ad expeditionem, quàm in ipſa etiam expeditione continuentur. Tranſmiſsiones verò, exnunc, atque omni tempore iudicentur. Iudicia verò Locumtenentis die decimo quinto, à feſto Diui Georgij inchoëntur, & ſemper continuenrur. *Tranſmiſſi: Locumtenentis iudicia.*

Cauſæ continuè iudicentur, & executioni demandentur. ART. XXVII.

STATVTVM eſt etiam, vt ſi qui bona aliena, iuxta conſtitutiones vel præſentis, vel præteritorum Conuentuum, vſque ad terminum ſuperius declaratum non remitterent, ſupremique Capitanei, Waiuoda, Banus, aut Comes Themeſienſis, vel ipſi Comites aut Vicecomites Comitatuum, progreſſus executionesque ſuper his conſtitutas ob aliquos reſpectus facere negligerent, tales cauſæ ſimiliter continuè per Regiam Maieſtatem, vel per dominum Locumtenentem, cum Iudicibus Regni ordinarijs, in ſede iudiciaria Regiæ Maieſtatis continuè iudicari, & executioni poſtmodum mandari poſsint, contradictione, inhibitione, & repulſione non obſtante.

Cauſæ viduarum. ART XXVIII.

CAVSÆ etiam viduarum, & aliorum, ratione dotis ac rerum paraphernalium motæ, vel mouendæ, modo præmiſſo continuè iudicentur in iudicijs Locumtenentiæ.

Decimæ quomodo arendentur. ART. XXIX.

DECIMAS in inferioribus Comitatibus, qui nunc ad obedientiam Regiæ Maieſtatis accellerunt, eodem modo atque ordine arendari oportere ſtatutum eſt, qui ſuper huiuſmodi arendatione, in ſuperiori Conuentu Poſonienſi fuerat conſtitutus, & in articulis eius Conuentus extat expreſſus. In Tranſyluania autem, iuxta veterem eius prouinciæ conſuetudinem, arendatio earundem decimarum fiat. *Poſon. Ann. 48, art. 61.*

Maieſtas Regia veteres libertates ac priuilegia Regnicolarum obſeruare dignetur. ART. XXX.

CÆTERVM cum ſacra Regia Maieſtas, ſupplicantibus identidem fidelibus Ordinibus ac Statibus Regni, vt veteres libertates ac priuilegia ipſorum clementer obſeruare dignaretur, in ſuperioribus Conuentibus benignè aliquoties reſponderit, ſeſe ſupplicationis ſuorum fidelium in ea re clementem eſſe habituram rationem, vbi Regnum hoc ſuum aliquando in vnionem rediret. Poſtquam diuina clementia, quod iam dudum Maieſtas ſua, pariter atque eius fideles, ſummis ſemper votis exoptarunt, vnio & concordia inter ipſos eſt tandem conſecuta, nec quiſquam eſt ex Vngaria, qui Maieſtatem ſuam pro Rege & Principe ſuo legitimo non agnoſcat: ſtatutum eſt, Maieſtate ſua ad nouiſsimam eorundem Statuum ſupplicationem id annuente, vt vniuerſæ libertates omnium Ordinum ac Statuum Regni ſui Vngariæ, & partium illi ſubiectarum, tam ſcilicet in his, quæ ad conſilium, quæque ad Cancellariam & ſigillum Vngaricum, & vniuerſarum expeditionum, prouentuumque Vngaricorum adminiſtrationem pertinent, quàm etiam ſuper Magiſtratibus, Triceſimis, cæterisque officijs in Regno Vngariæ conſeruandis: præterea bonis ac iuribus poſſeſsionarijs, nec non Prælaturis, alijsque Eccleſiaſticis beneficijs, locis etiam depoſitionum mercium, pro liberis ac montanis Ciuitatibus, mercimonijsque, tàm per internos, quàm externos exercendis, omnium denique immunitatum veterum genere tuendo, clementer à ſua Maieſtate impoſterum conſeruentur, & per eadem conſeruari ab alijs, quorum intereſt, curentur. Et quia tam repentè Maieſtas ſua certos Præfectos & Caſtellanos arcium, in manibus ſuæ Maieſta- *Confirmatio libertatū Regni. Confer. Poſon. Anni 1537. ar. 29.*

Castellani externæ nationis homines ad arcium custodiam deputentur.

Maiestatis, intra Regnum existentium, quibusdam de causis amouere non posse asseruit: contenti, sunt Status & Ordines Regni, vt iuxta suæ Maiestatis deliberationem, Castelani quidem ipsi externi ad arcium tantummodo custodiam gerant curam. Verùm Prouisores & administratores prouentuum, Nobiles ex Vngaria præficiantur, per quos sine vicinorum damno vel iniuria reditus illi administrentur. Quòd si contingeret nihilominus, per externos quoscunque Præfectos vel officiales, Nobilibus, aut alijs violentias damnaq; in Regno inferri, tales non minus quam indigenæ officiales Regij, in præsentiam Iudicum Regni ordinariorum euocari possint, ijdemq; in ius eorum vocati, coram Iudicibus ipsis Regni ordinarijs comparere, & sese defendere teneantur. Ac si demum rei esse comperti fuerint, Majestas sua, vigore sententiæ talis per Iudices latæ, eos intra & extra Regnum puniri, & damnificatis per eos hominibus satisfieri clementer curabit, vti clementer obtulit, quando tales in Regno non habeant bona.

Externi Præfecti & officiales iure conueniri possunt in Regno.

Externi officiales iudicijs Regni subiaceant. ART. XXXI.

Externi officiales.

CONTENTI sunt etiam Status & Ordines Regni, vt fodinarum ac minerarum cultura, per officiales eius rei peritos, etiamsi externi fuerint, curari possit; ijdem tamen judicatui Iudicum Regni ordinariorum, ratione violentiarum & damnorum, si quæ cuiquam inferrent, subiaceant, modo & ordine in proximo articulo declarato, & secundùm sententiam Iudicum, modo præmisso puniantur. Idem autem, de quibusuis etiam officialibus, in Tricesimis, qui dominos & Nobiles, vel alios quoscunque, contra priores constitutiones, eorumq; libertates vexarent, est obseruandum.

Maximilianus cum plena authoritate in Vngaria permanere dignetur. ART. XXXII.

CÆTERVM, quemadmodum Maiestas sua ad supplicationes fidelium suorum tàm prioris, quàm præsentis Conuentus, clementer obtulit, vel ipsa, vel serenissimus, Rex Maximilianus, filius suus, cum plena authoritate, in Vngaria maiorem temporis partem permanere dignetur.

Arces ad Austriam impignoratæ redimantur. ART. XXXIII.

PRÆTEREA, supplicant Ordines & Satus, vt quemadmodum Maiestas sua cum Prouincialibus suis Austriacis tractare proposuit, in negocio restitutionis arcium ad Austriam olim impignoratarum, ac ad Regnum Vngariæ pertinentium, ita cum ipsis tractare dignetur, vt aduenientibus primis Comitijs in Vngaria celebrandis, id quod in ea re pro iusticia fuerit decernendum, possit tandem decerni. De tredecim quoque oppidis, ad Regnum Poloniæ inscriptis, & etiam de arce Arua, vel per Maiestatem suam, vel per Vngaros aliquos, ex Consensu suæ Maiestatis redimenda, Maiestas sua, vti clementer obtulit, cum suis Consiliarijs Vngaris tractare & concludere dignetur.

Oppida ad Poloniam impignorata redimantur.

Metarum Regni negotia, & alia, in consilio discutiantur. ART. XXXIIII.

SVPPLICANT etiam Ordines & Status Regni, dignetur Maiestas sua iam tandem in negotio metarum Regni, & aliarum differentiarum, in omnibus partibus, iuxta reuisionem determinationemq; Commissariorum, per eius Maiestatem ab vtraq; parte ad id delectorum, ad Maiestatem suam demum reiectam, in consilio Vngarorum, & aliorum, quorum interest, discutere ac terminare, vt & Maiestas sua, ea cura aliquando liberetur, & omnes discordiarum cum vicinis fomites tollantur, mutuaq; inter se omnes vicini amicitia & pace viuant.

Telonia sicca & noua tollantur. ART. XXXV.

TELONIA sicca & denuo erecta, iuxta constitutiones priorum Conuentuum, Maiestas Regia penitus tolli iam tandem iubere dignetur, in omnibus Regni Comitatibus.

Fodinarum

Fodinarum nouarum erectio. ART XXXVI.

QVOD autem ad nouarum fodinarum erectionem attinet, Regia eius Maiestas, Decretis generalibus ac priuilegijs Statuum & Ordinum, quæ super ea re, à prædecessoribus Maiestatis suæ habere dignoscuntur, non contrauenire, sed illa obseruare, vti clementer obtulit, dignetur,

Aurum & argentum extra Regnum non educantur. ART. XXXVII.

PRÆTEREA, cum in eodem veteri Decreto expressè cautum sit, ne quis cuiuscunque Status, nationis, aut conditionis existat, aurum vel argentum conflatum, ac non cusum, aut in monetam non redactum, è Regno quouis modo, vel quauis de causa possit educere, sub pœna amissionis eiusdem auri vel argenti, ac aliarum rerum, atque etiam detentionis personarum huiusmodi eductorum; dignetur Maiestas sua clementer vbique mandare, ne quis subditus vel Officialis suus, aut alius quicunque, aurum argentumue audeat è Regno educere, ne in pœnam Decreti supradicti incurrat.

Comites iurent in Comitatibus, alioqui officio priuentur. ART. XXXVIII.

ITEM Comites in singulis Comitatibus, iuxta veterem consuetudinem, prioresq; constitutiones, coram Comitatu iuramentum præstent, & qui hactenus post tot constitutiones iurare contempserunt, officio Comitis priuentur, & eorum loco alij præficiantur. Quòd si qui coram Regia Maiestate iurassent, literas super ea re offerant ad Comitatum, alioqui in Comitatu (vt præmissum est) iurent, & secus non acceptentur ad honores Comitum, sed conferantur honores ipsi, ijs qui iurarint.

Comitatuum membra distracta, in suum corpus redigantur. ART. XXXIX.

ITEM Comitatuum membra, per hæc disturbiorum tempora distracta, in suum corpus redigantur, sicuti Heuesiensis, Hontensis, & alij,

Nobiles vnius sessionis, per violentos in suam ditionem recepti, libertatibus restituantur. ART. XL.

ITEM Nobiles vnius sessionis, per quoslibet violentos, his disturbijs, in eorum ditione violenter compulsi, in suam libertatem restituantur, vt illi quoque bellica, atque alia quoque onera publica, pro Regni defensione, instar aliorum Nobilium ferre possint.

Capitula vel Conuentus, nisi ad minus quinq; personas Ecclesiasticas habuerit, exequutiones facere non possit. ART. XLI.

STATVTVM est præterea, vt in Conuentibus vel Capitulis, vbicunque ad minus quinque personæ Ecclesiasticæ non fuerint, ad executiones exire, & ea aliaue quæ officiorum eorum sunt, in negotijs publicis Regni administrandis gerere non possint; sed Capitula illa, in quibus complures morantur iugiter presbyteri, vbique ad loca propinquiora procedere, in executionemque exire possint, ne propterea in executione iusticiæ defectus contingat,

Prælatura, beneficia Ecclesiastica, ac officia Baronatus, Vngaris conferantur. ART. XLII.

PRÆLATVRAS, & alia beneficia Ecclesiastica in Regno vacantia, sua Maiestas, vti clementer obtulit, primo quoque tempore, Vngaris benemeritis & Ecclesiasticis conferre dignetur, similiter etiam Baronatuum officia.

Malefactores publici puniantur. ART. XLIII.

PVBLICI malefactores, iuxta priorum Conuentuum publicas constitutiones, in omnibus Comitatibus perquiri & puniri possint.

Iudicia Cassouiæ celebrentur. ART. XLIIII.

De celebratione iudiciorum Cassouiæ, pro viginti octo Comitatibus Maiestati Regiæ nominatis, Maiestas sua clementer resolutionem facere dignetur.

Nobiles profugi, & alij qui in domibus suis tuti non sunt, in Ciuitates recipiantur.

ART. XLV.

Nobiles in Ciuitatibus domos emant. sine Ciuitatum præiudicio.

SIMILITER etiam de mandato dando omnibus Ciuitatibus suæ Maiestatis, liberis & Montanis, vt Nobiles profugi, & alij qui hoc turbulento tempore in locis apertis domi tuti esse non possunt, in Ciuitatibus, hospitijs competentibus recipiantur, & domos etiam emere posint, sine tamen præiudicio libertatis Ciuitatum.

Moneta parua in liga octo lotonum, aurea verò in valore priori cudatur.

ART. XLVI.

Moneta noua gradu octo lotonum cudatur.

POSTREMO, quod ad monetæ nouæ cusionem attinet, posteaquam Regia Maiestas Ordines ac Status Regni certiores facere dignata est, cusionem nouæ illius monetæ, cuius ligam & valorem in scriptis eisdem Ordinibus proposuit, in eadem liga octo lotonum, qua primo cusa est: Monetam etiam auream, in eodem valore, quo prius erat, cudi debere, & tantum commodum ipsis allaturam, vt post hæc per omnia Regna & dominia vicina, moneta Vngarica, monetæ Germanicæ adæquata, eodem vbique valore cum Germanica, indifferenterque expendi debeat; vnde toti Regno non mediocre emolumentum sit redundaturum: Status & Ordines Regni, ad benignam suæ Maiestatis admonitionem, iuxta superioris Conuentus deliberationem, in hanc nouæ monetæ cusionem consenserunt, nihilominus moneta Vngarica, quæ hactenus in liga Cremniciensi cusa est, etiam deinceps semper, vsque quo durabit, in suo vero veteri valore, vbique in Regno Vngariæ, sine damno Regnicolarum capiatur & recipiatur.

CONCLVSIO.

NOs igitur supplicatione præmissa dictorum fidelium nostrorum, dominorum Prælatorum, Baronum ac Nobilium, aliorumq; Ordinum ac Statuum huius Regni nostri Vngariæ, & partium ei subiectarum, clementer admissa, prædictos vniuersos & singulos articulos, modo præmisso nobis præsentatos, præsentibus literis nostris de verbo ad verbum inseri & inscribi fecimus, eosdemq;, ac omnia & singula in eis contenta, ratos, gratos & accepta habentes, eisdemque nostrum Regium consensum beneuolum, pariter & assensum præbuimus, ac illos, & quæuis omnia in eis contenta, nostra Regia authoritate acceptauimus, approbauimus, ratificauimus & confirmauimus, offerentes nos clementer, quòd præmissa omnia, in omnibus punctis, clausulis & articulis, tàm nos ipsi inuiolabiliter obseruabimus, quàm per alios fideles subditos nostros, cuiuscunque status & conditionis existant, obseruari faciemus: imò acceptamus, approbamus, ratificamus & confirmamus, harum nostrarum vigore & testimonio literarum mediante. Datum Posonij, Vigesima sexta die mensis Martij, anno Domini, Millesimo, Quingentesimo, Quinquagesimo secundo: Regnorum nostrorum, Romani Vigesimo secundo, aliorum verò Vigesimo sexto.

FERDINANDI IMPERATORIS
DECRETVM, ANNO DOMINI M. D. LIII.
Sopronij editum.

NOs FERDINANDVS, diuina fauente clementia Romanorum, Vngariæ, Boemiæ &c. Rex, semper Augustus, Infans Hispaniarum, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ &c. Memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes quibus ex-

expedit vniuersis: quòd domini Prælati Barones, Nobiles, cæterique Ordines ac Status, fideles subditi huius Regni nostri Vngariæ, & partium ei subiectarum, in præsenti generali Conuentu, pro Dominica Quasimodo, anno Domini, Millesimo, Quingentesimo, Quinquagesimo tertio celebrato, congregati, exhibuerunt & præsentauerunt nobis humiliter infrascriptos articulos, in Conuentu ipso communibus omnium ipsorum votis conclusos, adpropositionem nostram eis factam respondentes: supplicaruntq; nobis humiliter, vt vniuersos & singulos articulos ipsos, omniaq; & singula in eis contenta, ratos, gratos, & accepta habentes, nostrumq; Regium consensum eisdem præbentes, authoritate & potestate nostra Regia, acceptare, approbare & confirmare, atque tàm nos obseruare, quàm per alios omnes obseruari facere dignaremur. Quorum quidem articulorum tenor talis est.

Comitia cuius rei causa indicta sint. ART I.

CVM sacra Regia Maiestas, dominus noster clementissimus, inter cætera propositionis suæ argumenta, in hoc Conuentu fidelibus suis Ordinibus ac Statibus Regni sui Vngariæ, facta, dignata sit exponere, ideo se illos huc conuocandos duxisse, vt mutuis cum eis consilijs, mutuaq; deliberatione, de his tractet concludatq;, quæ ad communem vtilitatem, salutem ac defensionem eorum viderentur spectare, eosq; hortatur ad ea omnia alacriter præstanda quæ difficilimis temporibus præstari debere, pro salute propria liberorum ac coniugum intelligunt. Agunt hoc nomine fideles Ordines ac Status sacræ eius Maiestati gratias immortales, effecturi, vt & Maiestas sua, & omnes homines intelligant, ad extremum vsque eorum spiritum, Vngaros maiorum gloriæ, dulci patriæ, sibi denique ipsis, suæq; libertati ac saluti minimè defuisse.

Expeditioni viritim, penes Regem, aut eius filium, & eodem apparatu, quo anno præterito constitutum in Dieta fuit, interesse Regnicolas statuitur. ART. II.

ET licet tot tantisq; cladibus, tot calamitatibus, per omnes passim Regni partes proximis annis acceptis, parum iam supersit, quod vel eius Maiestas ab ipsis paucis fidelibus suis magnopere exoptare, vel ipsi de se possint polliceri: eodem tamen quo semper fuerunt animi ardore, eadem constantia, in his quæ ad eorum defensionem spectant, offerunt penes personam sacræ suæ Maiestatis, vel serenissimi Regis Maximiliani eius filij, domini eorum clementissimi, in expeditionem prodeuntis, viritim, ijsdemq; apparatibus præstò semper affuturos, quibus in superioris anni Conuentu fuerat constitutum: & quibus apparatibus eodem anno superiori instructi, sacræ eius Maiestatis, quæ propter grauissimos Christiani orbis tumultus aliò se conferre fuit coacta, felicem aduentum, secundùm gratiosam eius oblationem, diu expectarunt, nulla interim occasione prætermissa, diuersis in locis insurgentes, seque promptos offerentes, penes Capitaneos & gentes suæ Maiestatis, vt si ita DEO optimo maximo placuisset, vt conatibus hostium resisteretur, cladesque acceptæ auerterentur, nihil per ipsos vsquam prætermissum fuisse, sacræ eius Maiestati persuasum esse confidant.

Expeditioni generali, Rex aut eius filius personaliter intersit: Indutiarum negotia cum consilio Vngarico tractentur: Maximilianus Rex cum sufficienti mandato paterno in Vngaria maneat. ART. III.

SVPPLICANT autem eidem humilimè, vt Maiestas sua Regia, vna cum serenissimo charissimoque filio suo Rege Maximiliano, quantum ad superiori anno institutam expeditionem attinet, pro statu atque conditione rerum ac temporum, de eadem ita cogitare dignetur, vt cum suscipienda fuerit, in ea, vel vterque, vel alter, iuxta Maiestatis suæ benignam oblationem, omnino prodeat. Et de huiusmodi expeditione, alijsque negotijs ad defensionem & conseruationem Regni pertinentibus, tractatuq; induciarum, inter Maiestatem eius Regiam, & Principem Turcarum, firmandarum, cum Consiliarijs suis Vngaris, quoquo tempore conferre, & de eorum consilio, quæ

 Regni

Regni huius sui salutem & commodum concernunt, suscipere & exequi: necnon vel ipsa Maiestas eius Regia personaliter, vel saltem præfatus serenissimus Rex Maximilianus, cum sufficienti mandato Maiestatis suæ in Regno Vngariæ, & in locis eidem propinquioribus, continuè, iuxta clementem Maiestatis suæ oblationem, persistere dignetur. Cum ex absentia Regum, pacatis etiam, nedum calamitosis his temporibus, ingentes clades sæpenumero euenisse Regno facilè constet, id quod Maiestas sua iam experimento didicit: quemadmodum ista clarius, copiosiusq; Maiestati suæ ab Ordinibus & Statibus Regni, publicè & priuatim fuerunt sæpenumero explicata.

Expeditionis particularis apparatus. ART. IIII.

Particularis expeditio.

SVPER particulari autem expeditione statutum est, vt si quæ hostilitas in Regno emerserit, qua vel arx obsideretur, vel excursio aliqua, depopulatioque in longinquiorem partem, iusti exercitus specie, à Turcis fieret, quorum conatibus Capitanei supremi, alterue eorum, cum gentibus suæ Maiestatis sese opponere necessarium esse ducerent: penes personam eorundem Capitaneorum Regni supremorum Vngariæ, alteriusue eorum, domini & Nobiles, qui periculo fuerint viciniores, ad mandatum eiusdem Capitanei supremi, ex singulis eorum vigintiquinque colonis, singulos equites, totidemque pedites, bene armatos & ad bellum instructos: Nobiles verò vnius sessionis, ex singulis quinque curijs integris Nobilitaribus, singulum vnum equitem suis sumptibus dimittere, & aut ipsi proprijs quoque personis similiter in bellum, penes eosdem Capitaneos supremos Vngariæ alterumue eorum prodire, aut loco sui quisque equitem armis rectè instructum, qualiter scilicet loco personæ suæ mitti deceat, expedire, & quamdiu necessitas, periculumque illud postulauerit, ad quod arcendum insurgere iussi fuerint, tenere, atque eorum impensis, in quibus nullus sit defectus, alere teneantur, sub pœna in Decreto generali super his expressa: videnturque propterea gentes huiusmodi per singulos Comitatus iugiter conscriptæ, & eorum, qui fuerint electi, numerus, apud Vicecomites annotatus esse debere, vt ad primam requisitionem, vel Regiæ Maiestatis, vel domini Locumtenentis, aut supremi Capitanei, quocunque opus fuerit, armati penes Capitaneum ipsum, & gentes Regiæ Maiestatis præstò adesse queant sine cunctatione. Vtq; propterea ex singulis Comitatibus Capitanei istiusmodi gentium constituantur, quibus facta per Vicecomites lustratione & præsentatione ipsarum gentium, integro numero subdantur. Neque teneantur ipsi Vicecomites personaliter in expeditionem exire, propter alia negotia ipsis domi incumbentia: sed ijdem Capitanei curam gerant, sub eadem pœna generalis Decreti, ne quis defectus in numero apparatuue huiusmodi copiarum contingat, durante ipsa expeditione particulari. Supplicant autem Ordines & Status suæ Maiestati, de quo antea quoque multoties supplicarunt, vt sua Maiestas supremos Regni Capitaneos, vltra citraque Danubium, vltraq; Tybiscum, qui Vngaris præsint, Vngaricæ nationis, virosq; militares, ac qui status & conditionis cæterorum sub ipsis militantium rationem habeant, constituere dignetur, atque eis instructionem dare super modo atque ordine leuandi huiusmodi gentes Comitatuum: vt videlicet habita certa & vera exploratione, de periculis aliquibus præmissis imminentibus, deq; hostium eruptione, ad deuastationem alicuius Regni partis, aut arcis obsidionem, non ad leues & ferè continuos quoscunque rumores, gentes ipsas dominorum ac Comitatuum excitent ad arma; quandoquidem insurrectio huiusmodi, quantumuis particularis, sine grauibus sumptibus Regnicolarum, incommodoque miserorum colonorum fieri non potest. Maiestasque sua statuere & decernere dignetur, ne externi Præfecti, si qui sunt, authoritatem & potestatem habeant leuandi gentes dictorum dominorum & Comitatuum, vel eis in expeditione quauis ratione imperandi, præter libertates Regni, veteremque consuetudinem ab antiquo obseruatam.

Capitanei in Comitatibus constituantur.

Vicecomites in expeditionem non uadant.

Capitanei Vngari præficiantur, cum instructione Regis de leuandis gentibus.

Comitatuum copiæ non leuentur ad leues rumores.

Externi, gentes Comitatuum non leuent.

Coloni

Coloni ad operas arcium gratuitas non cogantur: Milites victualia sine precio non auferant, bonaq; Regnicolarum sibi in Thimaros, more Turcarum, non obscribant, nec distribuant. ART. V.

STATVTVM est etiam denuo nunc, ne in posterum coloni vsquam locorum ad vlla opera quarumuis arcium, vel fortaliciorum, quocunque tempore, per Maiestatem suam, aut eius Officialem, vel Præfectum quempiam gratis adigantur. Quandoquidem nulla ratione, multis atque iisdem grauissimis calamitatibus oppressi, ad extremamq; prope ruinam iam redacti, huiusmodi labores, quos scilicet proximis annis ferre coacti sint, amplius subire possunt: & Regnum hinc in vastitatem redigi, DEIq; indignationem procul dubio in dies augeri constat. Supplicant autem Maiestati Regiæ Ordines & Status, vt & constitutionem ipsam, prout nunc quoque firmiter ac clementer obtulit, obseruari facere, & insuper prouidere dignetur, ne milites suæ Maiestatis vsquam locorum ex eorum stationibus aut præsidijs, vel in transitu violentiam in miseros colonos exerceant, resq; eorum aut victualia, pabulum & pecora, violenter & sine precio auferant, cessentq; ab iniurijs & nefarijs illis facinoribus, de quibus summatim expositum est Maiestati suæ. Neque Turcarum in morem villas atque oppida sibi in Thimaros conscribant, ac pro libito possideant. Et si qui secus fecerint, in eos sacra eius Maiestas grauissimè animaduertat, in exemplum reliquorum. De illatis etiam damnis, per eosdem suæ Maiestatis milites, sacra eius Maiestas, ex stipendio militum (habita de damnis huiusmodi certiori cognitione, ad quam Maiestas sua quam primùm mittere, & eam tandem executioni mandare gratiosè velit) satisfieri curare, & iniurias, violentiasq;, & facinora illa inaudita, impune minimè præterire dignetur. Nam alioqui nisi hæc puniantur, nec DEI ira poterit auerti, neque vllæ, quantumuis firmæ constitutiones, poterunt habere progressum. Non recusant autem Status & Ordines, quin pro munitione locorum finitimorum, coloni sponte laborare volentes, conduci mercede queant: eo tamen ordine & modo, qui Viennæ obseruatur. Non dubitant enim Ordines & Status, quin vbi compertum fuerit, & rumor exierit, solui in dies singulos laboris mercedem, eam scilicet mercedem, quæ Viennæ laboratoribus numeratur, nec cuiquam iniuriam aut oppressionem fieri, inuitis etiam dominis, complures ad necessaria opera, in omnia loca confluant. Qui tamen si pro necessario numero aliquando deessent, vi non compellantur, sed sacra Regia Maiestas, & vicinis Regnis ac prouincijs laboratores huiusmodi conducendos curare dignetur: cum externi ad operas, vltrò in Regnum sæpenumero, mercedis consequendæ causa, ingredi soleant.

Subsidium duorum florenorum administretur in duobus terminis. ART. VI.

SVPER contributione autem anni præsentis, Status & Ordines Regni, Maiestatis Regiæ imperio voluntatiq;, quod eius fieri potest; cum summo etiam eorum grauissimoq; incommodo obtemperare volentes, ad florenum illum cum dimidio, qui in superiori Conuentu, in præsentem annum eius Maiestati fuerat oblatus, atq; restantias superioris anni subsidij, quas vndique ex omnium bonis, in quibus nondum esset exactum, administrari debere constitutum est, medium florenum Vngaricum, hoc anno addendum censuerunt. Ita vt eiusmodi duo floreni, ex singulis eorum colonis, integræ scilicet sessionis, nullis exemptis, præter solos domesticos dominorum ac Nobilium mercenarios, secundùm videlicet superioris anni ordinationem, duobus terminis, videlicet pro primo termino, ad festum Beati Laurentij proximè futurum, pro secundo verò ad festum Beatæ Catherinæ subsequens, sacræ eius Maiestati, ad gentes alendas, aliasq; necessitates, & ad arcium munitionem, operasq; conducendas, quæ hoc modo, per vniuersalem contributionem omnibus cedent, æqualiter contribuant. Connumeratio autem huiusmodi subsidij sicubi facta est, iam hoc anno secundùm il-

lam exigatur: ſicubi verò facta non eſt, fiat iuxta priorem conſtitutionem. Nec domini Camerarij contrariam inſtructionem dare debeant: & ſi dederint, non obſeruetur.

Religionis & decimarum negotium, relinquitur in ſtatu priori. ART. VII.

CÆTERVM, quod ad religionem & decimas Eccleſiarum, proarbitrio dominorum Prælatorum arendandas atttinet, Status & Ordines Regni paucis reſpondent, ſeſe in his, quæ ad religionem ſpectant, nihil diſſentire ab ijs, quæ proximis Conuentibus ſuper ea re tractata & concluſa, ac per ſacram Regiam Maieſtatem approbata & confirmata fuerant: quemadmodum ſuper his plura in articulis eorundem Conuentuum extant conſcripta. Quandoquidem, ſi quid etiam in his ipſi vellent innouare, nullam Comitatuum nuntij ea de re authoritatem ſibi à ſuis fratribus, a quibus huc ſunt delecti, conceſſam habent. Arbitrari autem æquum eſſe, vt Prælati, ſecundùm contenta articulorum prædictorum Conuentuum, maximè autem anni, Milleſimi, Quingenteſimi, Quadrageſimi octaui; & Sæculares quoque in omnibus officio eorum ſatisfaciant. Si qui autem contra ipſos Prælatos, & concionatores ab eis delectos, auſu temerario palàm inſurgere, & ipſos vituperijs, contumelijs verberibus, aut nece afficere, vel Eccleſias DEI, in contemptum Diuinæ Maieſtatis deſtruere, diripere, prophanare & ſpoliare, imaginesq; in Eccleſijs frangere, aut incendere præſumerent, tales comperta rei veritate, pro delicti meritò, iure mediante, per eius Maieſtatem puniantur, modo & ordine ſuper his in articulis prædicti Conuentus, anni Milleſimi, Quingenteſimi, Quadrageſimi octaui expreſſo.

Catholicorum concionatorum conuiciatores & uerberatores, Eccleſiarum ſpoliatores, deſtructores, prophanatores, imaginum fractores.

Decimas ſuas Eccleſiaſticæ perſonæ, quibus volunt, pacto vel conſtituto precio, locare poſſunt. ART. VIII.

SVPER modo etiam & ordine arendationis decimarum, punitioneque eorum, qui eas violenter auferrent, tametſi domini Prælati, qui huic Conuentui interſunt, domini etiam Barones maiori ex parte, ſanctiſsimam Maieſtatis Regiæ in hac quoque parte propoſitionem eſſe cenſent, vt ſcilicet quocunque poteſt pretio, decimas ſuas cuiuis Eccleſiaſtico locare liceat: quemadmodum etiam Sæcularibus res ſuas proprias permiſſum eſt vendere, vt poſſunt. Ideò propoſitioni ipſi, vti in ea expreſſum eſt, firmiter inhærent. Quandoquidem, etiamſi ſuperioribus annis aliquid in contrarium fuiſſet ordinatum, longè diſpar ratio ſit temporis præſentis, multoq; maiorem gentium numerum, intra & extra arces, defenſionem Regni, Prælati atque alij Eccleſiaſtici cogantur continuè alere. Verùm, ne anſam ipſi nunc præbuiſſe videantur tumultibus, diſsidijs, varijsq; malis, quæ ex hac conſtitutione, in hac perturbatione rerum ſecutura eſſe, à dominis Nobilibus iudicatum eſt. Volentes etiam cum eorum incommodo, publicæ quieti vtilitatiq; conſulere, quantum pro eorum perſonis, conſentiunt hac vice in hoc, vt vſque ad proximè futurum generalem Conuentum, in priori ſtatu ſuper hac arendatione decimarum permaneatur. Proteſtantes nihilomnius ſacræ Regiæ Maieſtati ſolenniter, id ſe pro malis huiuſmodi euitandis, quæ ipſi Regnicolæ commemorant, & ad tempus ſolummodo præſcriptum, proq; eorum ſolis perſonis, de ſuo iure concedere. Nam contra iuramentum eorum, ſuper non dilapidatione bonorum & prouentuum Eccleſiarum præſtitum, contraq; ſanctorum Canonum conſtitutiones, à priſcis temporibus ſemper obſeruatas, nulla ratione ſe in in aliam conſtitutionem conſentire poſſe, ijdem Prælati apertè confirmant. Et quicquid nunc faciunt, ſponte in fauorem Nobilitatis, communiſque concordiæ cauſa, pro iſta ſaltem vice ſe facere.

Proteſtatio ſtatus Eccleſiaſtici ſuper arendatione decimarum.

Beneficia Eccleſiaſtica conferantur, & ius patronatus, qui ſe in Eccleſijs habere prætendunt, illud producant. ART. IX.

PROBATVR etiam Ordinibus & Statibus, vt quemadmodum ſacra Regia Maieſtas hortatur benignè fideles ſuos, penes quos beneficia aliqua ſunt Eccleſiaſtica, ad limi-

limitationem suæ Maiestatis, viris dignis, & ad Ecclesiastica munia idoneis, ad idque iam delectis & nominatis, ea relinquant libera. Aut si ipsi ius patronatus in eis prætendunt, illud producant coram suâ Maiestate, & de suis manibus nihilomninus ea tradant viris Ecclesiasticis, neque diutius patiantur Ecclesias ipsas, suis legitimis carere pastoribus.

Colonorum transmigratio, vsq; ad futura Comitia, in priori statu relinquitur.
ART. X.

DE transmigratione autem colonorum statutum est, vt vsque ad proximè futurum generalem Conuentum, in pristina constitutione permaneatur. In quo tandem Conuentu, si præmissa mala, præmissásq; violentias & oppresiones miserorum colonorum non cessasse interim Ordines & Status intellexerint, tum tandem communibus consilijs, quod magis visum fuerit expedire, frequentioriq; quam nunc Regnicolarum cætu, commodius poterit decerni. *Admissa anno 1556.*

Colonus diebus quadraginta, toto anno domino suo seruiat, excepto labore arcium finitimarum. ART. XI

VT tamen coloni ipsi interim aliquantulum respirent ab oppresione, & leuamen aliquod sentiant malorum, sanxerunt Status & Ordines, vt loco quinquaginta duorum dierum, quibus ex priori constitutione seruire dominis suis hactenus fuerant obligati, quadraginta tantum dies inposterum seruiant: excepto tamen eo, si quis dominus aut Nobilis, pro munitione arcis suæ finitimæ, eorum seruitijs atque operibus diutius vti cogeretur: qua in re domino eorum opem ferre, colonis graue videri non debet, quod ad suum proprium commodum, æquè ac dominorum, in ea munitione sint laboraturi.

Vini educillandi per colonos modus. ART. XII.

AD modum etiam & ordinem super educillatione vinorum, quæ inter colonos fieri debet, antea constitutum, hoc addi debere visum est, & priusquam colonus, cui vinum ad educillandum imponitur, vinum ad se adducat, Iudex eius loci, in quo colonus vinum educillaturus moratur, vinum prægustet: & si malum vinum esse, indeq; nimis damosam eius educillationem colono futuram pronunciarit, non teneatur colonus illud abducere: quòd si vi compellatur, liceat ei, quo libuerit, ex eius domini bonis transmigrare.

Coloni migratio fieri possit, vno Iudice nobilium & iurato præsente, præstito coram eis iuramento, per migraturum colonum cum duobus suis municipibus
ART. XIII.

ET quia in priori constitutione cautum erat, ne aliter colonus, præter modum à suo domino oppressus abire posset, quam adhibitis sex testibus, & Iudice nobilium cum tribus alijs Iuratis Nobilibus, per quos dimitteretur; pergraue autem compertum esset miseris colonis, tot testes, totq; Nobiles, necessariò semper ad eorum eliberationem adhiberi. Propterea visum est, inposterum ad probationem grauaminis, impetrandamq; licentiam à domino, sufficere vnicuique colono migrare volenti, vnum iuratum Nobilem, cum vno Iudice Nobilium penes se assumere, & vt coram eis ipse colonus migraturus, cum duobus eiusdem villæ ciuibus & incolis, de iusta querimonia sua iuramentum præstare debeat, ad quorum iuramentum colonus dimittatur.

Damnum, quod colonus domicilium mutaturus à priori domino, præter ius & æquum accepit, potest iuris ordine requiri in sede Comitatus, per dominum ad quem migrauit. ART. XIIII.

QVONIAM autem, nulla erat antea constitutio de refusione damnorum, si quæ cuiquam colonorum, per eius dominũ indebitè & illegitimè illata fuerint, quorũ damno-

rum causa abire compulsus foret, sed simpliciter, vt abire liceret, permissum erat, modo & ordine in ea re descripto: nunc & experientia, & ratione etiam æquitateq; adducti, Ordines & Status constituerunt, vt postquam is colonus, qui fuerit abire permissus, ad alterius se bona contulerit, liceat nouo domino, ad quem migrauerit, pro damnis colono, à priori domino indebitè & illegitimè illatis, coram Comitatu, iure veterem dominum conuenire, seruatisq; de iure seruandis, habita legitima probatione Comitatus, in prima instantia, iudicium & iusticiam in ea re, citra violentiæ pœnam, facere debeat, semotaq; omni appellatione, ad restitutionem illati damni, prout sententia lata fuerit, prior ipse dominus compellatur. Liceatque de his omnibus iure agere, quæ similia post superioris anni Posoniensem Conuentum, vsque ad hunc diem acciderunt, vel deinceps contingerent.

Decretum reformetur, per Status Regni rectè examinetur, examinatum Rex recognoscat, tunc approbet & confirmet. ART. XV.

QVOD verò ad reuisionem reformati Decreti attinet, in præsenti Conuentu faciendam, cum maioris ea res momenti visa esse sit, quam vt minimo negotio, breuiq; temporis spacio, & inter cæteras nunc curas absolui queat: statutum est, vt ad festum Beati Lucæ proximè futurum, ex singulis Comitatibus, vnus vel alter Nobilis, ad id vnum duntaxat pertractandum concludendumq;: similiter & ex Transyluania, Sclauoniamq;, nec non ex singulis Capitulis, Ciuitatibusq; potiores quinque, sumptibus eorum, posonium deligantur: per quos ita delectos, præsentibus ibidem authoribus reformationis, nec non Iudicibus ordinarijs, aut eorum Protonotarijs & vicesgerentibus, reuisio ista omnis diligenter & accuratè recognosci, & prout ex vsu Regni & iusticia fuerit esse visum, concludi, & sacræ Regiæ Maiestati clementer acceptanda & reuidenda proponi debeat, quam etiam Maiestas sua reuideat, & recognoscat. Et postea in proximo Conuentu generali, denuo cum fidelibus suis Statibus perlegat, & quæ vlterius discutienda & concludenda fuerint, de eorum consilio discutiat, & prout maturius visum fuerit, agat & concludat, ac ita demum eiusmodi reformationem absolutam, authoritate sua Regia approbet, confirmet, & promulget. Ac præfatos quidem delectos, sine alia vocatione, ad id operis, ad diem locumq; præscriptum conuenire debere, in hoc ipso Conuentu est omnium approbatione conclusum.

Equitum salarium menstruum Vngarici floreni tres, peditum floreni duo. ART. XVI.

CÆTERVM quod ad salaria annua militum attinet, in potestate vniuscuiusq; positum esse constitutum est, quanti quisq; ad stipendia sua milites conducere, & quo salario in annum sibi eos seruire velit, aut possit: cum quibus tamen, cum in expeditionem educuntur, obseruetur illa solutio, quæ in proximi anni Conuentu Posoniensi fuit conclusa. Super stipendio autem in singulos menses persoluendo, his qui salario carent, & in continuam militiam menstrua tantum solutione conducuntur, visum est, ternos Vngaricos florenos, semper initio mensis soluendos singulis equitibus. Peditibus autem, duos debere persolui, solutionemque ipsam, in singulos menses, nulla ratione debere intermitti. Nam hinc maximæ violentiæ existimantur accidere, de quibus superius est commemoratum, quod per multos sæpe menses, milites nullam solutionem accipiant. Quod si Regiæ Maiestatis militibus, ob diuersas sæpè causas à Maiestate sua expositas, in singulos semper menses solui non poterit, interim nihilominus ab iniurijs ac damnis colonis inferendis abstineant, vti sæpius est iam dictum.

Adde Noui-zol. ann. 42. art. 50.

Victualium limitatio. ART. XVII.

SVPER limitatione etiam victualium in his locis, in quibus gentes, vel apud confinia, vel alibi sunt castrametatæ, stationemue habent, certus ordo veteri de more constitutus, vt scilicet secundùm prouentum annonæ, Præfectus earum gentium, adhi-

bitis ex Comitatibus vicinioribus Vicecomitibus, mutuis consilijs & deliberatione eorum, certum ratumque, tàm scilicet militibus, quàm colonis tolerandum, cuique rei, & commeatus generi, precium limitet: iuxta quam limitationem victualia coëmantur, vendanturque: ita, vt neque militibus defectus, neque miseris colonis ex ea re contingat oppresio. Nec dubium est hoc modo, quin vbique locorum militibus Regiæ Maiestatis satis suppetat commeatus omnis generis, ac vili precio, si modo à violentijs & iniurijs temperarint. Et si qui sine precio auferrent aliquid, illicò puniantur. Si quis tamen exercitus, nationis cuiusuis externæ, tàm equitatus, quàm peditatus, profectus, vel sicubi castrametatus fuerit, non Capitaneus talium externarum nationum per se, sed Capitaneus Vngariæ, qui in illis partibus fuerit, hanc limitationem faciat, modo prædeclarato. In Transyluania autem Waiuoda, ac in Sclauonia Banus, hanc limitationem modo similiter prædicto, facere debent.

De Tricesimis & Tricesimatoribus. ART. XVIII.

PORRO quod ad exactionem Tricesimarum attinet, constitutum est, vt quilibet dominorum ac Nobilium, exactores Tricesimarum in sua bona admittere non recuset: ita tamen, vt loco eorum locorum, quæ nondum in potestatem hostium deuenerunt, vel quæ manifesto periculo non sunt exposita, Maiestas sua, alia Tricesimarum loca nusquam constituere, imò si aliò fuissent deducta, illa ad pristinum locum, prout ab antiquo ea loca obseruata, & in Decreto etiam Regni expressa sunt, reducere dignetur: atque insuper & Tricesimatores, qui vbique Vngari constituantur, in huiusmodi bonis, absque iniuria vel damno domini eius loci in quo fuerint, eiusque subditorum, suum officium exerceant. Neque quenquam dominum aut Nobilem, pro his rebus, quas in vsum eorum, secundùm necessitatem cuiusque dominorum ac Nobilium transuehendas, curare solet. De alijs etiam rebus, de quibus antehac nunquam Tricesimam per quempiam solui mos fuit, vt puta, pullis, anseribus, & in genus rebus minutis, infra valorem vnius floreni, neminem cuiusuis status: neque de pecoribus ad macellum, vel ob aliam causam, de vno loco ad alium intra Regnum abactis, Tricesimam soluere, prout hactenus, summa cum indignitate iniuriaq;, cogant. Ac neque de inductis, vel eductis, maiorem Tricesimam, quam proximis annis fuerat communi Regnicolarum consensu constitutum: neque etiam alienum debitum, nisi fide missionem fecisset, quispiam soluere cogatur. Constat autem satis grauem pœnam in eos esse constitutam qui priuati vsus nomine, mercaturam exercerent, ac quæstum facerent, vel aliter fraudem in Tricesimis committerent, aut etiam violentiam Tricesimatoribus inferrent. Videturque proinde, vt domini Nobiles, vel eorum potiores officiales, cum pro rebus huiusmodi ad eorum vsum miserint, literas suas patentes tradere vectoribus debeant: quibus literis per Tricesimatores visis, res transire permittantur.

Tricesimatores admittantur in bona omnium.

Tricesimarum vetera loca, extra Turcarum ditionem, non mutentur.

Tricesimatores Vngari sint.

Tricesimæ ex quibus rebus non exigatur.

Tricesima non augeatur.

Libertates Regno seruentur. ART. XIX.

SVPPLICANT autem Ordines & Status Regni Maiestati Regiæ, vt quemadmodum Maiestas sua sæpenumero obtulit, iuraq; & libertates Regni postulant, dignetur tàm Tricesimatores, quàm cæteros officiales Regni, prouentuumq; Vngaricorum administratores, nec non Præfectos arcium, & aliorum locorum in Regno Vngaros, ac non externos constituere: cum ex publicis querelis multoties iam intelligat Maiestas sua, quantis iniurijs & damnis afficiantur Regnicolæ ab externis huiusmodi officialibus, propterea quòd nulla in Regno bona habentes, iure se à quopiam conuinci, vel pœnam pati non posse sciant: indignumq; insuper videatur, eosdem externos, literas quoque ipsas suæ Maiestatis sub Vngarico sigillo confectas, & Regni Iudices palàm contemnere. Quæ omnia in detrimentum Regni, libertatumque Regnicolarum, non mediocri iniuria ac damno fiunt, vti latius sæpè Maiestati suæ est expositū, Si quæ autem

Vngari officiales in Regno constituantur.

Externi officiales, cur non admittendi.

Tricesimatorum ac aliorum officialium Regiorum Iudices.

controuersiæ super exactione Tricesimarum aut super alijs negotijs, inter Tricesimatores, aut alios Regios officiales, in Regno quouis modo suboriantur, non ad Cameram Aulicam, vel dominos Regentes & Camerarios Austriacos reuisio earum reijciatur, sed per dominum Locumtenentem & Consiliarios Cameræ Vngaricæ, discutiantur & finiantur.

Iudicia generalia, & Locumtenentis celebrentur. ART. XX.

SVPER celebratione autem iudiciorum statutum est, vt illa generalia iudicia, quæ per hos annos fuerant adiudicata, tàm Cassouiæ, quàm etiam Posonij postea quoq; suis terminis, prout in proximè præterita Dieta Posoniensi fuerat conclusum, adiudicentur: & quòd ea quoque negotia, quæ similiter iuxta eandem proximam constitutionem Posoniensem, authoritate Locumtenentiæ, continuè adiudicari decreta fuerant, & anno præterito etiam inchoata, sed obsesso, ac capto Vesprimio, intermissa exstiterant, pro festo ad vincula beati Petri Apostoli proximè venturi, iudicentur, & triginta duobus diebus continuentur. Super his autem omnibus violentijs, quæ post expugnatum anno superiori Vesprimium, à festo Pentecostes tunc præterito, in hunc vsque diem, quæque posthac etiam vbicunque, & per quoscunque fuerint perpetrata, fiat ex nunc iudicij & iusticiæ administratio, absque omni intermißione, demptis solummodo vacantijs, quæ tempore meßis & vindemiæ vbique semper fieri solent: dominusque Locumtenens, vna cum Iudicibus ordinarijs, vel eorum Vicesgerentibus, aut Protonotarijs, secum omnino, vel in parte Posonij continuè existentibus, statim, facta per quempiam citatione, ad quindecimum diem, vt moris est, partibus ipsis, vel legitimis procuratoribus eorundem, eodem quinto decimo die adueniente, comparentibus, vel forte alicuius partis contumacia vel absentia non obstante, in talibus iudicium & iusticiam facere, & sententiam ferre, eamq;, seruatis legitimis proceßibus, debitæ etiam executioni demandare debeat & poßit.

Locumtenentiæ Iudicia, durant 32. dies.

Vicesgerentes & Protonotarij Iudicum ordinariorum penes Locumtenentem continuè Posonij sint.

Bona occupata nondum remissa, præmissa citatione, ad quos pertinent, ijs adiudicentur, restituanturq;, inhibitione & repulsione non obstante. ART. XXI.

Adde Nouizol. ann. 42. art. 8. & 15. & 20. Poson. ann. 42. art. 1. 2. 4. 5.

SVPER bonis etiam & Iuribus possesionarijs, quæ iuxta publicas priores constitutiones, tum etiam iuxta nouißimam proximè præteriti anni in Conuentu Posoniensi factam conclusionem, illis, ad quos pertinent, remitti debebant, & quæ hactenus fortaßis remissæ non sunt, similiter habita superinde ad quindecimum diem citatione, absque intermißione, continuè, prout in eodem Conuentu Posoniensi fuera conclusum, fiat iudicium. Et eadem bona, absque omni inhibitione & repulsione illis, ad quos pertinent, restituantur: causæ etiam Transmißionales similiter sempe adiudicentur.

Ecclesiastica iudicia, secundùm Canones, continuè iudicentur. ART. XXII.

Poson. ann. 52. art. 25. ubi etiam de brachio Regali. ann. 56. art. 35. ann. 57. art. 9. ann. 63. art. 27. Maximil. an. 67. art. 28.

IVDICIA etiam Spiritualia, continuè secundum Canones, quibus ab antiqu Ecclesia vsa est, continuentur, in omnibus causis forum Ecclesiasticum concernentibu

Tallerorum & denariorum Vngaricorum cusio. ART. XXIII.

CÆTERVM, cum propter commodum Regnicolarum, quò scilicet in externi etiam locis moneta Vngarica exponatur, & pro euitandis sumptibus, qui alendo nu mero cusorum monetæ, non mediocres fieri in Camera Maiestatis suæ debent, hor tata sit Maiestas sua Ordines & Status, vt media pars argenti in Cameram prouen entis, in talleros, & medios talleros eiusdem ligæ, cuius Viennenses talleri sunt, c datur. Probatum est ab Ordinibus & Statibus, iuxta adhortationem suæ Maiest tis, vt vsque ad alium proximè futurum generalem Conuentum, media pars argent modo præscripto, in talleros integros ac medios: reliqua verò dimidia pars, in so tos denarios Vngaricos, ac pars etiam aliqua in filleros cudatur. Ita videlicet, vt ta leri, ac medij, sub his signis, atque ea impreßione vtrinque cudantur, quæ in arti culi

culis anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi est descripta: aduertatq; iuxta consuetudinem veterem, dominus Reuerendissimus Strigoniensis, & eius Pisetarius, ne quis error aut fraus in cusione huiusmodi, & ferramentis, iuxta veterem consuetudinem, & Ecclesiæ suæ priuilegia, committatur. Quòd si vsque ad præfatum proximum Conuentum, non inutilis, neque damnosa Regnicolis hæc tallerorum cusio visa fuerit, poterit ea etiam inposterum continuari. Supplicant autem Regnicolæ, vt Maiestas sua dignetur prouidere, ne argentum non cusum extra Regnum exportetur, præter veterem Regni libertatem. Et si qui id clam facere fuerint depræhensi, pœna super his Decreto expressa, per ablationem argenti puniantur, sine respectu cuiusque personæ. *Pisetarius.*

Librorum Hæreticorum editio & impreßio. ART. XXIIII.

QVOD verò de editione impreßioneq; † erroneorum librorum per Maiestatem suam mentio facta est, Status & Ordines supra ea re, pro parte ipsorum nihil statuere potuerunt, cum in eorum bonis nusquam id fieri sibi constare affirment. *† Al: hæreticorum.*

Agriensium militum in subsidium, qui in obsidione arcis perseuerarunt, denarij decem contribuuntur. ART. XXV.

CÆTERVM, cum milites ab obsidione Agriæ, proximis mensibus, DEI optimi maximi clementia liberati, magna ex parte in oppugnatione, grauibus acceptis vulneribus multisq; corporis membris, partim amissis, partim mutilatis, aliena ope ad quærendum victum indigeant, digniq; sint propterea ipsi omnes, qui vniuerso Regno profuerunt, vt ab omnibus item in vniuersum liberalitatem sentiant, pleriq; etiam Nobiles & militares viri, qui & antea, & proximo anno viriliter pugnantes, in captiuitatem Turcorum redacti, quo se redimant non habentes, Statibus & Ordinibus Regni supplicarunt, vt subsidia aliqua ad eorum eliberationem generaliter conferre velint. Ideò Ordines & Status, habita vtriusque hominum Ordinis pia ratione, statuerunt intra se, accedente ad hoc benigno suæ Maiestatis consensu, vt penes duos florenos superius descriptos, duobus terminis Maiestati Regiæ conferendos, decem denarij Vngarici, sub eadem connumeratione, & singulis eorum colonis exigantur, quinque videlicet denarij singulo quoque termino, administrenturq; ad manus eorum, quos ipsi tàm Agrienses, quàm captiui, ad distributionem inter se huiusmodi subsidij deputarint, modo & ordine in ea re obseruato, vt quisq; ex ea pecunia pro suo statu & conditione, ea meritò accipiat, quemadmodum latius inter Regnicolas ea de re fuit tractatum ac conclusum. Nobiles tamen ipsi, in subsidium huiusmodi, decem denarios integrè ex bursis eorum proprijs persoluere, & ad festum beati Lucæ proximum, per eos, quos ad reformationem Decreti reuidendam sunt missuri Posonium, ad manus Rationistæ Cameræ suæ Maiestatis, Ladislai videlicet literati de Mossowcz, aßignari facere obtulerunt, per eundem Rationistam, tàm Agriensibus, quàm captiuis, præmisso modo, diuidendos.

Literæ & priuilegia apud Comitem Eckium existentia, ijs ad quos spectant, restituantur ART. XXVI.

PRÆTEREA, cum intelligatur, quòd quamuis certa priuilegiorum & literarum in arce Posoniensi repositarum quantitas, per dominum quondam Comitem à Salmis, superioribus annis, ex constitutione Regnicolarum fuerat aßignata: restarent tamen adhuc nonnulla, apud eius hæredes ac seruitores qualitercunq; retenta, vnde non mediocris iactura, defectu huiusmodi priuilegiorum, aliquibus fidelibus suæ Maiestatis posset euenire. quemadmodum etiam nonnulla bona ab eius Maiestate impetrata hoc modo fuisse circumfertur. Propterea supplicant Ordines & Status, dignetur sua Maiestas seriò coram mandare domino Comiti Eckio à Salmis, & eius officialibus

arcis

arcis Posonienfis, hic existentibus, vt si quæ alia priuilegia, vel literæ aliorum quorumpiam dominorum ac Nobilium penes ipsos, in prædicta arce Posoniensi, aut alibi sub eorum potestate essent, eas omnes absque mora assignent fideliter ad manus domini Locumtenentis, aut coram eius Maiestate, vel ijs, quos sua Maiestas ad id deputandos duxerit, iuramentum præstent, nulla se habere priuilegia in potestate sua, in prædicta arce Posoniensi, aut alibi, neque de alijs apud eos relictis quoquomodo constare, quemadmodum Maiestas sua facturam se obtulit clementer.

Telonia sicca tollantur. ART. XXVII.

TELONIA sicca, & alia in bonis quorumuis indebitè erecta, iuxta priorum Conuentuum constitutiones, vbique tollantur.

Reuisiones differentiarum inter Vngaros & vicinas prouincias, ac Poloniam fiant. ART. XXVIII.

SVPER complanandis etiam differentijs, inter Vngariam & Austriam redemptioneque arcium Küszegh, & aliarum ad Austriam, superioribus annis ab Vngaria oppignoratarum, iuxta deliberationem Commissariorum Maiestatis suæ, & supplicationem Regnicolarum super his factam: præterea super reuisione differentiarum, inter Vngariam & Styriam, nec non inter Sclauoniam & vicinas prouincias suæ Maiestatis hæreditarias, atque etiam de Commissarijs, ad reuisionem metarum, & aliorum negotiorum, inter Vngariam & Poloniam, deque redemptione tredecim oppidorum à serenissimo Rege Poloniæ, nec non super differentiarum reuisione, quæ inter nonnullos Nobiles Scepusienses, & ipsa tredecim oppida, à certo tempore vertuntur, Maiestas sua iam tandem finem facere dignetur, quemadmodum eadem se facturam obtulit.

Ciuitates liberæ & Montanæ, de mercibus Telonium non soluant. ART. XXIX.

PRÆTEREA cum liberæ, & etiam septem Regiæ Maiestatis Montanæ ciuitates, superiorum partium, contra ipsarum comprobata priuilegia, & libertates vetustas, in aliquibus locis iniustè & indebitè ad solutionem Teloniorum cogantur, arestentur, & vexentur. Supplicant Ordines & Status, vt earum priuilegia, per omnes omnium Statuum & Ordinum homines, Maiestas sua inuiolatè obseruari facere dignetur, & nullum Telonium ab ipsis, tàm de rebus & mercibus inuehendis, quàm euehendis exigatur. Et vt villulæ quoque ciuitatum Montanarum, quæ à Diuis quondam Regibus, in subsidium earundem ciuitatum, & culturæ operosæ & sumptuosissimæ sunt reseruatæ, & quæ prius dicam in medio Comitatus non persoluerunt, in earum libertatibus permaneant. Vtque loca depositionis mercium, quæ in Regnum inducuntur, eadem sint, quæ ab antiquo esse solita fuerunt, obseruenturque in ea re vniuscuiusque ciuitatis priuilegia: quemadmodum Maiestas sua, visis etiam iuribus fidelium suorum, ex vicinis suis prouincijs, quod iustum & æquum fuerit, super mercium depositione, pro vtriusque partis iuribus se obtulit facturam.

Ciuitatum montanarum villulis sua libertas seruetur.

Comitatuum honores Vngaris conferantur; & arx Lanser per Vngarum quempiam redimatur. ART. XXX.

SVPPLICANT etiam, vt sacra Maiestas sua, honorem Comitatuum Soproniensis, & Mosoniensis, & aliorum, quem hactenus domini Germani tenuerunt, Vngaris suis fidelibus conferre dignetur, & clementer insuper permittere, vt arx Lanser, quæ in Vngaria est, nec à Regno diuelli debet, pro deposita per aliquem Vngarum pecunia, ad Vngariam redimi queat: quemadmodum Maiestas sua, habita cum dominis Consiliarijs suis Vngaris super ipsa arce matura consultatione, ita se deliberaturam obtulit, ne quisquam cóqueri iustè possit. Sperant autem Ordines & Status, dominos Con-

siliarios

filiarios id in ea suæ Maiestati consulturos, quod ex Regni Vngariæ libertatibus ac iuribus fuerit. Tam autem dictorum, quàm aliorum Comitatuum Comites, iuxta formam in Decreto Regni expressam, iuramentum præstare teneantur. Si qui autem Comites Comitatuum, coram Regia Maiestate se iurasse dixerint, testimonium authenticum, super præstito huiusmodi iuramento, adferant in medium Comitatus, & sic officium eorum exerceant.

Comites corã Rege adiurati, literas depositi iuramenti ad Comitatum suum adferant

CONCLVSIO.

NOs igitur supplicatione præmissa dictorum fidelium nostrorum, dominorum Prælatorum, Baronum ac Nobilium, aliorumq; Ordinum ac Statuum huius Regni nostri Vngariæ & partium illi subiectarum, clementer admissa, prædictos vniuersos & singulos articulos, modo præmisso nobis præsentatos, præsentibus literis nostris de verbo ad verbum inseri & inscribi fecimus, eosdemq;, & omnia ac singula in eis contenta, ratos, gratos, & accepta habentes, eisdem nostrum Regium consensum beneuolum, pariter & assensum præbuimus, & illos, ac quæuis in eis contenta, nostra Regia authoritate acceptauimus, approbauimus, ratificauimus, & confirmauimus: offerentes nos clementer, quòd præmissa omnia, in omnibus punctis, clausulis & articulis, tàm nos ipsi inuiolabiliter obseruabimus, quàm per alios fideles nostros, cuiuscunque status & conditionis existentes, obseruari faciemus: imo acceptamus, approbamus, ratificamus, & confirmamus, harum nostrarum vigore & testimonio literarum. Datum in Ciuitate nostra Sopronienſi, die decima nona mensis Maij, anno Domini, Millesimo, Quingentesimo, Quinquagesimo tertio: Regnorum nostrorum, Romani Vigesimo tertio; aliorum verò Vigesimo septimo.

FERDINANDI IMPERATORIS DECRETVM, ANNO DOMINI M. D. LIIII.

Posonij editum.

NOS FERDINANDVS, diuina fauente clementia, Romanorum, Vngariæ, Boëmiæ, &c. Rex, semper Augustus, Infans Hispaniarum, Archidux Austriæ, &c. Memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes quibus expedit vniuersis: quòd domini Prælati, Barones, Nobiles, cæteriq; Ordines ac Status fideles subditi huius Regni nostri Vngariæ, & partium ei subiectarum, in præsenti generali Conuentu, pro primo die mensis Martij, anno Domini, Millesimo, Quingentesimo, Quinquagesimo quarto, celebrato, hîc Posonij ex edicto nostro congregati, exhibuerunt & præsentauerunt nobis humiliter infrascriptos articulos, in Conuentu ipso, communibus omnium ipsorum votis conclusos, ad propositionem nostram eis factam respondentes: supplicaueruntq; nobis humiliter, vt vniuersos & singulos articulos, omniaq; & singula in eis contenta, ratos, gratos, & accepta habentes, nostrumq; Regium consensum eisdem præbentes, authoritate & potestate nostra Regia acceptantes, approbare & confirmare atq; tàm nos ipsi obseruare, quàm per alios omnes, quorum interest, obseruari facere dignaremur. Quorum quidem articulorum tenor talis est.

Gratiarum actio Regi, pro paterna Regiaq; pietate. ART. I.

IMPRIMIS, fideles Ordines & Status Regni Vngariæ, agunt atque habent sacræ Regiæ Maiestati, domino eorum clementissimo, gratias immortales, pro omni paterna cura & solicitudine, quam sua Maiestas ad defensionem, conseruationem, & tranquillitatem eorundem fidelium suorum, sese & hactenus adhibuisse, & inposterum omni tempore adhibituram clementer obtulit, vicissimq; offerunt sese omni fide & obedientia, prout fideles & obedientes subditos decet, omni loco & tempore inseruituros, Maiestatiq; suæ hanc eius in ipsos clementiam promereri curaturos, non parcentes rebus, fortunis, & vitæ etiam eorum propriæ.

Milites non permittet Rex, quantumuis insolutos, violenter aliquid auferre, aut ad incisam victualia à colonis accipere. ART. II.

AGVNT etiam gratias sacræ eius Maiestati, quòd sua Maiestas, & coram, & scripto dignata est clementer significare fidelibus ipsis suis, sibi omnia illa damna, omnesque violentias, & alia facinora, quæ à militibus suæ Maiestatis, tàm internis, quàm externis, in plerisq; Regni locis hoc anno, in bonis ipsorum Ordinum & Statuum illata ac patrata esse, eorum publica supplicatione intellexit, maximoperè displicuisse ac displicere, quodq; benignè obtulerit, atq; sæpius eisdem fidelibus suis affirmauerit, non solùm prohibituram se in posterum, & opportuna remedia adhibituram, ne quid huiusmodi impunè accidat: verumetiam de præteritis diligentem inquisitionem, simul & debitam damnificatis hominibus quibusuis satisfactionem, ac iustitiæ contra huiusmodi violentos homines, opportunam, pro eorum demeritis, administrationem, re ipsa fieri curaturam: neq; permissuram, vt posthac milites sui, vel cuiusquam alterius, quantumuis insoluti, ad incisam, seu certum quemuis computum, prout hoc anno factum est in multis locis, victualia accipere, aut res vllas à colonis, vel alijs quibusuis hominibus impunè auferre queant.

Regnicolæ, Regi subsidium offerre parati. ART. III.

DEINDE, quòd sacra Maiestas sua, commemoratis necessitatibus prægrauibus, ac sumptibus, quos quotidiè ad finitimorum locorum conseruationem & munitionem, atque in gentes, in campos aduersus hostium insultus alendas facit, subsidium sibi aliquod à suis quoq; fidelibus Regni Vngariæ præstari postulauit, quemadmodum ex alijs quoque Regnis ac prouincijs suis præstatur. Ordines & Status Regni, licet innumerabilibus incommodis, grauibusq; anxietatibus, tot iam annos, communi & domestica etiã hostilitate inter eos grassante, oppressi, ac penè iam ad nihilum redacti, colonisque eorum proximis his annis, peste, fame, ac gladio, ita iam attritis, vt plerisque vix præter seminudum corpus quicquam supersit: vt tamen etiam extremis rebus omnia, etiam supra vires penes obedientiam suæ Maiestatis, & pro salute ac conseruatione ipsorum, dulcisque patriæ ab eis non recusari omnibus hominibus palàm sit, subsidium hoc quoque anno Maiestati suæ infrascripto modo decreuerunt.

Subsidium duorum florenorum offertur. ART. IIII.

VT duo floreni Vngarici, duobus terminis, videlicet pro primo termino, festo Natiuitatis Beati Ioannis Baptistæ, secundo verò, festo omnium sanctorum, proximè futuris, in bonis omnium Ordinum ac Statuum, post connumerationem denuò iam statim vbique faciendam, exigantur, administrenturq; in manus Dicatorum, vel aliorum huiusmodi hominum, ex Camera Maiestatis suæ ad id deputandorum. Singulo videlicet termino, singuli floreni persoluantur vbiq; à colonis omnibus, vsque ad sex florenorum valorem res habentibus: & ex integris tantum portis seu sessionibus integris censualibus, etiamsi duos, tres vel plures inhabitatores continuerint. Combustæ verò & nouæ domus non dicentur. Et qui coloni Turcis quoque subiecti sunt, dimidium tantummodo huiusmodi subsidij soluere teneantur. Dicatoresq; qui ad connumerationem huiusmodi subsidij emitti debent, iuramento solius iudicis eius loci, in quo connumerationem facere debebunt, super supradictis omnibus sint contenti. Ita tamen, vt quantum ad colonos Turcis subiectos attinet, si Dicatores iuramento iudicum contenti esse voluerint, à Iudicibus Nobilium, qui cum ipsis in connumeratione, iuxta veterẽ consuetudinem, esse debebunt, sub eo iuramento ac fidelitate, ad quã alioqui sunt obstricti, de veritate certiores esse possint: & ipsi Iudices Nobilium, de quibuslibet colonis, qui in suo processu Turcis subiecti sunt, fateri teneantur sub eodem iuramento. Libertini verò nulli ab huiusmodi contributione sint exempti, prçter eos, qui in propria solutione victu & amictu continuo dominorum sunt, vel eidẽ, equis, aut alio genere mercedis seruiunt. Eodem autem connumerationis tempore, & per eosdem inquisitores, vbique diligens & fidelis,

Dica soluatur à colonis sex florenos valentes res habentibus.

Combustæ, & nouæ domus non dicentur.

Iuramento iudicum, Dicatores quoad connumerationem sessionum sint contenti.

Libertini quales nõ dicentur

& fidelis fiat inquisitio,etiam de præterita dica Sopronienſi, quantum ſcilicet ex quoq; loco Dicatores perceperint: & tandem inquiſitio huiuſmodi in Cameram Maieſtatis ſuæ afferatur,vt de præterito etiam ſubſidio veritas cognoſcatur. Et quod reſiduum extare compertum fuerit,citra moram exigatur. Ac quia Maieſtas Regia Statibus & Ordinibus Regni obtulit,gentes tam externas,quàm etiam Vngaricas, de bonis ipſorum Statuum, in quibus hactenus pro eorum libitu, ſine vlla ſolutione ad inciſam vixerunt, atque indies viuunt,amouere,& ad eorum ſtationes traducere, vbi ſine colonorum, aliorumq; fidelium damnis, ſeruitijs eorum incumbere poſſint; Vngaros quidem infra quatuordecim dies, Hiſpanos verò infra tres hebdomadas ad ſummum,à quinta videlicet die menſis Aprilis. Et inſuper Commiſſarios delecturam, qui vna cum deputatis adhoc idem per Status Regni hominibus, inquirant in omnibus locis, quid cuiq; damni ab ipſis militibus illatum ſit in victualibus, vel alijs rebus ſine pretio ablatis: vtque deputati per Status Regni homines,huiuſmodi rationi, quando per Regiæ Maieſtatis Cõmiſſarios cum colonis ſubducetur, interſint ac videant, qualiter per eoſdem Regios Commiſſarios,ſi quæ differentiæ inter milites & colonos,ſuper æſtimatione victualium acceptorum, aliorumque damnorum perpeſſorum emerſerint, quod iuri & æquitati conſonum fuerit, determinabitur,qualiterque ipſis de huiuſmodi victualibus ſine ſolutione datis, damniſque perpeſſis, tempore ſolutionis militum ſatisfieri debeat,cognoſcant: ſicut & Regia Maieſtas ſe benignè obtulit, quòd ipſis omnimodam ſolutionem & recompenſationem impendere curabit. Status Regni huiuſmodi benignæ oblationi Regiæ conſentientes,id à ſua Maieſtate, iuxta eandem gratioſam oblationem, humiliter expectant, vt & milites ipſi, præmiſſo modo, intra præſcripta paucorum dierum ſpacia,ex omnium bonis,ſine cuiuſquàm in eorum diſceſſu onere vel grauamine, ad eorum ſtationes proficiſcantur, ibiq;,ſine cuiuſquam vel violentia, vel damno, ſeſe impoſterum contineant,nec amplius ad bona alicuius victuri ſine pretio reuertantur,præterquam dum in aliquam expeditionem proficiſcentur: quo tempore etiam in progreſſu ipſarum gentium & exercitus,damna præcaueant. Et ſi fortè ad reuiſionem ſatisfactionemq; damnorum,Commiſſarios, præmiſſo modo,aliqua de cauſa nõ expediri ſub hoc tempore,infra videlicet diſceſſum militum, contingeret, aut etiam ad loca Regni longinquiora,vbi item proximis menſibus non vulgaria damna illata,& violentię patratæ eſſe dicuntur, tales Commiſſarij tàm breui tempore emitti non poſſent, tunc Dicatores ſuæ Maieſtatis,qui ad connumerationem primi ſubſidij præmiſſo modo fuerint emiſſi,per ſingulos Comitatus, vna cum deputatis ad id ex ijſdem Comitatibus hominibus,diligenter ac fideliter,in omnibus oppidis, villis ac pagis inquirere debeant & teneantur,de huiuſmodi damnis,per milites quoſuis ſuæ Maieſtatis ſub hoc paucorũ dierũ ſupradictorum ſpatio illatis: factaq; huiuſmodi fideli ac diligenti inquiſitione,ad quam tàm Dicator,quàm Nobiles per Comitatus deputandi,ſint iuramẽto obſtricti, tempore exactionis ſubſidij,de his quidem damnis,quæ his paucorum dierum ſpatijs vbiuis, tam Nobilibus,quàm ruſticis illata fuiſſe comperientur,vel fortaſſis etiam poſtea vſq; ad cõnumerationis tempus inferentur, damnificatis hominibus de ſubſidio eius loci, in quo damna ipſa fuerunt illata,ſatisfactio impendatur illicò. Quòd ſi non ſufficeret eius vnius loci ſubſidium ad ea damna refundenda,tunc ex viciniorum locorum ſubſidio ſuppleatur: ibiq; per manus eorundem Dicatorum,vel eorũ qui ad percipiendum ſubſidium fuerint ex Camera Regia deputati,qui mandatũ ſpeciale à ſua Maieſtate, & Camerarijs Vngaricis ſunt habituri ſuper hoc. Aut ſi Dicatores id facere negligerent, Vicecomites ipſi ſatisfactionem huiuſmodi impendere debeant. Eadem ratione,tum de damnis illatis,eorumq; refuſione,tum etiam de perſonis & nominibus militum,vel Capitaneorum eorundem,à quibus,vel ſub quorum ductu,damna ipſa illata fuiſſe, vel aliæ violẽtiæ patratæ compertæ fuerint,per eoſdem Dicatores certa ratio teneri debebit,vt ea pecunia ſubſidij in eam ſatisfactionem erogata,per Regiam Maieſtatem ex ſtipendio militum retineri,& de violentijs facinoribuſq; grauioribus, quæ grauiorem etiam pœnam mereri viſa

Milites ad inciſam inter colonos viuentes remoueantur.

Ratio ſubducatur cum colonis de damnis acceptis & victualibus per milites extortis.

Inquiſitio de damnis fiat per Commiſſarios, aut Dicatores Regios.

visa fuerint, iustitia per suam Maiestatem administrari queat, iuxta eiusdem gratiosas oblationes. Super alijs verò damnis, iniurijs, ac violentijs, ante præmissum quintum diē Aprilis, à tempore Sopronienſis Conuentus, in quibuscunque locis per milites Maiestatis suæ illatis, Commissarij simili modo inquisitionem facere debeant, vna cum hominibus Comitatuum. Aut si Commissarij non emitterentur, tunc Dicatores supradicti, ad progressum connumerationis subsidij primi ita admittantur, vt eodē contextu, de damnis etiam ac violentijs huiusmodi præteritis Nobilium, & colonorum, vnà cum hominibus Comitatuum ad id præmisso modo deligendis, veram, certam, & rectam inquisitionem facere teneantur. Quæ quidem inquisitio, sub sigillis tàm Dicatorum, quàm etiam hominum præfatorum, in scriptis redigatur, & superinde duo regesta æqualia vbique conscribantur; quorum alterum sit apud Dicatorem, alterum apud Comitatus sub sigillis, vt præmissum est, & Dicatorum, & hominum de Comitatibus delectorum: vt si forte satisfactio de illis damnis illatis tardius effectum sortiretur, ex eo regesto Comitatus Maiestati Regiæ supplicare, & pro satisfactione, debitis modis possint apud eam instare.

Milites violenter victualia à pauperibus colonis accipientes puniantur, secundùm Vladislai Regis Decretum. ART. V.

Vlad. Prim. ar. 23. adde Math. Sext. art. 31. Poson. an. 42. art. 51. quodq; victualia in castris diripiens capite plectatur. Tirn. ann. 45. art. 28.

VT autem inposterum quoq; violentiæ omnes & damna in bonis quorumuis dominorum Prælatorum, Baronum, aut Nobilium, aliorumq; Statuum & Ordinū cessent: statutum est, vt si qui inposterum milites, præter præmissam Maiestatis suæ gratiosam oblationem, ad bona aliena descenderent, ibiq; pro libitu viuere, & victualia, resq; Nobilium, aut colonorum sine pretio auferre, vel alias violentias exercere præsumerent, in omnes tales, iuxta tenorem articuli vigesimi tertij, primi Decreti serenissimi quondam Vladislai Regis, ac articulorum Conuentuum Posonienſium, annorum Millesimi, Quingentesimi, Quadragesimi secundi, & quinti, procedere liceat.

Palatinus necessariò creandus, cum pristina facultate & authoritate. ART. VI.

PRÆTEREA, cum Maiestas Regia Palatinum in Regno pronunciandum constituerit, Status quoq; Regni Palatini creationem, non solùm vtilem pro hoc statu rerum ac temporum, sed planè necessariam esse iudicarunt. Qui quidem Palatinus, authoritatem potestatemq; eam habere debebit, quam alij Palatini, iuxta veteres Regni libertates ac consuetudines, habere soliti fuerunt.

Religionis in negotio priorum annorum constitutiones seruentur. ART. VII.

Poson. an. 48. art. 5.

QVANTVM verò ad religionem attinet, statutum est, vt tàm domini Prælati, & aliæ personæ Ecclesiasticæ, quàm alij Status seculares, iuxta priorum Conuentuum constitutiones superinde confectas, sese gerant, & officio vtriq; eorum satisfaciant.

Colonorum ad confinia per vices operæ pro præmio præstentur. ART. VIII.

Ab his descitū est, & operæ gratuitæ constitutæ sex dierū. Poso. an. 57 ar. 6. & 59. ar. 18. ac 63. ar. 20 Subinde duodecim dierum. Maximiliani. Poso. 69. ar. 19. 74. ar. 5. Rudo. Poso. 82. art. 2.

QVOD verò ad operas colonorum attinet, quæ per vices ad arces locaq; finitima communienda præstari debent, conclusum est, vt ex omnium dominorum & Nobiliū, aliorumq; Ordinum ac Statuum bonis, secundùm numerum portarum, quæ iuxta constitutionem super contributione dicæ superius descripta connumerari debent, homines operarij ad loca finitima magis vicina, quæ communienda esse, Maiestas sua Statibus declarauerit, & operarijs mercedem diurnam persolutum iri expresserit, iuxta limitationem super locis ipsis finitimis, Comitatibusque eis vicinioribus, cum cum nomina locorum, præmisso modo, à sua Maiestate intellecta fuerint, faciendam, vndique proficisci teneantur: & per eorum dominos, etiam inuiti, semel tantum per hunc dimittantur, ad requisitionem Præfecti operis, qui in quoque loco per suam Maiestatem ad hoc, natione Vngarus, constituendus erit, & Capitanei eiusdē loci similiter Vngari. Ibiq; sex dies continuos, videlicet, initio feriæ secundæ, per integrum Sabbathum subsequens quilibet

quilibet, operi eis proposito, circa videlicet eius loci finitimi munitionem insistere debeant. Quibus quidem omnibus diurna merces, secundùm Regiæ Maiestatis oblationem, prout Viennæ, quotidiè numeretur.

Operarij verberibus non afficiantur, & pro labore quantum accipiant.

ART. IX.

EXACTO verò sex huiusmodi dierum spatio, omnes liberi sint, domum, vel quo maluerint abire, neque vlla ratione diutius ad laborandum compellantur, vltra præscriptum tempus: quo quidem etiam spatio si quo die eis merces huiusmodi diurna non fuerit persoluta, liceat eis postridie ab opere discedere, neq; vi retineri queant. Sub hoc autem tempore, quo perstiterint in opere, vim vllam, aut verbera, vti hactenus contigit, non patiantur, cum eisdemque colonis ex bonis dominorum Prælatorum, aut Baronum, domini ipsi peculiares homines mittant, qui colonos adducant, contineantque constituto spatio in opere: & exacto spatio, expeditorias siue quietantiæ literas, tum ipsi tradant operis Præfecto, de mercede colonis domini sui à se adductis integrè per illum persoluta, tum vicissim ab eodem percipiant à colonis domini sui sex dierum operas, ad quas erant ex hac constitutione obligati, esse præstitas. Idemque ex singulis Comitatibus, cum colonis Nobilium & aliorum Statuum, fiat per Iudices Nobilium: ac ad eandem rationem, tandem dimitti debeant; vt hoc ordine obseruato, nulla fraus in solutione mercedis, & numero colonorum adducendorum committatur, & qui iam semel opus debitum absoluissent, eodem iterum non cogantur. Et quoniam plurimum interest, ne coloni ad opera proficiscendo, iniurias, aut vim vllam patiantur (vt supra dictum est) Maiestati Regiæ summam esse curam adhibendam Status Regni censent, ad earundem operarum Præfectos constituendos, à quibus & fideliter merces operarijs persoluatur, neque admittatur, vt meritò Status conqueri, & ab huiusmodi oblatione absterreri inposterum queant. Quod quidem ita rectè fieri posse existimatur, si in hos Capitanei Germani ibi in præsidio dispositi, nullam habuerint potestatem, & ipsi quoq; præter ordinem & limitationem singulorum quorumcunque Comitatuum operariorum eò mittendorum (quæ limitatio descripta, apud eosdem operum præpositos esse debebit) nihil admiserint. Quo quidem ordine obseruato, satis laboratores ad quælibet loca finitima Maiestatem suam habituram, Ordines Regni facilè confidunt. Et quoniam sine curribus & iumentis opera continuari munitionum huiusmodi ritè non posse constat: statutum est, vt ex vicinioribus tantum ad loca communienda, Comitatibus non ex longinquioribus (quod esset grauissimum) iumenta, currusque hoc modo ad operas sex dierum mittantur: ex singulis videlicet decem portis, singuli currus cum sex bobus. Nam equi raro istiusmodi rusticorum plaustris iungi apud nos solent: soluaturque singulis bobus currum trahentibus dimidia tantum eius mercedis pars, quæ equis ad opera huiusmodi Viennæ seruientibus persolui solet. Si qui autem equos curribus injungere potuerint, soluatur ad eos, prout equis Viennæ soluitur, videlicet, singulis binis equis cum auriga, quadraginta denarij Vngarici per integrum diem. Quo quidem pacto, satis curuum iumentorumque ad omnia opera affuturum, Status Regni confidunt.

Poson. ann. 56. art. 4. ad munitiones confiniorum contributio exacta.

A decem portis unus currus cũ sex bobus mittatur.

Expeditionum generalis & particularis modus antea constitutus obseruetur.

ART. X.

CÆTERVM, super insurrectione Statuum ad particularem expeditionem, ingruente aliqua necessitate, statutum est, vt modus & ordo in proximo Sopроniensi Conuentu constitutus, per omnia in ea re obseruetur. Et si qui segniores in ea re forent, iuxta eandem constitutionem, in eos animaduertatur. De generali autem expeditione, eadem ratio teneri, atque idem ordo obseruari debeat, qui in priorum Conuentuum constitutionibus extat expressus.

Sopron. ann. 53. art. 4.

Libertates & Priuilegia omnium ordinum obseruentur. ART. XI.

STATV-

Sopron. an. 53. art. 29. & 30.

STATVTVM est etiam, vt iuxta gratiosam Maiestatis suæ oblationem, & superioris etiam anni benignum responsum, in Conuentu Soproniensi datum, libertates & priuilegia omnium Ordinum & Statuum, tàm in Tricesimis ac Telonijs, quàm etiam in depositionibus mercium liberarum & Montanarum ciuitatum, colonorumq; aliæque quæuis immunitates & prærogatiuæ Statuum ipsorum in Vngaria & Sclauonia, per quosuis officiales suæ Maiestatis, & alios quoscunque, inuiolabiliter obseruentur. Et si quos defectus Maiestas sua, accepta informatione super ea re, compererit, eos bono modo & ordine, sine dilatione, iuxta eandem suam gratiosam oblationem, corrigere dignetur. Officiales autem & Tricesimatores externi, siue etiam Vngari, de negocijs in Vngaria gestis, ad externos Camerarios & eorum iudicia, vbi quid iudicandum contingit, sese non referant, sed Maiestatis eius Regiæ Præfectum, & Consiliarios Cameræ eius Vngaricæ audire, eisq; obedire teneantur. Quòd si non paruerint, Maiestas eius Regia ipsos pro demeritis eorum puniat, seu per officiales eius puniri faciat.

Abusus contra libertates Regni inducti corrigantur.

Præfectus Consiliarij Cameræ Vngaricæ.

Decimarum arendationes fiant modo antea constituto. ART. XII.

Poson. an. 46. art. 57. Tirn. an. 47. art. 35. Poson. ann. 52. art. 29. Soprõ. ann. 53. art. 8.

ARENDATIONEM decimarum, vbiq; per totum Regnum, iuxta constitutiones proximiorum Conuentuum, fieri debere statutum est: neq; teneantur coloni vltra tempus in Decreto Regni præfixum, fruges eorum in agris tenere, ad libitum decimatorum, quod sæpe multo cum damno hactenus multorum contigit.

Ciuitates & arces impignoratæ Polonis & Austriacis, vt redimi possint, curandum esse: & quòd limites Regni rectificentur. ART. XIII.

DE redemptione ciuitatum & arcium, aliorumq; locorum ad Poloniam oppignoratorum, Maiestas eius Regia, quamprimum commode fieri poterit, deliberare dignetur, quomodo scilicet illa loca, quæ non à Maiestate sua, sed suis prædecessoribus ante complures annos oppignorata fuerant, à Regno Poloniæ, ad Regnum suum Vngariæ redimi & liberari queant, & ita etiam de alijs illis quæ ad Austriam oppignorata sunt, Maiestas sua, iuxta desuper factam gratiosam oblationem, sufficienti prius informatione accepta, se clementer resoluat. Nec non reuisionem & rectificationem metarum, aliarumq; differentiarum, inter Vngariam, & Austriam, quæ nondum sunt determinatæ, ac inter Sclauoniam & Styriam, ac Carniolam, nec non Vngariam & Morauiam, promulgationemq; & executionem controuersiarum iam determinatarum, Maiestas sua, iuxta gratiosam oblationem, nacta occasione ad effectum perduci curare dignetur.

Austria, Styria, Carniola, Morauia,

Arcium amissores puniantur. ART. XIIII.

AMISSORES arcium, & aliarum munitionum finitimarum fidei & custodiæ eorum commissarum, tam Vngari, quàm externi, seruato iuris ordine, per Maiestatem Regiam irremissibiliter puniantur, vt alijs in posterum exemplo sint, vt vsq; ad extremum spiritum loca sibi commissa tueri debeant.

Sume pœnam ex Vladis. Secund. art. 4.

Bona occupata per quoscunque, remittantur, imò etiam Rex pro sua oblatione remittat, vel cum eorum possessoribus transigat. ART. XV.

Nouizo. an. 42 art. 1. & 2. ac 14. Poson. ann. 42. art. 1. Nouizo. ann. 43. ar. 1. 2. 3. Tirn. ann. 45. art. 2.

STATVTVM est quoque, quòd bona & iura possessionaria, ab obitu serenissimi quondam Ludouici Regis, quocunque tempore occupata, & huc vsque eis ad quos legitimè pertinent, non remissa, iuxta priores tàm Nouizolienses, quàm alias constitutiones, sub pœnis in eisdem expressis, citra moram, seruato modo & ordine in ea re descripto, remittantur: Maiestas quoque Regia, iuxta suam clementem oblationem, arces, & alia bona in potestate suæ Maiestatis habita, quæ fideles subditi eius Maiestatis ad se pertinere legitimè ac sufficienter comprobauerint, eisdem restituere, vel cum eis benignè transigere dignetur.

Iudicia celebrentur Comitatibus superiorum partium, Cassouiæ, inferioribus Comitatibus cis & vltra Danubianis, Posonij. ART. XVI.

STATVTVM est præterea, vt iuxta priorum Conuentuum constitutiones, iudicia

Comita-

Comitatibus propinquioribus ad octauum diem festi Beati Michaëlis Posonij: superioribus verò ac Transtibiscanis Comitatibus, ad octauum diem festi Epiphaniarum Domini, Cassouiæ celebrentur. Et nihilominus causæ Locumtenentis extra hos duos terminos iudicentur, inchoënturq; pro festo ad vincula Petri, & continuentur triginta duobus diebus, exceptis diebus festis: ita tamen quòd omnino Palatinus creetur. Quo creato, Iudex quoq; in partibus Regni inferioribus, ac trans Tibiscum habitantibus, pro commoditate earum partium, per Maiestatem suam similiter declaretur, vti cum consilio dominorum Consiliariorum Vngarorum benignè facturam se obtulit.

Locumtenentis causæ.

Palatinus creetur.

Iudex ordinarius in partibus inferioribus constituatur.

Talleri cudantur ad ligam quatuordecim lotonum, paruæ monetæ cudantur ad octo lotones. ART. XVII.

TALLERORVM in Camera Cremniciensi cusionem continuari posse, Status Regni censent, postquam Maiestas sua clementer eis significare dignata est, ad quatuordecim lotones talleros ipsos cudi, cum denarij Vngarici ad octo tantum lotones cudantur: & vix quintam partem argenti in talleros, reliquas verò partes in denarios Vngaricos cusas esse. Obtulitq; Maiestas sua benignè se effecturam, vt pro denarijs nonaginta tribus Vngaricis, non maiori valore talleri ipsi in hoc Regno currant & accipiantur; id quod Maiestas sua, iuxta huiusmodi gratiosam suam oblationem pariter cum solita & consueta authoritate domini Strigoniensis, & Pisetarij eius, in eadem Camera Cremniciensi firmiter obseruari, neq; argentum è Regno educi permittere curare dignetur. Nisi forsitan ad vsum & necessitates suas proprias, aut serenissimorum liberorum suorũ, ad Maiestatem eius aliquod argentum afferretur, aut dignis personis suppliciter petentibus, de speciali Maiestatis eius commissione concedatur: curetq; Maiestas sua, vt iuxta suam gratiosam oblationem, absq; literis benignæ concessionis suæ, nullum argentum cuiquam per officiales suos exportandum detur, aut quoquam educere permittatur: & quicunq; in hoc delinquere comperti fuerint, eos pro demeritis seriò puniri præcipiat.

Vt ad ligã monetæ Viennensis cudatur. Sopron. an. 53. art. 23.

In talleros quinta pars argenti, reliquũ in paruã monetam cuditur.

Talleri valor denar. 93.

Argentum è Regno non educatur.

Subsidium denariorum decem pro captiuis Agriensibus, ad manus Ladislai de Mossocz assignetur. ART. XVIII.

SVBSIDIVM decem denariorum, in superioris anni Conuentu Soproniensi, Agriensibus militibus ac captiuis, vnà cum subsidio Regiæ Maiestatis eodem tempore oblato, exactum, & apud Vicecomites certorum Comitatuum huc vsque retentum, absque mora ad manus Ladislai literati de Mossocz, Vicemagistri Cameræ Vngaricæ Regiæ Maiestatis, ad id per Regnicolas deputati, integrè vndiq; administretur, vt ijs, quibus ea pecunia est deputata, distribui possit, & non in priuatum eorundem Vicecomitum vsum retineatur.

Agriensibus militibus subsidiũ ob rem bene gestam obsidionis eius arcis tempore, decretum.

Comites vbique creentur, qui in Comitatibus bona habent, & iurent. ART. XIX.

COMITES in omnibus Regni Comitatibus, in quibus legitimi Comites non sunt, iuxta oblationem suæ Maiestatis illicò creentur, qui iuxta contenta Decreti, & in ipsis Comitatibus bona habeant, & iuramentum de more præstent.

Collectores pecuniarum Comitatuum, rationem dare subterfugientes, etiam per detentionem personarum cogantur. ART. XX.

ET quia in diuersis Comitatibus, per hos annos, plerique siue Vicecomites, siue alij Nobiles pecunias collegerunt pro necessitatibus Comitatuum, qui de ipsis pecunijs rationem reddere recusant: statutum est, vt tales teneantur vbiq; suis Comitatibus rationem reddere, & etiam per detentionem personarum ad id cogi possint, cùm ex Decreto Regni, cuilibet priuato Nobili de eorum officialibus ac ministris id facere liceat.

Ratio exigenda de publica pecunia, etiam cum detentione personæ, si necesse sit.

Telonia sicca. ART. XXI.

TELONIA sicca vbique tollantur, iuxta articulos proximorum Conuentuum.

Moneta Vngarica vbiq; recipiatur. ART. XXII.

STATVTVM est etiam, vt moneta Vngarica, vetus & noua, vbiq; in Regno Vngariæ recipiatur, iuxta constitutiones proximorum Conuentuum.

Poson. ann. 50. art. 49. Maximil. an. 67. art. 45. ann. 69. art. 20.

Sopron. an. 53. art. 29. & 30.

STATVTVM est etiam, vt iuxta gratiosam Maiestatis suæ oblationem, & superioris etiam anni benignum responsum, in Conuentu Sopronienſi datum, libertates & priuilegia omnium Ordinum & Statuum, tàm in Tricesimis ac Telonijs, quàm etiam in depositionibus mercium liberarum & Montanarum ciuitatum, colonorumq́; aliæque quæuis immunitates & prærogatiuæ Statuum ipsorum in Vngaria & Sclauonia, per quosuis officiales suæ Maiestatis, & alios quoscunque, inuiolabiliter obseruentur. Et si quos defectus Maiestas sua, accepta informatione super ea re, compererit, eos bono modo & ordine, sine dilatione, iuxta eandem suam gratiosam oblationem, corrigere dignetur. Officiales autem & Tricesimatores externi, siue etiam Vngari, de negocijs in Vngaria gestis, ad externos Camerarios & eorum iudicia, vbi quid iudicandum contingit, sese non referant, sed Maiestatis eius Regiæ Præfectum, & Consiliarios Cameræ eius Vngaricæ audire, eisq; obedire teneantur. Quòd si non paruerint, Maiestas eius Regia ipsos pro demeritis eorum puniat, seu per officiales eius puniri faciat.

Abusus contra libertates Regni inducti corrigantur.

Præfectus Consiliarij Cameræ Vngaricæ.

Decimarum arendationes fiant modo antea constituto. ART. XII.

Poson. an. 46. art. 57. Tirn. an. 47. art. 35. Poson. ann. 52. art. 29. Soprõ. ann. 53. art. 8.

ARENDATIONEM decimarum, vbiq; per totum Regnum, iuxta constitutiones proximorum Conuentuum, fieri debere statutum est: neq; teneantur coloni vltra tempus in Decreto Regni præfixum, fruges eorum in agris tenere, ad libitum decimatorum, quod sæpe multo cum damno hactenus multorum contigit.

Ciuitates & arces impignoratæ Polonis & Austriacis, vt redimi possint, curandum esse: & quòd limites Regni rectificentur. ART. XIII.

DE redemptione ciuitatum & arcium, aliorumq́; locorum ad Poloniam oppignoratorum, Maiestas eius Regia, quamprimùm commodè fieri poterit, deliberare dignetur, quomodo scilicet illa loca, quæ non à Maiestate sua, sed suis prædecessoribus ante complures annos oppignorata fuerant, à Regno Poloniæ, ad Regnum suum Vngariæ redimi & liberari queant, & ita etiam de alijs illis quæ ad Austriam oppignorata sunt; Maiestas sua, iuxta desuper factam gratiosam oblationem, sufficienti prius informatione accepta, se clementer resoluat. Nec non reuisionem & rectificationem metarum, aliarumq; differentiarum, inter Vngariam, & Austriam, quæ nondum sunt determinatæ, ac inter Sclauoniam & Styriam, ac Carniolam, nec non Vngariam & Morauiam, promulgationemq; & executionem controuersiarum iam determinatarum, Maiestas sua, iuxta gratiosam oblationem, nacta occasione ad effectum perduci curare dignetur.

Austria, Styria, Carniola, Morauia,

Arcium amissores puniantur. ART. XIIII.

Sume pœnam ex Vladis. Secund. art. 4.

AMISSORES arcium, & aliarum munitionum finitimarum fidei & custodiæ eorum commissarum, tam Vngari, quàm externi, seruato iuris ordine, per Maiestatem Regiam irremissibiliter puniantur, vt alijs in posterum exemplo sint, vt vsq; ad extremum spiritum loca sibi commissa tueri debeant.

Bona occupata per quoscunque, remittantur, imò etiam Rex pro sua oblatione remittat, vel cum eorum possessoribus transigat. ART. XV.

Nouizo. an. 42 art. 1. & 2. ac 14. Poson. ann. 42. art. 1. Nouizo. ann. 43. ar. 1. 2. 3. Tirn. ann. 45. art. 2.

STATVTVM est quoque, quòd bona & iura possessionaria, ab obitu serenissimi quondam Ludouici Regis, quocunque tempore occupata, & huc vsque eis ad quos legitimè pertinent, non remissa, iuxta priores tàm Nouizolienses, quàm alias constitutiones, sub pœnis in eisdem expressis, citra moram, seruato modo & ordine in ea re descripto, remittantur: Maiestas quoque Regia, iuxta suam clementem oblationem, arces, & alia bona in potestate suæ Maiestatis habita, quæ fideles subditi eius Maiestatis ad se pertinere legitimè ac sufficienter comprobauerint, eisdem restituere, vel cum eis benignè transigere dignetur.

Iudicia celebrentur Comitatibus superiorum partium, Cassouiæ, inferioribus Comitatibus cis & vltra Danubianis, Posonij. ART. XVI.

STATVTVM est præterea, vt iuxta priorum Conuentuum constitutiones, iudicia

Comita-

Comitatibus propinquioribus ad octauum diem festi Beati Michaëlis Posonij: superioribus verò ac Transtibiscanis Comitatibus, ad octauum diem festi Epiphaniarum Domini, Cassouiæ celebrentur. Et nihilominus causæ Locumtenentis extra hos duos terminos iudicentur, inchoënturq; pro festo ad vincula Petri, & continuentur triginta duobus diebus, exceptis diebus festis: ita tamen quòd omnino Palatinus creetur. Quo creato, Iudex quoq; in partibus Regni inferioribus, ac trans Tibiscum habitantibus, pro commoditate earum partium, per Maiestatem suam similiter declaretur, vti cum consilio dominorum Consiliariorum Vngarorum benignè facturam se obtulit.

Locumtenentis causæ.

Palatinus creetur.

Iudex ordinarius in partibus inferioribus constituatur.

Talleri cudantur ad ligam quatuordecim lotonum, parua monetæ cudantur ad octo lotones.

ART. XVII.

TALLERORVM in Camera Cremniciensi cusionem continuari posse, Status Regni censent, postquam Maiestas sua clementer eis significare dignata est, ad quatuordecim lotones talleros ipsos cudi, cum denarij Vngarici ad octo tantum lotones cudantur: & vix quintam partem argenti in talleros, reliquas verò partes in denarios Vngaricos cusas esse. Obtulitq; Maiestas sua benignè se effecturam, vt pro denarijs nonaginta tribus Vngaricis, non maiori valore talleri ipsi in hoc Regno currant & accipiantur; id quod Maiestas sua, iuxta huiusmodi gratiosam suam oblationem pariter cum solita & consueta authoritate domini Strigoniensis, & Pisetarij eius, in eadem Camera Cremniciensi firmiter obseruari, neq; argentum è Regno educi permittere curare dignetur. Nisi forsitan ad vsum & necessitates suas proprias, aut serenissimorum liberorum suorũ, ad Maiestatem eius aliquod argentum afferretur, aut dignis personis suppliciter petentibus, de speciali Maiestatis eius commissione concedatur: curetq; Maiestas sua, vt iuxta suam gratiosam oblationem, absq; literis benignæ concessionis suæ, nullum argentum cuiquam per officiales suos exportandum detur, aut quoquam educere permittatur: & quicunq; in hoc delinquere comperti fuerint, eos pro demeritis seriò puniri præcipiat.

Vt ad ligã monetæ Viennensis cudatur. Sopron. an. 53. art. 23.

In talleros quinta pars argenti, reliquũ in paruã monetam cuditur.

Talleri valor denar. 93.

Argentum è Regno non educatur.

Subsidium denariorum decem pro captiuis Agriensibus, ad manus Ladulai de Mossocz assignetur. ART. XVIII.

SVBSIDIVM decem denariorum, in superioris anni Conuentu Sopronienſi, Agriensibus militibus ac captiuis, vnà cum subsidio Regiæ Maiestatis eodem tempore oblato, exactum, & apud Vicecomites certorum Comitatuum huc vsque retentum, absque mora ad manus Ladislai literati de Mossocz, Vicemagistri Cameræ Vngaricæ Regiæ Maiestatis, ad id per Regnicolas deputati, integrè vndiq; administretur, vt ijs, quibus ea pecunia est deputata, distribui possit, & non in priuatum eorundem Vicecomitum vsum retineatur.

Agriensibus militibus subsidiũ ob rem bene gestam obsidionis eius arcis tempore, decretum.

Comites vbique creentur, qui in Comitatibus bona habent, & iurent. ART. XIX.

COMITES in omnibus Regni Comitatibus, in quibus legitimi Comites non sunt, iuxta oblationem suæ Maiestatis illicò creentur, qui iuxta contenta Decreti, & in ipsis Comitatibus bona habeant, & iuramentum de more præstent.

Collectores pecuniarum Comitatuum, rationem dare subterfugientes, etiam per detentionem personarum cogantur. ART. XX.

ET quia in diuersis Comitatibus, per hos annos, plerique siue Vicecomites, siue alij Nobiles pecunias collegerunt pro necessitatibus Comitatuum, qui de ipsis pecunijs rationem reddere recusant: statutum est, vt tales teneantur vbiq; suis Comitatibus rationem reddere, & etiam per detentionem personarum ad id cogi possint, cùm ex Decreto Regni, cuilibet priuato Nobili de eorum officialibus ac ministris id facere liceat.

Ratio exigenda de publica pecunia, etiam cum detentione personæ, si necesse sit.

Telonia sicca. ART. XXI.

TELONIA sicca vbique tollantur, iuxta articulos proximorum Conuentuum.

Moneta Vngarica vbiq; recipiatur. ART. XXII.

STATVTVM est etiam, vt moneta Vngarica, vetus & noua, vbiq; in Regno Vngariæ recipiatur, iuxta constitutiones proximorum Conuentuum.

Poson. ann. 50. art. 49. Maximil. an. 67. ar. 45. ann. 69. art. 20.

Ciuitatum priuilegia & libertates seruentur. ART. XXIII.

Sempiternum hoc, & omnibus notum.

PRIVILEGIA ac libertates tam ciuitatum Montanarum, quàm aliarum Regiarum, vbique ab omnibus firmiter obseruentur, secundùm articulos præteritorum Conuentuum.

Ciuitates partium superiorum, ad labores non cogantur. ART. XXIV.

SVPPLICANT præterea Status & Ordines Regni, vt Maiestas Regia ciues ciuitatum partium superiorum, ad opera & labores ciuitatis Cassouiensis compelli minimè permittere dignetur, iuxta eius gratiosam oblationem; cum satis in quaque ciuitate per se habeant iugiter quod laborent, ad suas ipsorum necessitates & communitiones.

CONCLVSIO.

NOS itaque supplicatione præmissa dictorum fidelium nostrorum, dominorum Prælatorum, Baronum ac Nobilium, aliorumq; Ordinum ac Statuum huius Regni Vngariæ, & partium ei subiectarum, clementer admissa, dictos vniuersos & singulos articulos, modo præmisso nobis præsentatos, præsentibus nostris literis de verbo ad verbum inseri & inscribi fecimus, eosdemque, ac omnia & singula in eis contenta, ratos, gratos, & accepta habentes, eisdem nostrum Regium consensum beneuolum, pariter & assensum præbuimus, & illos, ac quæuis in eis contenta, nostra Regia authoritate acceptauimus, approbauimus, ratificauimus & confirmauimus: offerentes nos clementer, quòd præmissa omnia, in omnibus punctis, clausulis & articulis, tàm nos ipsi inuiolabiliter obseruabimus, quàm per alios fideles nostros, cuiuscunq; status & conditionis existant, obseruari faciemus: imò acceptamus, approbamus, ratificamus & confirmamus, harum nostrarum vigore & testimonio literarum mediante. Datum Posonij die duodecimo mensis Aprilis, anno Domini, Millesimo, Quingentesimo, Quinquagesimo quarto.

FERDINANDI IMPERATORIS DECRETVM, ANNO DOMINI M. D. LV.

Posonij editum.

NOS FERDINANDVS Diuina fauente clementia, Romanorum, Vngariæ, Boëmiæ, &c. Rex, semper Augustus, Infans Hispaniarum, Archidux Austriæ, &c. Memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes quibus expedit vniuersis: quòd domini Prælati, Barones, Nobiles, cæterique Ordines & Status, fideles subditi Regni nostri Vngariæ, ac partium ei subiectarum, in generali Conuentu, pro festo Beati Ioannis Baptistæ, anni præsentis, Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi quinti celebrato, Posonij ex edicto nostro congregati, miserunt ad nos humiliter infrascriptos articulos, in Conuentu ipso, communibus ipsorum votis conclusos, ad propositionem nostram, medio serenissimi Principis Maximiliani, Regis Boëmiæ, Archiducis Austriæ, &c. eis factam, respondentes, supplicaueruntq; nobis humilimè, vt vniuersos & singulos articulos, omniaq; & singula in eis contenta, ratos, gratos, & accepta habentes nostrumque Regium consensum eisdem præbentes, authoritate & potestate nostra Regia acceptare, approbare, atque confirmare, ac tàm nos ipsi obseruare, quàm per alios, quorum interest, obseruari facere dignaremur. Quorum quidem articulorum tenor sequitur in hæc verba.

Rex in Vngaria maneat, vel filium loco sui relinquat. ART. I.

PRÆLATI, Barones, Nobiles, cæteriq; Ordines ac Status Regni Vngariæ, fideles subditi Regiæ Maiestatis, intellexerunt ea, quæ Maiestas sua, dominus & Rex eorum clementissimus, tum literis, tum etiam instructione, serenissimo Principi, domino Maximiliano Regi Boëmiæ, &c. filio suæ Maiestatis, domino eorum clementissimo, ad ipsum Conuentum, vice & in persona sua delecto, data, ipsis fidelibus suis hunc in locum conuo-

conuocatis, hoc tempore significanda duxit. Et primùm quidem, quod ad priores duos articulos propositionis suæ Maiestatis, ipsis fidelibus suis factæ attinet, de auertendis scilicet factionibus, vnioneque in Regno conseruanda, deq; prohibendis Turcarum excursionibus ac rapinis, &c. Status & Ordines Regni, matura inter se deliberatione & consultatione præhabita, in eam opinionem & sententiam deuenerunt, vt cum iam hactenus omnia remedia Maiestas sua sit experta, quibus remedijs se absente, Regnum, tàm ab internis factionibus ac discordijs, malisque, quæ ex eis quotidie grauissima euenirent, defendi, ac præseruari posset, quàm etiam ab hostibus communibus tutum aliquando redderetur: neq; tamen potuisse se pro rerum magnitudine quicquam perficere, re ipsa intelligat, potiusq; ex absentia sua maiores indies clades, grauioresq; calamitates esse consecutas. Ideoque verendum esse, ne si diutius pergat Maiestas sua extra Regnum se continere, reliquiæ quoq; hæ Regni, ad extremum currant excidium: quemadmodum quidem ante quoque, & publicè & priuatim ea de re Maiestati suæ extitit supplicatum, sacra Maiestas sua dignetur iam tandem ipsamet saluti, ac diuturniori permansioni fidelium suorum prospicere clementer, atque intra Regni Vngariæ fines se continere. Vbi tum iustitiæ continua administratione, tum punitione inobedientum ac malefactorum, si qui extiterint, omnis factionum excitandarum occasio erit sublata: tum verò gentium necessario numero assiduè stipata, aduersus hostes facilius ac citius, in omnes partes opportuna poterint adhiberi remedia. Quòd si ipsa propter cæteros orbis terræ curas (quas quidem ad commodum vtilitatemq; Regni Vngariæ imprimis etiam spectare Maiestas sua fideles suos, multis & grauibus rationibus, prudenter ac disertè edocere aliquoties dignata est) continuè in Regno Vngariæ persistere non potest: tum vel saltem eo tempore, quo ipsa abest, serenissimum Regem Maximilianum filium suum, loco suo, inter suos fideles in Vngaria relinquere dignetur: ita vt vbi magis opportunum fuerit visum, permanens, & quibus poterit copijs instructus, authoritatem quoque & potestatem vice Maiestatis suæ necessariam possit exercere: quemadmodum Maiestas sua se non neglecturam, quin vel ipsa, vel serenissimus eius filius, si minus intra Vngariæ limites, ac saltem in ipsis penè limitibus, assiduè permaneat, fidelibus suis antea clementer obtulit. Quæ quidem Status & Ordines Regni, vt sæpe fecerunt, pro eorum debita fide & obedientia, Maiestati suæ humiliter significare voluerunt: supplicantes nihilominus eius Maiestati, vt interea temporis, prout Maiestas sua semper obtulit, ac iustitia, Regiumque munus requirit, prædas, rapinas, violentiasque omnes, & miserorum colonorum oppressiones, ad laboresq; indebitas compulsiones quæ nunc quoque passim ferè à Capitaneis, & militibus Maiestatis suæ patrantur in bonis Nobilium, ac aliorum Statuum per Capitaneos, aliosq; officiales, quorum interest, curet prohiberi; vtiq; dominus Palatinus, pro sui muneris ratione, in eos qui violentias huiusmodi prohibere cunctarentur, aut illis † conniuerent, inq; ipsos violentos, tàm internos quàm externos homines, iuxta Regni Decretum, publicasq; constitutiones, seuerissimè, sine cuiusquam respectu personæ, animaduertat, neque quisquam authoritati, officioque ipsius domini Palatini, quouis prætextu, se audeat opponere: verùm tàm in his, quæ ad militiam, quàm quæ ad iustitiam spectant, liberè, ac prout talis officij ratio exigit, munus ipsum suum, in persona & authoritate Regia ritè exercere possit. Reliquiq; omnes Capitanei, & gentium Præfecti, cuiusuis nationis, ab ipso dependeant: quemadmodum Maiestas sua, iuxta authoritatem ipsi Palatino semel traditam, facultatemque exercendi officium suum, præmisso modo, clementer permisit.

Regis à Regno absentia perniciosa.

Maximilianus Rex Boemiæ in Vngaria relinqui petitur.

Rapinas, prædas, Rex fieri prohibeat.

Palatinus et eius authoritas.

† Al. committerent.

Iudicia generalia, & Locumtenentiæ celebrentur; & quæ causæ in illis iudicijs disçuti debent. ART. II.

PORRO, cum prudenter ab eius Maiestate, in sua propositione indicatum sit, nullum esse tempus, quod vacare iustitia debeat: statutum est, vt causæ omnes generales, iuxta priorum Conuentuum constitutiones, duobus anni terminis, videlicet, octauo die festi Beati Michaëlis Archangeli, Comitatibus proximioribus, Posonij: Comitatibus

verò

Locumtenentiæ causæ.
** Is fuit Sp: & Magnificus D. Thomas Nadasdi, qui die hic notata, post finem scilicet Dietæ anni 1554. Palatinus nominatus: Mortuus est, anno 1562. mensis Iunij die 2.*
Causæ in bello quæ iudicentur, Ludou. Secund. Tolnen. 1518. art. 17.
Comitatus superiorum partium, in iudicijs Locumtenen. Transmissiones duntaxat reuideri permittunt.

verò superiorum partium, octauo die Epiphaniarum Domini, Cassouiæ reuideantur ac iudicentur, incipiendo à proximo festo Beati Michaëlis. Illæ autem causæ, quæ per dominum Palatinum, * ratione & authoritate Locumtenentis, iudicari debent. Violentiæ videlicet omnes omnium generum, quæ à tempore electionis suæ in Palatinum & Locumtenentem, videlicet, à decimaquinta die Aprilis, anni proximè præteriti patratæ sunt: Exactiones item indebitæ Teloniorum, & quorumcunq; tributorum: Transmissionales, nec non causæ tutelares: Item dotis, ac rerum paraphernalium: Præterea iurium pignoratitiorum, videlicet, vbi actor per literas fassionales, impignoratitia bona sua, apud quempiam pignori esse poterit defacto demonstrare: Bonorum etiam & iurium possessionariorum, per hæc disturbiorum tempora violenter occupatorum, aut in posterum occupandorum, contraq; publicas constitutiones temerè retentorum, ac retinendorum, tàm sub eodem termino festi Beati Michaëlis, quàm etiam sub finem illius, sine vlla intermissione iugiter continuentur per eundem dominum Palatinum Posonij, assistentibus eidem cæteris quoq; Iudicibus, Protonotarijs, & Assessoribus, tunc ibidem secum existentibus. Aut si fortè eundem in aliquam expeditionem proficisci contingeret, ibidem, vbicunq; ipse pro tempore in ipsa expeditione fuerit, causæ illæ tantummodo, quæ ratione violentiarum, sub ipsius expeditionis tempore contingentium emerserint, iudicentur: quod sæpe aliâs factum fuisse constat. Comitatus tamen illi, quibus iudicia pro festo Epiphaniæ Domini Cassouiæ celebrari concessum est, pro huiusmodi iudicijs Locumtenentis continuis, Posonium vt ascendant, obligati esse nolunt, præterquã pro causis transmissionalibus. Impossibile id sibi fore affirmantes, tum propter hostes vbiq; vicinos, ac ceruicibus eorum imminentes. tum etiam propter viarum discrimina, ac itineris longinquitatem. Ac propterea supplicant Regiæ Maiestati, dignetur clementer hac in re, iustis eorum petitionibus acquiescere: parati nihilominus, si dominus Palatinus Protonotarium, aliumue Iudicem loco sui Cassouiam miserit, pro his quoque iudicijs continuis, eô, vel ad alium locum earum partium, qui commodior videbitur, proficisci.

Subsidium Regi offertur duorum florenorum. ART. III.

Subsidium ad gentes alendas datum.
Exigendi modus.

QVOD verò ad subsidium attinet, etsi satis iam superque miseri coloni, vbique locorum huius Regni oppressi, ac vexati sunt, non solùm à Turcis, quibus omnia seruitiorum, ac tributorum genera etiam grauissima exhibere iugiter compelluntur, verumetiam à nostratibus ipsis: insuper pestilentia, & alijs compluribus malorum generibus, adeò iam ad paucos redacti sint, vt parum, & illud quoque difficillimè ab ipsis iam exigi posse videatur. Rationibus tamen illis adducti, quæ ab eius Maiestate sunt in sua propositione connumeratæ, subsidium duorum florenorum duobus terminis, videlicet, pro primo termino festi Beati Michaëlis proximè futuro: pro secundo verò termino festi Purificationis Beatissimæ Virginis Mariæ subsequenti, singulo videlicet termino, singulos florenos, ex singulis eorum colonis, integris videlicet portis, iuxta superioris anni nouissimam constitutionem, pro hoc anno Maiestati suæ offerunt, ad gentes alendas, & munitiones. Fiatque connumeratio denuò præfati primi termini. Secundo verò termino, iuxta prioris termini connumerationem exigatur. Ita vt statim post reditum ab hoc Conuentu, sedes aut congregatio habeatur: ibique omnibus denuncietur, vt ad decimum quintum diem subsequentem, omnes Status parati sint, Dicatores, ex Camera Regia expediendos, in medium ipsorum admittere, & post alios quindecim dies, omni excusatione & tergiuersatione semota, subsidium ipsum, iuxta huiusmodi connumerationem, quilibet de bonis suis, in quibus facta erit connumeratio, ad manus ipsius Dicatoris administrare integrè faciat.

Milites continui, vt ex singulis centum colonis omnium Statuum duo intertENEantur in locis hic assignatis, & sub ductu eorum quorum nomina asscripta sunt.
ART. IIII.

DECRE-

DECREVERVNT insuper, præter subsidium Maiestati suæ decretum, ipsi quoque Ordines & Status, ratione bonorum suorum, ex singulis centum colonis, binos equites benè instructos armatosque, ad omnes emergentes necessitates continuè alere. Ità vt gentes huiusmodi in singulis Comitatibus, statim post reditum ab hoc Conuentu, iuxta connumerationem proximè præteritæ dicæ, de omnium bonis ordinentur & ad terminum per Capitaneum, sub cuius Capitaneatu militare debebunt, singulis Comitatibus significandum, ad loca, & Capitaneos inferius nominandos illicò expediantur. Videlicet gentes Nobilium, & aliorum Statuum, Comitatuum vltra Tybiscum, sub Capitaneatu domini Episcopi Varadiensis, qui nunc supremum Capitaneum in illis partibus agit. Comitatuum verò citra Tybiscum, sub Capitaneatu domini Gabrielis de Peren, qui similiter in illis partibus supremus est Capitaneus. Item Comitatuum Arua, Liptho, Turocz, Zoliensis, Hontensis, Barsiensis, & reliquiæ Comitatus Newgradiensis, circa montana, sub Capitaneatu domini Ioannis Balassa. Comitatuum verò Thrinchiniensis, & Nitriensis, circa & infra Nittram, sub eius Capitaneatum, quem dominus Palatinus constituerit. ITEM Comitatuum, Posoniensis, Camaroniensis, & Iauriensis, citra Iaurinum aut Comaron, similiter sub eum Capitaneum, qui fuerit per dominum Palatinum nominatus. Comitatus verò Sopronienses, Mosoniensis, Vesprimiensis, Castriferrei, Szaladiensis, & Simigiensis, ad loca confiniorum, quæ iussu domini Palatini commodiora visa fuerint, & sub Capitaneos per eum nominandos. Gentes etiam dominorum Prælatorum & Baronum, bini scilicet equites, similiter ex singulis Comitatibus, ratione bonorum suorum, præmisso modo, ad loca & Capitaneos prænominatos expediantur. *Continui militis intertentio primum decreta*

Hoc saltem admisso, quòd si quis dominus in aliquo Comitatu paucos tantummodo colonos haberet, vt vix ad intertentionem vnius equitis se extenderent, possit portio illa, quæ ex bonis illis paucis obtingeret, inter alias gentes, per talem dominum ex alijs bonis suis, in alijs Comitatibus existentibus, expediendos connumerari, ac præsentari. Lustratio autem huiusmodi gentium, tàm dominorum Prælatorum & Baronum, quàm Nobilium, & aliorum Statuum, modo infra scripto fiat. Videlicet, vt ex omnibus Comitatibus, Vicecomes, aut alius per Comitatum electus, ad loca & Capitaneos prænotatos, vel ad dominum Palatinum proficisci: & idem tàm gentes Nobilium præsentare, quàm etiam dominorum Prælatorum & Baronum modo simili, ex eisdem Comitatibus præsentandos inspicere debebit, ne aliqua fraus, aut defectus, in huiusmodi gentium conseruatione, per quempiam contingat. Neq; quisquam eorum, qui stipendium habet à Regia Maiestate, gentes stipendiarias pro his, quas ratione bonorum præsentare debebit, tempore lustrationis gentium stipendiariarum, ad stipendium præsentare præsumat. Alioquin si quis in tali fraude fuerit compertus, pœna debita, per dominum Palatinum aut Capitaneos puniatur. Quod si domini ac Nobiles, vel eorum aliqui gentes huiusmodi expedire recusarent, aut negligerent: extunc per Vicecomites bona talium hominum occupentur, occupataq; tàm diu teneantur, donec duplum eius, quod neglectum fuerit, ab eis exigatur: & nihilominus ad conseruandas gentes in posterum compellantur. Quòd si qui inobedientes, pro tali occupatione, contra Vicecomites insurgerent, Capitaneus quilibet in locis ditionis suæ Vicecomitibus assistat, & si is non sufficeret, dominus quoq; Palatinus contra huiusmodi inobedientes auxilio esse debeat. Nam si per Capitaneos, aut dominum Palatinum inobedientes ad conseruationem huiusmodi gentium pœnis præmissis non compellentur, Nobiles quoq; gentes suas, quæ per se exiguo numero essent, sine gentibus dominorum intertenere non debebunt. *Pro colonis in diuersis Comitatibus habitis, in vno loco quis militem lustrare alereuè possit.* *Vicecomes milites continuos Capitaneo præsentet.* *Milites Regij pro continuis nō lustrentur.* *Milites continuos alere recusantis, bona Vicecomes occupet, et duplū exigat.*

Decimarum ratione, Ecclesiasticæ personæ militem alant. ART. V.

PRÆTEREA domini quoque Prælati, & aliæ personæ Ecclesiasticæ decimas habentes, ratione decimarum suarum, quæ adhuc illis extant, siue in proprijs arcibus, si quæ illis cum Turcis sunt finitimæ, siue alibi inter gentes prædictas, ad publicam defensionem gentes alere teneantur.

Insur-

Insurrectio penes Regem, vel Palatinum cum fit, continui equites, gentibus, quas tunc quisque secum ducere tenetur, annumerentur. ART. VI.

PRÆTEREA, vltra hanc equitum continuam ad campestres necessitates conseruationem, constitutum est, vt ingruente maiori aliqua vi hostili, eodem modo & ordine insurgatur penes personam, vel Regiæ Maiestatis, si præsens adfuerit, vel domini Palatini, quo ordine quoque & modo superioribus annis, in proximis Conuentibus super his constitutum fuit. Ita tamen, vt inter gentes, quæ ad particularem expeditionem, iuxta prædictas publicas constitutiones, expediri & conseruari debent, bini equites, præmisso modo, continuè alendi, connumerentur.

Turcis vectigales coloni dimidium dicæ soluant, & ducenti duos equites continuos alant. ART. VII.

CÆTERVM tàm in contributione vtriusq; subsidij Regij, quàm etiam in conseruatione duorum equitum, visum est pauperes colonos, qui tributa Turcis, æquè ac Christianis pendunt, à media parte contributionis dicti subsidij immunes esse, & de singulis eorum ducentis, dictos binos equites ali debere. Quandoquidem miseri digni sunt, propter assiduas oppressiones, quas vtrinq; patiuntur, vt eorum ratio habeatur: quemadmodum & in proximis semper dicis dimidia tantum pars est ab eis exacta.

Tallerorum cusio relinquitur in statu eo, quo est, sed argentum etiam in talleris, in magna quantitate educi prohibetur. ART. VIII.

PRÆTEREA, licet Statibus & Ordinibus Regni statuendum esse omnino visum fuerat, vt tallerorum cusio, quæ in superiori Conuentu, ad multiplices Regiæ Maiestatis admonitiones, tandem per Status admissa fuerat, penitus aboleretur: propterea quod sine maxima Regni pernicie, cusionem ipsam diutius continuare non posse, Status ipsi sub hoc temporis spatio edocti essent. Quippe cum præter alias causas ab ipsis Statibus connumeratas, potissimùm ob bonitatem ligæ, qua talleri ipsi cuduntur, ingentem vim argenti è Regno in talleris indies efferri constat. Cum tamen Regia Maiestas, visa supplicatione ipsorum Statuum in hac parte, & articulo super ea re confecto, non ita esse eos informatos coniecerit, prout necesse fuisset. Ideoq; priusquam aliter in ea re statueretur, maturius deliberandum esse. Propterea visum est, vt vsq; ad felicem reditum suæ Maiestatis, vel ad alium vsq; Conuentum proximè celebrandum, tallerorum cusio in eo, in quo nunc est statu, permaneat. Quo tandem tempore Maiestas sua, cum ipsis fidelibus suis Ordinibus ac Statibus, id tractabit ac decernet in eo ipso negotio, quod pro commodo vtilitateq; Regni maximè esse fuerit compertum. Interimq; Maiestas sua mandare seriò non omittat, vt exportatio ista argenti per talleros, magno pondere, quoad eius fieri poterit, prohibeatur. Quemadmodum super eductione argenti, Maiestas sua semper prohibitiones fieri, & mandata sua, publicasq; constitutiones obseruari iubere nunquam omisit.

Supra Poson. ann. 54. art. 17

Libertates Regnicolarum in Tricesimis & tributis siue Telonijs seruentur. ART. IX.

CONSTITVTVM est etiam, vt quod in proximis Conuentibus semper supplicatum fuit suæ Maiestati, dignetur dominorum ac Nobilium, ciuitatumque liberarum ac Montanarum, & aliorum quorumuis Ordinum Regni, libertates, tàm in Vngaria, quàm Croatia & Sclauonia, in exactionibus Tricesimarum, ac quorumcunq; tributorum, iuxta tenorem præteritarum constitutionum, per officiales, tàm Vngaros, quàm externos, inuiolabiliter obseruari facere. Quemadmodum Maiestas sua, & antea semper ita fieri voluit, & nunc pro iustitia faciendum censet. Neque diffidunt, quin si quis libertatem suam, à quopiam Tricesimatore, vel alio Maiestatis suæ officiali, violatam senserit, & ad Consiliarios Cameræ suæ Maiestatis querelam detulerit, iustitiæ debitam administrationem semper obtineat, absque longo iuris processu.

Nouizo. an. 42 art. 48. Poson. an. 48. art. 56. an. 50. art. 66. & 54. art. 11.

A Tricesimatore læsus, querelam ad Cameram deferat.

Violentiæ

Violentiæ & oppressiones. ART. X.

CONSTAT præterea suæ Maiestati, hac de re quoq; sæpius supplicatum fuisse, vt iniuriæ, damna, violentiæ prohiberentur, quæ ex arcibus suæ Maiestatis, tàm finitimis, quàm aliter in manibus Maiestatis suæ existentibus, per officiales & milites ibi constitutos, contra vicinos Nobiles, miserosq; colonos indesinenter patrantur. Quum autem nunc quoque graues essent querelæ, de huiusmodi violentijs & oppressionibus, quæ ex prædictis arcibus Maiestatis suæ fiunt, adeò, vt pleriq; affirment, res & victualia omnia auferri, colonos ad opera compelli, prouentus ac decimas extorqueri, nullam denique iurisdictionem in bonis proprijs nonnullis esse relictam. Propterea nunc quoq; supplicant Status & Ordines dignetur his oppressionibus ac violentijs modum iam tandem imponi iubere, suorumq; officialium, ac militum licentiam coërcere. Qua de re Maiestas sua, & antea semper, & nunc iustitiam vnicuiq; iniuria vel damno affecto, sine cuiusquam respectu, administrari per Palatinum Regni constituit. Neque dubitant, quin ad particulares huiusmodi querelas, si quæ per quospiam, ad eius Maiestatem, aut ad serenissimum Regem Boemiæ, filium suum, in absentia sua delatæ fuerint, de opportuna iuris & iustitiæ administratione, ex parte cuiusuis Capitanei, militis, aut officialis Regij, debita omnibus semper facta sit relatio. *Querelæ assiduæ.*

Arcibus in confinijs positis Rex prouideat. ART. XI.

CÆTERVM, cum & antea plerasq; arces dominorum & Nobilium in confinijs positas, omnibusq; prouentibus destitutas, sine Maiestatis Regiæ prouisione conseruari non posse, in proximis Conuentibus declaratum sit, & nunc amissa superiori Æstate arce Filek, plura iam loca egeant eadem prouisione. Supplicant Status & Ordine, Regni, dignetur Maiestas sua ad hanc quoq; rem clementer ac maturè prospicere; quemadmodum alioquin Maiestas sua se prouisuram obtulit. *Arces finitimæ*

Iauriensis Ecclesiæ decimæ restituantur. ART. XII.

SVPPLICANT etiam, dignetur Maiestas sua decimas domini Episcopi Iauriensis, ex pertinentijs arcis Horusthain ad Episcopatum Iauriensem ab antiquo pertinentes, quæ sub nulla esse, neq; fuisse inscriptione dicuntur, sed tantum potentia mediante, per dominum Conradum de Feirsth, dictæ arcis dominum, perceptæ esse & percipi, visis iuribus domini Episcopi, & Ecclesiæ suæ Iauriensis, necnon tenore concordiæ inter serenissimos Principes, Maximilianum Imperatorem, ac Regem Vladislaum felicis recordationis, super his bonis impignoratitijs factæ, iuxta iuris ac iustitiæ ordinem, præfato domino Episcopo, Ecclesiæque suæ remitti facere. *Maximiliani Imperatoris, et Vladislai Regis concordia.*

Sententiæ inter Vngaros & Austriacos latæ, exequutioni demandentur. ART. XIII.

ILLAS præterea sententias, quæ iam dudum inter Vngaros & Austriacos pronunciatæ sunt, dignetur Maiestas sua exequutioni iam tandem demandari iubere, & illas quæ adhuc supersunt pronuncianda, ad finem deduci. Differentias etiam metarum inter Vngariam & Morauiam, iam tandem determinari, & omnino aliquando complanari, ne aliqui tumultus ibi oriantur.

Telonia ficta tollantur. ART. XIIII.

TELONIA ficta, iuxta proximorum Conuentuum constitutiones, Maiestas sua iam tandem per omnia remedia vbiq; tolli curare dignetur, ne diutius fideles sui hac in re damna & incommoda grauia, prout hactenus, patiantur.

Agriensis Episcopatus decimæ, ad conseruationem arcis eiusdem in specie colligantur. ART. XV.

STATVTVM est etiam, vt quum Regia Maiestas arcem Agriensem, ex qua nunc maioris Regni partis defensio conseruatioq; dependet, nec non arces, Saros & Murah, multasq; alias pro defensione harũ Regni partium grauissimis sumptibus conseruari ac

 commu-

communi curet, ac propterea decimas ad Episcopatum Agriensem pertinentes, in specie de omnium bonis in vsum prædictum colligi mandauerit: omnes domini ac Nobiles, cæterique Status, decimas ipsas de bonis suis integrè ad manus hominum suæ Maiestatis administrent, administrariq; faciant, nec quisquam sese in eas decimas, vel earum partem audeat violenter ingerere, vel decimatores Regios perturbare, sub pœna in cæteros violentos constituta. In perceptione autem, arendationeq; aliarum decimarum, quarumcunq; Ecclesiarum, is modus & ordo obseruetur, qui in constitutione super ea re superioribus Conuentibus facta, expresse continetur, neq; contra eam quispiam manus suas in ipsas decimas immittere audeat.

Decimarum arendatio fiat secundū priores constitutiones. Vide Posō. an. 54. art. 12.

Damna quibusuis per milites illata, secundùm factam inquisitionem, ex stipendijs militum reparentur. ART. XVI.

Poson. ann. 50. art. 8. Sopron. an. 53. art. 5. Poson. ann. 54. art. 2. Poson. ann. 63. art. 37.

PRÆTEREA supplicant Ordines & Status suæ Maiestati, vt iuxta deliberationem anno superiori factam, damna per milites suæ Maiestatis in bonis fidelium eiusdem illata, secundùm inquisitionem superinde factam, rectificari, ac de illis satisfactionem miseris damnificatis iam tandem impendi iubere dignetur: quemadmodum Maiestas sua, ex stipendijs ipsorum militum, damna ipsa reparari se curaturam clementer obtulit.

CONCLVSIO.

NOs igitur supplicatione præmissa dictorum fidelium nostrorum, dominorum Prælatorum, Baronum ac Nobilium, aliorumq; Ordinum ac Statuum huius Regni nostri Vngariæ, & partium illi subiectarum, clementer admissa, prædictos vniuersos articulos, omniaque & singula in eis contenta, præsentibus literis nostris de verbo ad verbum inseri & inscribi fecimus, eosdemq;, ac omnia & singula in eis contenta, ratos, gratos, & accepta habentes, Regium nostrum consensum beneuolum, pariter & assensum eisdem præbuimus, & illos, ac quæuis in eis contenta, nostra Regia authoritate acceptauimus, approbauimus, ratificauimus, & confirmauimus: offerentes nos clementer, quòd præmissa omnia, in omnibus punctis, clausulis & articulis, tàm nos ipsi obseruabimus, quàm per alios fideles subditos nostros, cuiuscunque status & conditionis existant, obseruari faciemus: imo acceptamus, approbamus, ratificamus, & confirmamus, harum nostrarum vigore & testimonio literarum mediante. Datum in nostra & Imperiali Ciuitate Augusta Vindelicorum, die prima mensis Augusti, anno Domini, Millesimo, Quingentesimo, Quinquagesimo quinto: Regnorum nostrorum, Romani Vigesimo quinto; aliorum verò Vigesimo nono.

FERDINANDI IMPERATORIS DECRETVM, ANNO DOMINI M. D. LVI.

Posonij editum.

NOS FERDINANDVS, diuina fauente clementia, Romanorum, Vngariæ, Boëmiæ, &c. Rex, semper Augustus, Infans Hispaniarum, Archidux Austriæ, &c. Memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes quibus expedit vniuersis: quòd domini Prælati, Barones, Nobiles, cæteriq; Ordines ac Status fideles subditi huius Regni nostri Vngariæ, & partium ei subiectarum, in generali Conuentu, pro festo Circumcisionis Domini, anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi sexti, hic Posonij celebrato, ex edicto nostro congregati, obtulerunt nobis humiliter infrascriptos articulos, in Conuentu ipso, communibus omnium votis conclusos, ad propositionem nostram eis factam respondentes: supplicaruntq; nobis humiliter, vt vniuersos & singulos articulos ipsos, omniaq; & singula in eis contenta, ratos, gratos, & accepta habentes, nostrumq; Regium consensum eisdem præbentes, authoritate & potestate nostra Regia acceptare, approbare & confirmare, atq; tàm nos ipsi obseruare, quàm per alios, quorum interest, obseruari facere dignaremur. Quorum quidem articulorum tenor sequitur in hæc verba.

Status & Ordines Regi se fortunasq́ suas submittunt, vitam pro eo profundere in omne tempus parati. ART. I.

PRAELATI, Barones, Nobiles, cæteriq; Ordines & Status Regni Vngariæ, fideles subditi sacræ Romanorum, Vngariæ, Boëmiæ, &c. Regiæ Maiestatis, domini & Regis eorum clementißimi, ex edicto Maiestatis suæ huc Posonium ad hoc tempus congregati: imprimis agunt atque habent sacræ eius Maiestati gratias immortales, pro omni benigna ac planè paterna voluntate, qua iam inde ab initio Imperij sui in Vngaria fideles suos Ordines ac Status eiusdem Regni sui prosequi, & defensioni, pacationiq; eiusdem Regni sui, modis omnibus prospicere dignata est, nullis neque laboribus, neque sumptibus, neque periculis aut molestijs, parcens: DEINDE optimum maximum precantur asiduè pro eius Maiestatis, serenißimorumq; liberorum incolumitate, ac sese, vitam, fortunasq́ eorum, in omne tempus, pro eius Maiestate profundere paratos humilimè offerunt.

Quòd Status in infrascriptos articulos conuenerint. ART. II.

DEINDE, cum ex sacræ Maiestatis suæ benigna significatione, ijdem Status & Ordines Regni certiores effecti sint, de his quæ inter eius Maiestatem, & Principem Turcarum, tum per Oratores, tum etiam per literas, proximis temporibus acta & tractata sunt, quæque nunc tractantur: tum ex admonitione benigna suæ Maiestatis, tum verò pro debito eorum officio, habitaq; ratione temporum ac rerum, penes alios apparatus, quos sacra eius Maiestas, & ex alijs Regnis ac prouincijs suis, ad omnes casus emergentes, pro fidelium, ac Regni sui defensione facturam se in hunc annum obtulit; Ipsi quoque in infrascriptos articulos, post maturam inter se deliberationem habitam, vnanimiter conuenerunt.

Oblatio subsidij duorum florenorum. ART. III.

PRIMVM, quòd omnes domini ac Nobiles, cæteriq; possessionati in Regno, cuiusuis ordinis & status, pro hoc anno, duos florenos Vngaricos, duobus terminis, videlicet, singulos florenos, singulo quoq; termino, de singulis eorum colonis, integris videlicet sessionibus, ad diuersas Regni necessitates, in Cameram Maiestatis suæ, iuxta connumerationem proximè præteritæ dicæ, dare & administrare teneantur: videlicet, pro primo termino ad festum Beati Ioannis Baptistæ proximè futurum: pro secundo verò termino ad festum omnium sanctorum immediatè subsequens. Qui quidem termini propterea longiores constituti sunt, quòd ad festum Purificationis Beatissimæ Virginis Mariæ proximè futurum, alter adhuc florenus, in proximè præterito Conuentu oblatus, superest exigendus.

Ad munitiones arcium, à singulis colonis denarios quinquaginta dari ad manus Vicecomitum decernitur, & à colonis centum, currus quatuor, pro mercede, in dies tres in eum vsum mitti. ART. IIII.

DEINDE, secundùm numerum colonorum, iuxtaq; connumerationem supradictam, domini ac Nobiles, cæteriq; possessionati, ratione singulorum colonorum, singulos quinquaginta denarios, de rebus ac prouentibus eorum proprijs, duobus terminis, videlicet, pro primo termino festo Purificationis Beatissimæ Mariæ virginis proximè futuro: pro secundo verò termino, festo supradicto Beati Ioannis Baptistæ, dare & persoluere, in vsumque muniendarum arcium, ac locorum inferius nominandorum, ad manus Vicecomitum vniuscuiusque Comitatus administrare teneantur. Quæ quidem pecuniæ, iuxta modum & limitationem inferius describendam, ad loca munienda, quæ similiter inferius explicabuntur, exponatur. Ad eandem quoq; locorum finitimorum munitionem, ijdem Status & Ordines, de singulis centum eorum colonis, quatuor currus, qui per tres dies, in munitionibus huiusmodi faciendis seruiant, mercede videlicet diurna eisdem persoluenda, obtulerunt modo infrascripto. Debebuntq; non plures, quam quatuor equi, singulis huiusmodi curribus iungi, quibus per diem octoginta denarij

Hic primum ad munitiones confiniorũ pecunia exigi cœpit

Hæc amplius non obseruatur

narij Vngarici, vna cum hominibus currus sequentibus persoluantur: neq; plures, quàm sex boues quibus sexaginta denarij, cum eorum hominibus per diem numerentur. Ijdē autem currus & iumenta, hominesq; cum eisdem existentes, vltra spatium prædictorum trium dierum, ad opera illa non compellantur, neq; homines ipsi verberentur, vti à quibusdam externis officialibus, Iaurini præsertim sæpe accidit: alioqui liceat eis vel ante præfinitum tempus domum reuerti, nec ex eo Comitatu, vbi aliquid huiusmodi acciderit, plures postea currus ad opera mittentur. Ad eadem autem, & reliqua opera, operarios sine curribus & iumentis inuenire posse existimatum est, præsertim si Maiestas sua, ex pertinentijs arcium suarum, Posoniensis, Camaroniensis, Owar, & reliquarum, operarios dimitti, iuxta constitutionem, iusserit & ex pertinentijs quoq; arcium ad Austriam oppignoratarum, quarum conseruatio ex Iaurino & Papa dependet, quæq; ex contractu Principum, talia omnia onera, in medio Vngarorum subire debent, id fieri non negligat. Maiestas quoq; sua, operarios Boëmos, ad eadem opera, Iauriensis imprimis ac Papensis munitionis conduci facere, tempestiuè dignetur.

Coloni vltra spatium trium dierum non detineantur in labore munitionum, nec verberentur.

LIMITATIO SVPER DISTRIBVTIONE TAXÆ QVINQVAginta denariorum, nec non curruum ad munitionem finitimorum locorum oblatæ.

Comitatus Szaladiensis labores. ART. V.

PRIMO, Comitatus Zaladiensis, domini scilicet & Nobiles in eo Comitatu bona habentes, ita inter se concordarunt, vt qui in eo Comitatu arces suas, ex citeriori parte fluminis Zala, versus Turcas habent, operas suorum colonorum, tam curruum, quàm laboratorum, in proprijs eorum castris impendere ac locare; qui verò Nobiles, & alij possessionati, arces & castra non habent, debebunt dare operas & currus, modo supradicto, ad Szenth Grotth.

Tres partes Comitatus Szaladiensis quorsum labores præstent. ART. VI.

DEINDE reliqua pars Comitatus Szaladiensis diuidi debet in tres partes æquales, quarum prima tertia pars, quæ videlicet videbitur proximior, ad Szent Grotth, dabit currus & laboratores ad eundem locum: alia verò tertia pars eiusdem Comitatus, quæ videlicet est proximior, dabit currus & laboratores ad Kanisam: & similiter tertia pars, in qua includi debet omnis illa Regio inter Drauam & Muram, laborabit in tribus locis, nempe Chorgo, Berzencze & Vizuar.

S. Gothardus, Kanisa, Berzenceze, Chorgo, Vizuar.

Præpositura veteris Budensis, & Albæ Regalis labores. ART. VII.

HOC tamen adiecto, quòd vniuersa bona, quæ dominus Vesprimiensis possidet, tàm ratione Episcopatus, quàm Præpositura veteris Budensis, Albæ Regalis, & Prioratus Löuöldiensis, & alia quæ habet in Comitatu Szaladiensi, & Simigiensi, sunt deputata ad arces eiusdem domini Episcopi, Simegh, & Comar: ita videlicet, quòd quia fortalicium Comar, magis indiget munitione, ea propter in eodem fortalicio Comar, tres partes omnium præfatorum bonorum suorum debebit administrare & laborari facere: quartam verò duntaxat partem, in arce Simegh, quæ est longè munitior.

Prioratus Louoldien. Symegh, Komar.

Per Comitem gratuiti labores, cum Birsagio solito exigendi. ART. VIII.

PRO fideli autem administratione, & exequutione omnium præmissorum, ordinatum est: vt si quis labores prænotatos, prout ordinati sunt, laborari facere, aut pecuniam, currus, & laboratores conferre neglexerit, tunc Comes, aut Vicecomes illius Comitatus, per eadem onera & Birsagia, per quæ contributio Regiæ Maiestatis exigi consueuit, tales negligentes compellendi, vigore præsentis constitutionis, plenariam habeant facultatis potestatem: Qui si insufficientes ad hoc forent, tunc dominus Palatinus per eosdem requisitus, eosdem adiuuare teneatur.

Idem infra eod. art. 11.

Comita-

Comitatuum Sopronienſis & Veſprimienſis labores. ART. IX.

COMITATVS verò Sopronienſis, Veſprimienſis, & Caſtriferrei, tàm domini, quàm Nobiles, ita concordarunt, quòd medium florenum ex burſa ipſorum dabunt ad munitionem Papenſem: ita vt ex ea pecunia ſoluatur, tàm curribus, quàm laboratoribus, qui cum eis fuerint, modo in articulis iam expreſſo. Quod verò pertinet ad alios laboratores perſonales, ordinatum eſt: vt ſi dominus illius arcis, quæ debet muniri, poterit pro pecunia laboratores inuenire, tunc ſolummodo illa pecunia, quæ vltra ſolutionem curruum prænotatorum reſtabit, aſſignetur illa ad manus hominis deputati, qui huiuſmodi laboratoribus per dominum loci inuentis, ſoluat per denarios decem Vngaricos in quemlibet diem. Si verò laboratores etiam per dominum loci pro pecunia inueniri non poterunt, tunc ſinguli domini & Nobiles, ac quiuis poſſeſſionati, teneantur de ſingulis colonis, iuxta dicam mittere, per tres ſingulos dies, tres laboratores de bonis ipſorum, quibus ſingulis omni die ſoluantur de præfata pecunia decem denarij Vngarici: & vltra præfatos tres dies, nullo modo amplius laborare cogantur; ſed cum illa reſidua pecunia, quæ adhuc ſupererit, vltra ſolutionem curruum, & dictorum trium laboratorum, debebunt laboratores conquiri pecuniarij, vndecunq; fieri poterit, ita quòd nullorum coloni amplius inuiti ad labores quoſpiam cogi debebunt.

Labor diurnus ad denar. decẽ eſtimatur.

Comitatuum Poſonienſis, Iaurienſis, & Moſonienſis labores. ART. X.

IN Comitatibus verò Poſonienſi, Iaurienſi, & Moſonienſi, ad arcem Iaurienſem: In Comarom verò ad Comaronienſem, de omnium bonis, demptis bonis domini Reuerendiſſimi Strigonienſis, extra Inſulam in eiſdem Poſonienſi ac Comaronienſi, cæteriſque quibuſuis Comitatibus circa Danubium exiſtentibus, quæ ad arcem eiuſdem laborare debebunt, limitatæ ſunt operæ & currus eo modo. Quòd ſi ibidem Iaurini & Comaronij currus & laboratores reperiri poterunt, ex tota ſumma contributionis medij floreni, per hominem Comitatus cuiuslibet, ibidem curriferis & laboratoribus ſecundùm morem, quo Viennæ ſolui ſolet, ſingulis diebus ſolutione facta, exponatur. Quòd ſi currus & laboratores in eiſdem bonis reperiri non poterunt: extunc ex eiſdem Comitatibus, tàm de bonis Regiæ Maieſtatis, quàm etiam dominorum & Nobilium, ſecundùm quantitatem ſummæ huiuſmodi quinquaginta denariorum, connumerationemq; dicæ Regiæ proximè præteritæ, imponantur, ac vt præmiſſum eſt, ex Comitatibus Iaurienſi, Moſonienſi, & Poſonienſi, Iaurinum: ex Comaronienſi autem Comitatu, ad Comarom, per vices tranſmittantur, vſquequo tota ſumma huiuſmodi quinquaginta denariorum, curriferis & laboratoribus ipſis integrè diſtributa & expoſita fuerit, nec vlterius coloni eorundem Comitatuum, vel nunc, vel inpoſterum ad currus, vel laboratores in ea loca dandos, per Capitaneos aut Præfectos laboratorum eorum locorum compellantur. Maieſtas autem Regia, colonos etiam ſuos, in præfatis Comitatibus, ad arces Poſonienſem, Owar, & Comaronienſem pertinentes, ad præfatos labores, ſimul cum colonis Nobilium eorum Comitatuum, modo præmiſſo faciendos, compelli ſimiliter cum alijs mandare dignetur. Nam alioqui domini quoq; & Nobiles, colonos ſuos difficillimè ad ipſos labores compellere poterunt, vbi colonos ſuæ Maieſtatis, quorum etiam ſalus & permanſio cum ipſis æqua eſt, nulla onera ferre conſpexerint.

Inſula, id eſt, Challokoz.

Comarom.

Birſagium quo coloni ad labores compellantur. ART. XI.

QVÒD ſi coloni, tàm Regiæ Maieſtatis, quàm dominorum, ad huiuſmodi labores non tranſmittuntur, extunc omnes tales, ſub eadem mulcta ſeu Birſagio, ad ipſos labores compellantur, ſub qua mulcta, ſubſidia & contributionis Regiæ Maieſtatis, ad Regni defenſionem oblatæ, ab illis, qui ſoluere nollent, exigi conſueuerunt.

Birſagium, id eſt, mulcta. Supr. eod. art. 8

Comitatuum Nittrienſis & Thrinchinienſis labores. ART. XII.

IN Comitatibus autem Nittrienſi & Thrinchinienſi, inter dominos & Nobiles eorum Comitatuum, ita concluſum eſt: vt opera & currus huiuſmodi, de bonis Reuerendiſſimi

dissimi domini Strigoniensis, tàm in eisdem Comitatibus, quàm etiam Barsiensi, & alijs Comitatibus circa Danubium, nec non Capituli Ecclesiæ suæ, ac Præpositura de Thurocz, simul etiam domini Andreæ, de Bathor, ad munitionem arcis eiusdem domini Strigoniensis Vywar tradantur.

Vywar.

Ad munitionem Suran labores. ART. XIII.

DOMINI autem Orszagh bona, vna cum bonis domini Banffij, & Præpositi de Vyhel, ad munitionem Suran.

Suran.

Ad arcem & ciuitatem Nittriensem labores. ART. XIIII.

Arx et ciuitas Nittriensis.

BONA verò domini Episcopi Nittriensis, vna cum bonis domini à Pernstein, ac totius Comitatus Thrinchiniensis, nec non tertia parte bonorum Nobilium Comitatus Nittriensis, ad munitionem arcis & ciuitatis Nittriensis operas præstent.

Labor bonorum Nobilium Comitatus Nittriensis cum bonis familiæ Forgach, ad Komiathi deputatus. ART. XV.

RELIQVA verò bona Nobilium eiusdem Comitatus Nittriensis, ad munitionem castelli Nobilium Forgach, vna cum bonis eorundem Forgach conuertantur, habeantq; Comitatus ipsi hominem suum, in expositione huiusmodi pecuniæ, penes hominem dominorum, quorum loca fuerint munienda. Si quis dominorum aut Nobilium, aliorumue possessionatorum, non solueret pecuniam hanc, ad munitionem arcium, præmisso modo, decretam vel solutam, iterum receptam non exponeret in vsum munitionis sibi designatæ, vel per eum vltrò assumptæ, talis domini aut Nobilis, alteriusuè possessionati bona occupentur, & duplum eius taxæ exigatur, exponaturq; per Vicecomites ad munitiones eius loci, qui in eo Comitatu magis videbitur munitione indigere.

Comitatuum Thurocz, Arua, Lipto, Zolyom, Bars, & Hont labores. ART. XVI.

Ex Comitatibus quoque Thurocz, Arua, Lipthouiensi, Zoliensi, nec non Barsiensi & Hontensi, ad arcem Leua, contributio & currus præfati, modo supradicto dimittantur. Exceptis tamen bonis domini Strigoniensis proprijs, & Capituli Ecclesiæ suæ, & Præpositura de Thurocz, vti supradictum est.

Comitatuum partium superiorum labores. ART. XVII.

COMITATVS autem partium superiorum, qui hactenus quoq; ad Agriam laborarunt, ad eius arcis munitionem itidem se paratos offerunt. Comitatus verò, qui circa Tybiscum, tàm citra, quàm vltra sunt, nullam oblationem ad huiusmodi munitiones locorum facere poterant, cum nuncij eorum tale mandatum vel instructionem secum non attulisse asserant à suis Comitatibus. Sperant autem cum domum redierint, mutuis inter fratres eorum consilijs habitis, ad munitionem, vel Agriensem, vel quæ trans Tybiscum sunt, ad Varadinum, vel Gyula, contributiones huiusmodi conferre non detrectabunt.

Tybiscus. *Agria.* *Varadinum.* *Gyula.*

Locorum muniendorum situs benè consideretur, ad quam rem Architectos Rex mittat. ART. XVIII.

MAIESTAS autem sua Architectos peritos, ad loca magis præcipua tempestiuè mittere dignetur, qui diligenter locorum muniendorum situs, & spatia munienda considerent, ac designent, nec vti aliquot in locis, tanto spatio munitiones comprehendantur, vt immensis demum sumptibus, ad præsidia eorum locorum opus sit.

Architecti in Vngariam accersendi.

Equites tres ratione centum colonorum continuè alantur, ijs locis, quibus antea duos ali decretum fuerat. ART. XIX.

STATVERVNT præterea Status & Ordines Regni, vt loco duorum equitum, qui iuxta conclusionem proximè præteritæ Dietæ, ex singulis centum colonis, continuè ali debebant, inposterum terni equites, ex singulis similiter centum colonis alantur iugiter, ad-

Continui equites tres alantur à colonis centum.

ter, ad continuam Regni defensionem, penes alias gentes suæ Maiestatis. Qui quidem equites, in his locis, & penes eos Capitaneos permaneant, penes quos illos equites, in proxima Dieta permanere debere fuerat constitutum. Eo tantum excepto: quòd si quis dominorum, in pluribus Comitatibus distracta bona haberet, vt duo solummodo, aut tres vel circiter equites, ex bonis alicuius Comitatus per eum expediendi forent, possint hi pauci inter alios expediri, qui maiori numero de bonis alterius Comitatus vicinioris, vbi illi domino plura bona fuerint, erunt expediendi. Specialiter autem Reuerendissimus dominus Strigoniensis. ratione bonorum suorum, ac Capituli Ecclesiæ suæ, & Præpositurae de Thurocz, gentes suas huiusmodi in confinijs, apud arcem suam videlicet Wywar, quæ in faucibus hostium posita est, tenere, & nihilominus cum gentibus Comitatus, vbi in expeditionem aliquam. penes dominum Palatinum, vel aliquem Capitaneum Regium, aut Regni, gentes ipsius Comitatus aliquo ire opus est, ipse quoq; Strigoniensis dimittere debeat.

Idem Poson. an. 55. ar. 4.

Nobiles in expeditionem generalem, à centum colonis decem equites, tribus continuis militibus inclusis, & totidem pedites: dimidium eius à colonis, Turcis vectigalibus mittant. ART. XX.

AD generalem autem expeditionem, penes personam sacræ Regiæ Maiestatis, vel serenissimi eius filij, statutum est, vt omnes domini ac Nobiles, cæteriq; possessionati in Regno, decem equites benè armatos & instructos, sumptibus eorum proprijs, ex singulis centum colonis, computatis videlicet illis tribus equitibus, continuè alendis: coloni itidem omnes, ex singulis eorum centum, decem pedites pixidarios, ac benè armatos, sumptibus ipsorum, penes supradictos equites dimittere, duranteq; expeditione, continuè tenere debeant, sub pœna in Decreto generali expressa. Hoc tamen specialiter declarato, quòd coloni qui Turcis quoq; tributa pendunt, ad mediam tantum partem omnium onerum, contributionumq; & laborum supradictorum teneantur.

Expeditionis generalis apparatus.

Expeditioni generali, tàm domini, quàm Nobiles viritim interesse tenentur. ART. XXI.

PRÆTEREA omnes domini ac Nobiles, cæteriq; possessionati, viritim cum personis eorum, penes eandem personam suæ Maiestatis, vel serenissimi eius filij pari ratione armati conuenire, & quamdiu huiusmodi generalis expeditio durauerit, proprijs sumptibus permanere debeant, modo videlicet & ordine, super huiusmodi generali expeditione, in articulis Conuentus Tirnauiensis, anni Millesimi, Quingentesimi, Quadragesimi quinti latius descripto. Nobiles quoque vnius sessionis, ex singulis tribus integris curijs Nobilitaribus, equitem vnum benè armatum instructumq;, ad eandem generalem expeditionem mittere, & vsq; ad finem tenere debeant.

Nobiles vnius sessionis, à tribus portis, vnũ equitem.

Expeditio generalis. ART. XXII.

AD particularem verò expeditionem, statutum est, vt si quæ hostilitas de improuiso emergeret, qua vel arcem obsideri, vel aliquid huiusmodi grauius, in perniciem alicuius partis Regni, iusti exercitus specie, ab hostibus fieri contingeret: ad quam quidem hostilitatem arcendam, dominum Palatinum, pro sui officij ratione, insurgere opus foret, præter illos ternos equites, quos continuè ali oportere constitutum est, penesq; alias gentes Regiæ Maiestatis, præmisso modo, continuè ad Regni defensionem alendas, omnes domini ac Nobiles, qui periculo expeditioniq; illi hostili fuerint viciniores, cum eorum quoque personis proprijs (exceptis videlicet officialibus, aut seruitoribus dominorum in seruitijs eorum occupatis, vel in castris, arcibusue officia gerentibus, qui tamen omnes loco personarum suarum sufficientes equites mittant) penes personam domini Palatini insurgere teneantur. Nobiles quoq; vnius sessionis, ex singulis quinq; curijs Nobilitaribus, vnum equitem benè instructum armatumq; dimittere, & vsq; ad eius particularis expeditionis finem ibidem, sumptibusq; eorum proprijs tenere debeant.

Expeditionis particularis apparatus.

In particulari expeditione Nobiles in personis proprijs penes Palatinũ insurgant.

Nobiles vnius sessionis ex quinq; curijs vnum equitem mittant.

Rebelles, inobedientes, pacis turbatores, literarum & mandatorum Regiorum contemptores puniantur. ART. XXIII.

Regiarum literarum & mandatorum contemptores puniantur.

QVIA verò vnionem & mutuam concordiam in Regno hoc maximopere pernecessariam esse Status Regni iudicarunt, statutum est, vt omnes rebelles & inobedientes, pacisque publicæ turbatores, ac legum, Regiæq; authoritatis & mandatorum contemptores, qui nunc sunt, vel inposterum extiterint, sine mora in exemplum aliorum, iuxta constitutiones præteritorum Conuentuum, per Regiam Maiestatem puniantur, sine cuiusque delectu personæ.

Francisci Bebek proscriptio, & seruitorum eius. ART. XXIIII.

Franciscus Bebek proscriptus

ET quia Franciscus Bebek de Pelsöcz, & Georgius eius filius, & antea palàm sese rebelles atq; inobedientes Maiestati suæ declarare non formidarunt, & proximè citati, in præsentiam suæ Maiestatis comparere, seque de obiectis rebellionibus, aliorumq; facinorum criminibus expurgare penitus contempserunt. Propterea iuridico processu, in hoc generali Conuentu contra ipsos facto, seruatisq; de iure & constitutionibus publicis, in huiusmodi seruari debitis, sacræ eius Maiestatis Regiæ primùm, ac deinde omnium Ordinum ac Statuum, Regniq; vno eodemq; consensu, sententia contra eos lata & pronunciata, infidelitatis nota damnati, & publicè proscripti sunt: addito insuper, quòd omnes seruitores, & adhærentes eorundem Francisci, & Georgij Bebek, cuiusuis ordinis & status, nisi infra spacium quadraginta dierum, à die pronunciationis sententiæ prædictæ, hoc est, feria quinta proxima ante festum Conuersionis Beati Pauli Apostoli, ab eorundem seruitijs & factione discesserint, seseq; fideles & obedientes sacræ Regiæ Maiestati apertè ostenderint, in eandem & ipsi pœnam eo facto incurrisse dignoscantur.

Religionis negotium. ART. XXV.

Poson. ann. 48. art. 5. & seque. ann. 50. art. 12. an. 52. artic. 7.

CÆTERVM, in negotio Religionis statutum est, vt iuxta constitutiones proximorum Conuentuum, tàm domini Spirituales quàm etiam laici, studeant officio vtriq; eorum facere satis, neque alterutra pars, in alterius officium se ingerat, quemadmodum pietas in DEVM optimum maximum sanè requirit.

Anabaptistæ Regno eijciantur. ART. XXVI.

Adde Poson. an. 48. art. 11.

STATVTVM est etiam, vt Anabaptistæ omnes de omnium dominorum bonis, ac Nobilium, cæterorumq; possessionatorum, infra spacium quatuor hebdomadarum, sub grauissimæ Regiæ Maiestatis indignationis pœna, è Regno penitus eijciantur.

Colonis vetus migrandi, & eos traducendi ex integro facta & restituta libertas. ART. XXVII.

Migratio colonis tandem plenè concessa. Hæc constitutio de migratione colonorum iam seruatur. Si iura antiqua videre libet. Math. Sext. art. 39. Et Vlad primo ar. 93. et 94. E Secund. 18. & 22. art. 18. & 22.

CVM autem modis omnibus DEI optimi maximi indignationem à se auertere, & benignitatem conciliare, Ordines & Status Regni omninò cupiant, sacræ Regiæ Maiestatis, pijs, paternisq; monitis inhærentes, migrationem colonorum, vbiq; locorum vnanimi consensu liberam, in reliquum tempus perpetuam esse statuerunt: ita duntaxat, vt in dimittendis colonis ipsis de bonis vnius ad alterius bona (quæ tamen libertas migrandi ex vno loco in alium, intra Vngariam, & eius partes, non extra Regnum concessa semper intelligatur) is modus, idemq; ordo obseruetur, qui olim obseruari solitus fuit, priusquam videlicet libertas hæc, multis ante annis colonis fuisset adempta.

Colonum migrare volentem, Iudex nobilium cum iurato licentiet, & traducat. ART. XXVIII.

Licenciandi colonos modus.

QVOD si quis colonorum dominorum Prælatorum, Baronum, Nobilium, vel aliorum Statuum possessionatorum, de bonis domini sui aliò migrare voluerit: extunc vnus ex Iudicibus nobilium, cum altero iurato Nobile illius Comitatus, vbi colonus ipse residet, ad requisitionem illius domini, vel Nobilis, ad cuius bona colonus migrare voluerit, ad facies illius ciuitatis, aut oppidi, vel villæ, vbi scilicet talis colonus discedere volens residet,

resideat, accedat, & ibidem talis colonus Iudici illius loci, coram ipso Iudicenobilium & iurato, terragium suum, quod duobus denarijs Vngaricis antiquitus consuetum fuit, deponat, & licentiam denunciet. Quo facto, ipse Iudexnobilium, decimum quintum diem, die huiusmodi denuntiationis præfigat, vt si fortassis interim colonus discedere volens, vel ad petitionem domini sui prioris, vel aliter sponte & liberè ibidem permanere voluerit, sit in eius arbitrio: vel si permanere noluerit, sub id tempus, de omnibus debitis suis, quibus fortassis domino suo ratione census, vel aliter tenetur, satisfaciat. Alijs etiam, tàm colonis, quàm hominibus & seruitoribus domini sui prioris, si quibus debet, similiter satisfaciat, & si quid contra eos deliquisset satisfaciat. Domum etiam seu sessionem suam, si fortasse sua negligentia in aliqua parte desolatam reddidisset, reformare debeat. Ipso verò decimo quinto die adueniente, præfatus Iudexnobilium cum iurato Nobile, rursum ad facies dicti loci accedat: vbi si colonus talis migrare omnino volens, tàm dominum suum, de omnibus debitis, aut alijs, si quibus fortassis illi tenebatur, quàm etiam homines, & colonos, aut etiam officiales suos, nec non alios in eodem loco residentiæ suæ existentes, atq; de iniurijs seu delictis fortasse commissis contentos reddiderit: desolationes etiam, quas in sessione seu domo sua quam inhabitabat negligenter fecisset, reformauerit, benè quidem, alioqui idem Iudexnobilium, cum iurato Nobile, in facie eiusdem loci, de prædictis omnibus debitis, tàm domino talis coloni, quàm etiam hominibus & colonis, seruitoribusq; eiusdem quibuslibet, & vbicunq; residentibus, ac alijs incolis villæ eiusdem, nec non de iniurijs & maleficijs, si quibus accusatus fuerit, iudicium & iustitiam facere & administrare, ac quicquid talem colonum domino suo, vel hominibus, aut colonis suis debere, aut debuisse iure mediante comperiet, eundem colonum ad omnimodam super his satisfactionem, domusq; suæ fortassis negligentia desolatæ, ædificationem compellet: habitaque tandem super his omnibus debita satisfactione & contentatione, mox ipse Iudexnobilium, præsente dicto iurato Nobile, colonum talem, cum omnibus rebus & bonis suis, ad illum dominum, seu Nobilem, quo colonus migrare constituerat, liberè transferre faciat, & illi, aut homini illius abducendum in manus assignet. Et si quæ partium ipsarum Iudicisnobilium & iurati Nobilis iudicio contenta esse noluerit: extunc liceat illi parti de præsentia eorundem Iudicisnobilium & iurati Nobilis, in præsentiam Comitis, ac Iudicum nobilium & iuratorum Assessorum eiusdem sedis iudiciariæ illius Comitatus, in qua ipsa migratio colonorum agitur, appellationem facere. Ibiq; in sede statim, extra omnem seriem causarum, in prima sede, reuisa, per eosdem Comitem & Iudices nobilium, ac iuratos Assessores, causa coloni migrantis, ipsam Vicecomitis & Iudicum nobilium, ac iuratorum Assessorum iudiciaria superinde deliberatione, ambæ partes pro rato & grato habere debeant, nec liceat vni vel alteri partium ipsarum, de eorum præsentia in Curiam Regiam appellationem facere amplius. Hoc etiam declarato, quòd si quis dominorum & Nobilium, ac possessionatorum, colono suo cuipiam, ad eius supplicationem libertatem fortassis de censu, vel alijs prouentibus suis concessisset, & sic tandem colonus, statim, expleta libertate, perceptis tamen vsibus & vtilitatibus sessionis suæ, malitiosè, & in defraudationem domini sui, aliò migrare vellet, tales quoque census & prouentus, domino suo volente & postulante, antequam transmigraret, persoluere teneatur. Contributiones etiam & subsidia Regiæ Maiestati, ac ad alias Regias & Comitatus necessitates, defensionemq;, ordinata, vel in Comitatibus decreta, talis colonus de domo sua, antequam transmigret, persoluat: ita quòd dominus vel Nobilis, ad cuius bona colonus transire vellet, non aliter possit illum abducere, nisi prius pro eodem, domino suo priori persoluat, omnes tales contributiones, quæ in publicas institutiones, vsq; ad alteram proximam connumerationem, de domo sua ex qua discedit, soluere debeat, ne eo discedente ex domo sua, in his soluendis, per discessum suum defectus fiat.

Colonus migrare volens terragiũ deponat.

Colonus antequam migret, de quibus expedit, satisfactionem impendat.

Desolationes colonorum migrantium.

Appellatio à deliberatione Iudicis nobiliũ ad sedem Comitatus, in causa migrationis.

Appellatio in Curiam Regiã non admittitur, in causa migrationis.

Coloni transmigrantis domus, domino terræ cedit, nisi eam, intra decimum quintum diem alteri vendiderit. ART. XXIX.

QVOD

QVOD si colonus quispiam, domum suam, per eum fortassis pecunia emptam, aut suis sumptibus ædificatam, alicui probo & honesto viro vendere, & illum in ipsam domum suam, domino suo, tanquam colonum, tempore præmissæ transmigrationis suæ collocare poterit, liberè id facere possit: si tamen vsq; suam transmigrationem non venderet, & in illam colonum idoneum, probum, & honestum locare non poterit, domus talis domino terrestri liberè remaneat, & liberè cui voluerit illam dare, & conferre, aliumq; colonum in illam collocare possit & valeat. Quòd si colonus talis aliò commigrans, vineas ac terras, seu prata propria, non ad domum seu sessionem, quam inhabitabat, spectantia, sed hæreditaria, aut extirpatitia habuerit, tales vineas, terras & prata idē colonus, etiam sub illo domino, ad cuius bona migrare voluerit, liberè possidere, & eis frui possit. Domino tamen suo priori, veluti terrestri, prouentus omnes, de vineis Nonas seu Akones; de terris autem, Nonas seu capetias, aut fruges; de pratis etiam prouentus & munera debita persoluat, iuxta loci consuetudinem: si tamen dominus ipse terrestris, tales vineas, terras & prata, coloni sui aliò transmigrantis, secundùm iura & leges Regni, æstimatione mediante, ad se redimere voluerit, id more consueto, & lege Regni, liberam faciendi habeat facultatem.

Colonorum migrantium vineæ, terræ, prata et extirpatitia.

Colonum ritè transmigrantem retinens, puniatur, primò in florenis centum, secundò in florenis ducentis, tertiò in amissione possessionis. ART. XXX.

SI quis colonum suum aliò migrare volentem, habitis & completis præmissis modis transmigrationis, temerè retineret, & transmigrare non pateretur: extunc, ternis terminis, per eundem Iudicem nobilium præfigendis, post primam in centum, post secundam in ducentis florenis Vngaricis, post tertiam verò admonitiones, si liberam transmigrationem non admitteret, in amissione illius ciuitatis, vel oppidi, aut villæ, vel portionis ibidem habitæ, in qua talis colonus residebat, partim Vicecomiti & Iudicibus nobilium, tanquam Iudicibus partim verò actori conuincatur. Locus tamen talis communi æstimatione per conuictum, seu eos, quibus competit, ab ipsis, actore, & Vicecomite, ac Iudicibus nobilium, redimi possit.

Migrare volentem colonū retinētis pœna

Colonus clàm vel fugitiuè à domino terræ discedens, aut se vi abduci faciens, vbi iq; capiatur, & bona eius tàm mobilia, quàm immobilia, ad dominum terræ, à quo fugit, deuoluantur. ART. XXXI.

SI verò colonus cuiuspiam, non obseruatis præmissis modis transmigrationis, ad aliena bona se vel clàm, vel fugitiuè moraturum conferret, vel violenter abduci faceret: extunc omnes hæreditates, & bona mobilia, & immobilia, talis coloni in bonis & ditione domini sui existentia & habita, in eundem dominum suum terrestrem, more antiquitus semper obseruato, deuoluantur, & per eum liberè occupentur, & auferantur. Ac insuper, si talis colonus in aliquo loco extra villam, in quam malè, & contra modum transmigrationis se contulerat, per dominum suum, vel homines suos reperiretur, eum dominus suus, si sine suo periculo & læsione id facere poterit, captiuare, & ad propria reducere, omnimodam habeat facultatem. Si tamen captiuare non poterit, vel noluerit; extunc medio vnius Iudicis Nobilium, & Iurati Nobilis, talem Iobagionē suum, vel vi abductū, vel clàm discedentem, facta eiusdem Iobagionis in bonis illis, quo abductus, vel clā aufugit, demonstratione, ac violentæ abductionis, vel fugitiuæ discessionis, coram eodem Iudice Nobilium & iurato Nobile, legitima verificatione, dominum seu Nobilem talem, in cuius bonis talis colonus compertus fuerit, medio Iudicis seu officialis eiusdem loci, ad reddendum priori domino suo talem Iobagionem legitimè admoneat. Qui si facta eiusdem admonitione mox restituerit benè quidem: alioqui idem Iudex Nobilium, decimum quintum diem, vel si fortasse dominus vel Nobilis admonitus in longinquiori loco resideret, vigesimum, aut etiam tricesimum secundum diem, pro termino præfigat: ad quem præfatus Iudex Nobilium, cum Iurato Nobile, ad faciem villæ seu loci accedens, dominus vel Nobilis per se, vel officialem, aut Iudicem suum colonum talem, sub

Bona coloni fugitiui.

Colonus fugitiuus capi extra villam potest.

Colonus fugitiuus quomodo repetendus.

pœna

pœna centum florenorum restituere teneatur. Et si ipso termino non restituerit, secundum quoq; terminum, pro tali reddendo colono, sub pœna dupli præfigat. Et si in ipso quoq; secundo termino colonus restitutus non fuerit, tertium quoq; terminum ad reddendum colonum eundem, sub pœna amissionis illius loci, aut portionis talis domini, vel Nobilis præfigat. Et si restituere recusauerit, super præmissis omnibus pœnis, partim actori, partim Vicecomiti, & Iudicibus Nobilium, per eundem Vicecomitem & Iudices Nobilium, debita executio & satisfactio impendatur. Villa tamen seu portio, vel bona occupata per dominum aut Nobilem conuictum, vel quorum interest, communi eorundem æstimatione, è manibus actoris & Vicecomitis, ac Iudicum Nobilium redimantur. Et quòd Maiestas quoque Regia, in omnibus suis bonis prænotatis, præmissam colonorum transmigrationem, dimissionemq;, vel qui violenter ad bona sua Regia abducti fuerint, vel clàm aufugerint, restitutionem, eisdem modis, & iudiciorum oneribus fieri & obseruari facere clementer mandare dignetur.

Colonus ad priorem dominum sponte redire volens, liberè possit: & dominus ad quem migrauit, de excessibus coloni, domino eius priori iudicium impendat.

ART. XXXII.

QVOD si coloni quoque, qui antehac de bonis quorumcunq; ad aliena bona sese moraturos vtcunq; transtulerunt, vel abducti sunt, si ad priores dominos suos sponte redire voluerint, liberè redire permittantur. Si verò redire noluerint, maneant in bonis, in quibus resident nunc: verumtamen, si dominis eorum prioribus aliqua damna intulissent, aut contra eos deliquissent, vel illis debeant, ex parte talium, domini eorum, prioribus dominis, coram vno Iudice nobilium, & iurato Nobile, in termino ad id deputando, sub pœna solutionis homagiorum florenorum quadraginta talium colonorum, nec non refusionis damnorum, vel debitorum, iudicium & iustitiam, debitamq; satisfactionem facere & impendere debeant & teneantur. *Homagium rustici fl. 40.*

Coloni Regni Vngariæ, ad alia Regna & prouincias ne recipiantur. ART. XXXIII.

SVPPLICANT autem diligenter Status & Ordines Regni sacræ Regiæ Maiestati, dignetur efficere apud dominos Prouinciales suos vicinos, ne colonos ex Vngaria clàm, aut etiam vi (vti hactenus sæpè contigit) abducant, neue quenquam ad eos transfugientem recipiant, nisi literas dominorum, à quibus discesserunt, quibus permissum sit eis liberè abire, sufficientes ostendant. Alioqui verendum esset, ne paulatim ex hac licentia, coloni, qui in Vngaria grauia iugiter onera perferre coguntur, quibusque hostilitas Turcica in plerisq; locis imminet, ad pacatiora tutioraq; se pleriq; recipiant, vnde Maiestati Regiæ in suis taxis, & dominis eorum maximum detrimentum eueniret, sensimque Regnum desolaretur. Propterea Maiestas sua prohibere inposterum dignetur, ne fidelium suorum coloni per Regnum, à Capitaneis & gentibus suæ Maiestatis, varias & pergraues oppressiones patiantur, vti hactenus perpessi sunt: quemadmodum quidem sacra eius Maiestas, vtraq; in re se curam & diligentiam habituram clementer obtulit. *Oppressiones colonorum.*

Iudicia Comitatuum partium superiorum, per Andream Bathori Iudicem curiæ, eius vicegerentem, & Protonotarium, ad dirimendos certos casus, celebrentur.

ART. XXXIIII.

Et quia sine continua iustitiæ administratione, nulla ritè negotia videntur, posse procedere, statutum est ex benigno consensu sacræ Regiæ Maiestatis, vti Comitatibus aliquot partium superiorum, nec non citra & vltra Tybiscum, quibus scilicet, iuxta constitutiones priorum Conuentuum, iudicia Cassouiæ celebrare concessum fuit, per dominum Andream de Bathor, Iudicem curiæ Regiæ Maiestatis, adhibitis penes se Viceiudicecuriæ, ac Magistro suo Protonotario, nec non Assessoribus aliquot iuratis, in partibus illis deligendis, super omnibus nouis actibus potentiarijs, à tempore moderni domini Palatini patratis: nec non super quinque casibus, alijsq; Posonij cõtinuè iudicari constitutis,

tutis, ibidem Cassouiæ iudicium & iustitia continuè administretur, termino videlicet per eundem dominum Bathori Comitatibus illis præfigendo: saluis tamen appellationibus ad dominum Palatinum post Regiam Maiestatem reportandis. Quòd si ipsum dominum Bathori inde discedere contingat, eius tamen Viceiudex curiæ, & Magister Protonotarius, cum iuratis Assessoribus prænominatis, iudicia huiusmodi celebrare & continuare possit.

Iudicia Comitatuum vltra & citra Danubium, continuè per Palatinum celebrentur.

ART. XXXV.

CÆTERIS autem Comitatibus, vltra citraq; Danubium, per dominum Palatinum, cum præsens adfuerit, eodem autem absente, & alijs Regni negotijs occupato, per eius Vicepalatinum, cum Protonotarijs & Assessoribus, nec non Iudicibus ordinarijs, huc vicinis, super eisdem actibus potentiarijs, à tempore Palatinatus patratis, super quinq; casibus, ac cæteris omnibus causis, in proximè præterita Dieta Posoniensi iudicari debere constitutis, continuò iudicium & iustitiam administrari similiter debere est statutum, incipiendo à Dominica Oculi proximè futura. Cæteras quoq; causas suis terminis, iuxta proximorum Conuentuum constitutiones, quantum per tempora ac rerum statum licuerit, nec non causas quoque Spirituales, sine intermissione per eos, quorum interest, iudicari debere similiter fuit constitutum.

Causæ Spirituales continuentur. Posõ. 52. art. 25. & 29. art. 40.

Telonia sicca tollantur per Vicecomites. ART. XXXVI.

STATVTVM est etiam, vt Telonia sicca, quæ videlicet neq; pontibus, neq; vijs reficiendis sunt necessaria, quæq; nulla iusta causa, aut rationabili fundamento nituntur, qualitercunq;, & quantumuis ab antiquo erecta, quinto decimo die post præsentationem præsentium articulorum, in quolibet Comitatu, de omnium bonis tollantur per Vicecomites. Et si quis in bonis suis id fieri Vicecomiti prohiberet, aut sublatum semel Telonium, iterum erigeret, in amissione villæ, in qua Telonium fuit, irredemptibiliter conuincantur. Sacra quoq; Regia Maiestas, ad supplicationem Ordinum ac Statuum Regni, vbi in bonis suis Telonia huiusmodi esse cognoscentur, ea sub hac constitutione comprehensa esse clementer concessit. In reliquis quoq; Telonijs iustis ac legitimis, iustum & antiquum vectigal exigi debere, non Tricesimam, vti fit in multorum bonis, constitutum fuit.

Telonium siccum in suis bonis tolli non permittentis pœna.

Tricesimarum loca vetustiora, & libertates Regnicolarum seruentur.

ART. XXXVII.

STATVTVM etiam est, ex benigna annuentia sacræ Regiæ Maiestatis, vt secundùm constitutiones proximorum Conuentuum, exactio Tricesimarum a loca priora, vbi scilicet securè per Turcas id fieri potest, ad primum diem Martij proximè futurũ transferantur, tam in Vngaria, quàm in Sclauonia. Vtq; libertates dominorum, ac Nobilium, ciuitatumq; liberarum, ac Montanarum, & quorumcunq; Regni Statuum, tàm in exactione ipsarum Tricesimarum, quàm alijs rebus omnibus, iuxta prædictas publicas constitutiones præteritas, & Maiestatis suæ gratiosas oblationes, obseruentur. Officiales quoque eius Maiestatis externi in Regno, vt puta in arcibus Owar, Comaron, Iaurini, Thrinchinij, & alijs locis, ab iniurijs & violentijs fidelium suæ Maiestatis, & miseris colonis inferendis, abstineant, pareantq; legibus Regni, & mandatis, Regijsq; literis in Cancellaria Vngarica expeditis. Quòd si quid violenter imposterum vel indebitè patrarent, in ius intra Regnum vocari possint, contraq; eos iure procedatur; quemadmodum in proximorum Conuentuum constitutionibus conclusum ea de re fuit, & tempore serenissimorum Regum, prædecessorum suæ Maiestatis, in similibus extitit obseruatum.

Tricesimarum loca.

Libertates Regnicolarum. Poson. 55. ar. 15

Externi in Regno, pareant literis Cancellariæ Vngaricæ, & intra Regnum in ius vocari possint.

Tallerorum cusio, Regno perniciosa, cesset. ART. XXXVIII.

CÆTERVM sacra Regia Maiestas, ad supplicationem Ordinum ac Statuum Regni, iuxta proximorum Conuentuum constitutiones, tallerorum in Camera Cremniciensi cusionem,

cusionem, tanquam Regno penitus damnosam, cessare facturam, & monetam, iuxta constitutiones Dietæ Anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi, hic Posonij celebratæ, in posterum cudi mandaturam se clementer obtulit. *Tallerorum cusio cessit.*

Strigoniensis Ecclesiæ Capitulum per totum Regnum exequutiones peragat.
ART. XXXIX.

PRÆTEREA, cum amisso superioribus annis Strigonio cum Alba Regali, alijsque nonnullis locis, supplicatum fuisset ab Ordinibus & Statibus Regni sacræ Regiæ Maiestati, vt in tanta paucitate Conuentuum & Capitulorum, à quibus executiones iudiciariæ in Regno fieri possunt, concedere dignaretur, quò Capitulum Strigoniense, quod nunc Tirnauiæ resides, in omnes Regni partes procedere, & executiones facere possit: sacra Maiestas sua, ad supplicationem fidelium suorum clementer annuerat, literis suis Regijs superinde emanatis. A quo quidem tempore Capitulares ipsi, iuxta commissiones Regias Iudicumq; ordinariorum, in omnibus Regni partibus, ad limites vsq; Transyluaniæ processerunt, in bonisq; tàm Regiæ Maiestatis, quàm aliorum executiones fecerunt, & literas de more superinde extradederunt. Sed quia in articulos eius temporis, aut vllius postmodum Dietæ, annuentia huiusmodi, vndecunq; hactenus inscripta non fuit; ne vel Maiestas sua, vel Ordines ac Status, futuris vnquam temporibus aliquid detrimenti ex eo pati possint, iustum & necessarium esse, imò publicum commodum concernere visum est, vt prædicta Regia annuentia, publicusq; in eam consensus, in præsentis Dietæ articulos inscribatur, omnibusq; processibus & executionibus quibusuis, per dictum Capitulum Strigoniense, in bonis Regijs, vel alterius cuiusuis factis, & in posterum fiendis, literisq; subinde ab ipso Capitulo emanatis, vel emanandis, vigor & perpetua firmitas detur, omniaq; supradicta, rata atq; firma habeantur.

Nobiles arces habentes, & in numerum Baronum non asciti, onera cum Comitatu ferant. ART. XL.

STATVTVM est præterea, vt omnes Nobiles, cæteriq; Ordines, arces quidem in Regno possidentes, sed in ordinem Baronum non asciti, dicas Regias, & reliqua onera, in medium Comitatuum, de bonis eorum administrare & conferre teneantur.

Ciuitates, arces, & oppida, ad Austriam impignorata siue opposita, onera Regni ferant. ART. XLI.

AD supplicationem quoq; eorundem Ordinum ac Statuum Regni, pro restitutione ad Vngariam arcium Kőszegh, Borosthian, Frakno, Kabold, Kis Marthon, & Szarukő, aliarumq; nonnullarum, quæ ex Vngaria ad Austriam olim fuerunt oppignorata, proq; administratione taxarum Regiarum, ex pertinentijs earundem arcium ad Vngariam, iuxta tenorem contractus, inter serenissimos quondam, Maximilanum Imperatorem, & Regem Vladislaum felicis recordationis facti, nec non eliberatione decimarum domini Episcopi Iauriensis pertinentiarum arcis Horusthain, quæ sub nulla esse, neque vnquam fuisse inscriptione dicuntur, sed tantum per dominum Conradum Fyrsth, potentia mediante, hactenus perceptas esse & percipi: Sacra Maiestas sua se clementer, cum suis fidelibus Prouincialibus Austriæ tractaturam, & quantum per temporum statum commodè fieri poterit, quantumque iusticia in negotio ipsarum decimarum domini Iauriensis patietur, deliberaturam clementer obtulit. *Kabold, Kis Marthon.* *Horusthain.*

Sententiæ differentiarum, inter Vngariam & Austriam per Commissarios decisæ, exequantur. ART. XLII.

ILLAS quoque sententias, quæ super differentijs, inter Vngariam & Austriam proximis annis latæ fuerunt, & super quibus literæ quoque extant, sacra Regia Maiestas sua executioni mandari, & reliquas differentias, quæ nondum sunt reuisæ, reuideri, ac super illis quoq; sententias ferri, easdemq; similiter ad executionem perduci Maiestas sua ad *Sententiæ Commissariorum.*

 suppli-

Poson. ann. 55. art. 13. ſupplicationem Statuum clementer curaturam obtulit,& ſimiliter prohibituram poſſeſſoribus dictarum arcium oppignoratarum, & præſertim oppidanis de Kőſzegh, ne in metis ac ſyluis,cum aliorum,tum Nobilium de Chow,quas indies occupare dicuntur, violentias vllas inpoſterum inferant.

Agrienſis Epiſcopatus decimas iam in ſpecie collectas, domini terreſtres præ alijs emere poſſint. ART. XLIII.

Poson. ann. 55. art. 15. AD eandem etiam ſupplicationem Statuum,Maieſtas ſua mandaturam ſe obtulit officialibus ſuis,quorum intererit,vt fruges ac vina,de decimis Epiſcopatus Agrienſis, in ſpecie iam collecta, & in diuerſis locis per ipſos repoſita, dominis potius terreſtribus, quàm cuiq; alteri, eodem quó alijs precio venderentur, parata pecunia vendant,vti æquitas poſtulat.

Prædium Neudorff,per ciues ciuitatis Pruk,liberè emi poteſt,ſine Regni præiudicio. ART. XLIIII.

CÆTERVM ad clementem admonitionem ſacræ Regiæ Maieſtatis,Ordinibus et Statibus Regni factam, cōceſſum eſt ciuib⁹ ciuitatis Pruk, vt à Relicta quondam Iacobi Stōpha, eiuſdemq; Iacobi hæredibus,totalem domum & curiam Nobilitarem,in poſſeſſione Nylas, ac prædium Neudorff vocatum, omnino in Comitatu Moſonienſi, in vicinitate videlicet dictæ ciuitatis Pruk poſita, cum pertinentijs, cum quibus eadem Relicta & hæredes hactenus, vigore donationis Reginalis Maieſtatis poſſederunt, precio emere, ac inpoſterum legitimo jure poſsidere poſsint: eo,pro hac vice ſaltem, nō obſtāte,quòd alienigenæ ſint. Ita tamen,vt neque per hanc extraordinariam conceſsionem,ad benignam, vt præmiſſum eſt, Regiæ Maieſtatis admonitionem perStatus factam, veteribus Regni juribus ac libertatibus vllatenus derogatum ſit. Et nihilominus liceat quibuſuis Vngaris, ſi qui extra hoc quòd alienigenæ ſint, aliud aliquod ius in illis bonis prætenderent,iura ſua proſequi contra dictos contrahentes. Vtque ijdem emptores, ratione hujuſmodi bonorum,contributiones, ac quælibet onera in Regno Vngariæ conferre,iuribusque eiuſdem Regni ſtare ac parere, deque ea re literis eorum ſeſe obligare debeant. Maieſtas quoque Regia benignè literis ſuis Regijs ſuperinde ipſos Status aſſecurare clementer dignetur.

Prvk ciuitas Auſtriæ.

Metæ Prandorff & Gatha reuideantur. ART. XLV.

Prandorff. Gatha. METAS inter poſſeſsiones Prandorff & Gatha, reuideri iubere clementer Maieſtas ſua dignetur. Nam etiam nunc dominus Haragh metas huiuſmodi occupare indies nititur neq; decimas ratione earundem terrarum perſoluere vult.

Arcium finitimarum proditores & deſertores ſine gratia puniantur. ART. XLVI.

Arcium proditores & deſertores. STATVTVM eſt præterea,vt proditores & deſertores arcium, vel aliorum fortaliciorum fidei & curæ ſuæ creditorum,per dominos ſeu Nobiles, ac cuiuſuis ſtatus, vbiuis capi & detineri poſſint,ijdemq; per Regiam Maieſtatem ſine omni gratia puniantur, vti in ſuperiorum Conuentuum conſtitutionibus continetur, tam ſcilicet qui inpoſterum proditionem vel deſertionem huiuſmodi committerent,quàm qui iam commiſiſſent,vt ita in arce fidei ſuæ credita conſtanter, ad interitum vſq;,pro debito eius officio, permaneant.

CONCLVSIO.

NOs itaq; ſupplicatione præmiſſa dictorum fidelium noſtrorum, dominorum Prælatorum,Baronum ac Nobilium, aliorumq; Ordinum ac Statuum clementer admiſſa,prædictos vniuerſos articulos,modo præmiſſo nobis præſentatos,præſentibus literis noſtris de verbo ad verbū inſeri & inſcribi fecimus,eoſdéq; ac omnia & ſingula in eis contenta,ratos,gratos,& accepta habentes,Regiū noſtrum conſenſum beneuolum,pariter & aſſenſū eiſdē præbuimus,illoſq;,ac quæuis in eis contēta,noſtra Regia authoritate, accepta-

acceptamus,approbamus,ratificamus, & confirmamus: offerentes nos clementer, ad præmissa omnia,in omnibus punctis,clausulis & articulis, quæ tàm nos ipsi obseruabimus,quàm per alios fideles subditos nostros,cuiuscunque status & conditionis existant, obseruari faciemus: imò acceptamus,approbamus,ratificamus,& confirmamus,harum nostrarum vigore & testimonio literarum mediante.Datum Posonij die vigesima quinta Ianuarij, anno Millesimo, Quingentesimo, Quinquagesimo sexto: Regnorum nostrorum, Romani Vigesimo sexto; aliorum verò Tricesimo.

FERDINANDI IMPERATORIS DECRETVM, ANNO DOMINI M. D. LVII. Posonij editum.

NOS FERDINANDVS, diuina fauente clementia, Romanorum, Vngariæ, Boëmiæ,&c. Rex, semper Augustus, Infans Hispaniarum, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ,&c. Memoriæ commendamus tenore præsentium,significantes quibus expedit vniuersis: quòd domini Prælati,Barones,Nobiles,cæteriq; Ordines ac Status fideles subditi Regni nostri Vngariæ,in præsenti generali Conuentu, pro primo die Iunij, anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi septimi, Posonij celebrati, ex edicto nostro congregati,exhibuerunt & præsentauerunt nobis infrascriptos articulos,in Conuentu ipso,communibus ipsorum votis conclusos, ad propositionem nostram eis factá respondentes: supplicaruntq; nobis humiliter, vt vniuersos & singulos articulos ipsos, omniaq; & singula in eis contenta, ratos, gratos, & accepta habentes, nostrumq; Regium consensum eisdem præbentes, authoritate & potestate nostra Regia acceptare& approbare confirmareq; atq; tàm nos ipsi obseruare,quàm per alios, quorum interest, obseruari facere dignaremur. Quorum quidem articulorum tenor talis est.

Gratitudo Regnicolarum erga Regem ipsorum. ART. I.

PRÆLATI, Barones,Nobiles,cæteriq; Ordines ac Status Regni Vngariæ, in præsenti Dieta congregati,imprimis agunt atq; habent sacræ Regiæ Maiestati, domino & Regi eorum clementissimo gratias immortales,de eius pia paternaq; benignitate erga eos: & imprimis,quòd sicut antea multóties, ita etiam proxima Hyeme, in Conuentu Imperiali Ratisbonæ celebrato,post multos tamen labores,& auxilia non contemnenda,ad conseruationem eliberationemq; Regni Vngariæ obtinuerit,idemq; apud Status Regni sui Boëmiæ,aliarumq; prouinciarum effecerit, quódq; nusquam, cum persona propria,ac serenissimorum liberorum,saluti fidelium suorum se defuturam clementer offert. Pro qua quidem summa in eos clementia,Status & Ordines, vitam ac fortunas eorum pro sua Maiestate,ac ijsdem serenissimis liberis, sese in omne tempus profundere paratos fore affirmant.

Expeditio generalis. ART. II.

QVOD igitur attinet ad insurgendum personaliter contra Turcas in expeditionem, quæ ipsa eius Maiestate,vel vno ex serenissimis suis liberis præsente fuerit suscepta: statutum est,vt domini acNobiles,cæteriq; omnes Status Regni,iuxta constitutionem proximi anni Millesimi,Quingentesimi,Quinquagesimi sexti, tàm ad generalem, quàm ad particularem expeditionem personaliter insurgere,& tàm gentes,quàm etiam colonos, iuxta easdem constitutiones,in eandem expeditioné dimittere & secũ adducere teneantur. Ac quo vtilior & efficacior personalis hæc dominorum & Nobilium insurrectio inposterum existat: statutum est,vt tàm in generali,quàm etiam in particulari expeditione,ipsi domini ac Nobiles,per dominum Palatinum,vel alterumCapitaneum Vngariæ, qui forte post sacram Regiam Maiestatem,vel eius serenitatem,exercitui præfuerit,diligenter lustrentur. Et si quis in tempore non aduenisse ad generalem expeditionem,præsente sua Maiestate,vel eius serenitate,compertus fuerit,pœna in conuentu anni Millesimi,Quingentesimi,Quadragesimi quintj: qui verò ad particularem expeditionem non aduene-

Poson. ann. 56. art. 21. 22. 23.

Tirna. an. 45. ar. 5. Poson. an. 52. art. 25.

aduenerit, pœna in Conuentu anni Quinquagesimi secundi expressa, irremissibiliter puniatur.

Subsidium duorum florenorum, ad Regni necessitates Regi censetur. ART. III.

STATVTVM est etiam, vt subsidium duorum florenorum Vngaricorum, de omnium dominorum ac Nobilium, cæterorumq; Ordinum ac Statuum bonis, in Cameram Regiam hoc quoq; anno, ad diuersas Regni & Maiestatis suæ necessitates administretur duobus terminis: alter scilicet florenus, in festo Natiuitatis Beatæ Virginis Mariæ proximè futuro; alter verò, pro festo Beati Andreæ Apostoli proximè & immediatè subsequenti, iuxta connumerationem in Dieta Posoniensi anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi quarti expressam: videlicet, vt qui coloni res, vsq; ad valorem sex florenorum non habent, non dicentur. Et præterea fiat connumeratio ex integris tantum portis seu sessionibus censualibus, etiamsi duo, vel tres, aut plures inhabitatores in se continerent. Combustæ verò domus ac penitus desertæ, & inhabitatoribus vacuæ non dicentur. Et qui coloni Turcis quoq; subiecti sunt, dimidium tantum subsidij huiusmodi soluere teneantur. Dicatores quoq; qui ad connumerationem huiusmodi subsidij emittentur, iusto iuramento solius Iudicis eius loci, in quo connumeratio fit, super prædictis omnibus sint contenti, neq; constitutiones publicas etiam aliter excedant. Quòd si inter colonos Turcis subiectos, iuramento Iudicum Dicatores contenti esse noluerint, tunc à Iudice nobilium eius loci, iuxta veterem consuetudinem, & sub iuramento fidelitatis, de veritate certiores esse possint: & ipsi Iudicinobilium, quilibet de colonis in suo processu existentibus, sub eodem iuramento fateri teneantur. Libertini verò nulli ab huiusmodi contributione sint exempti, præter illos, qui in propria solutione, victu & amictu dominorum continuè sunt, vel eiusdem equis, vel alio genere mercedis seruiunt. Hoc quoq; adiecto, quòd quia supersunt certæ restantiæ insolutæ, de postremo subsidio anni superioris, floreno illo scilicet, qui pro festo omnium Sanctorum exigi debuerat, & interim dum terminus ille aduenisset, contigit multas domos, imò etiam villas integras per Turcas, vel etiam exercitum Regiæ Maiestatis depopulatas seu deprædatas, rebusq; spoliatas esse, tales deprædati seu depopulati, habita super ea re certa cognitione per Dicatores, qui ad præsentis anni subsidium emittentur, tali amplius exactione non grauentur: nisi fortè iam aliquibus in locis subsidium ipsum superioris anni postremum fuerit exactum. Ita enim illud in Cameram Regiam administrari debere statutum est: sed vbi nondum exactum foret, non exigatur. Cæterùm Valachi, Rutheni, & Rasciani, quicunq; sessionati coloni sunt, & census præstant, domus eorum, quemadmodum reliquorum colonorum sessionatorum, connumerentur & dicentur.

Poson. ann. 46. art. 10.
Coloni ad valorem sex florenorũ nõ habẽtes nõ dicentur
Combustæ, Desertæ.
Connumeratio quomodo fiat.
Turcis vectigales, quomodo censeantur.
Libertini quales non dicãtur
Restantia.
Deprædati & depopulati non censeantur.
Valachi, Rutheni, Rasciani si domos habeant dicentur.

Dicam exactam qui apud se retinuerit, aut quoquomodo rapuerit, in eum diligenter animaduertatur. ART. IIII.

STATVTVM est etiam, vt tàm in Vicecomites, quàm Iudicesnobilium, & alios quoscunq;, qui dicam præteritam iam exactam, quouis prætextu, hactenus retinuissent, vel in posterum retinerent, pœna in articulis anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi super his expressa animaduertatur. Contra violentos autem raptores huiusmodi subsidiorum, pœna in Conuentu anni Millesimi, Quingentesimi, Quadragesimi sexti, contra tales conclusa, irremissibiliter procedatur. Maiestas autem sua, prout obtulit, tàm à suis Capitaneis ac gentibus, quàm alijs quibusuis violentis, dicam ipsam, bonaque fidelium suorum, vnde ea administrare debet, omnibus ex causis defendere dignetur. Nam alioqui, nisi violentiæ, rapinæ, & id genus mala inter fideles Maiestatis suæ cessent, omnis hæc oblatio Statuum, omnesq; aliæ constitutiones inanes cedant.

Poson. ann. 50. art. 33.
Tirn. ann. 46. art. 7. & 11.

Expensæ Oratorum Regni, ad Comitia Imperialia destinatorum refundantur.
ART. V.

PRÆTEREA statutum est, vt pro refusione expensarum, per Oratores Regni ad

Comitia

Comitia Imperialia proxima Hyeme delectos factarum,tres denarij, iuxta connumerationem suprascriptam,pro primo termino præfati festi Natiuitatis beatæ Mariæ Virginis,vna cum floreno illo primo exigantur, & nomine eorum ad manus Ladislai literati de Moshocz,Perceptoris Cameræ Vngaricæ administrentur: ex quibus, pro expensis huiusmodi,floreni sexcenti ipsis Oratoribus administrentur; residuum quod fuerit, ad tales necessitates futuras,apud eundem Ladislaum literatum fideliter retineatur.

Gratuitus labor sex dierum,ad arces finitimas decernitur; & pœna eius si quis non præstet. ART. VI.

DECREVERVNT insuper Status & Ordines Regni, vt ad munitionem locorum finitimorum,quæ summè est necessaria,coloni omnium dominorum ac Nobilium,aliorumq; possessionatorum hominum,iuxta connumerationem prædictam de dica faciendam,ad laborandum gratis per sex dies dimittantur,expedianturq; & continuè,præter tempus duntaxat messis & vindemiæ,per eos dies teneantur laborare, iuxta modum & ordinem in proximo Conuentu super ea re conclusum: ita tamen,quòd Comitatus Posoniensis,Comaroniensis,Mosoniensis, & Iauriensis ad munitionem oppidi Iauriensis, per quatuordecim dies pergant pro hac vice,iuxta clementem petitionem suæ Maiestatis: exceptis inquilinis,qui non laborent,† videlicet,qui labores quatuordecim dierum nondum perfecerunt,perficiant. Reliqui autem Comitatus, colonos suos,ad loca superiori anno vnicuiq; Comitatui assignata,mittant: excepto,quòd Comitatus Liptouiensis,Arua,Thurocz & Zoliensis,non ad Leua,vti tum fuerat conclusum,sed ad vetus Zolium: Comitatus verò Scepusiensis,Saros,Abauyuar,Vngh,Zemplyn & Thorna, non ad alium quempiam locum,quam Cassouiam colonos suos dimittere: cæteræ verò ciuitates superiores, ad suam quæq; ciuitatem muniendam, laboratores huiusmodi conuertere teneantur. Coloni etiam Præpositurae de Iaszow,& alij etiam,qui ad eandem Præposituram nunc possidentur, ac claustri Sancti Martini sacri montis Pannoniæ, nec non arcis Thorna,exceptis his,qui ex pertinentijs ipsius arcis,ad laborandum Cassouiæ iam deputati sunt,ad munitionem fortaliciorum eorundem locorum, & arcis prædictæ laborare debeant. Et coloni domini Podmaniczki,in Comitatu Thrinchiniensi existentes,nusquam laborare debeant,eo quòd ipse pedites ex illis bonis,ad arcem Palotha hostibus vicinam,continuò cogitur submittere, & ibidem vi etiam intertenere, cum alibi non facile pedites in præsidium eius loci reperiri possint. Tam domini autem, quàm Nobiles & vicini ac remotiores,colonos suos ad operas ipsas,per sex dies,præmisso modo, faciendas,expedire modis omnibus teneantur. Vicecomites autem, vel ipsis non sufficientibus,Comites in singulis Comitatibus, sub amissione officij eorum, teneantur etiam per occupationem bonorum,eandem scilicet pœnam,quæ in non administrandam dicam Regiam constituta est,curare & efficere,vt quilibet dominus & Nobilis, aliusque possessionatus,colonos suos integro numero,ad opus debitum & loca, præmisso modo, constituta dimittat,& integro sex dierum spatio in opere contineat. Si qui verò contra Vicecomites,aut Comites talia exequentes insurgerent,pœna in violentos constituta, & in præfatis articulis,anni Millesimi,Quingentesimi,Quinquagesimi sexti expressa, irremissibiliter puniantur. Idem quoq; intelligendum est de his,qui proximi anni labores nondum compleuissent, vel pecuniam hunc in vsum exigi constitutam nondum persoluissent: vt tales scilicet ad complendos labores,pecuniamq; administrandam in manus eorum,qui ad id sunt deputati,iuxta constitutionem prædictam anni proximè præteriti,præmissis modis ac pœnis,per Vicecomites & Comites compellantur. Si qui verò plus laborassent anno superiori,quam ex constitutione illa debuissent,supputetur eis in præsentis anni labores: exceptis tamen Comitatibus prædictis quatuor quos ad opera munitionis Iauriensis spatium integrum quatuordecim dierum complere debere fuit constitutum. Sacra autem Maiestas sua,prout clementer obtulit, & iustitia ac ratio requirit,suis officialibus,vel Præfectis operum præcipere dignetur,ne miserrimi laboratores, verberibus, vel alijs violentijs afficiantur, neue vltra terminum constitutum ad

Poson. ann. 56. art. 4. & alijs.

Comitatus Poson. Comaronien. Moson. et Iaurien. diebus 14. laborent.

† Al. Ita tamē, ut qui labores, &c.

Gratuiti laboris distributio.

Ad operas præstandas, ademptione bonorū, per Comites cogantur.

Poson. ann. 56. art. 8. & art. 11.

Coloni ad laborandū missi nō verberentur.

opus adigantur, iuxta constitutionem anni proximè præteriti super ea re expressam. Dignetur etiam Maiestas sua efficere, vt ex pertinentijs arcium ad Austriam oppignoratarum, operæ huiusmodi, ad loca finitima, quæ ipsis sunt velut antemurale, ipsis etiam fatentibus, iuxta hanc constitutionem dimittantur: quemadmodum tum ad hæc, tum ad alia quæuis onera & contributiones in Vngaria, pariter cum cæteris Regnicolis, ex contractu inter serenissimos, primum Fridericum Imperatorem, & Regem Matthiam, ac deinde Maximilianum Imperatorem, & Regem Vladislaum felicis recordationis, ex arcibus prædictis ista deberi constat. Pro qua quidem re, sacra Maiestas sua, cum fidelibus suis Austriacis sese tractaturam clementer obtulit.

Poson. ann. 56. art. 4.

Fridericus Imperator, Mathias & Vladislaus Reges Vngariæ.

Victualium ad castra conuehendi certum præmium præscribitur, & eorum precium limitatur. ART. VII.

STATVTVM est præterea, vt quo maior in exercitu Regiæ Maiestatis quæcunque expeditio fuerit, siue scilicet sit generalis, siue particularis, victualium copia suppetat, coloni ex locis exercitui vicinioribus, ad requisitionem Magistri victualium suæ Maiestatis, victualia omnis generis, curribus & iumentis, vbi currus haberi poterunt, conuehere teneantur, mercede infrascripta: videlicet, pro vrna vini mensuræ Viennensis, ab vno milliari, vno denario Vngarico: pro vno modio seu cubulo frumenti seu farinæ, in singula milliaria, vno denario similiter Vngarico: pro vno modio seu cubulo auenæ, hordei & viciæ, in singulum milliare, vno nummo Viennensi: de reliquis autem rebus omnibus, in singula milliaria, pro singulis centenarijs semper vno denario Vngarico. Et vt in exercitu quoque certa debitaq; limitatio victualium fiat, quæ quidem ex omnibus Regni partibus ac Comitatibus in exercitum, maiori qua fieri poterit quantitate, de omnium bonis conuehi debebit: statutum est, vt in generali expeditione, præsente sacra Regia Maiestate, vel eius serenitate, dominus Palatinus, vel quicunq; Capitaneus Vngarus exercitui, post eius Maiestatem vel serenitatem præfuerit, ad limitationem rectam victualium curam adhibeat, adiuncto etiam illi Marschalco Bellico, atque etiam Magistro Agazonum, cuius officio id semper antea incumbere solitum fuit, nec non aliquibus Vicecomitibus & Nobilibus, ex illis præsertim locis, vnde victualia fuerint aducta, vtpote quibus rerum precia magis fuerint explorata. In particularibus autem expeditionibus, limitatio huiusmodi victualium, iuxta tenorem articulorū, anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi tertij, per Capitaneos & Vicecomites fieri debebit. Erit autem necessarium, vt Maiestas sua, iuxta suam oblationem, in omnes, qui vectoribus huiusmodi victualium aliquam violentiam in castris, vel etiam in itinere inferrent pro demerito grauiter animaduerti faciat.

Vecturæ victus precium.

Victualia in castris æstimare, quorum est, Marschalcus Bellicus, Magister Agazonū.

Sopron. an. 53. art. 17. Idem Poson. an. 63. art. 13.

Iudicia longa duobus in terminis, per quadraginta dies, celebrentur. ART. VIII.

STATVTVM est etiam, vt celebratio iudiciorum duobus terminis fiat, videlicet, hic quidem Posonij Comitatibus propinquioribus, iuxta limitationem in superioribus Dietis superinde factam, pro octauo die festi Beati Michaelis Archangeli: Comitatibus verò superioribus, in ciuitate Leuchouiensi, pro octauo die Epiphaniarum Domini similiter proximè futuro: duretq; vtraq; celebratio, per continuos quadraginta dies, exceptis diebus festis. In quibus quidem vtrisq; iudicijs, causæ omnes quocunq; nomine vocentur, qualiumcunq; negotiorum prætextu, etiam ab obitu quondam serenissimi Ludouici Regis emersæ, leuari & adiudicari debebunt: exceptis tamen causis bonorum serenissimi quondam Ioannis Regis, quas omnes certis ex respectibus, atq; ad proximè futuram Dietam, in suspenso manere, neque leuari vel adiudicari debere fuit conclusum. Iudicia autem illa, quæ in publica prioris Conuentus constitutione continentur, per dominum Palatinum adiudicari debere decreta sunt, dum, & quando ipse, considerato rerum & temporum statu, iudicanda censuerit, authoritate Locumtenentiæ, continuè adiudicari possint & debeant.

Causæ ratione bonorum Ioan. de Zapolia motæ non iudicentur.

Ecclesiastica iudicia sine intermissione fiant. ART. IX.

IVDICIA etiam Ecclesiastica, in omnibus causis, quæ forum Spirituale concernunt, sine intermissione, per Vicarios dominorum Prelatorum, iuxta contenta priorum articulorum & constitutiones, more aliâs obseruato, teneantur.

Poson. ann. 52. artic. 25. Ann. 56. art. 35

Ecclesijs libertates, immunitates & priuilegia obseruentur. ART. X.

IN negotijs Spiritualibus & Ecclesiasticis, hoc imprimis iustum ac necessarium esse videtur: vt sicut priuilegia & libertates omnium Regnicolarum obseruari, & inuiolata esse debent, ita etiam libertates & immunitates, priuilegiaque Ecclesiastica ab omnibus inuiolabiliter obseruentur; vt domini Prælati, & reliquæ Ecclesiasticæ personæ, officio suo commodius & liberius incumbere valeant. Signanter autem Visitatores, Archidiaconi, Vicearchidiaconi, aut eorum substituti, in visitandis Ecclesijs & Diœcesibus progredientes, liberè vbiq; admittantur, vt suum officium exercere, cum omni facultate & iurisdictione Ecclesiastica, secundùm priorum Dietarum constitutiones, possint & valeant, sine impedimento, per patronos locorum, seu quoslibet alios præstando, & ne prohibeantur inquirere & punire vitia, prauitatem seu delicta Sacerdotum. De reliquis etiam huiusmodi rebus & negotijs Ecclesiasticis, constitutiones priores, & præsertim anni Millesimi, Quingentesimi, Quadragesimi octaui, per omnia obseruentur, & rata habeantur: vbi etiam peruersissima illa Anabaptistarum secta eliminari debebit, iuxta constitutiones præmissas.

Visitatores, Archidiaconi, Vicearchidiaconi officio suo perfungi liberè permittantur: inio censum exigant. Vlad. Tert. artic. 53. E. Quart. art. 38. Maximil. Poson. ann. 69. art. 43. Poson. ann. 48. art. 5. & reliquis. Poso. an. 50. art. 20 Anabaptistæ pellantur.

Plebanis etiam & alijs Ecclesiasticis personis, cuiuscunque status, libertas sua in omnibus obseruetur: ac inter alia, ne post mortem illorum, pro se occupent, vel accipiant, patroni res & bona illorum, siue testati, siue intestati decesserint, sed neque etiam Prælati, fratribus superstitibus, eorum qui decesserint bona huiusmodi pro se occupent.

Plebanorũ defunctorum bona, Sæculares nõ rapiant, siue testati decedant, siue intestati.

Bona Ecclesiastica, ab Ecclesijs auulsa, iuridicè per plebanos, ijs non valentibus, per Episcopos eorum recuperentur. ART. XI.

SI bona quæpiam & possessiones, ac prouentus Ecclesiastici, ab Ecclesijs, quibus semel dicatæ, & ad quas possessæ fuerunt, per violentiam fortè aliquorum, vel vtcunq; indebitè auulsæ, ad manus alienas peruenissent, siue illi sint patroni earundem Ecclesiarum, siue alij, contra tales violentos & indebitos occupatores, iuris ordine procedi, & bona huiusmodi iuridicè repeti debent, iuxta contenta Decreti. Si autem plebani & Rectores ipsi beneficiorum hoc facere nollent, aut non possent, aut non auderent, tunc Prælatis quoq; & superioribus eorundem beneficiorum idem semper liceat.

Fundamentũ huius legis est, S. Steph. lib. 2. cap. 1. & 2. Andr. Secund. artic. 15. Vlad. Tert. artic. 59. Math. Sext. art. 37. Patroni Ecclesiarum.

Decimarum locatio & conductio fiat, iuxta priorum Conuentuum constitutiones. ART. XII.

DECIMARVM autem perceptio siue arendatio, dominis Prælatis, & alijs Ecclesiasticis personis, iuxta constitutiones priorum Conuentuum, & signanter Millesimi, Quingentesimi, Quadragesimi quinti: & Sopronìensis, Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi tertij, sit libera, & inuiolabiliter obseruetur, iuxta modum & ordinem, ac sub pœnis aliâs denotatis. Sed si vel ipsi domini Prælati decimas pro se ipsis collegerint, vel aliquibus dominis, aut Nobilibus, siue possessionatis hominibus decimas ipsas in arendam locauerint, teneantur decimas decimarum, quartas, & sedecimas earundem, illis, ad quos spectant, iuxta locorum consuetudinem, quietè, pacificè, ac plenariè reddere, & alia, quæ aliena sunt sibi ipsis non vsurpare, aut violenter retinere.

Arendatio vtrunq; complectitur, conductionem & locationem.

Decimæ decimarum, quartæ, sedecimæ, reddantur.

Assessores quatuor, ad sedem iudiciariam Regiam, vltra homines Archiepiscopi Strigoniensis duos, eligantur. ART. XIII.

AD exercenda autem iudicia temporalia, quæ iuxta prænotatas constitutiones celebrari debebunt, Assessores periti & idonei ad minus quatuor adhiberi debebunt, siue ex seruitoribus Regiæ Maiestatis, aut dominorum sint, siue alij. Iurent etiam illicò coram

Quàm hæc cũ veteri iure cõcordent vide.

Math. Sext. artic. 73. Vlad. Prim. ar. 10. 33. 40. 42. Ordinarij Iudices, eorum Vicarij, & Protonotarij, ac duo homines Archiepiscopi Strigonien. Iudicijs intersint cum quatuor Assessoribus Regijs.

Iudicibus Regni ordinarijs ad iustitiam faciendam; neq; suspecti propterea esse possint. Et quòd existente aliqua causa dominorum suorum, illi exurgant, neq; iudicijs illis intersint. Nam ita semper ab antiquo fuit obseruatum: vltra videlicet ordinarios Iudices, eorumq; vicesgerentes & Protonotarios, ac duos homines domini Strigoniensis: etiam vltra præsentiam Prælatorum, Baronum, si qui aderunt, prout etiam in articulis Dietæ Tirnauiensis, anni Millesimi, Quingentesimi, Quadragesimi quinti, super his statutum latè extat. Quibus quidem Assessoribus, Maiestas Regia de salario, more antea solito, solutionem fieri iubere dignabitur. Iidem autem Assessores, exnunc per suam Maiestatem, tum consilio Consiliariorum Vngarorum, & Iudicum ordinariorum eligi debebunt: in quorum loco, si quispiam decederet, dominus Locumtenens, absente sua Maiestate, alium substituendi habeat authoritatem, prout antea quoq; semper habuit.

Moneta noua Vngarica cusio. ART. XIIII.

Poso. an. 55. ar. 8. magis cohæret. Poson. 54. artic. 17. item Poson. 56. art. 48. per totum.

CÆTERVM in negotio monetæ, postquam sacræ Regiæ Maiestati, propter rationem fidelibus suis allegatam, videtur omnino cusionem maiorum & minorum numismatum, ac grossorum, iuxta constitutionem anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi quinti, Regno suo Vngariæ vtilem fore, ex eoque futurum esse, vt moneta hoc modo in Vngaria cusa, in reliquis etiam Regnis ac prouincijs suæ Maiestatis, & in Imperio currat: tametsi in articulo illo anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi, in eum finem conclusio illa facta fuerat, vt non solùm numismata, grossiq; illi deinde cudendi, sed etiam denarij Vngarici veteri de more semper cusi, & in posterum cudendi, in externis vbiq; prædictis Regnis ac prouincijs currerent, prout oblatio Regiæ Maiestatis continere videbatur. Status tamen & Ordines, volentes in omnibus obtemperare suæ Maiestati, contenti sunt, vt vsq; ad proximè futuram Dietam, cusio huiusmodi numismatum & grossorum, iuxta tenorem articulorum præfati anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi continuari possit, modo infrascripto. Videlicet grossus vnus maior, octo denarios Vngaricos valens, & alter grossus minor valore quatuor denariorum Vngaricorum, omnes sub imagine Beatæ Virginis, ab vna parte, cum circumscriptione solita: ex altera verò parte cum insignibus Vngariæ, cum suprascriptione nominis Regiæ Maiestatis. Aurei verò imprimis cudantur, vti hactenus vera & bona liga; sed nihilominus denarij quoq; Vngarici & filleri, eadem liga, qua dicti grossi, & eodem modo, quo hactenus, cudantur, & ea copia, ne ex paucitate eius monetæ, Regnum detrimentum patiatur. In futura autem Dieta, si cusionem hanc maiorum & minorum grossorum, & numismatum damnosam Status Regni cognouerint, cusio ipsa necessariò cessare debebit. Confidunt enim Status in ipsa benignitate suæ Maiestatis, quòd sua Maiestas fidelibus suis, ac Regno damnum fieri non patietur.

Grossus maior denarij octo, minor denarij quatuor. Imago Beatæ Virginis Mariæ, & insignia Vngariæ nummi forma. Aurei cudantur in vera liga.

Pisetarius Archiepiscopi Strigoniensis, tanquam Contrascriba, apud Cameras Montanarum ciuitatum Regis, ad exercendum suum officium admittatur.

ART. XV.

EST autem imprimis summè necessarium, vt per Regiam Maiestatem mandetur, seriò domino Strigoniensi, vt iuxta Decretum, & constitutiones diuorum quondam Vngariæ Regum, in cusione auri & argenti, officio suo superintendat & satisfaciat: itidemque sua Maiestas mandare dignetur officialibus suis in Camera Cremniciensi, & alijs Cameris, vt ipsum dominum Strigoniensem, eiusq; Pisetarium, ad exercendum officium suum, ad quod est Regno iuratus, semper admittatur. Idemq; Pisetarius intersit semper, dum aurum & argentum in Cameram Regiam præsentatur, vt sciat veluti Contrascriba quidam, quantus numerus auri & argenti singulis hebdomadis præsentetur ad Cameram: quantum etiam confletur, ex quo piseti ipsius prouentus, pro suo officio Pisetarij reddi debeant; quo eò magis præcaueatur auri & argenti non cusi exportatio: exceptis tamen proprijs necessitatibus Regiæ Maiestatis, ac serenissimorum liberorum. Eo quòd exportatio huiusmodi, in damnum Regni, Regiæ Maiestatis, & prouentuum domini Strigoniensis vergit non mediocre.

Pisetarij officium.

Liberta-

Libertates omnium in Tricesimis, Telonijs, alijsue tributis seruentur.

ART. XVI.

EST etiam summè necessarium, prout sua Maiestas clementer se curaturam obtulit, vt tàm ipsius domini Strigoniensis, & colonorum suorum, quàm cæterorum omnium dominorum, Prælatorum, Baronum, ac Nobilium, liberarum & Montanarum ciuitatum, & aliorum Ordinum ac Statuum, tàm in Vngaria, quàm Sclauonia & Croatia, priuilegia & immunitates, in Tricesimis, tributis & Telonijs obseruentur. Videlicet, ne de pecoribus & rebus, quæ vltro citroq; intra Regnum adducuntur, neue de rebus vllis, quę in Regnâ ad proprium vsum inducuntur, Tricesima vlla exigatur. Quòd si quis in Tricesimis, vel Telonijs, sub hoc prætextu, fraudem committeret, pœna super hac re expressa puniatur: aliorum tamen innocentum libertates propterea ne aboleantur. In omnibus autem Regni Telonijs, tàm domini Strigoniensis colonos, quàm etiam liberarum ciuitatum ciues & incolas specialiter exemptos, vbiq; constat: ideò, iuxta veterem consuetudinem, in libertatibus eorum obseruentur.

Tricesima de quibus non exigatur. *In Tricesima fraudem committentis pœna.* *Poson. ann. 52. art. 30. Strigō. Archiepiscopi coloni, exempti à Telonijs.*

Telonia sicca tollantur. ART. XVII.

ET quoniam in omnibus ferè Conuentibus, de tollendis Telonijs siccis mentio facta est: statutum est nunc quoque, vt ea vbicunque sunt tollantur. Et quia in bonis suæ Maiestatis aliqua talia esse feruntur, sacra Regia Maiestas sua, ad supplicationem Statuum, si qua huiusmodi esse, habita diligenti superinde informatione, in bonis suis vsquam compererit, pro bono aliorum exemplo, tolli mandaturum se clementer obtulit.

Telonia sicca Rex primus in suis bonis tolli faciet.

Limitum Regni causæ cognoscantur, diffiniantur, & executioni demandentur.

ART. XVIII.

REVISIONEM etiam causarum limitum Regni, cum Morauis circa Szakolcza, & alia loca, & cum Stiriensibus, & Austriacis, in Comitatu Castriferrei, & Sopronienssi, necnon Sclauoniæ & Croatiæ, cum Carniolensibus, quæ nondum reuisæ sunt: executionem quoq; earum, quæ proximis annis fuerant reuisæ, sacra Maiestas sua, ad supplicationem Statuum se propediem curaturam clementer obtulit; cum id hactenus, propter grauissimas eius Maiestatis occupationes, fieri commodè nequiuerit. Quandoquidem eadem de re, cum ipsis quoq; cæteris Prouincialibus suis tractare oporteat in publicis similiter Conuentibus. Interim autem personæ ad reuisionem huiusmodi idoneæ, consilio dominorum Consiliariorum suæ Maiestatis, Vngari erunt eligendi & nominandi, vt cum per eius Maiestatem dies & locus huic reuisioni fuerit constitutus, nulla vlterior in ea re sit mora.

Hoc non omnibus dolet, & propterea hæret.

Damna, iniuriæ & oppressiones, ne posthac à seruitoribus Regis Regnicolis inferantur, literis in Cancellaria maiori & minori expeditis, vniuersi obtemperent pareantur.

ART. XIX.

AD supplicationem etiam Statuum & Ordinum Regni, & antea semper, & nunc denuò cum querela factam, de auertendis iniurijs & oppressionibus fidelium suæ Maiestatis, & eorum colonorum, à Præfectis, Prouisoribus, Castellanis, & cæteris officialibus suæ Maiestatis, in arcibus & Tricesimis, alijsq; officiis in Regno positis: Sacra Maiestas sua, ita clementer ad rem se inposterum prospecturam obtulit, ne posthac externi, vel etiam Vngari, vel officiales sui, quenquam fidelium suorum Regnicolarum, contra æquitatem, & Regni constitutiones, molestia vel iniuria afficiant. Et vt literas Maiestatis suæ in Vngarica Cancellaria expeditas obseruent, & non indigni habeantur; ac legibus Regni, & sententijs Iudicum ordinariorum pareant, iuxta tenorem articulorum, anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi secundi. Et secus facientes, modo & ordine in ijsdem articulis expresso, puniri facere Maiestas sua curabit.

Imò Sopron. ann. 53. art. 19.

Damna inferentes Capitaneos, & milites Rex, iuxta vniuscuiusq; nationis consuetudinem, puniet. ART. XX.

DAMNA etiam à Capitaneis & militibus suæ Maiestatis, tàm in statione, præsidioue

aliquo poſitis, quàm etiam in itinere progredientibus, ſacra Maieſtas ſua modis omnibus auertere curari non negliget, neq; prætermittet, quin eos, qui deliquerint, in debitis locis, iuxta cuiusq; nationis conſuetudinem, per eos, quorum intererit, puniri faciat.

Latet hic quippiam.

Leleſz Conuentus vſque dum eliberetur, in eius proceſſu, Capitulum Agrienſe, & Scepuſienſe, ac Conuentus de Iaſzow executiones peragat. ART. XXI.

CÆTERVM, cum propter factiones rebellium in partibus ſuperioribus Conuentus de Leleſz, ad iuridicas executiones inter fideles Regiæ Maieſtatis progredi non poſſit: ſupplicant Status & Ordines, vt interea, dum Conuentus ille eliberabitur, Conuentus de Iaſcow, ac Capitulum Agrienſe & Scepuſienſe, ad executiones, ad quas Leleſz procedere ſolebat, procedere iubere dignetur.

Veſprimienſe Capitulum executiones in ſua iuriſdictione peragat, ſigillum reformet: interim Kapornak & Szalauar Conuentus executiones eaſdem faciat. ART. XXII.

STATVTVM eſt etiam, vt Capitulum Veſprimienſe, in Comitatibus olim conſuetis, quatenus id fieri poteſt, executionem faciat; cum Capitulares illi bona adhuc & prouentus habeant. Sigillum autem eis reformetur, & rurſum eis aſſignetur, quo vti poſſint. Interim autem Conuentus de Kapornak & Szalauar, in his locis, in quibus Capitulum Veſprimienſe procedere poteſt, procedant.

Haydones qui ex confinijs rapinas exercent, aut qui cauſam deprædationi dederint, puniantur per Regem, vel eius Locumtenentem. ART. XXIII.

Haydones, id eſt, vagos & peronatos pedeſtris ordinis milites: horum arma acinacis pelta, & cuſpis: vox propriè abiegum deſignat.

Vt pro ſerui delicto dominus plectatur.

PRÆTEREA in negotio Haydonum, ſtatutum eſt, vt pro tollendis inauditis facinoribus, indignitatibus, quæ de talibus hominibus hactenus circumlatæ ſunt, ſacræ Regiæ Maieſtatis literis, in ſingulos Comitatus miſſis, reſciantur mala hactenus huiuſmodi patrata, & vnde, ſiue ex bonis ſcilicet ſuæ Maieſtatis, ſiue aliorum ea facta ſint, ita tum ſontes ex merito puniantur. Ita quòd domini & Nobiles, & alij officiales, quicunq; illi fuerint, qui contra tale mandatum ſuæ Maieſtatis, tales prædones in arcibus, vel alijs locis tenuiſſe, vel tenere comperientur, & talia latrocinia impunita reliquerint: imò taliũ cauſam præbuerint, ipſimet mox accepta informatione, compertaq; rei veritate, legitimè, ſine longo iuris proceſſu, eadem pœna, quam illi malefactores merentur, per Regiam Maieſtatem, vel in abſentia Regiæ Maieſtatis, per dominum Locumtenentem puniantur, prout Maieſtas ſua ſe clementer facturam obtulit.

Literæ apud Præpoſitum Poſonienſem habitæ, quorum ſunt, medium Protonotariorum, per vices, ad perluſtrationem literarum deputandorum, reſtituantur. ART. XXIIII.

CÆTERVM, cum iam ſæpius ſacræ Regiæ Maieſtati ſupplicatum fuerit, vt literæ, & literalia inſtrumenta diuerſorum dominorum ac Nobilium, quæ ſuperioribus annis in arce Poſonienſi, nunc verò in domo Præpoſituræ Poſonienſis, hic Poſonij ſunt repoſita, per Iuriſperitos homines ad id ſpecialiter deputatos reuiderentur, & ijs ad quos pertinerent, diſtribuerentur: idq; hactenus factum non ſit. Statutum eſt nunc, vt pro primò die proximè futuri menſis Auguſti, duo Magiſtri Protonotarij huc Poſonium venire, & vſq; ad medium menſem præfatum, in perluſtratione & reſtitutione huiuſmodi literarum, ijs ad quos ſpectant, à medio verò menſe, vſque ad eiuſdem menſis finem, alij duo Magiſtri Protonotarij ſimiliter in eadem re occupati teneantur: quibus de honeſtis expenſis, vſq; ad id tempus, quo in hac perluſtratione fuerint occupati, per eos, qui literas ſuas perquiri voluerint, prouideatur. Ad illud autem tempus Comitatus omnes, qui literas aliquas conquiri optauerint, Poſonium venire debeant. Quòd ſi quę difficultas apud ipſos Protonotarios ſuboriretur, ad vtros forte literæ aliquæ ſpectarent, tales literas apud ſe retineant, vſq; ad proximum terminum iudiciorum, & tandem ad quos legitimè pertinere videbuntur, reddantur.

CONCLVSIO.

CONCLVSIO.

NOs igitur supplicatione præmissa dictorum fidelium nostrorum, dominorum Prælatorum, Baronum ac Nobilium, aliorumq; huius Regni nostri Vngariæ Ordinum ac Statuum clementer admissa, prædictos vniuersos & singulos articulos, modo præmisso nobis præsentatos, præsentibus literis nostris de verbo ad verbum inseri & inscribi fecimus, eosdemq;, ac omnia & singula in eis contenta, ratos, gratos, & accepta habentes, eisdem nostrum Regium præbuimus consensum beneuolum, pariter & assensum, illosq;, ac quæuis in eis contenta, nostra Regia authoritate, acceptauimus, approbauimus, ratificauimus, & confirmauimus: offerentes nos clementer, quòd præmissa omnia in prædictis articulis contenta, tàm nos ipsi inuiolabiliter obseruabimus, quàm per alios fideles nostros, cuiuscunq; status & conditionis existant, obseruari faciemus: imò acceptamus, approbamus, ratificamus, & confirmamus, harum nostrarum vigore & testimonio literarum mediante. Datum Posonij tertio die Iulij, anno Domini Millesimo, Quingentesimo, Quinquagesimo septimo, Regnorum nostrorum, Romani Vigesimo septimo; aliorum verò tricesimo primo.

FERDINANDI IMPERATORIS DECRETVM, ANNO DOMINI M. D. LIX. Posonij editum.

NOS FERDINANDVS, diuina fauente clementia, electus Romanorum, Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Vngariæ, Boëmiæ, &c. Rex, Memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes quibus expedit vniuersis: quòd fideles nostri, domini Prælati, Barones, Magnates, Nobiles, cæteriq; Ordines ac Status Regni nostri Vngariæ, & partium ei subiectarum, in eorum generali Conuentu, Posonij pro festo Epiphaniarum Domini, anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi noni, celebrato, ex mandato nostro congregati, mittendos ad nos curauerunt infrascriptos constitutionum articulos, in eodem Conuentu, vnanimi & communi ipsorum omnium voto atque consensu, decretos & conclusos, & ad propositionem nostram, ipsis, medio serenissimi Principis domini Maximiliani, Regis Boëmiæ, Archiducis Austriæ, Ducis Burgundiæ, &c. filij nostri charissimi, factam respondentes: supplicantes nobis humiliter, vt eosdem articulos, omniaq; & singula in eisdem contenta, ratos, gratos, & accepta habentes, nostrumq; illis consensum præbentes, approbare, ratificare, atq; confirmare, & eos tàm nos ipsi obseruare, quàm per alios, quorum interest, obseruari facere dignaremur. Quorum quidem articulorum tenor sequitur in hæc verba.

Cura & solicitudo Regis, in Regnum hoc Statibus accepta. ART. I.

SACRÆ Cæsareæ & Regiæ Maiestatis, domini nostri clementissimi, humiles & obedientes subditi ac fideles, domini Prælati, Barones, Magnates, Nobiles, cæteriq; vniuersi Status & Ordines Regni Vngariæ, in hoc eorum generali Conuentu præsentes, intellexerunt humilimè singula, quæ Maiestas eius Cæsarea, medio serenissimi Principis & domini, domini Maximiliani, DEI gratia, Regis Boëmorum, &c filij sui charissimi, domini itidem eorum clementissimi, pro singulari sua in afflictas dicti Regni sui reliquias, earumq; defensionem, cura atque solicitudine, proponere, quæuè pro publico & communi eorundem fidelium suorum bono deliberare, proque imminentis periculi magnitudine atque necessitate, iuxta clementes suas postulationes, tractanda & concludenda demandare dignata est. *Maximilianus Rex Bohemus Comitijs præest.*

Calamitates & oppressiones exponuntur, ac vt rapinæ per milites, eorumq; Præfectos fieri cohibeantur, supplicatur. ART. II.

ET quidem antequam ad aliquos postulationum Maiestatis suæ Cæsareæ tractatus accedant, grauissimo & alto nimis eorum dolore, ineuitabilique necessitate compulsi, nequa-

nequaquam possunt omittere, quin Maiestatem suam de plurimis, iisq; maximis, & prorsus intolerabilibus suis oppressionibus, quas inde à certis iam annis, hucusque diu nimis, cum in libertatum & priuilegiorum suorum violationibus, tum verò alijs varijs & diuersis modis, partim à Maiestatis suæ Cæsareæ Capitaneis & militibus, partim verò eiusdem Præfectis & officialibus, Vngaris pariter & externis, intra & extra arces constitutis, contra commune ius & æquum, libertatesq; Regni percipiuntur, breuibus humilimè commonefaciant, suæq; Maiestati, pro clementi eorum omnium remedio, quàm submissisimè supplicent.

Vt ad infinitas Regnicolarum, pro auertendis cladibus & ærumnis, supplicationes, cum effectu respondeatur, petitur. ART. III.

IAM antea enim in omnibus ferè Conuentibus publicis, sacra Maiestas Cæsarea edocta certiorq; facta fuit, super fidelium suorum Vngarorum plurimis, & diuersi generis grauaminibus atq; malis: suæque Maiestati diligentissimè semper supplicatum fuit, vt clementem aliquem auertendorum eiusmodi malorum modum & viam inuenire dignaretur. Quod licet Maiestas sua sacra se diligentissimè curaturam semper responderit, eoque respectu, per eiusdem fideles, ad suæ Maiestatis Cæsareæ postulata, facilius semper & promptius fuerit accessum, promissaque subsidia atq; auxilia etiam exoluta: nihilominus tamen, tantum abest vt prioribus illis afflictionibus & oppressionibus dicti illius fideles subleuatos se sentiant, vt potius mala malis indies accumulata in immensum creuerint, nec vllam vnquam finem habitura videantur, nisi Maiestas sua sacra, secus & quidem seriò prouiderit.

Graues, perennes & perpetuæ Regnicolarum ærumnæ. ART. IIII.

ET quum vltra quotidianas penè depopulationes, neces, incendia, captiuitates, cruciatus, & tormenta, quæ omnia suæ Maiestatis fideles à Turcis patiuntur, præcipua calamitas & miseria, à gentibus & militibus, vt dictum est, suæ Maiestatis, eiusdemque officialibus Vngaricæ & externæ nationis, præcipuè promanent: coguntur suæ Maiestatis fideles, de certiore aliquo remedio auertendorum iam tandem ab ipsis tot malorum, inter se consultare, atq; decreto certo punitionis insolentum & violentorum quorumlibet facinorum, modo & ordine pro eo clementer admittendo, & in effectum, vel nunc iam tandem deducendo, apud sacram Maiestatem suam humilimis precibus diligentius instare.

Clades & afflictiones.

Oppressionum, & omnium malorum auertendorum modus, ART. V.

PRIMO itaq;, quantum ad milites suæ Maiestatis sacræ attinet, qui rapinas, & alia violenta ac illicita sua facinora, eo præcipuè prætextu excusant, quòd sibi à sacra Maiestate sua, stipendia sua tardè nimis exoluantur, & propterea, quo viuant, & se sustentent, se non habere dicant quum nec Regnicolæ, neque misera plebs insolutionis ipsius causa sit; eo quod omnia, quæ ab ipsis præstari potuerunt, semper præstita sint. Videtur hæc illorum excusatio, ipsis Maiestatis suæ fidelibus esse damnosa nimis & periculosa, atq; si ea valere debeat, tot illorum rapinas, & violentias hoc pacto nunquam finem habituras. Cum itaq; summè necessarium sit, vt sacra Maiestas sua clementer tandem modum adhibeat, quò tantæ insolentiæ, ac tot & tàm crebra militum illicita facta, certa & præsentanea aliqua pœna prohibeantur, & secundùm eam in illorum authores animaduertatur: dignetur eadem clementer hunc obseruare, & obseruari facere modum & processum, vt intellectis fidelium suorum querelis, constituat certos Iudices, qui in partibus illis vbi damna ipsa vel violentiæ commissæ fuerint, singula sub iuramento inquirant & cognoscant, atq; facto cum idoneis & sufficientibus ad id personis Nobilibus iudicio, id quod eis æquum & iustum visum fuerit exequantur: vel si fortè illi, contra quos querelæ ipsæ fient, eius forent conditionis, quòd Iudices à Maiestate sua deputati, iuxta iudicij

Ærumnarum & afflictionũ auertendorum media.

Militum insolentia prohibeatur.

dicij sententiam, in illos animaduertere non possent, vel fortè essent aliqui extranei: Iudices ipsi, singula per ipsos inquisita & cognita, cum iudicij per eos facti processu, Maiestati suæ Cæsareæ fideliter sub iuramento perscribant, quæ postea gratiose modum adinuenire dignetur, ne modo præmisso conuicti maneant impuniti. Nihilominus tamen si Maiestatem suam sacram tardius nonnunquam militibus ipsis soluere contingat, & ob id subditis eiusdem, ab illis, necessitate ita cogente, damna inferantur: visum est, vt Maiestas sua iubere dignetur, ex stipendio militum ipsorum summam damnorum, tempore solutionis defalcari, & ex ea damnificatis satisfieri. Cum enim hoc pacto, non alieni quipiam, sed suæ Maiestatis subditi, & eiusdem Regnum opprimantur, iustum esse videtur, vt Maiestas sua, subditos suos à damnis præseruare studeat, idq; eo magis, quòd Regno ipso desolato, nemo inde plus damni, quam sola Maiestas sua sit acceptura, & vltra id, quod Diuina indignatio prouocatur, subditi ipsi à Maiestate sua plurimum alienentur.

Iudices ad cognoscendas causas querelarum super damnis constituantur. Stipendij exoluendi militibus tarditas noxia. Ex stipendijs militum damna refundantur. Poson. an. 57. art. 20. Anno 55. art. 16. ann. 54. art. 2. Sopron. an. 53. art. 5. Poson. 50. art. 8. 63. art. 37. Maximiliani, Poson. ann. 69. art. 43.

Officiales Regis, duplici modo grauant populum. ART. VI.

QVANTVM verò ad officiales suæ Maiestatis Vngaros & externos attinet, ij, Maiestatis suæ fideles, duplici modo grauant. Faciunt enim spolia ablatis illorum rebus, & ex arcibus Maiestatis suæ, vicinorum, eiusdem fidelium bona, villas, & territoria violenter, sine iuridico processu occupant. Hos quoq; sacra Maiestas Cæsarea, intellectis querelis prout iusticia & æquitas postulauerit, seriò puniri facere, & vt in posterum à violentis bonorum hæreditatum occupationibus desistant, & ea quæ hactenus indebitè occuparunt, de facto remittant, atq; super his, in quibus aliquod ius prætendunt, iuris ordine procedant, clementer iubere dignetur.

Commissarij, ad quæcunq; negotia amandati, cuiuscuis nationis sint, in officio perperam procedentes, puniantur. ART. VII.

TERTIVM quoque genus est, Commissariorum scilicet suæ Maiestatis, à quibus fideles suæ Maiestatis similiter haud parum grauaminis & molestiarum patiuntur. Hi enim hoc nomine, quòd à Maiestate sua expediti sunt, quiduis insolentiarum sibi impunè in quoscunq; licere plerumq; arbitrantur. De his siue Vngari, siue Germani sint, visum est, vt siue ad procuranda exercitui & gentibus suæ Maiestatis victualia, siue ad alia publica negotio exequenda dimittantur, nihil violenter & iniuriosè agant. Præcipuè autem, si labores publicè decreti, solicitandi exigendiq; fuerint, vltra id quod publicè oblatum & constitutum est, neminem cogant: alioquin & ipsos sacra Maiestas sua querelis prius intellectis, pœna commerita, prout iusticia & æquitas postulauerit, seriò & re ipsa puniri facere dignetur.

Vngarica negotia, cum Consilarijs Vngaris tractentur. ART. VIII.

ET quia horum omnium prædictorum malorum & grauaminum auertendorum, modus & via, inter alias, hæc quoq; haud postrema videtur, vt in posterum Maiestas sua Cæsarea, in rebus Vngaricis, vti dignetur consilio Vngarico, & iurium & libertatum Regni perito: quum alioqui ij etiam, de quorum capite, vita, atq; fortunis agitur, quiq; indies in ipso periculo versantur, suæ Maiestati de omnibus melius, quam extranei quipiam rerum Vngaricarum minus periti, deq; alieno periculo non ita soliciti, possint consulere: iustumq; videatur, vt quemadmodum Vngari nunquam adhibentur negotij & consilij, purè aliena Regna concernentibus, sic etiam alieni, his quæ purè & præcisè ad libertates & priuilegia Regni Vngariæ spectant, non adhibeantur.

Cancellaria ex Germanica, in rebus Vngaricis non edantur literæ: & quòd contemptores mandatorum Regiorum de facto puniantur. ART. IX.

SIMILITER vt de literis quoque ex Cancellaria Vngarica emanandis, Maiestas sua decernere dignetur, vt quemadmodum ex ista nihil mandatorum ad Germaniam, ita ex Camera, vel Cancellaria Germanica, nihil, quod iura & libertates Regni concernat,

cernat, in Vngaricam mandaretur: ob id potiſsimum, quòd præ literis Germanicis, Vngaricæ iam nullius penè momenti habeantur,nec obſeruentur,cum maximo damno fidelium ſuæ Maieſtatis. Atq; ſi hactenus, vſq; adeò tenuis lterarum ſuæ Maieſtatis Vngaricarum vigor fuit atq; reſpectus, dignetur Maieſtas ſua Cæſarea, vel nunc tandem clementem operam dare, ne mandata ſua Vngarica, ita prout hactenus, vilipendantur: quin potius illorum tranſgreſſores & contemptores de facto puniantur. Idcirco Cæſarea eius Maieſtas clementer obtulit ſe, in duobus iſtis articulis exhibituram ſicuti negotiorum & rerum qualitas, atque conditio poſtulare videbitur.

Cauſæ exponuntur, propter quas ægrè contribuunt Regnicolæ. ART. X.

QVOD verò ad primum propoſitionis articulum attinet, in quo Maieſtas ſua Cæſarea, fideles ſuos Status & Ordines Regni hortatur ad contribuendum trium florenorum ſubſidium, licet dicti ſacræ Maieſtatis ſuæ fideles Status & Ordines Regni, cum ex frequentibus ſuperiorum annorum, tum verò moderna quoq; grauiſsimorum laborum & impenſarum ſuæ Maieſtatis commemoratione, manifeſtius agnoſcant clementes Maieſtatis ſuæ poſtulationes, ſi rei atque neceſsitatis magnitudo penſitetur, nequaquam eſſe inconuenientes, verùm ſummè neceſſarias: non poſſunt tamen omittere, quin Maieſtati ſuæ Cæſareæ, cum ſumma ſui ſubmiſsione declarent, quemodo ne dum modernæ iſtæ ſuæ Maieſtatis petitiones, verùm etiam illæ quæ proximè elapſis annis factæ fuerunt oblationes, videantur eſſe fidelibus ſuis ſubditis Vngaris viribus maiores, atque præſtitu prorſus impoſsibiles. Manifeſta enim eſt Maieſtatis ſuæ ſacræ ingens & miſeranda iſta iam inde à pleriſq; annis facta Regni deſolatio, ad quam accedunt tot & tantæ iſtius reliquæ adhuc miſeræ plebis ærumnæ & afflictiones, quibus partim à Turcis & rebellibus indies grauiter opprimitur, partim verò, non minus à gentibus ſuæ Maieſtatis ac officialibus, externæ & internæ nationis, vt dictum eſt, grauamine afflicta, quaſi ad nihilum iam eſt redacta.

Subſidium duorum florenorum offertur, & ad quid contribuatur. ART. XI.

QVIBVS tamen omnibus fideles Status & Ordines Regni non curatis, viſa grandi & grauiſsima ſuæ Maieſtatis ad Regni defenſionem neceſsitate, pro ſuæ & oppreſsorum colonorum ſuorum poſsibilitatis modulo, proq; præſentis temporis ratione, ſacræ Maieſtati ſuæ Cæſareæ, ad defenſionem Regni, confiniorumq; intertentionem, duos florenos Vngaricos, in duobus terminis, primo feſti Sancti Viti Martyris; altero autem Sancti Lucæ Euangeliſtæ, proximè venturis, ab omnium dominorum, Prælatorum, Baronum, Nobilium, cæterorumq; Statuum & Ordinum Regni bonis ſoluendos, præter viginti illos denarios ſereniſsimæ Maieſtati Reginali inferius decretos, humilimè decernunt ſoluturi libenter, iuxta clementem Maieſtatis ſuæ Cæſareæ quiſitionem, maiora, niſi vltra alia declarata incommoda, ingens in Regno eſſet cariſtia, cum ex eo, quod annona ijs proximis annis parcius prouenerit, tum verò propter factas Turcarum & rebellium deſolationes, continuasq; & aſsiduas adhuc militum ſuæ Maieſtatis prædas, & quòd miſeri coloni, qui pleriſq; in locis, ob ſummum frumenti & panis defectum, glandinibus (quod ſanè miſerandum eſt) veſcuntur, difficilè & ægrè, vel trahendæ ſolùm de die in diem vitæ ſuæ ſufficiant, ne dum ad ſoluendum maius aliquod dicæ ſubſidium pares eſſe poſſent.

Annonæ cariſtia, Turcarũ deſolationes, Militum prædæ, & flamma rebelliũ, Regni mala.

Subſidij exigendi modus præſcribitur. ART. XII.

IN cuius quidem ſubſidij exactione, modum connumerationis in articulis proximè celebrati Conuentus Poſonienſis, anni Milleſimi, Quingenteſimi, Quinquageſimi ſeptimi expreſſum, obſeruari debere decretum eſt, vt qui coloni, res vſq; ad valorem ſex florenorum non habent, non dicentur. Et præterea fiat connumeratio, ex integris tantum portis ſeu ſeſsionibus cẽſualibus, etiamſi duos, vel tres, aut plures inhabitatores in ſe continerẽt. Combuſtæ verò domus, & penitus deſertæ, ac habitatorib⁹ vacuæ, non dicentur.

Poſon. Ann. 57. art. 3. & 4. Deſertæ & combuſtæ domus non dicentur.

dicentur. Et qui coloni Turcis quoq; subiecti sunt, dimidium tantum subsidij huiusmodi soluere teneantur. Dicatores quoque, qui ad connumerationem huiusmodi subsidij emittentur, iusto iuramento solius iudicis eius loci, in quo connumeratio fit, super prædictis omnibus sint contenti, neque constitutiones publicas etiam aliter excedant. Quòd si inter colonos Turcis subiectos iuramento Iudicum Dicatores contenti esse noluerint, tunc à Iudicibus nobilium eius loci, iuxta veterem consuetudinem, & sub iuramento fidelitatis, de veritate certiores fieri possint: & ipsi Iudices nobilium, quilibet de colonis, in suo processu existentibus, sub eodem iuramento fateri teneantur. Libertini verò nulli ab eiusmodi contributione sint exempti, præter illos, qui in propria solutione, victu & amictu continuo dominorum sunt, vel eisdem equis, vel alio genere mercedis seruiunt. Cæterum Valachi, Rutheni ac Rasciani, quicunque sessionati coloni sunt, & census præstant dominis eorum, quemadmodum reliqui coloni sessionati connumerentur & dicentur. Modus enim ille, quem Maiestas sua in ipsa propositione clementer ostendit, antiquis & laudandis, sanguineq; & seruitijs maiorum partis fidelium suorum subditorum libertatibus prorsus est contrarius, atque ad id eisdem valde grauis & onerosus.

Turcis vectigales, mediam dicam soluant.

Dicatores iuramento iudicum stare debent.

Libertini quales à dica exempti.

Rutheni, Valachi, Rasciani, qui in medio colonorũ domos habent integram dicam soluunt.

Supra Poson. an. 57. art. 3.

Expeditio generalis & particularis fiat etiam hac vice, iuxta constitutiones publicas annorum, Quinquagesimi sexti & septimi. ART. XIII.

QVANTVM verò ad intertentionem gentium attinet, quam sacra Maiestas sua, de singulis centenis colonis, duplici modo expediri postulat: cum diffusè & abundè satis sacræ Maiestatis suæ fideles declararint, extremam colonorum suorum paupertatem, in quam per varias & multiplices oppreßiones redacti sunt, atque hoc pacto prouentus quoque fidelium suæ Maiestatis plurimum sint imminuti, vt potè quos coloni eorum depauperati exoluere, vt antea, nequaquam poßint. Decretum est, vt gentium auxilia, in duobus superioribus proximis Conuentibus, annorum Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi sexti, & Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi septimi oblata, tàm circa generalem, quàm verò particularem expeditionem, modo & ordine in articulis eorundem Conuentuum declarato, per Status & Ordines Regni præstentur, pro hac tamen sola vna vice. Et vt his Maiestas sua gratiosè contenta, nec ipsa illos, ad maiora aliqua exhibenda cogat, neque verò per Capitaneos cogi & compelli patiatur.

Poson. Ann. 56. art. 20. 21. & 22. Ann. 57. art. 2.

Equites duo, ratione decimarum & nonarum, ex singulis centum florenis, amplius per neminem seruentur: Ecclesiasticæ tamen personæ, iuxta anni Quinquagesimi quinti constitutiones, militem alant. ART. XIIII.

VBI verò sacra Maiestas sua Cæsarea hortatur fideles suos, vt domini Prælati, præpositi, Abbates, ceteriq; Ecclesiastici Ordines, ac etiam domini Barones & Nobiles, de singulis centum florenis, quos ipsi Ecclesiastici à decimis, Sæculares verò à nonis percipiunt, singulos duos equites intertencant: quum serenißimus Rex Boëmiæ, habita clementi ratione iustißimæ excusationis, vtriusq; Ordinis fidelium suæ Maiestatis, hac in re facta, tàm dominos Prælatos, Præpositos, Abbates, Capitula, & cæteros Ecclesiasticos, quàm verò dominos Barones & Nobiles, ab hoc expediendorum duorum equitum onere, clementer immunes habuerit: statutum est, vt nemo ad illorum expeditionem teneatur. Domini tamen Prælati, Præpositi, Abbates, Capitula, cæteriq; Ecclesiastici ordines, gentes suas, modo & ordine in articulis anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi quinti expresso, intertenere debeant.

Poson an. 55. art. 5.

Subsidium ad plures annos non posse concedi, & quid impediat, vt in plures annos dicam non decernant Status. ART. XV.

PORRO tàm subsidium superius humilimè promissum, quàm gentium oblatarum intertentionem, pro clementi Maiestatis suæ postulatione, nec ad sex, nec verò

Excusationes cur in plures annos subsidium non decernatur.

ad tres postremò petitos annos continuari posse visum est: cum ob id, quod mos & consuetudo sit antiqua, cum alias, tum verò Maiestatis suæ quoque Cæsareæ tempore hactenus vsque semper obseruata, vt oblata publicè subsidia, ad vnum annum saltem durent; tum etiam, quòd is sit Regnicolarum status, vt Ordines & ipsi,& facultates eorum, colonorumque suorum minuantur, pauperioresque euadant, neque sciant an soluendo & præstandis his, quæ nunc decreta sunt, ad sequentes annos illos partes sint futuri: fierique possit, vt etiamsi Imperator Turcarum hoc anno egrediatur, reliquis tamen quinque subsequentibus non sit venturus, quum omnia in solius DEI, qui aduersos & hostiles illius conatus, facile aliò vertere potest, nutu atque potestate, & secundùm eius diuinam bonitatem, in clementi suæ Maiestatis prouisione sint constituta. Verentur quoque sacræ Maiestatis fideles humiles, ne si in hos sex vel tres postremò postulatos annos consentiant, postea per totum illud temporis, nullum habituri sint Conuentum publicum, in quo vltra consueta offerri subsidia, publica grauamina & necessitates suas declarare, deq; necessario illorum remedio, communibus votis inter se decernere & concludere possent.

Dietæ cur celebrari, & quid istic agi debeat. Vide Vlad. Secund. art. 25. & 26. & Quint. art. 1. Et non quolibet anno Ludouic. Secund. Rakos, an. 26. art. 16.

Annonæ & victualium ad castra inducendorum precium per milites soluatur.

ART. XVI.

VBI verò sacra Maiestas Cæsarea fideles suos Status & Ordines clementer hortatur, vt inter se tractent atque consultent de modo parandorum victualium, eorumq; prompta & expedita vectura: Respondent eiusdem fideles humiles, quòd quamuis videatur Maiestatem suam in victualibus Vngariæ confidere non posse, ob id, vt supra dictum est, quòd magna sit in Regno caristia, sperare tamen, si victualia, quæ quidem ex his Vngariæ reliquijs haberi potuerint, in expeditione ipsa non defutura esse, dummodo ea, quæ ad castra importabuntur, per milites soluantur, neque permittatur illis in villas, ad diripienda omnis generis victualia, à castris longius diuagari, sicuti in proxima expeditione Iauriensi & Babochiensi factum fuit, & nunc fit in partibus Regni Vngariæ superioribus, ac alijs nonnullis confinijs. Singularum verò rerum ad victum pertinentium, ac etiam vecturæ precium, in prioribus iam Conuentibus est limitatum: ad quos se Status & Ordines Regni referunt, ex eo, quòd se nunc quoque meliorem super eo ordinem constituere posse non videant. Hoc tamen vnum per supremos expeditionis Præfectos prouidendum necessariò videtur, vt singulorum precium, constituta in violentos raptores certa pœna, persoluatur, & currus quoque ac iumenta, per quæ victualia importantur, ad castrenses alias vecturas, sicuti in eadem expeditione Babolchiensi, ac alijs etiam factum fuit, non detineantur, vel etiam non soluto precio, mactentur. Nam si hoc fiet, eius rei metu, pauci victualia ipsa aduecturi sunt.

Vectura.

Expeditio Iauriensis & Babolcha. Tirn. an. 45. ar. 28. Poson. an. 53. art. 14. Sopron. anno 53. art. 17. Victualia sine precio non adimantur. Pœna est expressa, Poson. an. 54. art. 5.

Vngari, vltra quotidianas clades, & per proximum hostem assiduas deprædationes, quas ferunt, etiam subsidium, non minus quam cætera Regna, contribuunt.

ART. XVII.

HORTATVR etiam sacra Maiestas Cæsarea fideles suos, vt tractent inter se, de subleuanda ipsius Maiestate in confiniorum intertentione, quando iam exhaustis cæteris Regnis & prouincijs suis, ad id sola non sufficiat. Præterea vt de confiniorum quoque munitione, per gratuitas colonorum operas peragenda deliberent. Quantum itaque ad subleuandos sumptus illos, suæ Maiestatis fideles, se ad Regni defensionem, confiniorumq; intertentionem, duos florenos, à singulis eorum colonis dicari solitis, obtulisse, vltra quod quidem eorum subsidium non vident, quibus Maiestatem suam Cæsaream maioribus subleuare possint. Neque verò conferendi videntur fideles suæ Maiestatis Vngari, hac in parte cum reliquis subditis aliorum Regnorum & prouinciarum suarum. Nam hi in pace adhuc & securo loco degunt: Vngari, quotidianis periculis & calamitatibus obiecti & impliciti, ac maiori illorum in parte, in continua penè fuga existentes, quotidie occiduntur, abducuntur, & deprædantur. Et

Subsidium ad Regni defensionem & confiniorum intertentionem dari attende, Vngari hæc mala ferunt ab anno Domini 1395. quo anno Sigismundus.

tamen vltra hæc illorum continua mala, subsidia quoq; non minora, quàm cæteri suæ Maiestatis fideles contribuunt. Rex ad Nicopolim uictus est.

Gratuitus labor sex dierum à singulis portis decernitur. ART. XVIII.

QVOD ad munitionem confiniorum attinet, fideles Status & Ordines Regni, propter nimiam iam colonorum suorum attenuationem, offerunt subditos suos, iuxta numerum portarum dicari solitarum, ad gratuitos labores sex dierum circa munitiones præstandos, modo & ordine infrascripto. Hoc tamen adiecto, vt Maiestas sua Cæsarea habeat facultatem, cum Comitatibus periculo vicinioribus, pro vlteriori labore præstando tractare concludereq; si necessitas postulauerit. *Poson. Ann. 63. art. 20. Gratuiti laboru distributio.*

Scepusiensis Comitatus labor, ad Pelsöcz arcem Georgij Bebek deputatus. ART. XIX.

PRIMO statutum est, vt Comitatus Scepusiensis mittat colonos suos ad munitionem castelli Pelsöcz, quod est domini Georgij Bebek. Nam cum per illud potissimum pateat Turcis aditus in Comitatum illum, idem verò dominus Bebek ad eius munitionem se insufficientem perhibendo, illud distrahere voluerit; visum fuit intertenendum esse, & opera colonorum dicti Comitatus muniendum.

Saros Comitatus labor ad ciuitatem Cassouiensem. ATR XX.

COMITATVS Saros, prout antea, ita inposterum quoque, ad ciuitatem Cassouiensem laboret.

Abauyuariensis & Thornensis Comitatus, ad Szenderö. ART. XXI.

ABAVYVARIENSIS & Thornensis ad munitionem arcis Szenderö sunt deputati, ex quo defensio illorum inde potissimum dependeat.

Gömöriensis Comitatus, ad plures arces deputatus. XXII.

IN Comitatu Gömöriensi, quoniam pleraq; sunt castra & castella finitima, visum est, vt quisque suum laboribus colonorum suorum proprium muniat. Reliqui verò Nobiles, quisque colonos suos, ad illud cui vicinior est, & vnde defensionem expectat, iuxta limitationem Comitatus, dimittat. *Gömör.*

Heuesiensis, Borsod & Neugrad Comitatus laborum distributio. ART. XXIII.

COMITATVS Heuesiensis & Borsodiensis, cum duobus districtibus Comitatus Neugradiensis labores suos Agriam præstent. Reliqua verò pars eiusdem Comitatus Neugradiensis, ad munitionem arcium Somoskő, Lekkő & Deűin deputata est.

Zempliniensis Comitatus labor. ART. XXIIII.

COMITATVS Zempliniensis, ad munitionem ciuitatis Sarospatak deputatus est, quando ad illam solam tempore necessitatis refugium habeat. *Zemplinien. Sarospatak.*

Vngh Comitatus labores. ART. XXV.

COMITATVS Vngh, exceptis pertinentijs arcis Szerednye, laboratores suos ad Vnghuar mittat.

Nittriensis & Thrinchiniensis Comitatus labor distributus, Ondrod, Thornocz, Veche, Babichhaza castella diruenda esse. ART. XXVI.

COMITATVS Nittriensis & Thrinchiniensis, ad Nittriam, Vyuar, Komiathi, & Suràn, iuxta constitutionem proximè celebrati Conuentus Posoniensis, laborent, præterquam quod omnia bona domini Christophori Orszagh, tàm in istis duobus, quàm alijs quibuscunque Comitatibus existentia, laborent ad proprias illius arces finitimas.

Castella Ondrod, Thornocz Veche, Babichhaza distrahantur.

finitimas. Et quia in eodem Comitatu Nittriensi sunt certa castella, videlicet, Ondrod, Thornocz, Veche, & Babichhaza, omni munitione & præsidio destituta, ita vt si hostis illa, quod facile posse videtur, occupet, toti Comitatui maximo detrimento sint futura; conclusum est, vt statim per Comitatus distrahantur.

Strigoniensis Archiepiscopi, & Præpositurarum Thurocz, veteris Budensis, Sagiensis, & superiorum thermarum, nec non Capituli Ecclesiæ Strigoniensis bonorum labor ad arcem Vyuar designatus. ART. XXVII.

BONA verò domini Archiepiscopi Strigoniensis, nec non Capituli eiusdem, quæ idem nunc possidet, tàm in iusto Nittriensi, quàm etiam Barsiensi, Honthensi, & Thurocziensi Comitatibus existentia, simul cum Præpositura de Thurocz, iuxta proximè præteriti Conuentus constitutiones, deputata sunt ad munitionem arcis Archiepiscopalis Vyuar, vt in cuius prouisione & permansione, non parua pars salutis illius regionis consistit. Et quia sunt in eodem Comitatu Nittriensi bona ad Præposituras veteris Budensis, Saghiensis, & de Felhewiz, quæ omnes membra sunt & filiales Ecclesiæ Strigoniensis, pertinentes, decretum est, vt illa quoque ab eiusdem arcis Archiepiscopalis munitionem seruiant; ob id potissimum, quod alia quædam bona, antea ad eiusdem arcis fortificationem ordinata, aliò sint deputata.

Barsiensis, Thurocziensis, Zoliensis, Aruensis, Lipthouiensis, Comitatuum labores distributi. ART. XXVIII.

BARSIENSIS, & vterq; Honthensis Comitatus, exceptis bonis Nobilium Forgach, in eodem Barsiensi Comitatu adiacentibus, quæ ad munitionem castelli ipsorum Komiathi deputata sunt, ad labores arcis Leua: Thurocziensis verò cum Zoliensi, Aruensi, & Lipthouiensi, ad eiusdem arcis Leua & Korpona munitionem colonos suos expediant: exceptis tamen (vt dictum est) bonis domini Strigoniensis, nec non Capituli eiusdem, Præpositurarumq; supradictarum, quæ ad dictæ arcis Archiepiscopalis munitiones ordinata sunt.

Kis Thapolchan castellum in Comitatu Barsiensi distrahatur. ART XXIX.

ET quia in dicto Comitatu Barsiensi est quoddam castellum Nobilium de Thapolchan, Kis Thapolchan vocatum, & Turcis valde propinquum, quod negligenter admodum custodiri dicitur, vt pote, in quo nec vllæ gentes intertenantur, nec alia necessaria instrumenta ad defensionem pertinentia habeantur: statutum est, vt illud quoque per Comitatum distrahatur.

Comitatuum vltra Danubianorum labores limitati, iuxta priores constitutiones. ART. XXX.

Poson. ann. 57. art. 6.

DE Comitatibus vltra Danubianis decretum est, vt iuxta limitationem Conuentus proximè celebrati, quilibet eorum expediant laboratores suos, numero nunc in præsenti Conuentu decreto, ad loca cuique in articulis eiusdem Conuentus assignata: excepto eo, quod vniuersa bona domini Palatini, deputata & ordinata sunt ad arces ipsius proprias, quæ in confinijs sunt positæ, videlicet, Saruar, Kapu, Egeruar, ac castellum Capituli Strigoniensis, Zenyer vocatum: præcipuè autem ad castellum illius Kanisa, quod solum, si arces, Szighet & Bobolcha (quod DEus auertat) perire contingeret, vlteriores Turcarum processus, in partibus illis remorari, eisq; obstare posse videtur.

Szaladiensis & Simigiensis Comitatuum labores, ad Babolcha collati. ART. XXXI.

QVIA tamen in superiori Conuentu, anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi sexti, nihil laboratorum deputatum fuit ad munitionem arcis Babolcha, eo quod illa tunc temporis in manibus Turcarum habebatur; deputati sunt nunc ad illius munitionem

ditionem duo Comitatus, Szaladiensis & Simigiensis, exceptis illorum bonis, qui propria habent castra & castella, in ipsis Turcarum faucibus posita, qui colonos suos ad proprias ipsorum munitiones retinere debebunt. Maiestas tamen sua Cæsarea dignetur clementer prouidere, ne vti iam nunc fertur, munitio illius arcis sit vana & frustranea.

Sopronienfis, Castriferrci, & Vesprimiensis Comitatnum labor, ad oppidum Papa,
ART. XXXII.

AD munitionem arcis & oppidi Papa, qui locus inter alias arces trans Danubianas est maximi momenti, delecti & deputati sunt Comitatus Sopronienfis, Castriferrei, & reliquiæ Vesprimiensis. *Sopron. Vasuar. Vesprim.*

Labor ad arcem Szighet. ART. XXXIII.

MVNITIONI verò arcis Szigeth, solæ eius pertinentiæ, quæ magnæ sunt & amplissimæ, maximo adiumento esse possunt, & alioqui prædicti Comitatus, propter longinquitatem itineris, illuc seruire non possunt. *Szigeth.*

Messis & vindemiæ tempore, coloni ad laborandum apud confinia non cogantur.
ART. XXXIII.

STATVTVM est etiam, vt coloni ipsi iuxta superiorum Conuentuum constitutiones, tempore messis & vindemiæ, ad faciendos aliquos labores in munitionibus ipsis non compellantur. *Poson. ann. 54. art. 6. 9. an. 57. art. 6.*

Labor colonorum, quorum domini plura in diuersis Comitatibus castella habent, ad ea conferatur. ART. XXXV.

QVONIAM autem sunt pleriq; dominorum & Nobilium, quorum alij duo, nonnulli verò plura castra & castella finitima, non in vno eodemque, sed diuersis Comitatibus existentia habeant: statutum est, vt quisque talium colonos suos, ad proprij castri & castelli sui finitimi tantum munitionem reseruet, neque illi per Capitaneos, vel alios quospiam alio laborare compelli debeant.

Quinq; Ciuitates Regiæ, Cassouia, Eperies, Bartpha, Leuchouia & Szeben; suorum colonorum in munitionibus opera fruantur. ART. XXXVI.

QVINQ; verò ciuitates superiores, quum & ipsæ munitione indigeant, quælibet illarum colonis suis, ad sui ipsius fortificationem vtatur.

Iudicia suis terminis celebrentur. ART. XXXVII.

SVPER celebratione iudiciorum, visum est, eam, vti hactenus, intermitti nequaquam debere. Et propterea decreuerunt Status & Ordines Regni, quòd illa celebrentur generaliter omnibus Comitatibus, tàm istis propinquioribus, quàm etiam partium superiorum, hic Posonij, in duobus terminis: primo scilicet pro octauo die festi Sancti Georgij Martyris: secundo autem, pro octauo similiter die Sancti Lucæ Euangelistæ, iam proximè venturo. Quæ quidem iudicia durare debeant integros quadraginta dies, exceptis diebus festis: adiudicenturq; in illis generaliter omnes & vniuersæ causæ, ab obitu quondam Ludouici Regis, super quibuscunque rebus & casibus hactenus vsque motæ & emersæ. Exceptis tamen causis bonorum serenissimi quondam Ioannis Regis, quas propter arduas, easque legitimas iustissimasq; rationes, publicam pacem & vtilitatem concernentes, interuenientibus quoq; publicis sanctionibus, in suspenso manere, neque leuari vel adiudicari debere conclusum est. *Octauæ durēt dies 40.* *Ioannis Regis bonorum causæ suspenduntur.* *Poson. ann. 57. art. 8.*

Prælati & Barones quot, & qui Iudicijs intersint, vltra Iudices ordinarios,
ART. XXXVIII.

ET quoniam in omnium iudiciorum generalium literis adiudicatorijs & sententionalibus mentio fieri solet, præsentiæ in iudicijs dominorum Prælatorum & Baronum,

ronum. Ne quis propterea futuris temporibus causari posit, sedem ipsam iudiciariam, absentibus ab ea Prælatis & Baronibus, non fuisse plenam & integram, eoque prætextu latas quoque finaliter sententias queat inualidare: statutum est, vt in posterum omni diligentia curetur, vt deinceps iudicijs, vltra Iudices istius Regni ordinarios, continuè, & sine exceptione intersint duo Prælati, & totidem Barones, vel ad minus vnus ex Prælatis, & vnus ex Baronibus. Et ex Prælatis quidem visi sunt Reuerendissimi domini, Iauriensis & Transyluaniensis, moderni Episcopi. Ex Baronibus autem, Magnificus dominus Franciscus de Tah, Agazonum suæ Maiestatis Magister, & egregius dominus Franciscus Zay, Consiliarius eiusdem Maiestatis suæ. Sin autem arduis & rationabilibus aliquibus causis præpediti, aliquando interesse non possent, alij in absentum locum substituantur, atque ita illis præsentibus, iudiciorum ipsorum celebratio, per Iudices ordinarios Regni, eorumque Vicesgerentes, & Protonotarios, ac quatuor Assessores (qui non per substitutas personas, sed personaliter, continuè, & sine exceptione iudicijs interesse debent) procedat: neque sese vlla alia causa excusare queant, nisi præpediti graui infirmitate, tempore & loco administrationis iudiciorum.

Poson. ann. 57. art. 13.

Appellationes & earum Iudices quibus domini Prælati & duo Barones asciscendi.

Quia tamen dominus Palatinus, & Locumtenens sacræ Maiestatis suæ, in reuidendis appellationibus necessariò aliquos ex dominis Prælatis & Baronibus secum habere debet: constitutum est, vt iuxta proximorum Conuentuum constitutiones, bini ex Prælatis, & totidem ex Baronibus, non tamen illi, qui, vt supra dictum est, iudicijs intererunt, appellationum ipsarum reuisioni interesse debeant. Et quia Assessores aliqua necessitate impediente, alios sibi substituere non possunt, constitutum est, vt tales plures quam quatuor jam nunc eligantur; ita vt si vnum, vel alterum necessariò abesse contingat, alius ex ipsis succedat, numerusque quatuor Assessorum in iudicijs semper integer habeatur. Ad quod quidem officij, præter Michaëlem Milethinzki, Laurentium Palffi de Kapolna, Emericum Saghi, & Andream literatum Notarium sedis Comitatus Posoniensis, qui eo hactenus vsque functi sunt, visi sunt idonei & sufficientes, Ioannes Iuanczi, Georgius Sambokrethi Vicecomes Nittriensis, Petrus Simandi, & Iosephus Giczi: illis tamen quatuor, qui iudicijs intererunt, Maiestas sua de salario prouidere dignetur. Habeat autem, iuxta præteritorum Conuentuum constitutiones, dominus Locumtenens Maiestatis suæ potestatem, illorum vno vel altero mortuo, vel ob aliud quodpiam necessarium impedimentum absente, in sacræ Cæsareæ suæ Maiestatis à Regno absentia, alios qui idonei videbuntur, in locum illorum, instantibus scilicet ipsis iudicijs, eligendi,

Assessores plures quã quatuor eligantur.

Locumtenens pro absentibus uel mortuis Assessoribus, alios substituit.

Causæ authoritate Locumtenentiæ dijudicandæ, continuè adiudicentur.

ART. XXXIX.

Poson. an. 56. art. 34. & 35.

STATVTVM etiam est, vt dominus Palatinus, causas illas, quæ iuxta articulos anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi sexti, continuò adiudicari debent, pro necessitate, dum sese commoditas temporis obtulerit, authoritate Locumtenentiæ, continuè adiudicari non prætermittat.

Iudicia Ecclesiastica suum cursum habeant, secundùm Decreta Mathiæ & Vladislai Regum Vngariæ. ART. XL.

Poson. an. 52. art. 25. ann. 56. art. 35. & 57. art. 9.

ECCLESIASTICA quoq; iudicia, in quibuscunque causis, ad forum & sedem Spiritualem pertinentia, iuxta continentias Decretorum, Mathiæ & Vladislai Regum, & aliorum quoque, per Vicarios dominorum Prælatorum, continuò in terminis suis consuetis adiudicentur.

Episcopi quæ officij & Iurisdictionis ipsorum sunt, liberè exerceant. ART. XLI.

Poson. an. 57. art. 10. & 11. an. 48. art. 5. Archidiaconi visitent.

STATVTVM est præterea, quòd iuxta constitutiones superioris Conuentus, anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi septimi, & etiam aliorum, domini Prælati, Archidiaconos suos ad visitationes peragendas emittant, Synodos celebrent, aliaque ad eorum officia spectantia, in rebus Ecclesiasticis obire non omittant, ac tempore

pore Synodi, vel conuocationis generalis, siue particularis, teneantur omnes plebani & presbyteri qualescunque, tàm ex bonis dominorum & Nobilium, quàm ex ciuitatibus liberis, ad conuocationem Prælatorum suorum, quorum Diocæsi subsunt, pro accipienda salutari doctrina, sine omni renitentia conuenire. Quòd si verò aliqui forent, qui plebanos ipsorum, ad vocationem Episcopi & Prælati sui, manifesta contumacia ducti retinere, neque illos præmoniti & requisiti, ad Synodum ipsam dimittere vellent, contra tales, siue domini & Nobiles sint, siue verò ciuitates, sacra Maiestas Cæsarea, pro tutandis, conseruandis, & manutenendis libertatibus & iuribus Ecclesiasticis, munus & officium Principis Christiani, quod suæ Maiestati, vt Regni Vngariæ, incumbit (quemadmodum se gratiosè obtulit) peragere & exequi dignetur.

Synodi per Episcopos celebrentur.

Ad Synodum uocati Ecclesiastici ueniãt.

Huc pertinet. Vlad. Tert. art. 68.

Ad Synodum suos parochos dimittere nolentes, per Regem puniendi.

Brachij Regalis nomenclatura.

Serenißimæ Principi Mariæ, Reginæ Boëmiæ, Caroli quinti Imperatoris filiæ, coniugi Maximiliani Regis, in primo in Vngariam ingressu, munus honorarium Status offerunt. ART. XLII.

PORRO, quum serenißima Reginalis Maiestas, domina nostra clementißima, cum supradicta serenißima Maiestate Regia, domino & marito suo, domino itidem nostro clementißimo, hac vice primum omnium Vngariam ingressa, in medium fidelium Maiestatis suæ venire non dedignata est: iam verò semper sacræ Maiestatis suæ fidelibus Vngaris, in omnibus eorum necessitatibus atque negotijs, cum apud Maiestatem eius Cæsaream, tum verò serenißimum quoq; Boëmiæ Regem, gratioso suo patrocinio & promotione, clementem se semper dominam & patronam declarârit, speretq; suam Maiestatem, in posterum quoque, ab hoc suo clementi, pio & beneuolo in ipsos affectu, cum apud dictas Maiestates suas, tum verò serenißimum quoq; Hispaniarum Regem, fratrem suum charißimum non destituram, vniuersi Status & Ordines Regni, hilari primum & læto animo suæ Maiestatis apud eosdem præsentiam cernentes, eandem honorario munere, quo quidem per tenuitatem, nunc in ijs eorum ærumnis licuit, humiliter excipiendam decreuerunt: atq; conclusum est, vt ad primum terminum oblati superius in publicam defensionem subsidij pecuniarij, de singulis portis dicandis, Maiestati eius Reginali, singuli viginti denarij Vngarici, ex omnium tàm dominorum & Mobilium, quàm cæterorum Regni Statuum & Ordinum bonis, pro hac vna vice contribuantur, atq; Maiestati suæ Reginali aßignentur. Supplicantes eiusdem Maiestati Regnali, dignetur hoc eorum exiguum munus, clementi & grato animo accipere, & boni consulere; ad eiusq; pecuniæ perceptionem, si eius Maiestati Reginali videbitur, idoneus videretur Georgius Hoszutoti, Secretarius Cameræ Vngaricæ, ita vt super perceptis, Maiestati suæ Reginali rationem dare teneatur.

Denarij 20.

Georgius Hoszutoti.

Causa bonorum, quæ sub prætextu notæ infidelitatis sunt apprehensæ, possunt discuti in Comitatibus, quo ad ipsam apprehensionem bonorum: verùm de nota infidelitatis ipse Rex cognoscit & pronunciat. ART. XLIII.

QVOD verò attinet ad causas eorum bonorum, quæ sub prætextu notæ infidelitatis, cum per alios, tum præcipuè viros militares, illegitimè dicuntur occupari: statutum est, vt coram Comitibus, Vicecomitibus, Iudicibus & vniuersitate Nobilium disceptetur quidem, & cognoscatur, num eiusmodi bonorum occupatores, secundùm ordinem & constitutionis Regni, legitimè ad possesiones talium bonorum peruenerint: & vt illi, quos violenter, ac contra ordinem iuris, possesione bonorum suorum deiectos & expulsos fuisse certò constiterit, restituantur, ac redintegrentur. Sed vtrum illi, qui se huiusmodi bonis spoliatos conqueruntur, pœnam rebellibus & inobedientibus constitutam incurrerint nec ne? Ea cognitio: cum ad solam sacram Cæsaream Maiestatem spectat, ne ab alijs, in præiudicium suæ Maiestatis, exerceatur, conclusum est.

Eiectio & expulsio alicuius è bonis, prætextu infidelitatis, potest in Comitatus sede cognosci.

Libertates Statuum in Tricesimis obseruentur. ART. XLIIII.

QVVM in aliquot iam præteritis Conuentibus conclusum sit, vt libertates dominorum & Nobilium; item Montanarum, & liberarum ciuitatum, cæterorumq; fidelium & subditorum suæ Maiestatis, eadem libertate gaudentium, in Tricesimis vbiq; intra Regnum inuiolatè obseruentur, id támen hucusque factum non sit: supplicant Maiestati suæ Cæsareæ fideles eiusdem Status & Ordines Regni, dignetur iam tandem modum aliquem clementer adinuenire, & omnino prouidere, atque mandare sub graui pœna, ne dictæ fidelium suorum libertates, ita, prout hactenus, violentur. Quare statutum est, vt libertates quidem dominorum & Nobilium, in hac quoque parte obseruentur, iuxta priora suæ Maiestatis Decreta, in superioribus Conuentibus superinde sancita. Et ne quisquam Tricesimatorum sibi ipsi inusitatam aliquam exactionem instituat. Sed quoniam ad Maiestatem suam perfertur, non deesse inter Regnicolas suos, tàm dominos, quàm Nobiles, qui Tricesimas suæ Maiestatis, sub prætextu libertatum, diuersimodè defraudare studeant, vt qui consueuerint diuersas merces à colonis suis exactas & collectas, quasi in vsum familiæ quotidianum, in aliena Regna & dominia suæ Cæsareæ Maiestatis exportare, ibiq; postmodum diuendere, & vicissim sub eodem colore domestici vsus, haleca & omnis generis alimenta, in alijs Regnis & prouincijs suæ Cæsareæ Maiestatis coëmpta, in Regnum Vngariæ transferre, ac inter colonos suos, accepto ab eis earundem rerum precio, distribuere, sine vllius Telonij, vel Tricesimæ solutione: nonnullus verò animalia, partim nondum adulta, partim macilenta, in magno numero coëmere, & in allodijs suis exiguo tempore, donec ad iustam magnitudinem creuerint, alere, ac postmodum pro fœtibus domi genitis & alitis, in fraudem fisci, & Tricesimarum suæ Maiestatis diuendere. Decretum est, prout & antea, vt Tricesimotores suæ Maiestatis, in tales defraudatores fisci, & vectigalium suæ Maiestatis, inuigilent, & si qui huiusmodi fraudes perpetrare comperti fuerint, secundùm constitutiones priorum Conuentuum puniantur.

Vlad. Tert. art. 29. 30. 31. 32. 34. 35. 36

Poson. ann. 56. art. 37. ann. 57. art. 16. & 19.

Halec.

Telonium. Tricesima. Secus Vlad. Tert. art. 35.

Tricesimarum defraudatores puniantur.

Telonia sicca distrahantur. ART. XLV.

DE siccis quoque Tolenijs statutum est, vt iuxta superiorum Conuentuum constitutiones distrahantur: quod ita futurum erit, si Maiestas sua Cæsarea, & post eam domini, sua primùm abolere incipient. Nam incipere hac in parte à Nobilibus, atque vno & altero distracto, reliqua manere integra, maximæ foret inæqualitatis, resq; esset indigna.

Poson. ann. 50. art. 67. Telonia sicca primum Rex, tum Domini, tandem Nobiles in suis bonis aboleant.

Moneta Vngarica, in bona liga cudatur, & aurum ac argentum è Regno non efferatur. ART XLVI.

STATVTVM est etiam, vt moneta in Regno Vngariæ cudatur bona, & in iusti ponderis liga: atq; Maiestas sua Cæsarea, iubeat permitti domino Archiepiscopo Strigoniensi, vt in rebus circa cusionem, officium ipsius concernentibus, iuxta constitutiones superiorum Conuentuûm, non impediatur. Signanter autem prohibeat, ne autem prohibeat, ne aurum & argentum extra Regnum efferatur, sed tantum in Cameram ad cusionem monetæ importetur, & præsentetur.

Poson. ann. 55. art. 13.

Sententiæ de metis seu limitibus Regni, antea per Commissarios latæ, executioni demandentur. ART. XLVII.

MEMINISSE præterea clementer potest sacra Cæsarea Maiestas, proximè elapsis annis, latas fuisse per Maiestatem suam Cæsaream certas sententias, in negotio metarum, super quibus inter nonnullos Austriacos, & certos Nobiles, de Comitatibus Sopronienſi & Castriferri controuertebatur: quæ quidem, quum hactenus nondum sint executioni demandatæ, dignetur illas sua Maiestas, ordinatis ad id certis Commissarijs, tandem iam executioni demandari iubere.

Metæ & limites Regni, vndiquaq; per Commissarios Regios reuideantur. ART. XLVIII.

ET

Et quum non paruæ fidelibus suæ Maiestatis, Vngaris, ac Sclauis & Croacis, intercedant differentiæ, ratione metarum & limitum regni, cum Morauia versus Szakolczam, item Carinthia, Styria, & etiam Polonia: supplicatur Maiestati suæ Cæsareæ, dignetur, certificato hac de re serenißimo Rege Poloniæ, ac præfixo Morauis quoque & Carinthijs ac Styrijs certo termino, deputare Commissarios, qui reuisis eiusmodi metis atque limitibus, illos certificent, quemadmodum se Maiestas sua, in aliquot Dietis gratiose facturam obtulit. *Polon. Rex.*

Leleszienſis Conuentus, ad minus quinq; Monachos, vel ijs deficientibus, totidem presbyteros habeat, pro peragendis executionibus. Art. XLIX.

Qvvm item Comitatus partium Regni Vngariæ superiorum conquesti sint, quòd maximos plerumque patiantur defectus in executionibus faciendis, propter carentiam testimonij Conuentuum, qui aliàs ad executiones mitti solebant: statutum est, vt quum Præpositus Leleszienſis in Conuentu suo nunc resideat, habeatq; adhuc prouentus quibus personas Ecclesiasticas in Monasterio suo intertenere posſit, adhibeat diligentiam, quòd in Conuentu suo, ad minus quinque Monachos teneat: vel si eos habere non posſit, saltem presbyteros: si & illos quidem habere non posſit, tales tamen qui in Conuentu resideant, & ad peragendas fideliter executiones iurati sint.

Relationes executionum in Capitulis & Conuentibus, per fide dignitates & homines Regios, sub iuramento semper referri debent, & sic in literis annotari, & quòd hæc constitutio præteritis non præiudicet. Art. L.

Qvoniam in executionibus multæ fraudes committi solent, eo quod relationes in Capitulo, vel Conuentu, per hominem Regium, & testimonium Capituli vel Conuentuale, secus plerumq;, quam ipsa executio peracta est, fiunt: statutum est, vt iuxta continentias Decreti, inposterum semper, relationes ipsæ, quarumcunque executionum, per ipsos, hominem Regium & testimonium Capituli, siue Conuentus, sub iuramento referantur, atque in literis quoque relatorijs semper specificetur, quòd talis relatio sub iuramento fuerit facta: hæc tamen constitutio, executionibus hactenus vsque sine iuramento relatis, derogare non debeat. Quòd si verò Capitulum ipsum, vel Conuentus, iuramentum modo præmisso exigere negligeret, puniatur, & ipsa executio, sine iuramenti depositione relata, vana sit & irrita.

Pulchrum est, Math. Sext. art. 10. & 75. Vlad. Prim. art. 43. Et Secund. art. 9. antiquius Ius. Coloma. lib. 1. cap. 29. 30. Ludou. Prim. art. 21. Sigis. Sext. art. 8. & 10. Math. Tert. art. 22. Quin. art. 16.

Ladislaus Zudar Nobilis cum sit, quia tamen in bonis Capituli Strigonienſis moratur, vina sua, non nisi ordine ipsum tangente, ad instar colonorum educillare posſit, sub pœna amiſſionis vini. Art. LI.

Et quia Capitulum Strigonienſe publicè conquestum est, se à Nobile quodam Ladislao Zudar dicto, qui in eorum oppido sancti Benedicti commoratur, maxima iniuria affici, vt pote, qui prætextu cuiusdam Nobilitationis & libertationis, sibi adhuc viuente olim serenißimo Rege Ludouico, à quodam Abbate eius loci concessæ, multa, præcipuè autem educillationem vinorum, in despectum, contumeliam & damnum ipsius Capituli facere soleat. Statutum est, vt quum iuxta iura & Decreta Regni, Abbas ille, qui in præiudicium successorum suorum, nemini quicquam de bonis & iuribus Ecclesiæ concedere potuerit: eius tamen causæ reuisio, ad instantiam dicti Capituli pronunc, quòd causæ † post obitum serenißimi quondam Ludouici Regis emersæ non adiudicentur, suscipi nequeat, dictus Ladislaus Zudar, vina sua imposterum, non aliter, nisi ad instar reliquorum subditorum ipsius Capituli, in eodem oppido commorantium, cum series ad ipsum peruenerit, educillet. Suspensa verò hædera Capituli, à vinis suis educillandis supersedeat, sub pœna amiſsionis vini educillari cœpti.

Vladisl. Tert. artic. 55. & Poson. Ann. 57. art. 11.

† Fortaßis legendum esset ante & non potest.

Comites, si coram Rege non iurauerint, in Comitatu suo iuramentum præstent, aut officio priuentur. Art. LII.

Cæte-

Poson. ann. 36. art. 35. Nouoz. ann. 42. art. 51. Poson. an. 42. art. 38.

CÆTERVM, cum in plerisq; iam Conuentibus constitutum sit, vt Comites in facie Comitatus, cui præsunt, solitum & consuetum iuramentum præstent. Statutum est, vt si qui Maiestati suæ Cæsareæ, aut Comitatui, antea iuramento obstricti non sunt, ij secundùm priores constitutiones, iuramentum præstent, vel officio priuentur.

Tirn. ann. 45. art. 52. Poson. an. 48. art. 66. an. 52. art. 38. Sopron. ann 53. art. 30. Vetus ius Vladisl. Tert. art. 44. Quinto art. 2. Et in collationibus honorum quid consideretur. E. Tertio art. 57. Quint. art. 3.

De Comitibus, qui bona in Comitatibus non habent, antiqua iura seruentur. ART. LIII.

Math. Sext. art. 60. dicit benè possessionatos.

DE illis quoque in Comitatibus, quibus præsunt, bona non habent, antiquæ & priores constitutiones & consuetudines obseruentur.

Officia & munia publica assumere nolentes, puniantur pœna Decreti. ART. LIIII.

Pœna. Sigism. Sext. art. 2. marc. 25. Math. Maiori art. 9. marc. 50. Vladisl. Prim. art. 34. marc. 25.

QVIA autem factæ sunt per Regnicolas querelæ, quód in plerisque Comitatibus sint nonnulli, qui quum gerendis officijs publicis idonei sunt, per Comitatum tamen, vel in Vicecomites, vel Iudices nobilium, aut Iuratos Nobiles electi, officia ea prorsus assumere recusant. Statutum est, vt eiusmodi, pœna talibus in Decreto constituta & expressa, puniantur.

Pyrrhus Comes ab Archo in ciuem Vngarum acceptatur. ART. LV.

ET quoniam dictus serenissimus Rex Boëmiæ, pro fidele suo seruitore, Magnifico Comite Pyrrho ab Archo, Generosæ ac Magnificæ dominæ Margarethæ Szechi de felsö Lindua marito, intercessit, vt postquam ducta vxore Vngara, in Vngaria quasi continuò resideat, seque ad obseruationem priuilegiorum, iurium, & consuetudinum Regni suæ Maiestatis Cæsareæ, & eiusdem Regni fidelia atq; constantia seruitia promptum offerat, ab ipsis in Vngarum acceptaretur: humiles suæ Maiestatis Cæsareæ fideles, dictæ serenissimæ Maiestatis Regiæ clementi requisitione inducti, decreuerunt, vt idem dominus Comes ab ipsis in Vngarum receptus, pro verò & indubitato Vngariæ membro, in posterum ab omnibus reputetur, omniumq; priuilegiorum, libertatum & iurium Regni particeps factus, illis, instar reliquorum suæ Maiestatis fidelium Vngarorum, vtatur: ita tamen, vt super libertatum, priuilegiorum & iurium Regni firma obseruatione, iuramentum præstet.

Supplicatio & certa fiducia Statuum & Ordinum, ad confirmationem consequendam præscriptarum constitutionum. ART. LVI.

POSTREMO, cum omnes hi suprascripti publicarum huius anni constitutionum articuli, communi & vnanimi omnium Statuum & Ordinum Regni consensu conclusi, ad nullum alium scopum, quam solum bonum Regni publicum, eiusdemque antiquarum libertatum, & publicarum constitutionum conseruationem tendant, Maiestas sua sacra, illos clementer admittere & approbare, atque fideles suos, in eorum libertatibus & priuilegijs gratiosè tueri & conseruare dignetur. Nullum autem est ipsis Regnicolis dubium, quin id Maiestas sua certò sit factura: cum nunquam grauius acceperit, si eiusdem fideles sæpius pro tuenda eorum libertate, etiam importunius apud ipsam instituerint: ad obseruanda verò, ac tuenda fidelium subditorum priuilegia, se ab initio semper clementer obtulit.

Bonum publicum.

CONFIRMATIO ET CONCLVSIO PRÆMISSORVM.

Grauamina querelæ.

NOs itaq; supplicatione dictorum fidelium nostrorum, dominorum Prælatorum, Baronum, Magnatum & Nobilium, cæterorumq; Statuum & Ordinum Regni nostri Vngariæ, clementer intellecta: quantum attinet ad grauamina & querelas fidelium

Regnico-

Regnicolarum nostrorum, de maximis, intolerabilibusque suis oppreßionibus, quas ijdem Ordines & Status Regni Vngariæ, se diuersis modis perpeti affirmant, cum dispendio libertatum ac priuilegiorum suorum, partim à nostris Capitaneis & militibus, partim verò à Præfectis, officialibusque nostris, Vngaris pariter & externis, intra & extra arces constitutis, quibus tantum abfit quòd hactenus fuerint subleuati, secundùm spem eis per nos sæpius factam, vt potius mala malis indies accumulata in immensum creuerint, nec vllum vnquam finem habitura videantur, nisi seriò prouiderimus, adeò quòd ipsi Ordines ac Status Regni nostri Vngariæ compulsi fuerint inter se consultare, de remedio illis malis adhibendo, & nobis, vt eam admittamus, clementer supplicare. *Mala malis accumulata.*

Nos quidem, quæ nostra est in fideles illos subditos nostros singularis propensio, benignitas, ac pietas, ex eiusmodi miserabili connumeratione omnis generis violentiarum, iniuriarum ac calamitatum, non immeritò maximam molestiam accepimus, præsertim cum recordemur, antea quoque in prioribus Conuentibus, similes querimonias ad nos delatas fuisse; vbi sanè non prætermisimus, quoque tempore, iuxta consilium fidelium Consiliariorum nostrorum, Vngarorum pariter, & aliorum, ea adhibere remedia, quæ pro statu & conditione temporum, ad leuandum ipsos fideles nostros Regnicolas, tot & tam grauibus oppreßionibus, commoda & efficacia esse censuimus: quibus gratiosis prouisionibus nostris, si euentus, nón vsquequaque respondit, aut priores calamitates & iniurias, à proximo Conuentu Posoniensi, nouæ iniuriæ & oppreßiones exceperunt (quod certè præter gratiosam voluntatem & expectationem nostram contigit) non possumus id non ægerrimè ferre, ac vehementißimè detestari. Itaque proni & parati sumus, ad ineundas omnes vias ac rationes, quibus tanta licentia atque proteruia militum nostrorum, & aliorum, à quibus fideles nostros subditos, præter rationem & æquitatem, grauari & opprimi cognouerimus, debitis modis coerceatur, ac ipsi fideles subditi nostri, in suis libertatibus & priuilegijs conseruentur & manuteneantur, quemadmodum nos hucusque hac in parte etiam Regio nostro muneri neutiquam defuisse confidimus. *Quòd Maiestas sua Imp. omnes suos fideles defensura imposterum & libertates omnium ordinum seruatura sit.* Reliquos autem omnes constitutionum articulos, nobis præmisso modo præsentatos præsentibus literis nostris, de verbo ad verbum inseri & inscribi fecimus, eosdemq; ac omnia & singula in eis contenta, ratos, gratos, & accepta habentes, Regium nostrum consensum beneuolum, pariter & assensum eisdem præbuimus, ac illos, omniaq; & singula in eis contenta, Regia nostra authoritate acceptauimus, approbauimus, ratificauimus & confirmauimus: offerentes nos clementer, quòd eosdem omnes articulos, in omnibus suis punctis, clausulis & articulis, tàm nos ipsi obseruabimus, quàm per subditos nostros, cuiuscunque status & conditionis existant, obseruari faciemus; imò acceptamus, approbamus, ratificamus & confirmamus, harum nostrarum vigore & testimonio literarum. Datum in nostra, & sacri Romani Imperij ciuitate Augustæ Vindelicorum, decima die mensis Martij, anno Domini, Millesimo, Quingentesimo, Quinquagesimo nono: Regnorum nostrorum, Romani vigesimo nono, aliorum verò Tricesimo tertio.

FERDINANDI IMPERATORIS ET REGIS, SVPER INSCRIPTIS, OPPOSITIS SEV impignoratis, donatis, & venditis, ac quouis modo per ipsum abalienatis bonis Ecclesiarum Regni Vngariæ, Decretum, Anno Domini M. D. LX. editum.

FERDINANDVS diuina fauente clementia, electus Romanorũ Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Vngariæ, Boëmiæ, Dalmatiæ Croatiæ, Sclauoniæ, Ramæ, Seruiæ, Gallitiæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæq; &c. Rex, Infans Hispaniarũ, Archi-

dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchio Morauiæ, Dux Lucemburgæ, ac superioris & inferioris Silesiæ, Wirtembergæ & Thekæ, Princeps Sueuiæ, Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi & Goritiæ, Landgrauius Alsatiæ, Marchio sacri Imperij, supra Anasum Burgoniæ, ac superioris & inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ Sclauonicæ, portus Naonis & Salinarum, &c. Memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes quibus expedit vniuersis, quòd quum Regnum nostrum Vngariæ diuina ita permittente ira, in eum videamus redactum statum, vt non solùm truculentissimi, ac communis totius orbis & nominis Christiani hostis Turcæ potentia, sæuaq; & immani crudelitate, iam inde à plurimis annis afflictum, debilitatumq;, à pristino illo suo splendore (proh dolor) deciderit, durissimumque infidelis Tyranni iugum, etiam nunc maiori parte sufferre cogatur: verumetiam, quod maius est, reuocatis hoc seculo quorundam infreni malignitate, & libera peruersaq; tetræ mentis in ouile Christi sæuiendi libidine, omnium veterum, & iam olim vnanimi totius Ecclesiæ Christianæ sententia, explosarum damnatarumq; hæresum erroribus, diuersarum sectarum, impiarumq; opinionum cautibus, communi quodam cum alijs plerisq; orbis Christiani Regnis & prouincijs malo, impactum veræ & Orthodoxæ religionis, periculosum valde naufragium fecerit: adq; hinc euenerit, vt plurimæ, diuersiq; ordinis & instituti Ecclesiæ, quibus hoc Regnum nostrum inter alias orbis Christi nationes, & numero, & insigni diuino cultu haud fuit postremum, partim vastatione Turcarum, partim verò impietate hæreticorum, & seducti per eos populi, maneant penitus neglectæ; maiorq; pars illarum funditus desolata. Bona verò & iura possesionaria, quibus illæ antiquitus à diuis quondam Vngariæ Regibus, felicium recordationum, ac ab alijs pijs & deuotis erga Deum, religionemq; Christianam hominibus, fuerunt dotatæ, partim ex nostra concessione ad beneplacitum facta, partim verò nonnullorum priuata authoritate in profanis manibus nunc existant, varijsq; modis, cum maximo diuini cultus, conseruandæq; veræ religionis dispendio, hinc inde distrahantur. Volentes nos igitur, pro nostro officio, quo in hoc supremo dignitatis Imperialis culmine ex Dei clementia constituti, pro defensione, propugnationeq; veræ fidei, tenemur omnibus modis curare, ne bona ipsa Ecclesiastica semel Deo & eius cultui consecrata, in vsus profanos conuertantur, neue ita officia quoque & ministeria diuina, cum grandi Christianarum animarum dispendio, simul intereant & aboleantur. De maturo consilio & deliberatione nostra, & dominorum Prælatorum & Baronum, ac aliorum Consiliariorum nostrorum, nobiscum nunc hic existentium, decreuimus atq; deliberauimus, quòd vniuersa bona Ecclesiastica, exceptis ijs quæ ad Scholas intertenendas applicauimus & dedimus, quocunq; nomine censeantur, siue ea sint Capituli, siue Abbatum, siue Præpositorum, Canonicorum, Priorum Eremitarum, Carthusianorum, & aliorum Fratrum, Monialium, Capellarum, & aliorum beneficiatorum Ecclesiasticorum, siue donationi nostræ Regali, siue Prælatorum subiacentia, quæ scilicet nos ante præsentium emanationem, quocunq; nomine cuicunque homini seculari contulissemus & donassemus (quam nos donationem ex nunc reuocamus, cassamus, & nullius roboris esse, vigore præsentis huius liberationis nostræ pronunciamus) de manibus eorundem hominum secularium quorumcunq; & cuiuscunq; sint status & conditionis, statim & de facto occupentur, atq; ijs quorum ipsa beneficia sunt, si viuunt, restituantur: Aut si non viuunt, in eo casu manibus Archiepiscoporum & Episcoporum, aliorumq; Prælatorum suorum ordinariorum assignentur, ac deinceps vsque ad tempus infrascriptum, per ipsos Archiepiscopos & Episcopos, quibus subiacent, possideantur, atque gubernentur: ita tamen, & ea conditione, quòd si qui adhuc Præpositi, Abbates, Priores, Canonici, Monachi, Fratres, Moniales, & alij beneficiati supersunt, quorum præscripta fuerunt bona, qui videlicet cum propter Turcas, aut aduersam æmulorum nostrorũ factionem, qua Regnum istuc vltra alias suas afflictiones, nunc mirum in modum turbatur, in loco suæ residentiæ

Ecclesiarum deuastatio unde prouenit.

Donationes bonorum Ecclesiarum ad beneplacitũ.

DEO semel dicata in usus profanos non rapiantur.

Donationes bonorum Ecclesiasticorum per Regem cuicunque seculari collatorum, reuocantur.

Vide quam huc quadrat Vlad. Tertio artic. 55. de bonis Ecclesiarum, & unde ista originem ducunt. S. Steph. li. 2. cap. 1. & 2. Andr. Secun. art. 17.

Æmulorum factio.

 residere

residere, ac bona beneficiorum suorum proprijs iuris viribus posśidere, prouentusq; percipere non possunt, sub nostra tamen ditione degunt, Archiepiscopus vel Episcopus ipse ordinarius, aut Diœcesanus sit ipsis beneficiatis auxilio, in posśidendis eiusmodi bonis. Vel si ijdem beneficiati non essent sufficientes bona ipsa per se posśidere: extunc in eo casu, Prælati ipsi, acceptis ad manus suas eisdem bonis, ex illorum prouentibus, de honesta & necessaria vitæ eorum sustentatione prouidere, atq; portionem ipsorum eis integrè reddere: Bona verò Monachorum & Monialium, si Monasteria ad quæ spectant, sunt desolata vel destructa, alijs superstitibus adhuc Monachis, & Monialibus eiusdem ordinis, dare & asśignare debeant. Ipsi verò tales superstites Præpositi, Abbates, Canonici, Monachi & Moniales, & alij beneficiati, in Ecclesijs eorum Cathedralibus vel Collegiatis, aut alijs, in quibus beneficium ipsum fundatum est, adhuc extantibus, vel si non extant, in alijs propinquioribus: Monachi verò & Moniales in Monasterijs ordinis ipsorum adhuc extantibus, vsq; ad reædificationem Ecclesiarum & Monasteriorum suorum residere, & cultum atq; officia diuina, iuxta fundationem Ecclesiarum suarum, pro eorum sufficientia ac viribus, peragere teneantur. Casu verò quo nullus talium beneficiatorum nunc superuiueret: extunc Archiepiscopi & Episcopi, qui à nobis Iurispatronatus conferendi beneficia habent, eiusmodi beneficia vacantia, idoneis & sufficientibus personis Ecclesiasticis, in sacrisq; constitutis; vel talibus non existentibus, alijs clericis, qui ordines sacros mox suscipiant de facto & & sine mora conferre teneantur. Si verò Archiepiscopi & Episcopi, Iurispatronatus à nobis non habent, nos ipsi conferemus, his qui pro beneficijs ipsis apud nos supplicauerint, vt sic numerus beneficiatorum & Ecclesiasticorum augeatur, atq; cultus diuinus non minuatur. Hoc quoq; clementer annuimus, vt ipsi domini Prælati, ex bonis eiusmodi Ecclesiasticis vacantibus, partem aliquam, ad erigendas & intertenendas Scholas & ludos literarios, in quibus iuuentus sub Præceptore, non hæretico aut suspecto, sed Catholico, ad profectum religionis Christianæ erudiatur, conuertere & applicare posśint. Cæterùm ad tollendum dubium de beneficijs, à iurisdictione Episcopi alicuius Diœcesani exemptis, & ad Ecclesiam Metropolitanam Strigoniensem pertinentibus, ita decreuimus, vt curam quidem dispensationis bonorum, & prouentuum temporalium, Episcopus ipse Diœcesanus modo & ordine declarato, habeat: Iurisdictio tamen ipsa & superioritas, secundùm iura, priuilegia, & antiquam consuetudinem ipsius Ecclesiæ Metropolitanæ Strigoniensis, penes Metropolitanum ipsum, integra semper & illæsa maneat. Quòd si verò aliquis dominorum Prælatorum bonis istiusmodi Ecclesiasticis, præter ordinem & modum superius declaratum, abuteretur, vel in suum proprium vsum, aut alios non pios vsus conuerteret: talem à prædeclarata bonorum Ecclesiasticorum cura & dispensatione, prout exnunc, ita extunc, & prout extunc, ita exnunc priuatum esse volumus. Quòd si autem cum tempore, diuina miseratione, Regnum nostrum Vngariæ pacificabitur, & ab hoc præsenti calamitoso luctuosoque statu, ad quietiorem tranquilliоremque statum reuertetur: extunc eiusmodi bonis & prouentibus beneficiorum Ecclesiasticorum, sine aliqua cunctatione & dilatione, ac strepitu quouis iuris, ijs quorum secundùm fundationem interest, Prælati ipsi, in quorum manibus tunc præscripta bona Ecclesiastica erunt, simpliciter & de facto reddere, atque illa Capitulis restituere debeant, & de facto teneantur. Imò decreuimus, & deliberauimus, harum nostrarum vigore & testimonio literarum: mandantes firmisśimè fidelibus nostris, vniuersis & singulis dominis Prælatis, Baronibus, Palatino videlicet, & alijs Capitaneis, Castellanis, Comitibus, Vicecomitibus, & cæteris officialibus nostris, cuiuscunque status & conditionis existant, modernis & futuris, qui vel præsentibus, vel alijs literis nostris mandati fuerint requisiti, vt præfatis dominis Episcopis, vel Archiepiscopis, quorum interrerit, in præmissa deliberatione nostra exequenda, & in occupatione de manibus secularium & Idiotarum, quarumcunq; personarum, præfatorum bonorum & prouentuum

S. Steph. li. 2. cap. 2.

Ecclesiarum desolatarum bona, ad alias Ecclesias eiusdem ordinis applicentur, & conuertantur.

Pro sufficientia Sacerdotū cultus diuinus seruetur.

Nota.

Iurisdictione Archiepiscopo seruata, Episcopus bona dispenset.

Tranquilliore Regni statu redeunte, bona ad suas Ecclesias redeant.

Palatinus, Capitanei, Comites, Castellani, Vicecomites, auxilio sint, ad adeptionem bonorum Episcopis.

Ecclesiasticorum quorumcunque, omni consilio, auxilio & adiuuamine adesse debeant & teneantur, gratiæ nostræ sub obtentu aliud non facturi. Præsentes autem, quas secreto sigillo nostro, quo vt Rex Vngariæ vtimur, impendenti, communiri iussimus: post earum lecturam, semper reddi committimus præsentanti. Datum Viennæ decima die Aprilis, anno Domini, Millesimo, Quingentesimo, Sexagesimo; Regnorum nostrorum, Romani Tricesimo, aliorum verò Tricesimo quarto. Electionis verò nostræ Imperatoriæ, tertio.

Ferdinandus.

Franciscus Forgach E. Varadiensis.

FERDINANDI IMPERATORIS DECRETVM VLTIMVM, ANNO DOMINI M. D. LXIII. Posonij editum.

NOS FERDINANDVS, Diuina fauente clementia, electus Romanorum Imperator, ac Vngariæ, Boemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex, semper Augustus, Infans Hispaniarum, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Comes Tyrolis, &c. Memoriæ commendamus tenore præsentium, singnificantes quibus expedit vniuersis, quòd fideles nostri, domini Prælati, Barones Magnates, Nobiles, cæteriq; Status & Ordines Regni Vngariæ, & partium ei subiectarum, in generali eorum Conuentu, pro festo Beati Stephani Regis, anno Domini, Millesimo, Quingentesimo, Sexagesimo tertio, celebrato, in ciuitate nostra Posoniensi, ex mandato nostro congregati, exhibuerunt & præsentauerunt nobis infrascriptos articulos, in eodem Conuentu, communibus omnium ipsorum votis, pariq; & vnanimi consensu conclusos: supplicantes nobis humilimè, vt vniuersos & singulos eos articulos, omniaq; & singula in eis contenta, ratos, gratos, & accepta habentes, nostrumq; Regium consensum illis præbentes, authoritate nostra Regia clementer acceptare, approbare, & confirmare, atque tàm nos ipsi obseruare, quam per alios, quorum interesset, obseruari facere dignaremur. Quorum quidem articulorum tenor talis est.

Statuum & Ordinum ad Regem supplicatio, vt eis clementi ope sua adesse perpetuò velit. ART. I.

ACCEPTA & perlecta sacræ Cæsareæ & Regiæ Maiestatis, domini nostri clementissimi propositione, intellexerunt domini Prælati, Barones, Magnates, Nobiles, cæteriq; Status & Ordines Regni Vngariæ, in hoc eorum generali Conuentu congregati, ea quæ sacra Maiestas sua enumerat, de maximis & continuis suis curis, laboribus, & immensis sumptibus, pro tutando & conseruando Regno isto suo factis, agnoscuntq; pientissimum suæ Maiestatis animum, quo hæc omnia, pro salute fidelium suorum Vngarorum, hucusque semper præstitit. Pro quibus omnibus in hoc Regnum *Gratiarum actio Regi.* beneficijs, meritisq; immortalibus, sacræ Maiestati suæ, quas possunt maximas agunt habentq; gratias, ac humilimè supplicant, vt tám pium vereq; paternum in illos affectum, solita sua clementia continuare, labentiq; huic Regno, & multis circumuento calamitatibus, imò in extremis fluctuanti periculis, in posterum quoque clementi sua cura & ope, secundùm DEVM adesse subuenireq; dignetur. Quod quidem suæ Maiestatis factum, vti DEO gratissimum, ita apud mortales æterna clariturum laude atque memoria, Status & Ordines ipsi, fidelissimis & perpetuis eorum seruitijs promereri, suamq; pro eo gratitudinem, etiam sanguine, vitæque suæ periculo declarare omni tempore studebunt.

Excusatio

Excusatio cur multum contribuere Status non possint decernunt tamen duos florenos Cæsari, vnum florenum nouo Regi contribuendum esse. ART. II.

QVod autem fideles suos Regnicolas benignè hortatur, vt considerata magnitudine sumptuum, quibus ærarium suum sit exhaustum, confiniorum quoque, à quibus eorum dependet incolumitas, necessitatibus, ternos hoc anno florenos, de singulis portis, duobus in terminis soluant, eamq; solutionem per quadriennium constituant, & nouam connumerationem decernant. Status & Ordines Regni, licet suam, & colonorum suorum tenuitatem, & attritas valde diminutasque vires ac facultates non ignorent: pro clementi tamen suæ Maiestatis adhortatione, sumptuumque eiusdem, quos non ignorant, necessitate, statunt atque decernunt, vt de singulis integris sessionibus, ad annum proximè sequentem, tres exigantur floreni, duobus in terminis, pro festo scilicet Epiphaniarum Domini vnus cum dimidio florenus, & tantundem pro altero festo Natiuitatis Beati Ioannis Baptistæ. Quorum quidem trium florenorum, duos pro sacra Maiestate Cæsarea, tertium verò pro serenissima Regia, Maiestate, domino eorum clementissimo, offerunt, atque hoc vno floreno de singulis sessionibus exigendo, illius Maiestati Regiæ, in hac felici eius Coronatione, muneris honorarij loco congratulari, suumq; erga illum amorem, studium & obseruantiam declaratam esse cupiunt. Supplicantes suæ Maiestati Regiæ, vt quemadmodum hactenus ipsis penes sacram Maiestatem Cæsaream, in omnibus eorum negotijs clementissimus fuit dominus, ita deinceps quoq; simili eos clementia prosequi, susceptaq; iam feliciter huius Regni Corona, defensionem & permansionem eorum, pari cum sua Maiestate Cæsarea ardore & diligentia, curæ sibi inposterum quoque habere dignetur.

Confer. cum hoc Poso. ann. 59. art. 10.

Flor. tres.

Maximiliano Regi, sub hac Dieta, die oct. Septembris coronato, munus honorarium.

Subsidium siue contributio in annum Millesimum, Quingentesimum, Sexagesimum quintum Cæsari oblata. ART. III.

POSTVLAT præterea sacra Maiestas Cæsarea, vt qui Comitia, propter alia occurrentia ardua & diuersa negotia, sumptusq; Regnicolarum, singulis annis indici non possint, dica ipsa trium florenorum continuaretur per quadriennium. Ad id quidem quod attinet, quum generalis Regnicolarum Conuentus, singulis annis, non tàm dicæ causa, quàm ob declaranda publica grauamina, & tractanda alia Regni negotia, ad eiusdem bonum & quietem pertinentia, indici celebrariq; soleat, & graues obstent causæ, quominus Regnicolæ ipsi faciendis crebrioribus & maioribus solutionibus pares esse possent: Statibus & Ordinibus Regni, hæc suæ Maiestatis postulatio, non solùm onerosa, verumetiam laudabili eorum consuetudini derogatura videtur. Nihilominus tamen, ne clementi suæ Maiestatis hac in re factæ requisitioni defuisse videantur, pro singulari eorum sacræ suæ Maiestati in omnibus promptissimè semper obsequendi studio, aliquid maius etiam suis viribus faciendum præstandumque putarent; atque propterea decreuerunt, vt præter illos ternos florenos, pro anno proximè sequenti, sacræ Cæsareæ & Regiæ Maiestatibus, modo præmisso oblatos, exigantur ad sequentem quoque immediatè alterum annum, videlicet, Millesimum, Quingentesimum, Sexagesimum quintum, pro sacra Maiestate sua Cæsarea, de singulis integris sessionibus, singuli duo floreni, idque duobus in terminis: pro festo quidem Epiphaniarum Domini, vnus florenus; & pro altero festo Natiuitatis Beati Ioannis Baptistæ, similiter vnus florenus. Supplicant tamen Status & Ordines Regni, vt cum ne pacificis quidem temporibus, & integro adhuc Regno, soliti fuerint diuturniorem Regis sui à Regno absentiam ferre: periclitantibus verò nunc indies istis reliquijs, sacræ Maiestati suæ in Regno præsentia summopere requiratur; dignetur ipsa, vel serenissimus Rex, pro maiori parte in Vngaria residere, & imposterum, si fieri poterit, singulis semper annis, sin minus tamen, statim in fine secundi anni, generalem suis fidelibus subditis Conuentum indicere, in quo, vel ipsa sua Maiestate Cæsarea, vel serenissimo Rege præsente, possint suas necessitates & grauamina proponere, deque publicis ac

Dietæ in quem usum celebrentur. Sopron. an. 53. art. 1.

Dieta singulis vel alternis annis celebretur. De Dietis confer. Vlad. Prim. artic. 108. Tert. art. 1. Ludou. Secund. Bach. 1518. art. 28. & 19. art. 26. Budensi. 23. art. 12. Rakos 26. art. 16.

Ferdinan. an. 50. art. 74.

ac necessarijs Regni negocijs tractare, quemadmodum sacra Maiestas sua id se clementer etiam facturam obtulit.

Contributio, & quòd Rutheni, Valachi, molitores, artifices, qui dicentur.

ART. IIII.

DECRETVM etiam est, vt noua fiat connumeratio portarum, secundùm illum modum, qui iuxta publicas constitutiones anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquasimi septimi, in exacta, proximè præterita contributione fuit obseruatus, vtque iuxta eam connumerationem exigatur vtriusque anni dica: propterea quòd Status & Ordines, à tempore contributionis proximè factæ, Regni istius reliquias plurimum decreuisse & diminutas esse cernunt. Hoc solùm addito & declarato, quòd Rutheni & Valachi, illi etiam qui licet domos non habeant, in tugurijs tamen habitantes, non contemnendam pecorum summam alunt, dimidiam oblatæ dicæ partem eorum quilibet contribuat, atque si istorum quispiam scienter, & volente domino suo, ad tempus saltem, donec scilicet dicatio peragatur, in vicina Regna vel prouincias aufugerit, & hoc manifestè constiterit, dominus ipse pro eo duplum soluat. Item vt molitores, ac etiam artifices, qui in stipendio dominorum non seruiunt, ad exoluendam dicam sint obligati & astricti. Combustis verò, & illis qui in locis desertis consederunt, & nouas domos ibi erexerunt, ac à solutione dicæ exempti sunt, exemptio ipsa obseruetur.

Rutheni & Valachi domos non habētes dimidiũ dicæ soluant. Pœna fugientium contributionem. molitores & artifices quales soluant dicam. Combusti & in desertis domos ædificantes, liberi à dica.

Mutuum vt ex contributione defalcetur. ART. V.

COMITATIBVS quoque illis, qui elapsis hisce proximis annis, per Capitaneos & Administratores prouentuum suæ Maiestatis requisiti, certas pecuniæ summas, ad sacræ suæ Maiestatis necessitates contribuisse, & de rehabitione illarum, ex proximè futura dica, assecurati fuisse dicuntur, & alijs etiam, quibus acceptum mutuum, ex futura contributione deputatum esset: sacra Maiestas sua, talem pecuniam mutuo datam, visis ea de re Capitaneorum, vel Administratorum prouentuum literis, ex decreta nunc dica clementer defalcari facere dignetur, quemadmodum hoc se facturam sacra Maiestas sua clementer obtulit.

Credita ex dica defalcentur.

Dicatori, Nobilis adiungatur, in expensis Nobilium. ART. VI.

DECRETVM etiam est, vt Dicatori adiungatur Nobilis vnus eiusdem Comitatus, in quo dica exigenda fuerit, idemque in sede illius Comitatus iuramentum præstet, quòd penes Dicatorem fideliter procedet, & diligenter animaduertet, ne quà per illum fraus committatur, eique de expensis per dominos & Nobiles, ex propria ipsorum, & non colonorum bursa prouideatur.

Hic modus in censendo iam populo seruatur.

Restantiæ contributionum, iuramento Iudicis pro tempore existentis, rectificari possunt. ART VII.

IN exactione quoque restantiarum dicæ præteritorum annorum, hunc modum & ordinem obseruandum esse à Statibus & Ordinibus Regni decretum est, vt sicubi locorum Dicator illas nondum solutas esse, coloni verò solutas contenderent, hi tamen literas quietantionales tempore solutionis accipere neglexissent, aut fortè acceptas amisissent: Dicator sit contentus iuramento Iudicis villæ illius, à qua restantiæ ipsæ petuntur. Mortuo autem Iudice, qui tempore exolutarum restantiarum fuit, eius loco alter Iudex, qui pro tempore extiterit, vel senior aliquis colonorum, cui de facta solutione constabit, iuret: vbi verò quietantiæ productæ fuerint, aut Dicator iam antea, ratione restantiarum eiusmodi, cum Comitatu transegerit, amplius eas ne exigat, neque propterea colonis molestus esse pergat. At in futurum persolutio eiusmodi restantiarum, non iuramento, sed vt vbiuis moris est, literis quietantijs comprobari & rectificari debeat.

Restantiæ contributionum quomodo inquirendæ, Quietantiæ Dicatorum.

Tributarij Turcis, vel Transyluano, dimidium contributionis soluant. ART. VIII.

ITEM

ITEM quemadmodum in prioribus, ita in isto quoque Conuentu decretum est, vt à colonis, qui Turcis subiecti sunt, media tantum dica exigatur: & similiter ab illis quoque, quos factio filij quondam Regis Ioannis dicare consueuit, dimidium dicæ tantum decretæ soluatur.

Turcis, & Transsyluano uectigales, dimidium dicæ soluunt.

Lucrum Cameræ annis, quibus contributio non soluitur, exigi potest. ART. IX.

DE lucro Cameræ, quod sacra Maiestas Cæsarea, proprium Coronæ prouentum, singulis in posterum annis, siue decretum fuerit subsidium, siue non, iuxta veterem morem, continuè exigendum decerni postulat. Visum est Statibus & Ordinibus Regni, quòd quamuis non ignorent, lucrum hoc Cameræ, specialem & ordinarium esse Regum Vngariæ prouentum: quia tamen à multis inde annis, ita semper obseruatum fuisse recordantur, vt oblato per Regnicolas Regibus subsidio, lucrum Cameræ semper intra illud fuerit computatum, & nunquam seorsim cum subsidio exactum, eos ne nunc quidem quicquam à veteri ista consuetudine immutari posse. Atq; propterea sacræ Maiestati Cæsareæ humilimè supplicauerunt, dignaretur ipsos in veteri isto more clementer conseruare, ipsumq; lucrum Cameræ, intra dicam oblatam computatum acceptare; id quod Maiestas sua Cæsarea clementer admisit. Ita tamen, vt inposterum id lucrum singulis annis, iuxta antiquam consuetudinem exigatur, si quando contingeret, quod proximè præterito quadriennio contigit, per annum quempiam, vel per plures annos nullam dicam publicari.

Lucrum Cameræ Poson. ann. 67. art. 15. 66. art. 9. 96. art. 16.

Carol. Regis fol. 55. Ludouic. Prim. art. 4. & 5. Sigis. Quart. art. 1. 2. 3. 4.

Victualibus duplicibus præsidia & confinia indigent. ART. X.

VBI verò sacra Maiestas Cæsarea, fideles suos Status & Ordines Regni hortatur, vt inter se decernant, modumq; & ordinem constituant, quibus milites locorum finitimorum continua commeatuũ copia abundent, & hi qui præemptione victualiũ negotiantur, puniri queant. Status ipsi & Ordines Regni, duplicem victualium rationem in confinijs necessariam animaduertunt. Vnam, qua locus quisq; finitimus indiget victualibus, ad futuras vel obsidiones, vel alias grauiores necessitates repositis. Alteram verò, qua militibus præsidiarijs prouidetur de quotidiano victu & sustentatione. Ad priorem quod attinet, cum sacra Maiestas Cæsarea, suos in vno quoq; ferè præcipuorum Regni confiniorum loco, soleat habere homines curæ reponendorum victualium Præfectos: non dubitant Status & Ordines ipsi, locis talibus, de sufficienti in futuras necessitates victualium reposito, à sacra Maiestate sua abundè satis prouissum esse. Quantum verò ad alteram spectat daturi sunt Regnicolæ omnem operam, vt per colonos suos sufficientia, quantum fieri poterit, victualia, ad loca finitima conuehi, iustoq; precio vendi faciant; neque vident confinijs ipsis vllum in victualibus futurum defectum, hoc præsertim anno quo annonæ copia prouenit, si milites ipsimet defectui non præbebunt causam & occasionem. Fit enim vt plurimum, imò iam in consuetudinem venisse videtur, vt dum rustici victualia ad forum loci alicuius finitimi conuehunt, milites pecunia carentes, illa vi rapiant, vel si ea spe futuræ solutionis accipiant, nihil tamen postmodum soluant. Quare deterriti alienatique rustici, nihil in forum conuehunt, milite verò illius sui facti, non aliam, quam quòd eorum stipendia tardius exoluantur, rationem afferunt. Huic itaque difficultati, non alio modo subueniri posse Status & Ordines Regni indicant, quam si sacra Maiestas sua, militibus suis, stipendia sua statuto semper tempore exoluere: & quemadmodum sese facturam clementer obtulit, his ipsis, eorumq; Capitaneis, vt precio viuant, nihilque vi rapiant, sub graui pœna mandare dignabitur.

Præemptio annonæ.

Victualia ad grauiores cõfiniorum necessitates reponenda.

Victualia, pro quotidiana militum sustentatione.

Rudolphi ann. 78. art. 6.

Victualia per colonos ad cõfinia inuecta, ui Capitanei & milites non eripiant.

Lege huc pertinentia. Tirna. ann. 45. art. 28. 29. & 30. Poson. ann. 52. art. 14. Sopron. ann. 53. art. 17. Poson. an. 57. art. 7. an. 59 art. 16. Maximiliani. Poson. ann. 66. art. 17. an. 67. art. 22. 69. art. 25. 74. art. 9. Rudolphi. Poson. an. 78. art. 6.

Præemptores iusto precio dent victualia Capitaneis. ART. XI.

AD præemptores quidem victualium ipsorum quod attinet, statutum & decretum est per Regnicolas, vt iuxta propositum per suam Maiestatem modum, supremi

Præemptoribus uictualia

quando adimi possunt.

Capitanei, plenam facultatem & potestatem habeant talibus victualia coëmpta & congesta liberè auferre, & pro illis soluere precium, quod deputandi ad id boni viri Regnicolæ & milites, iusta æstimatione, soluendum fore indicauerint. Liberum tamen esse debeat dominis vel Nobilibus, dum in proprium vsum, & non ad quæstum, aliquibus opus habuerint victualibus, ea à colonis suis, soluto iusto precio accipere, vel etiam subditis pecunia ad exoluendam dicam, vel alios vsus necessarios carentibus, mutuo dare, & mutuum postea in vino vel frumento, alijsque rebus, ex quo illa alioquin etiam vendere debent, recipere.

Debitum in vino & frumento à colonis Nobiles recuperare possunt.

Capitaneorum à colonis victualia vi, aut exiguo precio eripientium pœna.
ART. XII.

Capitaneus negotiationem exercens victualiũ, amittit officium.

ET quia auditur, in plerisque confinijs, ipsosmet Capitaneos, non solùm præemptis victualibus, sed etiam à miseris colonis vi raptis, vel proiecto minimo, quod eis libitum est, precio acceptis, negotiationem exercere. Statutum est, in eos graui animaduertendum esse pœna, ademptione videlicet officij, & priuatione summæ, quæ eis ratione stipendiorum suorum deberi comperietur.

Victualium precium Capitaneus, Vicecomes, & Iudices nobilium Comitatus limitent. ART. XIII.

CÆTERVM, limitationem victualium certam, Status & Ordines Regni, ab ipsis hic fieri non posse indicant. Cum enim pro copia & penuria annonæ, nunc carius nunc vilius vendi soleant victualia, noua subinde mutatione opus foret, quæ rursùm non nisi à Regnicolis fieri deberet. Sed statutum est, vt quoque in loco finitimo, Capitaneus cum Vicecomite, & Iudicibus nobilium Comitatus loci illius, pro tempore & copia vel penuria decernant, ponantq; dum opus videbitur, singularum rerum ad victum pertinentium, iustum & competens precium.

Victeo bombardarum, victualium, & aliorum bellicorum apparatuum, etiam per colonos fieri debet, pro competenti tamen mercede. ART. XIIII.

Maxiliani Poson. an. 67. art. 23. ann. 69. art. 26. an. 74. art. 9. Poso. ann. 57. art. 7.

IVBET quoque sacra Maiestas Cæsarea, vt Regnicolæ inter se deliberent, de certo aliquo modo & ordine, super conuehendis vltro citròque victualibus, bombardis & alijs apparatibus bellicis, belli pariter & pacis tempore obseruando. Quantum itaque ad vecturam huiusmodi attinet, ea in generali, pariter & particulari expeditione, non per alios, quam colonos illarum Regni partium, in quibus exercitus ipse versabitur, fieri posse videtur, In quo casu, certa etiam iam antea limitatio in articulis Conuentus anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi septimi fuit facta & decreta Quantum scilicet de vniuscuiusque rei mensura & pondere solui debeat. Quod ipsum decretum iam antea factum, Status & ordines Regni, inposterum quoque tenendum decernunt. Cum tamen vectura bombardarum, & aliorum instrumentorum bellicorum, ex antiqua consuetudine, ad ciuitates Regias præcipuè pertineat, siue belli, siue pacis tempore facienda sint: videtur Statibus & Ordinibus Regni, nunc quoque ciuitatibus illam incumbere, atq; per sacram Maiestatem Cæsaream, esse faciendam certam limitationem, quantum curruum & equorum, quælibet illarum dare mittereq; esset obligata; secundùm quam limitationem tàm in expeditionibus, quàm mittendis ad confinia aliquibus instrumentis bellicis, parati semper haberi posse videntur currus & equi. Sed quia ciuitates ipsæ nunc paucæ sunt neque ad hoc onus solæ sufficere videntur, præcipuè dum generalis aliqua expedito futura esset, Maiestas sua in hac parte se obtulit id facturam, quod iustum, æquum & necessarium fore vedebitur: ita vt Maiestas sua confidat, neminem iustam conquerendi causam habiturum esse. Nam quod ad Comitatus & illorum colonos attinet, non quidem omittent Status & Ordines Regni, pro clementi sua Maiestatis adhortatione, curare, vt exigente hoc aliqua necessitate, coloni ipsorum iumenta & currus suos, in vsus tales necessarios, pro honesta & competenti mercede adhibeant:

Vectura bombardarum & aliarum machinarum bellicarũ pertinet ad ciuitates Regias, Vide quoque Vladisl. Prim. art. 28.

hibeant: frustraneum tamen & ineptum videtur illorum hac in re auxilium, cum & ferratis curribus vt plurimum careant,& debiles habeant equos,quibus si quid vehendum committeretur, in ipsa rerum gerendarum occasione, magnus per illos contingere posset defectus, ex quo & Maiestati suæ, & Regno ingens proueniret damnum pariter & periculum.

Ad Austriam oppignorata bona, onera æqualiter cum Regnicolis Vngariæ ferant.

ART. XV.

QVONIAM verò in præteritorum quoque annorum Conuentibus, per Regnicolas facta extitit mentio, arcium & locorum ad Austriam impignoratarum, vt iuxta continentias contractus illius, cum serenissimis quondam Friderico & Maximiliano Imperatoribus facti, æqualia cum cæteris Regnicolis ferrent onera, nihil tamen hucusque factum est. Supplicant Status & Ordines Regni, vt quum & ipsa, cum in vectura prædicta, tum alijs etiam publicis Regni oneribus, haud parum iuuare præstareq; possint: sacra Maiestas sua dignetur illorum incolas habere obligatos, instar reliquorum suorum fidelium Vngarorum, ad publica quæuis onera ferenda, quemadmodum se postulata hæc fidelium suorum Vngarorum, ad fideles subditos suos Austriacos, in proximo eorum Conuentu relaturam, & inspectis literis quoque inscriptionis, seu oppignorationis, id facturam clementer obtulit, quod æquitati & tenori contractus consonum fore iudicauerit.

De his. Poso. an. 48. ar. 63. Sopron. ann. 53. art. 28. Poso. ann. 52. ar. 33. an. 54. ar. 13. an. 56. art. 41. Maximil. Poson. ann. 67. art. 42. ann. 74. art. 29.

Capitanei confinia sæpe perlustrent. ART. XVI.

CIRCA prouisionem & intertensionem confiniorum, statutum est, vt ex quo per sacram Maiestatem Cæsaream, vltra Danubium constitutus est iam supremus Regni Capitaneus, & cis, idem se facturam clementer significauit, Capitanei ipsi supremi, quemadmodum ipsis in eorum instructione quoque commissum est, singula Regni confinia sæpius perlustrent: ijsq; sacra Maiestas sua adiungere dignetur homines militares & peritos, Vngaros pariter & Germanos, quibus cum simul eiusmodi perlustrationem peragant. Quòd si quæ loca erunt, quæ periculo exposita, pro defensione circumiacentis Regionis necessaria intertentione prouisioneque præsidij militum indigere videbuntur, Capitanei supremi, cum hominibus sibi adiungendis eorum resciant & intelligant prouentus: quos si sufficientes ad hoc compererint, domini locorum prouideant ex eis, pro quantitate reddituum, tàm de præsidio militum, quàm de alijs pro defensione necessarijs rebus. Si qui verò prouentus tantum percipiendo, ad loci conseruationem nihil erogarent, & per hoc publicum Regni damnum & periculum paruipenderent, eos sacra Maiestas Cæsarea, ad parendum huic constitutioni cogat, & per Capitaneos ipsos supremos cogi faciat. Prouentibus verò non sufficientibus, vel fortè paucis, aut penitus nullis existentibus, si loca ipsa tanti sint momenti, vt citra publicum circumiacentis terræ, adeoque totius Regni damnum destrui non possint, sed necessariò interteneri debeant, his sacra Maiestas Cæsarea de intertentione & conseruatione gratiosè consulere & prouidere dignetur. Quæ autem minus necessaria, & si per hostes occupentur, circumuicinæ ditioni nocitura videbuntur, per supremos Regni Capitaneos destruantur: qui tamen antequam id faciant, de loco prius ad sacram Cæsaream Maiestatem referant, & illius resolutionem ea in re expectent.

Confiniorum magna ratio habenda, Vngari & Germani Commissarij. Capitanei de prouentibus confiniorum inquirant, & de illis prouideri confinijs curent. Confiniorum perlustratio ad quos pertinet de iure Vide Vlad. Tert. art. 43. Prouentuum locorum finitimorum defectum Rex suppleat. Arces nociuæ cum scitu Maiestatis suæ diruantur.

Domini, pro quantitate prouentuum, in arcibus præsidium interteneant.

ART. XVII.

QVIA tamen pleraque dignoscuntur esse loca, quæ cum vberes satis habeant prouentus,ex quibus interteneri conseruarique possent, quæ tamen suæ Maiestatis præsidio intertenentur. Statibus & Ordinibus Regni iustum pariter & necessarium videtur, vt quemadmodum supra constitutum est, domini illorum, pro quantitate prouentuum

uentuum prouideant & interteneant illa, & præsidium Regiũ totum, vel in parte transferatur ad alium locum, qui prouentibus carens necessariò intertenendus fuerit.

Continuos milites domini & Nobiles interteneant in locis finitimis sibi vicinioribus. ART. XVIII.

Maximil. Poson. ann. 66. art. 15. ann. 67. art. 20. an. 69. art. 21. an. 74. ar. 10. Rudolph. Poson. ann. 78. art. 7. 8. 9. an. 82. art. 2. an. 83. art. 2. Turcis vicinas arces habentes, in iisdem cõtinuos milites seruent.

ET quoniam loca finitima, non nisi præsidio militum conseruari possunt, eorumq; domini & possessores, proprijs suis viribus ad alendos in illis milites plerumque non sufficiant: statutum est, vt iuxta superiorum Conuentuum constitutiones, terni illi equites, qui de singulis centum colonis dominorum pariter & Nobilium, in confinijs continuè interteneri debere fuerunt decreti, inposterum quoque, tàm per dominos quàm Nobiles, Ecclesiasticos pariter & Seculares, in locis finitimis sibi vicinioribus, sine intermißione & re ipsa interteneantur. Illi tamen qui proprias habent arces Turcis vicinas, ternos eiusmodi equites in illis & non alienis interteneant.

Fratres plures arcem finitimam possidentes, pro rata parte prouentuum eas conseruent. ART. XIX.

Comes & Capitaneus negligentes puniat.

STATVTVM etiam est, vt existentibus in arce aliqua finitima duobus vel tribus, aut pluribus etiam fratribus, & eorum aliquibus intertentionem illius, pro sua parte iuuare nolentibus, tales recusantes, supremus Regni Capitaneus ad iuuandum cogat & compellat. Inter quos quidem fratres, vel alios etiam quoscunque communem arcem possidentes, supremus Regni Capitaneus, cum Comite Comitatus reuisis & cognitis arcis prouentibus, limitationem faciat, quantum quisque pro rata prouentuum suorum parte, ad arcis illius intertentionem impendere debeat. Vno verò aut altero intertentionem, pro facta limitatione, iuuare nolente, cæteri potestatem habeant occupandi partem iuuare nolentium, eamque ad arcis conseruationem insumendi.

Gratuitos labores persoluere negligentes, per Vicecomites cum Birsagio trium marcarum cogantur, sub amißione officij ipsorum, & pœna florenorum Quinquaginta. ART. XX.

Ferdinand. Gratuitus labor. Poson an. 57. art. 6. an. 59. art. 18. Maximilian. Poson. an. 67. art. 17. 18. an. 69. art. 19. an. 74. art. 5. Rudolphi Poson. an. 78. art. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. Ann. 82. art. 2. Ann. 83. art. 2. Comes sit auxilio Vicecomiti, & si necesse fuerit. Capitaneus.

IN munitione locorum finitimorum, statutum est, vt idem obseruetur ordo, qui in superiori Conuentu, anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi noni fuit constitutus, & vt de vnaquaque porta dicari solita, præstentur labores sex dierum, tàm ad istum proximum annum, Millesimum, Quingentesimum, Sexagesimum quartum, quàm etiam ad alium sequentem Millesimum, Quingentesimum Sexagesimum quintum: supremorum verò Capitaneorum cura sit, quæ loca, & qualiter sint munienda. Et si quispiam dominorum vel Nobilium, ad requisitionem eorum, quorum intereri, colonos suos ad decretos publicè labores expedire nollet, aut negligeret, per Vicecomitem & Iudices nobilium cogatur exactione Birsagij siue mulctæ trium marcarum: idq; toties, quoties requisitus labores expedire recusauerit, aut neglexerit. Vicecomites autem ad exequendam fideliter & sine fauore atque respectu, istam punitionem, astricti sint, sub amißione officij ipsorum, & pœna quinquaginta florenorum. Atque nemo eis hac in re obstare, nec se illis opponere præsumat, sub pœna Decreti, contra impedientes legitimam quamuis executionem, constituta. Quòd si verò ad faciendam eiusmodi executionem Vicecomites & Iudices nobilium insufficientes forent, requirant auxilium Comitis: & nec illo sufficiente, supremorum Regni Capitaneorum, qui omni necessario auxilio illis adesse teneantur; nemo tamen Capitaneorum colonos in laboribus teneat vltra sex decretos dies, sub amißione officij.

Gratuitorum laborum pecuniæ exactores, si ad munitionem confiniorum exactam non impendant, qualiter puniuntur. ART. XXI.

QVONIAM autem fertur, Vicecomites illorum Comitatuum, qui propter longinquiorem loci muniendi distantiam, colonos suos ad laborandum mittere non possunt,

sunt, sed pecuniam, qua laboratores qui eorum loco laborent, conducantur, contribuunt, pecuniam eiusmodi exactam, in decretos publicè labores non fideliter expendere, sed maiorem partem sibi reseruare & consumere. Decretum est, vt Vicecomites, vel etiam Capitanei, & alij quibus talis pecunia aßignata fuerit, in eiusmodi furto, quod publico Regni & patriæ suo damno, atque periculo faciunt depræhensi, prima vice quintuplum eius quod furati fuerint, secunda verò decuplum persoluant & tertia vice eodem in facinore depræhensi, capitis pœna, tanquam publici fures, puniantur. *Peculatus pœna.*

Syluæ Nobilium & dominorum, quæ & ad quorum confiniorum munitionem sint liberè secandæ, ART. XXII.

STATVTVM est etiam, vt syluæ, tàm dominorum, quàm Nobilium locis muniendis vicinæ, pro fabricis & structuris munitionum finitimarum, quæ scilicet proprias & sufficientes syluas ipsæ non habuerint tantum, & non in alios vsus, ad succidendum debeant esse liberæ. In insula tamen Challokôz, ligna pro foco ad Comaronium & Iaurinum submini strentur, iuxta conuentionem cum Insularibus illis (vt dicitur) factam: ita tamen, quòd si in eadem insula habeantur ligna, pro faciendis munitionibus apta, ea ad munitionem Comaronij & Iaurini, à dominis syluarum non denegentur. *Challokôz ad Comaronium & Iaurinum ligna pro foco subministrat.*

Haydones non nisi in locis finitimis teneri possunt, & hi quoque stipendiati, ac damna per ipsos illata refundantur. ART. XXIII.

DE Haydonibus, quos liberos vocant, & pro quibus tollendis sacra Maiestas Cæsarea certum remedium inueniri, decernique postulat: statutum est, vt hi nusquam alibi, quàm in confinijs certo numero & stipendio conducti intertteneantur. Confinia enim ijs nullo modo carere posse videntur, eò quod eiusmodi pedites emitti soleant, ad conseruandos in obedientia colonos Turcis subiectos, retinendamque suæ Maiestatis iurisdictionem, quando equites per ea loca, quæ peditibus sunt peruia, non semper poßint transire; & his excurrentibus, pedites illi pro custodia arcium relinqui soleant: ij tamen non nisi de voluntate Capitaneorum emittantur, & emisi, si miseram plebem indignè oppresserint, damnificauerintuè, eos Capitaneus ipse statim & defacto grauiter puniat. Stantibus verò cum Imperatore Turcarum Inducijs, diligenter superintendat, ne quid ab eis in illarum violationem committatur. Quòd si verò aliqui comperti fuerint, qui nulla habeant loca finitima, sed in tuto & securo manentes loco, tales Haydones prædæ tantum & lucri causâ intertteneant, tales puniantur irremißibiliter, pœna quæ in articulis Conuentus, anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi septimi, contra illos est constituta: atque supremus Regni Capitaneus superintendat, vt vbicunque tales fuerint comperti, constituta in eos pœna, defacto animaduertatur. *Poson. Ann. 57. art. 23. Haydones necessarij sunt ad continendos in obedientia Turcis uectigales. Ann. 1557. art. 23.*

Iudiciorum celebratio. ART. XXIIII.

HORTATVR quoque sua Maiestas Cæsarea fideles suos Regnicolas, vt decernant, modum & ordinem, quibus celebratio iudiciorum inposterum absque aliqua intermißione continuetur. Pro qua clementi & necessaria sacræ Maiestatis suæ adhortatione, decretum est, celebrationem ipsam iudiciorum esse continuandam, tali modo videlicet, vt ad sequentem istum proximum annum Millesimum, Quingentesimum, Sexagesimum quartum, & sequentibus etiam annis, ad futuram scilicet vsque Dietam, celebrentur duæ Octauæ. Prima quidem pro octaua die festi Sancti Georgij, in Eperies, pro solis tantum Comitatibus partium Regni superiorum, à Comitatu Lipthouiensi incipiendo. Secunda verò hic Posonij, propinquioribus huc Comitatibus, à Comitatu similiter Lipthouiensi huc versus incipiendo, ad octauum similiter diem, festi Sancti Michaëlis. Vtq; in his terminis assumantur & adiudicentur indifferenter *In Eperies Octauæ celebrentur.*

Causæ iuxta antiquitatem leuentur, tàm ante, quàm post cladem Mohachien. motæ.

Causæ bonorũ Ioan. Regis suspenduntur.

Poso. an. 57. art. 8.

Prælatis Baronibus & Assessoribus in Octauis de salarijs prouideatur.

differenter & mixtim, iuxta vniuscuiusq; antiquitatem, vniuersæ & qualibet Regnicolarum causæ, tàm ante cladem Mohachiensem, quàm verò post obitum serenissimi quondam Ludouici Regis, quocunque modo, aut titulo, & qualitercunque motæ, vel mouendæ, simul cum causis factum minoris potentiæ tangentibus, & alijs, nullas excipiendo, causis tamen bonorum quondam Ioannis Regis exceptis: durentq; vniuscuiusque dictorum terminorum iudicia, continuos quadraginta dies, festis diebus exceptis. Iudices verò & Assessores, quemadmodum etiam Prælati & Barones, tàm iudicijs, quàm reuisioni appellationum, ad requisitionem Locumtenentis, eodem intersint numero, modo & ordine, qui in proximè præteriti Conuentus articulis, anno Millesimo, Quingentesimo, Quinquagesimo nono celebrati, habetur expressus. Et ne propter absentiam Prælatorum, vel Baronum, aliquod in progressu iudiciorum obijciatur impedimentum, dignetur sacra Maiestas Cæsarea, quemadmodum etiam se facturam clementer obtulit, tàm Prælatis, quàm Baronibus, qui in sede iudiciaria præsentes esse debebunt, ac etiam Assessoribus de expensis, quàm diu iudicijs intererunt, gratiosè prouidere, & superinde Camerarijs seriò mandare.

Iudicia Locumtenentis. ART. XXV.

Transmissionum causæ, veteres & nouæ, mixtim leuentur.

STATVTVM est etiam, vt iudicia Locumtenentis inchoëntur pro festo Epiphaniarum Domini proximè venturo pro Comitatibus vicinioribus, incipiendo à Comitatu Liptouiensi huc uersus, durentq; ad Quadragesimam vsque. In quibus quidem iudicentur causæ quinque casuum, potentiæ, nec non interceptiones & occupationes castrorum, manifestæ & clancularıæ, & aliæ omnes causæ, quæ ad Locumtenentis iudicium ab antiquo pertinuerunt, simul cum transmissionibus omnium Regni Comitatuum: non illæ tantum, quæ moderni domini Locumtenentis tempore, sed ab obitu vsque serenissimi quondam Ludouici Regis, sub prioribus quoque suæ Maiestatis Locumtenentibus fuerunt motæ: ita tamen, vt veteres & nouæ causæ, tàm in Octauis, quàm iudicijs Locumtenentiæ mixtim & indifferenter, secundum earum antiquitatem, assumantur & adiudicentur.

Iudicia Regni Sclauoniæ. ART. XXVI.

Sclauoniæ Regni iudicia.

IVDICIA Regni Sclauoniæ inchoëntur pro Dominica Inuocauit, anni proximè sequentis, eorumq; Appellationes fiant eo modo, quo ab antiquo fuit consuetum.

Ecclesiastica iudicia, secundùm iura Canonica iudicentur. ART. XXVII.

Poson. Ann. 52. art. 25. an. 59. ar. 40. Maximil. an. 67. art. 25.

IVDICIA similiter Ecclesiastica, in suis de iure statutis terminis, secundùm iura Canonica, semper iudicentur: vt in vtroque foro administratio iusticiæ nemini deesse possit; quemadmodum hoc ipsum, in priorum quoque annorum articulis fuit decretum.

Et quæ causæ in sacro foro iudicentur, ex Vlad. Prim. art. 46. cognosces, & ascriptis ibi allegationibus.

Malefactores puniantur, secundùm articulos superiorum annorum. ART. XXVIII.

De malefactoribus, uide uetustius ius. Mathiæ Sext, art. 48. ubi plura reperies.

IN puniendis publicis & manifestis malefactoribus, siccarijs, homicidis, prædonibus, & alijs id genus nefarijs hominibus, eundem modum seruari debere decretum est, qui in superiorum Conuentuum articulis per Regnicolas fuit constitutus.

Executiones supremi Capitanei, Bani & Locumtenentes, sub amissione officiorum requisiti faciant. ART. XXIX.

Locumtenentis executiones, Nouizo. an. 42. art. 8.

SED quoniam frustra celebrantur iudicia, nisi quæ in illis decernuntur, exequutioni demandentur, & communis ferè Regnicolarum querela est, pluries obtenta iudicialiter iura sua, propter potentiam maiorum, re ipsa ad effectum deduci non posse: Statutum est, vt quemadmodum superioribus quoque in Conuentibus conclusum fuit,

fuit, ſupremi Capitanei iurati, ſuperinde requiſiti; in Regno autem Sclauoniæ Banus, teneantur omnibus, citra fauorem & reſpectum aſsiſtere in exequendis ſententijs, contra quoſcunque legitimè emanatis, ſub amiſsione officiorum ſuorum. Ipſis tamen fortè ad executionem iſtiuſmodi non ſufficientibus, requirant ſacram Cæſaream & Regiam Maieſtatem, vel illis abſentibus, dominum Locumtenentem: tanquam ſummi iuſticiæ patroni & defenſores, ſuum illis auxilium ferre, ac prouidere, efficereque dignentur, vt per omnes legitimos iuris proceſſus, cognitæ declaratæque & pronunciatæ iuſticiæ, debita fiat executio.

Comitis Poſon. ann. 42. art 2. & 5. Capitaneorũ ann. 36. art. 4. & 18. Tirn. ann. 45. art. 32. Tirn. ann. 47. art. 15. & 32.

Regis Ludouic. Secund. Bachien. ann. 18. art. 4. Theſaurarij, Bachien. ann. 18. artic. 5. Item Math. Sext. artic. 67. Vlad. Prim. art. 75. E. Secund. artic. 16. & 17.

De Decreti reformatione. ART. XXX.

QVONIAM verò ſuperioribus quoque annis, ſacræ Cæſareæ & Regiæ Maieſtati per Status & Ordines Regni ſupplicatum extitit, vt leges & iura Regni iſtius ſui Vngariæ, propter non paucos in illis abuſus, per idoneas & Iuriſperitas perſonas, Locumtenenti tunc ſuo adiunctas, certum in ordinem redigenda, neceſſarijque in locis & punctis reformanda curare dignaretur; idque ab illis, quibus hunc laborem ſacra Maieſtas ſua demandare dignata fuit, factum præſtitumque eſſe intelligunt. Neceſſariò ſuæ Maieſtati ſupplicandum duxerunt, vt delectis, ex vno quoque Comitatu, Capitulis, præterea & liberis Ciuitatibus, idoneis, iuriumq; & legum Vngariæ peritis hominibus, ac per ſacram quoque Maieſtatem ſuam, adiunctis aliquibus Iuriſperitis perſonis, dignetur primum diem menſis Auguſti, anni proximè venturi, in quo ad dominum Locumtenentem conueniant, præfigere: iiſdemque ea, quæ per dictas perſonas reuiſa, & in vnum comparata, ac ſacræ ſuæ Maieſtati præſentata fuêre, perluſtranda & reuidenda, ac ſi quæ videbuntur reformanda, & denique ſuæ Maieſtati rurſum ad vlteriorem deliberationem offerenda extradare, & poſtea in proximè futura Dieta, publico Regni conſenſu & approbatione, publicare, & clementer confirmare.

Decreta in unum corpus redigantur. E. Ferdinan. ann. 27. ar. 3. eorundem reformatio petita, Poſon. ann. 48. art. 21. Sopron. an. 53. art. 15.

Religio & verus DEI cultus ſeruetur. ART. XXXI.

QVOD verò ſacra Cæſarea & Regia Maieſtas, fideles ſuos Status & Ordines Regni, non minus benignè, quam ſumma cum diligentia monet atque hortatur, vt exortis noſtra ætate diuerſis, impijs, pariter & abſurdis hæreſibus atque ſectis, in religione, veroque DEI cultu vnionem, Chriſtianam charitatem & doctrinam, per Apoſtolos, & ſanctos Eccleſiæ patres traditam, ac totius orbis conſenſu approbatam ſequantur: Status & Ordines Regni, ſacræ ſuæ Maieſtati pro hac illius clementia & pietate, quæ non minorem de æterna, quàm temporali iſta fidelium ſubditorum ſuorum ſalute habet ſolicitudinem, immortales agunt gratias. Et quia etiam alias ſimili modo, per ſacram Maieſtatem ſuam fuerunt admoniti, pro clementi eiuſdem admonitione his in rebus decernere non omiſerunt. Statutum eſt, vt omnia & ſingula, quæ in ſuperiorum, ſignanter tamen, Milleſimi, Quingenteſimi, Quadrageſimi octaui, Milleſimi, Quingenteſimi, Quinquageſimi ſecundi, & Milleſimi, Quingenteſimi, Quinquageſimi quarti, annorum articulis, ſuper negotio religionis, publicè & vnanimi conſenſu fuerunt decreta, in poſterum quoque firmiter & inuiolabiliter obſeruentur, nullusque contra ea, ſub pœna ibidem ſtatuta, quicquam attentare audeat.

Poſon. an. 48. art. 5. & ſequentibus, itẽ 52. artic. 7. Item 54. art. 7. Præterea, ann. 50. art. 12. 13. 14.

15. 16. ann. 53. art. 7. ann. 56. art. 25. 26. an. 57. art. 10. S. Steph. lib. 1. cap. 1. 2. 3 lib. 2. cap. 1. & 2. Et Ludo. Secund. anni 1523. art. 54. & ann. 26. art. 4. Maximiliani ann. 69. art. 43.

Capitanei hæreticos fouentes, officij amiſsione puniantur. ART. XXXII.

ET quia vt plurimum Capitanei & Præfecti, militesque ſuæ Maieſtatis Concionatores hæreticos non legitimè miſſos, ob prauam & impiam eorum doctrinam aliunde pulſos, ad ſe recipere, & in arcibus, bonisque Regijs plerumque fouere conſueuerunt, idque non ſine ingenti animarum Chriſtianarum faciunt iactura atque diſpen-

dio: dignetur sacra Maiestas sua Cæsarea, pro officio suo Imperiali, pariter & Regio, quo veram & sanctam religionem tueri & defendere tenetur, in tales animaduertere eadem pœna, quæ Capitaneis & Præfectis locorum finitimorum, qui quæstum victualibus exercent, superius est constituta, id est officiorum priuatione.

Vltra propositiones Regis, concludunt Status & Ordines ad permansionem suam quædam vtilia. ART. XXXIII.

QVONIAM verò sacra Maiestas Cæsarea, fideles suos Status & Ordines Regni clementer hortata est, vt si præter illos propositionis suæ Maiestatis articulos, alia quæpiam ad bonum Regni publicum, ad eiusdem quietem atque defensionem pertinentia habeant, super his quoque tractent, & insuper in responso quoq; suo, ad eorum supplicationem facto, sese clementer obtulit. Quòd si Regnicolæ grauamina & oppreßiones suas proposuerint, atque modum auertendarum ab eis illarum ostenderint, securitati & quieti ipsorum clementer prouisura sit: pro hac clementi suæ Maiestatis adhortatione, pariter & oblatione per Status Ordines Regni, de sequentibus quoque articulis tractatum & conclusum est.

Externi Capitanei, & alij Præfecti è Regno dimittantur. ART. XXXIIII.

ET primò, quia potior ferè pars turbationum & oppreßionum, quas Regnicolæ patiuntur, ab officialibus sacræ Maiestati suæ externis, non minus quam ab eiusdem gentibus atque militibus proueniat, & ipsi quidem Præfecti exteræ nationis, paßim per Regnum in arcibus suæ Maiestatis collocati, cum violenta occupatione territoriorum & metarum, tum verò direptione prouentuum, & quod his omnibus intollerabilius habetur, contempta & iniuriosa gentis nostræ appellatione, & plerumque indigna exprobratione, sese dominis pariter & Nobilibus sibi vicinis exhibent valde molestos, & vix ferendos. Pro illatis verò damnis atque iniurijs requiri, eo quod nullum in Regno pignus habeant, non poßint: & si requirantur, iuri tamen non stant, neque legibus Regni obtemperant. Status & Ordines Regni sacræ Maiestati suæ supplicant humilime, vt cum nulla ferè sit natio, quæ honores & officia Regni sui exteris conferri patiatur, atque ne id in Vngaria quoque fiat, confirmatis per priores Reges Decretis atque libertatibus, ad quorum obseruationem cum sacratißima Cæsarea, tum verò nunc nouiter Regia Maiestas sese benignè obtulerunt, cautum vetitumque sit: dignetur externos eiusmodi Præfectos & officiales, de medio ipsorum auferre, & Præfecturas arcium suarum, Vngaris benemeritis & idoneis, quos vtique sacra Maiestas sua inter suos fideles adhuc inueniet, conferre: quo Regnicolæ ipsi hac ratione ab illis, quas supra enumerauerunt iniurijs, atque molestijs & oppreßionibus, quibus hactenus vltra modum grauati sunt, & nunc quoque grauantur, iam tandem liberentur. Cui quidem fidelium suorum supplicationi, licet sacra Maiestas sua pronunc non duxerit acquiescendum: postulante tamen hoc vna ex præcipuis Regni libertatibus, facere Status & Ordines non potuerunt, quin id tàm solicitè & ardenter à sua Maiestate peterent, neq; intermittere possunt, quin hoc idem inposterum quoque petant, tàm diu vsque, donec sacra sua Maiestas humilimis & iustis hac in re fidelium suorum precibus benignè acquiescat. Interea tamen donec id fiat, statutum est, vt quemadmodum sacra quoque Maiestas Cæsarea clementer admisit & conceßit, officiales & Præfecti externi, in arcibus suæ Maiestatis constituti, teneantur iuribus & legibus Regni, mandatisque suæ Maiestatis Vngaricis parere, deque damnis, violentijs & iniurijs, saltem imposterum inferendis, in ius vocati iuristare & respondere debeant: & si conuincantur, fiat contra eos executio, secundùm ius Regni commune. De his verò damnis, violentijs ac iniurijs, hactenus qualitercunque per eosdem illatis, Maiestas sua, mediante iusticia, ita prouidebit, vt nemo iustam causam conquerendi sit habiturus.

Officialiū Regiorum in populū insolentiæ similes. Poson. ann 59. art. 2. 3. 4. & 5. Decretis Andre. Secund. art. 11. Alber. Regis art. 5. & 12. Vlad. Prim. art. 8. Et Lud. Secun. Bude. ann. 23. art. 17. Rakos. ann. 25. art. 4. 26. art. 40. Poson. ann. 46. art. 17. Sopron. ann. 53. art. 19. Item Poson. ann. 52. art. 15.

Externi Capitanei propter excessus in ius conueniri debent. Vlad. Prim. art. 17.

Vngarico Consilio Rex vtatur, & literæ ex Cancellaria Vngarica in Regnum expediantur. ART. XXXV.

SVPPLICANT etiam Status & Ordines sacræ Maiestati Cæsareæ, vt quemadmodum in proximè præterito Conuentu supplicatum fuit, dignetur sua Maiestas, in rebus & negocijs Vngaricis, Vngarico vti consilio, & nihil literarum ex Cancellaria Germanica, quod iura & libertates Regni concernat, in Vngariam dare, cum ob alias causas, tum verò, quòd iam nemo ferè literis mandati suarum Maiestatum parere soleat, decentibus sæpius plerisque, alias se habere literas ex Cancellaria Germanica, quæ diuersum præcipiant. Vnde fit, vt nulla habeatur ratio mandatorum suæ Maiestatis ex Cancellaria Vngarica emanatorum, cum summa multorum, & præcipuè pauperum iniuria & damno, quemadmodum hoc ipsum se facturam sua sacra Maiestas clementer etiam obtulit.

Poson. ann. 59. art. 8. & 9. Albert. art. 14. Vlad. Prim. art. 7. Cancellariæ Germanicæ expeditionum incommoda.

Milites alicuius bona vastantes, per supremum Capitaneum, ipso nolente per Comites & Vicecomites eijciantur, & ad stationes suas redire cogantur. ART. XXXVI.

CAPITANEORVM verò particularium & militum suæ Maiestatis licentia, quoniam eo iam persuasisse videtur, vt direptionem non solùm colonorum, verum etiam Nobilium, iam penè pro lege habeant, & derelicta ipsis aßignata statione, villatim excurrant, ibique inter pauperes, in multis nihilominus quam Turcæ ipsi sese gerant, Ad constituendum ei malo remedium, per Status & Ordines Regni statutum est, vt cum in Decreto quoque serenißimi quondam Vladislai Regis sancitum habeatur, quòd si milites stipendiarij, in eam fuerint prolapsi licentiam, vt in bona dominorum aut Nobilium, vel etiam Ecclesiasticorum, violenter condescendere, & in illis prædas facere ausi fuerint, ex bonis illis quæ vastant & diripiunt, violenter rursum eijciantur. Capitaneus supremus illarum Regni partium, vigore præsentis publicæ constitutionis, plenam habeat authoritatem eiusmodi milites stipendio militantes, & nihilosecius prædas facientes, si primo, vt abscedant admoniti non paruerint, compescendi, & de posseßionibus, domibus, & bonis dominorum, ac Nobilium & Ecclesiasticorum, ad quæ violenter condescenderint, eijciendi, & ad stationes suas cogendi: ea tamen semper adhibita moderatione, vt cædes, & grauiores motus ac turbæ, quo ad eius fieri poterit, præcaueantur. Quòd si verò Capitaneus Regni supremus procul esset ita vt hic suo officio vacare non posset, aut nollet, vel ipsemet prædas faceret, Comites & Vicecomites illorum Comitatuum, in quibus dicta militum licentia grassaretur, leuato Comitatu ipso, eandem sibi potestatem hac in parte habeant concessam: & nihilominus damna, quæ per istiusmodi milites, in bonis, ad quæ violenter condescenderint, facta fuerint, sacra Maiestas Cæsarea ex stipendijs illorum clementer exoluenda curare dignetur.

De his uetustiores leges in Decreto Math. Sext. artic. 30. & 31. et allegat. abundè uidebis. Vladis. Prim. art. 23. ut eos Comes eijciat: & pæna Comitis, si non fecerit.

Cædes uitentur, & motus grauiores.

Damna per milites illata, ex stipendijs eorum exoluantur. Poso. an. 59. art. 5. sub finem.

Damna per externos milites illata, ex stipendijs illorum damnificatis resarciantur. ART. XXXVII.

ET quia siue generalem, siue particularem sacra Maiestas Cæsarea expeditionem faciat, milites externi, & ipsi grauia fidelibus suæ Maiestatis subditis damna, non secus, ac si in hostili versarentur terra, soleant inferre. Pro coërcenda horum quoque licentia, supplicant Status & Ordines Regni, per sacram Maiestatem suam clementer modum adinueniri, ne qui pro auxilio & defensione ipsorum mittuntur, illos ipsos sibi sentiant experianturque hostes: prouidereque, vt damna illa, quæ à militibus suis, per dictam violentiam dominis Nobilibusque, & eorum colonis inferuntur, ex stipendio eorum, damnificatis ipsis re ipsa & cum effectu exoluantur: prout hoc sacra sua Maiestas se clementer etiam facturam benignè obtulit.

Homicidij deliberati processus breuior. ART. XXXVIII.

Plura. Math. Ter. art. 28. Sext. art. 51. Vlad. Prim. art. 82.

Item ſtatutum eſt, vt ſi qui, cuiuſcunque ſtatus, dignitatis, & præeminentiæ exiſtant, animo deliberato, homicidium commiſerint, actor cui de cauſa intererit, ad Comites, aut Vicecomites Comitatuum illorum, in quibus illud patratum fuerit, accedat. Factaq; de homicidio querela, Comes vel Vicecomes illa intellecta, ſi promulgatam tunc ſedem habuerint, ad eandem; ſi verò non haberent, ad ſtatim promulgandam citari faciant homicidam ipſum, ad comparendum perſonaliter contra actorem. Qui ſi compareat, abſque omni longiore proceſſu, & abſque prorogationibus, in alijs caſibus obſeruari ſolitis, ad finalem vſque cauſæ deciſionem, cognitioni ſe præſentem ſemper adhibeat, Et ſi de homicidio conuictus fuerit, ſine ſpe gratiæ Regiæ Maieſtatis, puniatur, iuxta contenta Decreti. Niſi partes ipſæ, ſua ſponte inter ſe concordauerint: poteſtate tamen & authoritate ſacræ Cæſareæ & Regiæ Maieſtatis, ac sereniſſimi Romanorum, Vngariæ, Boëmiæ, &c. Regis, ſucceſſorumque eorundem, quia illorum prædeceſſores Diui Vngariæ Regis in his rebus hactenus vſi ſunt, ſalua remanente. Quòd ſi verò ad factam citationem perſonaliter non compareret, ſtatim, tanquam culpabilis, proſcribatur, literisque proſcriptionis per vniuerſum Regnum perſequatur, & captus ad Comites vel Vicecomites deducatur, & tandem obſeruato iuris ordine puniatur.

Gratiam homicidæ Rex non facit. Vide infra E. art. 63.

Homicidarum detentores, ſi ad requiſitionem Comitis eos non tradiderint, capitis pœna mulctantur. Art. XXXIX.

Si quis verò fugitiuos & proſcriptos eiuſmodi homicidas, ad caſtrum vel domum ſuam receperit, per Comitem vel Vicecomitem illius loci requiratur, & illos ad certum diem in manus tradat, aut capi permittat. Idque ſi fecerit, benè quidem, alioqui eandem, quam homicida, capitis pœnam incurrat defacto, eumq; pariter & homicidam Comes, vel Vicecomes ſi ſufficiens erit; ſin minus ſupremus Regni Capitaneus, per illos literis proſcriptionis requiſitus, armatus inſurgens capiat, & obſeruato iuris ordine puniat.

Homicidæ coloni & ſerui ignobiles, iuxta veterem conſuetudinem iudicentur, & puniantur. Art XL

Trip. part. 3. tit. 26.

De colonis & ſeruitoribus ignobilibus dominorum pariter & Nobilium, homicidium committentibus, decretum eſt, vt ſeruetur modus & ordo, in illis puniendis, qui hactenus vſque ex antiqua & approbata Regni conſuetudine fuit obſeruatus. Videlicet, vt quilibet dominus de colono, ſiue ſeruo ſuo adminiſtret iudicium: & ſi hoc facere neglexerit, ipſumque homicidam dimiſerit, aut elabi ſiuerit, in illius homagio conuincatur, & homicida nihilominus vbiq; per Regnum literis proſcriptionis perſequatur, & captus iure mediante puniatur.

Homicidæ, appellatione & nouo iudicio quomodo gaudent. Art. XLI.

Olim fures & latrones, ad confinia recipiebantur, vt in Sigiſ. Sext. art. 24.

Homicidæ in arcibus finitimis compræhenſi, iudicio præmiſſo, puniantur.

Cæterum, ſi tales homicidæ, remedio noui iudicij vel Appellationis vti voluerint, liceat quidem hoc illis facere: ſi tamen ſententia condemnati fuerint, interea donec nouum iudicium vel Appellatio, vltima deciſione finita fuerint, in vinculis teneantur, ipſaque noua iudicia, ſine literis gratiæ, concedantur. Quoniam autem non rarò plerique homicidæ, fures, latrones, & malefactores, ad confinia, vt ſunt Szighet, Agria, Gyula, Iaurinum, & alia loca, ſeſe conferre ſolent, ibique impunè verſari: ſupplicant Status & Ordines Regni, vt ſacra Maieſtas, quemadmodum ſe facturam clementer obtulit, Capitaneis locorum ſeriò mandare dignetur, vt illos compræhenſos, adminiſtrato iudicio puniant:

Blaſphemorum & maledicorum pœna. Art. XLII.

Blaſphemantes cædūtur, &

Et quoniam his proximis annis, exortæ ſunt horrendæ in Devm & ſacroſancta eius Sacramenta blaſphemiæ, quibus plerique maledicendo vti conſueuerunt, certumque

tumque est, vel his solum iustam in nos DEI iram prouocari: statutum est, vt tales, qui scilicet in creatorem DEVM, in Baptismum, & animam, ac alijs similibus modis maledixerint, ab audientibus blasphemiam, coram suis iudicibus accusentur, & habita probatione, prima vice publicè cædantur. Si verò blasphemiam altera & tertia vice repetierint: altera quidem baculis pulsentur; tertia verò non minus quam homicidæ ipsi vel alij malefactores puniantur. Audientes verò blasphemari, & non accusantes, puniantur exactione trium marcarum. *tertio capite plectuntur. Blasphemos & maledicos non denunciantes trium marcarum mulctantur solutione.*

Bonorum remissio fiat. ART. XLIII.

IN remissione bonorum & iurium possessionariorum violenter occupatorum, restitutioneque castrorum, & munitionum interceptarum, decretum est, seruandas esse constitutiones publicas Nouizolienses, anni Millesimi, Quingentesimi, Quadragesimi secundi, hac de re factas. *Poson. an. 59. art. 43. Nouizol. 42. art. 1. 2. 14.*

Bona malè vel indebitè apprehensa, sub pœna infidelitatis, quorum ea sunt restituantur. ART. XLIIII.

SOLENT autem plerique à sacra Maiestate Cæsarea, bona & iura possessionaria, per literas donationales quocunque titulo impetrare, seq; in dominium virtute donationis statuere: cui quidem statutioni etiamsi à plerisque contradicatur, nihilominus tamen impetratores, non curata contradictione, dominium talium bonorum violenter apprehendunt. Quidam verò, antequam impetrarunt, occupant, & propterea sese sine contradictione statuunt. Vnde statutum est, vt tales donatarij vniuersa bona & iura possessionaria, tàm ea, quæ non curata legitima contradictione, quàm verò ante statutionem violenter de manibus fidelium suæ Maiestatis, & non rebellium, ac æmulos & hostes suæ Maiestatis sequentium, ac aliter etiam per hæc temporum disturbia qualitercunque violenter & indebitè occupasse dignoscentur, ad festum vsque Natiuitatis Domini proximè venturum, illis è quorum manibus occupata sunt, sub pœna notæ infidelitatis, restituant: nec interim aliquæ contributiones vel prouentus à colonis talium bonorum exigantur. Quæ quidem bona, si qui modo præmisso restituere recusarent, Capitaneus Regni supremus cum literis relatorijs, in quibus contradictio continetur, requisitus, cognitaque de violentis bonorum occupationibus, è manibus, vt dictum est, fidelium suæ Maiestatis, & non aduersam partem, palàm & manifestè sequentium, tàm non curata contradictione, quàm verò ante statutionem factis, mera rei veritate, veris eorum dominis restituat: Inhibitione, repulsione & contradictione non obstante *Huc pertinet, Math. Sext. art. 22. & 27. Vlad. Prim. art. 59. Capitaneus supremus requiratur contra detentores bonorum alienorum siue malæ fidei possessores, si contradictio facta sit tempore apprehensionis eorum.*

Statutiones fiant ex loco bonorum apprehendendorum proximiori, si propter Turcarum aut aduersæ factionis hominum metum, ad ipsa bona accedere Capitularis & Regius homines non possent, & coram quibus fieri debeat talis statutio. ART. XLV.

CVM in ditionibus Turcarum, & aduersæ factionis, tempore statutionis, testimonia fidedignitatum tutò non possint procedere: soleant tamen nonnulli, assumptis secum testimonijs Capitularibus, vel Conuentualibus, ad loca bonis statuendis viciniora accedere, & ibi dum ad faciem bonorum statuendorum accedere non audent, statutionem exequi & peragere; id ipsum talibus secundùm priores quoque Regni constitutiones licitum esse intelligatur. Ita tamen, quòd cum non possint accedere ad faciem bonorum statuendorum, in loco viciniori, præsentibus Vicecomite & Iudicibus nobilium, si quidem in illo Comitatu fuerint, & communium rerum administrationem habuerint, alijsque Nobilibus & ignobilibus, statutionem palàm de more exequantur. Vicecomitibus verò & Iudicibus nobilium non existentibus, eam coram vicinis saltem Nobilibus & ignobilibus, publicè, & non in propria sua ditione, aut aliter *Statutio & apprehensio bonorum fit manifesta.*

Confer. cum Tripar. P. 2. tit. 74. Sigis. Sext. art. 8. Vlad. Secund. art 11.

Pœna.

ter occultè, coram priuatis aliquibus personis peragant. Alioquin si statutio aliqua inposterum aliter, in fraudem iuris alieni fieret, causa exinde suscitata, & ad sedem sacræ Cæsareæ & Regiæ Maiestatis deuoluta, ille qui de fraudulenta, & indebita eiusmodi statutione conuictus fuerit, contra hæredem in perennali æstimatione bonorum statutorum & occupatorum conuincatur, & bona occupata hæredi restituantur, contradictione, inhibitione, & repulsione non obstante.

De contradictione, debito tempore neglecta. ART. XLVI.

Noua lex de contradictione neglecta.

VBI verò in aliquibus bonis, facta quidem fuisset statutio legitima: ea tamen, vel propter magnum interuallum residentiæ, vel alias difficultates ad scitum eius, cuius intererat ad quintum decimum vsque diem peruenire non potuisset, & impetrator in dominio talium bonorum, sine contradictione remaneret. Statutum est, vt ille ad quem hæreditas bonorum pertinet, eodem præcisè modo, ac si statutioni contradixisset, mediantibus literis admonitorijs, impetratorem bonorum ipsorum, in Curiam Regiam euocare, & quamprimum causa ipsa in sede suæ Maiestatis iudiciaria publicata & proclamata fuerit, constiteritq; manifestè, vel ex probationibus, vel ex alijs documentis, quòd actor in bonis illis ante statutionem realiter & pacificè perstiterit, eorumq; dominium continuauerit: extunc eadem bona, non obstante etiam statutione siue contradictione facta, legitimis & veris eorum dominis restituantur, & impetrator suum in illis ius extra dominium prosequatur. Si tamen compertum probatumque fuerit, quòd dominus & hæres bonorum impetratorum, tempore statutionis, apud rebelles & infideles suæ Maiestatis, aut in eodem Comitatu, in quo bona impetrata & statuta adiacent, vel etiam vicino, ipse aut seruitores, alijq; homines sui præsentes fuerint, & per inaduertentiam, crassamque negligentiam contradicere omiserint, impetrator ipse in bonis sibi legitimè sineq; contradictione statutis permaneat, & illorum dominus aut hæres, extra dominium suum in illis ius quærat.

Pacificum dominum.

Statutioni hæres si per negligentiam non contradixit, extra dominiū ius suum prosequatur.

Bonis per notam infidelitatis alicui per Regem collatis, interposita contradictione, sedes iudiciaria cognoscat, an rectè per notam collata sint,

ART. XLVII.

POSTQVAM autem sacra Maiestas Cæsarea non consentit retractioni donationum suarum, per notam infidelitatis, ob adhæsionem rebellibus & aduersæ parti factam emanatarum; Status & Ordines Regni voluntati sacræ Maiestatis suæ non refragantur, consentiente tamen illa & admittente, decernunt, iuribus & libertatibus Regni id postulantibus, quòd si impetratores talium bonorum, dum sese in dominium talium bonorum legitimè statui fecerunt, vel in posterum statui se facerent, in statutione per eos, qui in fide & fidelitate Maiestatis suæ tunc perstiterunt, & factionem aduersæ partis palàm & manifestè armis secuti non sunt, contradictio facta extitisset, vel etiam inposterum fieret, tunc contradictioni tali locus detur: & facta euocatione, iure procedatur, & iuxta deliberationem sedis iudiciariæ Regiæ Maiestatis decernatur, an impetratio talium bonorum ritè & legitimè facta fuerit, nec ne: & fiat executio, iuxta deliberationem sedis iudiciariæ Regiæ Maiestatis, & consuetudinem Regni. Et si talium quorumpiam bona, contra eiusmodi contradictionem occupata essent, spoliatis, per supremos Regni Capitaneos restituantur, & Donatarij ius donationis iure prosequantur. Si verò aliquorum bona, qui aperto Marte, armis & bello factionis aduersæ partes nulla coactione secuti sunt, & nunc etiam in rebellione pertinaciter persequerant, aut iam in illa mortui sunt, Maiestas Cæsarea & Regia cuipiam donasset, & bona ipsa Donatarij tenerent, tales non teneantur huiusmodi bona simpliciter remittere; sed si qui aliquid iuris in illis se habere prætendunt, iure Regni pro recuperatione talium bonorum procedant. Quoniam tamen dicuntur quàm plurimis Nobilium, item viduarum, puerorum, & senum bona, prætextu notæ infidelitatis, propter rebellionem

Tripart. 2. Tit. 57.

esse

esse collata, iustum videtur, vt in sede sacræ Cæsareæ & Regiæ Maiestatis dignoscatur, an tales aliquid commiserint, aut committere potuerint, propter quod notam infidelitatis mereantur. Et si compertum probatumque fuerit, quòd domi pacificè residendo, penes aduersam partem sua sponte non insurrexerint, & contra Maiestatem suam arma non sumpserint, nec aduersæ parti sponte iurauerint, & intertentione militum aduersarijs suæ Maiestatis non astiterint, bona eorum remittantur.

Nota infidelitatis, quidam perperam insimulati.

Occupationes bonorum, interceptiones castrorum & munitionum, in Comitatibus discutiantur. ART. XLVIII.

STATVTVM etiam est, vt causæ violentæ occupationis bonorum & iurium possessionariorum, item interceptionis castrorum & munitionum, non tantum in Curia Regia, sed etiam in Comitatibus, sine omni exceptione discutiantur. Comitesque & Vicecomites in tali causa, vsque ad diffinitiuam sententiam procedant: pœnam tamen, ratione violentiarum non vltra centum florenorum imponant: fructus etiam & prouentus bonorum occupatorum, actori readiudicari possint: quos actor, iuxta consuetudinem Regni, iuramento tantum mediante recipiat. De quibus omnibus Comites & Vicecomites satisfactionem damnorum, & executionem restitutionis bonorum faciant. Si verò Comites & Vicecomites, ad talem executionem insufficientes fuerint, supremus Regni Capitaneus cum literis sententionalibus requisitus, executionem peragere debet & teneatur. Casu verò quo aliqua partium iudicio Comitis vel Vicecomitis & Iudicum nobilium contenta esse noluerit, causamque ad sedem iudiciariam Regiæ Maiestatis appellauerit, & reus ibi quoque conuictus fuerit, tàm pro violenta occupatione bonorum, quàm pro interceptione castrorum & munitionum, in duplo, id est in ducentis florenis conuincatur. Victor autem si capitalem quoque sententiam infligere volet, id iuris processu quærat.

Comitatus iudicat causas omnes occupationis bonorum & interceptionis castrorum.

Vetus lex è S. Steph. Decre. manans. lib. 2. cap. 43. S. Ladisl. lib. 3. cap. 25.

Appellationū per iudices, in sede Regia onus duplicatur. Math. Sext. art. 53. Vlad. Prim. art. 72. Infligere. Sigis. Sext. art. 5. Tripart. 1. Tit. 68.

Procuratorum cauillationes, subdolas rationes & subterfugia, pro sua conscientia Iudices amputent, ART. XLIX.

CÆTERVM de ociosis Procuratorum disputationibus, & eorundem iuramento, item de exceptionibus indebitæ actionis, citationeque saluo iure addendi, minuendi & corrigendi, facienda præterea correctione actionis in prima tantum instantia, & denique de literarum emendatione, ex deliberatione sedis iudiciariæ facienda, causarumq; ab vno ad alterum iudicem in fine causæ translatione, de quibus scilicet facta fuit mentio. Visum est Statibus & Ordinibus Regni, quòd cum hæc omnia partim noua sint, partim verò in consuetudinem & obseruationem deduci difficulter possint, remittenda esse ad illud vsque tempus, in quo de reformatione editioneq; noui Decreti agetur. Atq; interea seruetur in omnibus prædictis punctis consuetudo, quæ inde ab antiquo hactenus vsque obseruari fuit solita, Iudices nihilominus ordinarij, manifestè inaues & frustraneas Procuratorum cauillationes ac subterfugia, secundum eorum conscientiam amputare non prætermittant.

Procurator vnus causas 14. defendat. Math. Sext. art. 69.

Procuratores Nobiles fœminæ coram duobus testimonijs constituunt. Vlad. Prim. art. 97. Cōstituuntur ad totum tempus absentiæ. Vlad. Quint. art. 14. Cum Vicarijs non sedeant. Vlad. Quar. art. 35. Renocantur, E. art. 13. & E. art. 15. Trip. P. 2. Tit. 81. & P. 3. Tit 6. Poso. an. 50. art. 56. Constituuntur in sede Comitatus. Poso. an. 63. art. 53. Iurent. Maximil. Poson. an. 67. art. 27. Iuramentum illis relaxatur, Poson. an. 74. art. 35. Extermi[n]antur. Poson. an. 69. ar. 40. Procuratoria singulis annis renouentur. Poson an. 78. art. 1.

In Comitatibus, quatuor diebus iudicia celebrentur, ART. L.

ITEM quia in Comitatibus etiam ea solet esse multitudo causarum, vt earum decisio, more alias consueto, vno die perfici non possit. Statutum est, vt liceat Comitibus, Vicecomitibus, & Iudicibus nobilium, in sedibus iudiciarijs Comitatuum, tribus aut quatuor etiam continuis diebus iudicia celebrare.

Comitatus quatuor diebus iudicia celebrent.

Pauperes quorum causæ feria sexta & Sabbato in sede Regia iudicantur, paupertatis suæ testimonium à Vicecomitibus & Iudicibus nobilium accipiant.

ART. LI.

Poson. ann. 50. art. 53.

Pauperes testimonia suæ paupertatis à Vicecomitibus accipiant.

QVONIAM etiam de causis pauperum, viduarum, & orphanorum, quæ de veteri consuetudine Regni feria sexta & Sabbato in sede iudiciaria Regiæ Maiestatis reuideri & adiudicari solent, sæpius per Procuratores de qualitate paupertatis disputantes, contentiones introducuntur. Statutum est, vt Vicecomites & Iudices nobilium, ad requisitionem talium pauperum personarum, viduarum & orphanorum, literas eorum conditionum, sub fide & fidelitate Regiæ Maiestati debita, testificantes, authenticè conficiant, & eas postmodum pauperes ipsi, dum eorum causæ leuandæ fuerint, in documentum paupertatis suæ producant.

Pauperum causæ in Comitatibus, primo die assumantur. ART. LII.

STATVTVM etiam est, vt in Comitatibus quoque, primo sedis die, pauperum tantum causæ discutiantur.

Procuratores constitui possunt etiam in sede Comitatus, in causis iurisdictionis Comitatus. ART. LIII.

Supra eodem art. 49.

Gyula & Szigeth.

ITEM quia versus fines Regni, & in nonnullis etiam Comitatibus, loca quæ vocantur credibilia & authentica, vel non habentur, vel deserta sunt & desolata: ita vt domini & Nobiles vtriusq; sexus, commodè Procuratores constituere non possint: decretum est, vt quiuis in causis suis, coram Comitatu tantum vertentibus, in sede eiusdem Comitatus Procuratores constituere possit. In alijs verò causis reuisionem Comitatus non concernentibus, constituantur Procuratores, iuxta morem ab antiquo hactenus obseruatum. Et quia plerique Nobilium, ex arcibus Gywla & Szigeth, cum propter metum Turcarum, tum verò, quòd inter eos viduæ & infirmi sunt, ad Capitula vel Conuentus, quæ procul ab ipsis distant, personaliter venire non sem per possunt: statutum est, vt dominus Episcopus Agriensis Gyulæ intertencat continuè duos Canonicos Capituli sui Agriensis, quorum vnus sit plebanus loci illius, ad futuram vsque Dietam; Abbas verò de Szalawar, mittat certis anni temporibus, vnum vel duos ex Conuentu suo ad Szigeth, & coram his fiant Procuratorum constitutiones.

Bona ad arces occupata, suis dominis restituantur. ART. LIIII.

Poson. an. 54. art. 15. Poson. an. 59. art. 6.

Capitanei etiam ui compellant violentos ad restitutionem occupatorum bonorum.

Poson. an. 55. artic. 7. De 200. colonis duos tantum.

STATVTVM etiam est, vt supremi in Regno Capitanei, bona, & quælibet iura possessionaria, à veris & legitimis eorum possessoribus violenter & indebitè occupata, etiamsi ad arces Regias possiderentur, dominis suis & hæredibus, scita tamen prius violentæ & indebitæ occupationis mera veritate, iuxta publicas constitutiones articulorum Nouizoliensium, restitui facere, & violentos ipsos occupatores & possessores, ad restituendum, etiam vi cogere & compellere debeant. Ad quorum quidem bonorum remissionem, quæ scilicet ad arces Regias nunc possidentur, vel ad eas in posterum occuparentur, sacra Maiestas Cæsarea sese ipsamet, clementer hac conditione obtulit, vt de bonis istiusmodi remittendis, persoluantur suæ Maiestati candidè & integrè, omnes restantiæ, quàm dica nunc decreta, & inposterum decernenda. ITEM vt per villarum & locorum illorum colonos, inposterum etiam extraordinarij labores & seruitia per Regnicolas publicè decreti, ad arces, quibus applicatæ sunt, præstentur: & insuper de singulis centum colonis, intertencantur continuè terni illi equites superius decreti. Quia tamen coloni istiusmodi omnes, qui Turcis subiecti sunt, & sic ab illis indies miserè affliguntur, dignetur Maiestas sua clementer admittere, vt quemadmodum supra decretum est, mediam tantum dicam soluant, & de centum quoque colonis, mediam tantum partem trium equitum, de ducentis scilicet colonis, tres equites intertencant.

Fonod & Szeghilget, Casparo & Balthasari Lengyel restituantur. ART. LV.

ET quoniam castra Fonod & Szeghliget, ad Nobiles familiæ Lengyel hæreditario iure pertinere dignoscuntur. Comitatus verò Simigiensis, facta contra Valentinum Magyar publica querela, inter alia illius facinora, fatetur illa per eum teneri, in manifestum derogamen iuris eorundem Nobilium: dignetur sacra Cæsarea & Regia Maiestas clementer prouidere, vt idem Valentinus Magyar, ad restituendum filijs quondam Casparis & Balthasaris Lengyel, prædicta castra, vigore dictorum articulorum Nouizoliensium, per supremum Capitaneum cogatur: vtque publica dicti Comitatus querela, tanquam publicus malefactor accusatus, iuxta constitutiones anni Millesimi, Quingentesimi, Quadragesimi sexti, in persona pariter & rebus puniatur. *Poson. an. 46. art. 26. & 27.*

Kowaszo castrum, si inutile sit, destruatur. ART. LVI.

ET quia reuisio perlustratioq; castrorum & locorum finitimorum, ad supremos Regni Capitaneos, vt iam supra conclusum est, pertinet: ex castro autem Kouaszo continuis ferè militum, in eo existentium prædis, plura circumiacentibus sacræ Cæsareæ & Regiæ Maiestatis fidelibus damna inferri dicuntur, inter alia loca, supremus ipse Regni Capitaneus reuideat istud quoque. Et si pro defensione ditionis Maiestatis suæ necessarium, neque destruendum compererit, seriò prouideat, ne milites in eo constituti prædas faciant, & subditos suæ Maiestatis damnificent. Si verò pro publica defensione inutile, & ob id minus necessarium viderit, leuato Comitatu, in quo adiacet, illud destruat. *Prædæ.*

In Tricesimis libertas dominorum & Nobilium seruetur. ART. LVII.

DE obseruanda in Tricesimis libertate, dominorum pariter & Nobilium, iam in omnibus ferè Conuentibus, sacræ Cæsareæ & Regiæ Maiestati supplicatum fuit, editæq; sunt certæ & claræ satis constitutiones, secundùm quas illa obseruari debeat: hactenus tamen varijs modis violata extitit, nec violari adhuc cessatur. Supplicant Status & Ordines Regni, sacra Maiestas Cæsarea & Regia dignetur clementer prouidere, atque Tricesimatoribus ipsis serium dare mandatum, quo iuxta clementes suæ Maiestatis oblationes, inposterum libertas illa, tàm dominis, quàm Nobilibus inuiolabiliter, & firmius quam hucusq; factum est, obseruetur: quemadmodum etiam sacra Maiestas sua id se facturam benignè obtulit, modo prout iustum est. Caueantur fraudes interdum in hac re, quæ fieri dicuntur fisco suæ Maiestatis, & in Conuentu anni Millesimi Quingentesimi Quinquagesimi noni explicatæ sunt. *Poso. an. 56. art. 37. ann. 57. art. 19.* *Fraudes in Tricesimis cōmitti solitæ caueantur.* *Poso. an. 59. art. 44.*

Telonia sicca Rex destrui mandet. ART. LVIII.

DE distractione siccorum Teloniorum, statutum est, vt Decretum superinde in superiorum & proximorum annorum Conuentibus factum obseruetur, & in realem deducatur effectum. Quia tamen illorum distractio hucusque, vel ob hoc solum neglecta esse videtur, quòd pleraq; huiusmodi sicca Telonia, in bonis suæ Maiestatis Cæsareæ haberi, & necdum distracta abolitaq; dicantur. Supplicant Status & Ordines Regni, Maiestas sua sacra dignetur istam distractionem siccorum Teloniorum primo in bonis suis incipere, vt hoc facto, cæteri omnes exemplum suæ Maiestatis sequantur: quemadmodum hoc sua Maiestas se clementer, accepta super illis prius informatione, facturam obtulit. *Poso. an. 59. art. 45.* *Telonia sicca Primum in bonis Regijs distrahantur.*

Telonia sine annuentia Regia erecta distrahantur. ART. LIX.

STATVTVM est, illa quoque Telonia, quæ siue per dominos, siue per Nobiles, sine speciali sacræ Cæsareæ & Regiæ Maiestatis annuentia, aut propria tantum illorum authoritate erecta essent, vel in posterum erigerentur, similiter, vti Telonia sicca, distrahantur. Vtque libertas ciuitatum liberarum & Montanarum, quæ vigore priuilegiorum suorum, à solutione Teloniorum, per totum Regnum exemptæ sunt, ab omnibus obseruetur; & contra facientes, pœna in Decreto expressa puniantur. *Poso. an 56. art. 36, Item. an. 57. ar. 16. abundè, ac an. 66. art. 12.* *Ciues liberarū & Montanarum ciuitatū à solutione*

Ciuita-

Telonij exempti.

Ciuitates tamen ipsæ prædictæ, teneantur conciuibus suis, per Telonia iter facientibus, literas authenticas, sub ciuitatis sigillo dare, quibus fidem faciant quòd illi viri eorum conciues sint, & in ciuitate ipsorum domos & hæreditates suas proprias habeant & possideant: caueantque tales ciues, quòd per Telonia ipsa, suas tantum & non aliorum res & merces fraudulenter deferant. Nobiles quoque prædiales & coloni Archiepiscopatus Strigoniensis, iuxta antiqua eorum priuilegia, exactione tributorum & Teloniorum, per totum Regnum nusquam impediantur: & contra facientes, pœna à iure statuta puniantur.

Archiepiscopatus coloni exempti à Telonij solutione.

Commissarij ad reuidendas metas deputati. ART. LX.

Poson. ann. 50. art. 40. & 42.

DIGNETVR etiam sacra Cæsarea & Regia Maiestas, iuxta priores quoque suorum fidelium frequentes supplicationes, differentias illas metarum & limitum, quæ cum Austriacis, & circa Szakolcza cum Morauis; Polonis verò circa Comitatum Sacros & Scepusiensem habentur; Regni quoque Sclauoniæ, cum Styriensibus, deputatis exnunc & missis idoneis ex vtraque parte Commissariis, clementer, sine longa dilatione, reuideri & rectificari facere. Qui quidem Commissarij, ex parte Vngarorum delecti sint & nominati, primò versus Morauiam, Reuerendissimi domini, Transyluaniensis & Iauriensis, Episcopi, Michaël de Mere, Ioannes Szomor, Magister Damianus Protonotarius, & cum eis Director causarum suæ Maiestatis. Deinde versus Austriam, dominus Episcopus Varadiensis, Ioannes Pethö, Mathæus Protonotarius & Emericus Hasagy, similiter cum Directore causarum. Versus Poloniam autem, dominus Gabriel Pereny, Franciscus Thurzo Præpositus Scepusiensis, & Michaël Reuai, etiam cum Directore. Dignetur etiam sua Maiestas, clementer admittere, vt castra illa, quæ ad Austriam impignorata sunt, per fideles suos Vngaros, deposita veteris inscriptionis summa, redimantur: quemadmodum hac de re sua Maiestas se cum fidelibus suis Austriacis per primam commoditatem tractare velle obtulit.

Castra & bona ad Austriam impignorata redimantur.

Ciuitatum Scepusiensium redemptio. ART. LXI.

Poson. ann. 52. ar. 33. ann. 54. ar. 13. Maxim. Poson. an. 74. art. 29.

ET quum tredecim quoque ciuitates in Scepusio, non sine ingenti suæ Maiestatis, pariter & Regni damno, quemadmodum aliâs etiam suæ Maiestati declaratum est, apud Regem Poloniæ habeantur. Supplicant Status & Ordines Regni sacræ Maiestati Cæsareæ, vt eas, vel ipsamet redimere, vel clementer concedere dignetur, vt illas fideles sui Vngari, qui eas simul, vel diuisim redimere voluerint, habeant eorum ad se redimendi potestatem, prout hac de re sua Maiestas se per primam occasionem, inspectis literis inscriptionalibus, clementer cogitaturam obtulit.

Nobiles profugi in liberis ciuitatibus domos emere conditionaliter possint.
ART. LXII.

Nobiles profugi uinū tantūmodo ad usū ipsorum inuehere audeant in ciuitates.

STATVTVM etiam est, vt iuxta superiorum Conuentuum articulos, liceat Nobilibus, qui è domibus & residentijs suis à Turcis pulsi sunt, in liberis ciuitatibus, saltem quatenus bona ciuium voluntate fieri poterit, domos emere; cum conditione, vt onera, solutiones & seruitia ciuitatis publica cum ciuibus communiter & æqualiter ferant, & emptionem faciant, obseruata solita in hoc ciuitatum libertate & consuetudine: liceatq; illis in tales domos suas, vinum, ad proprium ipsorum & familiæ suæ vsum, & non ad educillandum importare, & præcipuè in ciuitate Szakolcza.

Homicidium deliberatum patrans, frustretur gratia Maiestatis Regiæ.
ART. LXIII.

Supra 5. ar. 38

AD euitandam etiam maiorem impunè peccandi licentiam, nô dignetur sacra Cæsarea Maiestas illis qui deliberatum homicidium commiserint, & pro imploranda delicti sui venia, ad eam confugerint, gratiam facere: quod ipsum facturam se Maiestas sua Cæsarea clementer obtulit.

Maximilian*

Maximiliani Archiducis, iam Regis, donationes gratiæ & annuentiæ omnes confirmantur. ART. LXIIII.

QVONIAM autem his proximè præteritis annis, sæpius contigit, sacram Cæsaream & Regiam Maiestatem, à Regno suo Vngariæ, cum aliorum Regnorum & Prouinciarum suarum, tum verò totius Reipublicæ Christianæ negotiorum causa, necessariò abesse: interim verò serenißimum Principem & dominum, dominum Maximilianum Vngariæ, Boëmiæ, &c. Regem, filium suum charißimum, & dominum nostrum clementißimum, sui loco relinquere consueta fuit, qui sua Maiestate absente, gubernationi & administrationi istius Regni Vngariæ præesset. Statutum communi omnium eiusdem Regni Statuum & Ordinum consensu & decretum est, vt vniuersæ donationes, gratiæ & annuentiæ, aliæq; literæ, nomine suæ Maiestatis Regiæ, tàm in publicis Regni, quàm etiam quibuscunque priuatis negotijs, intra & extra Regnum, authoritate præfatæ sacræ Cæsareæ Regiæq; Maiestatis, (ritè tamen & legitimè) emanatæ, tàm in iudicijs, quàm alibi vbiuis locorum & temporum, ab omnibus ratæ habeantur & firmæ, plenoq; & integro seruentur in vigore.

Michaël Merey Propalatinus, in officio confirmatur. ART. LXV.

ET cum dicta sacra Cæsarea & Regia Maiestas, Michaëlem de Mere in Locumtenentem Palatinalem eligere, illiusque electionem, partim iam antea, datis ad omnes Regni Comitatus literis suis, partim verò in præsenti ista generali Dieta declarare dignata sit: Prælati, Barones, Nobiles, cæteriq; omnes Regni Status & Ordines, electionem & publicationem, simulq; declarationem istam, antea per literas, & nunc in hoc Conuentu etiam à sua Maiestate factam, administrationem præterea eiusmodi officij, pari consensu, ratam & acceptam habeant, literasq; omnes, à die publicationis suæ præfatæ, sub eiusdem sigillo emanatas, tanquam legitimas ab omnibus obseruari iudicant atque determinant.

Capitanei & Comites iurent, vel in Dieta, vel in Comitatu. ART. LXVI.

DECRETVM est & iam, vt Capitanei, qui in arcibus & locis Regni finitimis honore & officio Comitatus funguntur, coram sacra Cæsarea Maiestate, qui quidem hic præsentes sunt, statim & defacto: absentes verò coram Comitatu, consuetum, & in Decreto expressum deponant iuramentum. Alioqui illorum aliquo iurare nolente, conferatur honor Comitatus per suam Maiestatem alteri defacto.

Nouizol. ann. 42. art. 49. Poso. an. 42. art. 38. Tirn. an. 45. art. 52. Poso. an. 48. art. 66.

Turcis arma & alias res vetitas deferentium pœna. ART. LXVII.

SOLENT etiam nonnulli arma & instrumenta bellica, aliasq; res vetitas, & inter has cuprum quoque Turcis, contra sanguinem Christianum deferre. Qui quidem dum reperiri & sciri poterint, ademptis primò armis, & rebus eiusmodi vetitis, statim administrato iudicio, morte puniantur. Et Capitanei, cum supremi, tum verò particulares finitimorum locorum, attentè summaque diligentia aduigilent, ne qua talium rerum fiat ad hostes exportatio: neque ipsi etiam quicquam illorum gratia quæstus, vel dono subministrent. Captiui etiam pactationem & redemptionis suæ summam, non armis & instrumentis militaribus, sed pecunia, alijsque rebus, quibus noceri non potest, exoluant. Contrarium verò facientes, eadem, quæ supra dicta est, pœna puniantur. Et ne qua per milites in finibus commorantes, aliosque militaris conditionis homines fraus committi queat, dignetur Maiestas sacra Cæsarea Viennæ, & in alijs, vbi opus videbitur, locis seriò & sub pœna capitis, quæ re ipsa postea executioni demandetur, interdicere, & publicè proclamatum facere, ne cui arma cuiuscunque generis vendantur, nisi habeat & exhibeat literas Capitanei, sub quo militat, vel domini sui, cui seruit, dantis testimonium loci, in quo militant, vel cui seruit, & numeri etiam armorum

Arma, & alias res vetitas Turcis deferentiũ pœna. Capitanei aduigilent ne arma ad Turcas deferantur, & nec ipsi ea mittant. Captiui, redemptionis suæ summam armis non soluant Turcis. Arma ementes testimonium Capitaneorum habeant.

morum quibus quisque indigebit. Cæterùm vt fraudes, quæ in casibus huiusmodi committi solent, adhuc diligentius & securius præcaueantur, voluit Maiestas sua, vt literæ illæ testimoniales, quas domini Prælati, Barones, Magnates, Nobiles, Præfecti, Capitanei, & alij hac de causa militibus vel seruitoribus suis daturi sunt, ad Consiliarios bellicos Maiestatis suæ Cæsareæ, vel qui in illorum absentia huius rei mandatum habent, posthac inscribantur. Et quia Viennæ dicuntur esse non pauci, qui inito cum aliquibus contractu, multa arma versus hostes demittere consueuerunt, de his sua Maiestas diligentem inquisitionem haberi, & repertos puniri iubebit.

Decimarum exigendarum, conducendarum locandarumque ratio.

ART. LXVIII.

Vlad. Tertio art. 49. 50. 51. 52. Ferdinan. ann. 48. artic. 35. & 36. & 61.

Decimarum turbatores qualiter puniendi.

Poson. ann. 46. artic. 55. 47. artic. 35.

Manipulus pennarum.

Arestationes, pro debitis quorumcunque, tempore decimationis fieri prohibentur.

Forte ann. 1547. aut 48. vide tamen ann. 55. art. 15.

DE modo exactionis & solutionis decimarum, statutum est, vt is seruetur ordo, qui in Decreto serenissimi quondam Vladislai Regis, anni Millesimi, Quadragesimi, Nonagesimi octaui, & in articulis, anni Millesimi, Quinquagesimi, Quadragesimi octaui, diffusè & abundè satis habetur declaratus: & vt Decimatores, qui in decimatione, secus quam ibi continetur, processerint, ibidem expressa poena; turbatores verò decimarum, ea quæ in Conuentu anni Millesimi, Quinquagesimi, Quadragesimi sexti continetur punitione puniantur. Abusus etiam ille, quod decimatores multa equitum manu stipati, ad decimandum proficiscuntur, & iudicem, vt eos lautè & gratis tractet, cogant: item quòd manipulum pennarum exigunt, & pro debitis, ac alijs negotijs iudicium faciunt, & similia tolli & abrogari statutum est. Et quia sacra Maiestas Cæsarea, & ipsa consueuit certas à Prælatis Ecclesiarum, pro necessitate & intertentione arcium suarum, locorumq; finitimorum, arendare decimas, dignetur ea, quæ in Decretis & publicis Regnicolarum constitutionibus, de modo & ordine arendationis & decimationis habentur decreta & sancita, tàm ipsamet per officiales suos clementer obseruare, quàm per alios quoslibet suos fideles firmiter obseruari facere: saluo tamen Maiestatis suæ iure, pro conseruatione locorum finitimorum decimas necessarias & opportunas solita arenda conducendi, & integras colligendi, iuxta constitutionem anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi quinti. Vtq; dum Prælati aliquas suas decimas ipsimet in specie colligere noluerint, eas verò, vel ipsa Maiestas sua, vel domini terrestres pro se arendare voluerint, cum ipsis de precio & arenda illarum concordent.

Nobiles, de vineis suis dominis terrestribus terragium soluentes, ad solutionem decimæ obligantur ART. LXIX.

Nobiles de quibus vineis nō soluunt decimas.

Plura de decimis, Poson. an. 48. ar. 61.

STATVTVM est etiam, vt Nobiles de vineis suis, in propria eorum terra adiacentibus, nullas decimas soluere teneantur: sed de illis, quas non in proprio eorum fundo, verùm in alijs promontorijs habent, habuerintue, & de illis domino promontorij ius montanum, vel nonam soluerint, Prælatis quoque & Ecclesiasticis personis decimas soluere sint obligati.

Nobiles de terris directè ad curias pertinentibus, decimas non soluunt, sed de terris à colonis acceptis soluunt. ART. LXX.

Decimæ, de terris à colonis acceptis debentur.

Scepusiensibus plebanis Nobiles decimas dant.

DE terris verò quæ directè ad curias & domos dominorum, pariter & Nobilium pertinent, & non à colonis acceptæ, ac ad propriam postea culturam reseruatæ fuerint, decimæ non exigantur: salua tamen libertate plebanorum in Scepusio commorantiū, quibus certo eorum priuilegio hactenus vsq; longo & continuo vsu obseruato, Nobiles, de terris eorum etiam proprijs, ad soluendas eis decimas teneri perhibentur.

Profugi Nobiles quando decimam non soluunt, & quatenus. ART. LXXI.

Poson. ann. 46. art. 41. 47. art. 36.

A profugis quoq; Nobilibus, qui à modo in posterum per Turcas domibus & habitationibus suis Nobilitaribus pulsi fuerint, bonaque & prouentus suos amiserint, & qui ad bona aliqua dominorum vel Nobilium, habitationis causa, confugerint, atque ab

ab iisdem dominis vel Nobilibus, tàm à solutione nonarum, tributorum & censuum, quàm exhibitione seruitiorum, siue ad tempus, siue perpetuò liberati fuerint, domini etiam Prælati, cæterique Ecclesiastici, ex eorum liberalitate & beneplacito, nullas exigant decimas: tàm diu scilicet, quàm diu dicti domini & Nobiles eos in libertate conseruauerint, quibus Maiestas quoq; Cæsarea, oblatam à Regnicolis contributionem gratiosè relaxare dignetur.

Decimæ more consueto soluantur, siue in specie, siue in pecunia soluendæ sint.

ART. LXXII.

STATVTVM etiam est, vt in quibuscunq; Regni partibus, decimæ ex antiqua consuetudine, vel libertate, non in specie, sed in pecunijs exigi fuerunt solitæ, in posterum quoq; non aliter exigantur: si quid tamen aliud iuris Prælatus decimarum habere se prætendit, liberum ei sit iure id quærere.

Aurum & argentum non exportetur, & Archiepiscopus Strigoniensis Pisetarium teneat.

ART. LXXIII.

AVRVM quoque & argentum non cusum, vel in monetas non redactum, è Regno per extraneos, & præcipuè mercatores non educatur. Atque dominus Archiepiscopus Strigoniensis pro officio suo, Pisetarium suum animaduertere faciat, ne exportetur. Quicunque verò illud exportare comperti fuerint, pœna eis in Decreto constituta puniantur.

Vlad. Prim. ar. 32. Poson. ann. 48. art. 58. Poson. an. 52. art. 37. 54. art. 17. 57. artic. 15.

Maxi. an. 66. art. 10. Lud. Secund. Bach. an. 18. art. 13. Buden. ann. 23. art. 34. Pisetarij officium. Poson. an. 57. ar. 15.

Monetæ Vngaricæ liga, reducatur ad gradum monetæ Imperialis.

ART. LXXIIII.

DECRETVM etiam est, vt pro illo tempore, quo ad proximè sequentem annum, de singulis Comitatibus, singulæ delectæ personæ conuenirent ad reformationem Decreti Vngarici, deputentur certi idonei viri, qui cum deputandis per sacram Cæsaream Maiestatem suis Consiliarijs conueniant, & tractent, quomodo moneta Vngarica conformari possit ad ligam monetæ Imperialis, nunc nouiter cudi cœptæ.

Sig. Secun art. 18. E. Tert. art. 7. Vlad. Prim. art. 31. Monetæ Vngaricæ gradus ad Vienn. reducatur. Soprō. an. 53. art. 23. Bona cudatur. Poson. an. 59. ar. 46. Forma. Poson. an. 57. ar. 14. & an. 52. ar. 46

Locumtenens, & supremi Capitanei iuramentum præstent. ART. LXXV.

VIDETVR etiam Statibus & Ordinibus Regni, vt dominus Locumtenens suæ Maiestatis, ac domini supremi Regni Capitanei iuramentum præstent, quòd in administratione officiorum suorum fideliter procedent, & officijs suis, omni suo posse satisfacient, teneanturque Capitanei supremi, bona, si quæ tenent, aliena, manibus eorum statim emittere: ita tamen, si manifestè constiterit, bona illa esse aliena; alioquin si quod erit dubium, id iure dirimi debebit. Si tamen Comitatus violenter spoliato testimonium perhibuerit, & Capitanei ipsi supremi, nec ita bona violenter occupata de manibus suis emiserint, suoq; iuramento hâc de re præstito non satisfecerint, puniantur per sacram Maiestatem Cæsaream.

Iuramentum Locumtenentis & Capitaneorū supremorū. Iusiurandum eorum quale. Capitanei bona aliena è manibus remittāt Puniantur.

Conquestorum in Dieta occisores, vel damnificatores, nota infidelitatis damnentur.

ART. LXXVI.

STATVTVM etiam est, vt si quis dominorum, vel Nobilium, aliquem illorum, qui in hac Dieta publicè conquesti sunt, propter istas eorum querelas, occidendo vel damnificando lædere ausus fuerit, nota infidelitatis de facto condemnatus habeatur.

Adde hunc casum ad Vlad. Secund. art. 3.

Comites à Salmis & Neuburgh, Comes Scipio ab Archo, Leonardus ab Harrach & filij, Adamus Vngnod, & Georgius Pruskowszki in Vngaros recepti.

ART. LXXVII.

CLEMENTER etiam requisiuit sacra Cæsarea & Regia Maiestas, Status & Ordines

Regni,causa acceptandorum in medium sui & creandorum in Vngaros fidelium suorum,Spectabilium & Magnificorum,domini Comitis Ecckij à Salmis & Neuburgh,dominorumq; eius fratrum,Iulij & Nicolai, nec non Comitis Scipionis ab Archo, sacræ suæ Maiestatis Cæsareæ supremi Cubicularij: Item Leonardi ab Harrach, liberi Baronis in Roraw,& serenissimi Romanorum,Vngariæ,& Boemiæ Regis,&c. domini nostri clementissimi,supremi Curiæ Magistri,ac Leonardi & Theobaldi similiter ab Harrach filiorum eiusdem: præterea Adami Vngnod, liberi Baronis in Sonnegh, & Georgij Pruskowski de Pruskow,Cubicularij dictæ Regiæ Maiestatis, Status & Ordines Regni, prædictas personas omnes,eorumque hæredes & posteros,tum pro clementi suæ Maiestatis requisitione,tum etiam quòd illorum quisque,fidelibus seruitijs sese apud eius Maiestatem promotione ista dignos exhibuerunt,in Vngaros recipiunt, & pro veris ac indubitatis Vngariæ membris,inposterum ab omnibus habendos reputandosque decernunt: sperantes quòd vnusquisque illorum sese conformiter geret, iuramento per illos præstito. Et quoniam Regnicolæ in prædictarum personarum acceptione, clementi suarum Maiestatum requisitioni,tàm promptè & obedienter obsecuti sunt: supplicant, vt si quando ipsorum quoque aliqui, in sacræ suæ Maiestatis Regnis atque prouincijs acceptari cuperent,eos sua Maiestas clementi sua promotione pari promptitudine & beneuolentia acceptandos curare velit: pro nunc verò prædictarum personarum acceptione,clementer contenta esse,Statusque & Ordines Regni in posterum, quantum vsque possibile fuerit, plurium promotione non onerare.

Mandata triplicia in Cancellarijs Regijs expediri. ART. LXXVIII.

CÆTERVM quoniam iussit sacra Cæsarea & Regia Maiestas,vt quoniam publicis Regnicolarum querelis,sæpius sacræ Maiestati suæ conquestum sit,quod eius mandata ab his,ad quos mittuntur, non obseruantur,modum inquirant Status & Ordines Regni, quò inposterum debitus honos & obedientia mandatis suæ Maiestatis deferatur. Visum itaque est Statibus & Ordinibus Regni, triplicia esse suæ Maiestatis mandata,& modum obseruationis vniuscuiusque singularem. Primi quidem ordinis mandata sunt illa, quæ dantur ad Iudices,& alios,qui administrandæ iustitiæ, & exequendis negocijs quibuscunque iuridicis sunt præfecti, publicaque gerunt officia. Cuius generis,si quod non obseruaretur,modus procedendi contra inobedientes,ex antiqua Regni consuetudine,iste obseruari debere visus est. Videlicet,quòd non obediens mandato Regio, citetur in sedem Regiam,vbi assumpta, & reuisa, citra dilationem longioremq; processum,causa,si nullam non obseruati mandati iustam & legitimam causam producere potuerit,condemnetur in ducentis florenis,& priuatione officij, ratione cuius mandatum exequi debebat,noteturque infamia,quòd amplius tale nullum gerere possit publicum officium.

Maximil. Poson. an. 67. ar. 40.

Primi ordinis Mandatum ad Iudices & exequutores iustitiæ datum, eiusque non obseruati pœna.

Mandata non obseruantes officiales Rex ad se vocare, & pro delicti merito punire potest. ART. LXXIX.

SECVNDI ordinis mandata sunt illa,quæ Cæsarea Maiestas dare solet ad suos Capitaneos,Præfectos,& officiales. Qui quidem,quemadmodum sacræ Maiestatis suæ Iurisdictioni,tanquam speciales & astricti eiusdem seruitores,immediatè subiecti sunt: ita si certæ alicuius rei executio ad officium illorum pertinens, illis demandata fuerit, & non paruerint,dignetur sua Maiestas,pro ea,quam plenam in hac re habet potestatem, illos ad se recta vocare,& pro delicti merito statim punire. Quòd si verò Maiestates suæ procul à Regno essent,ita vt eas fideles illarum, pro longinqua itinera,causa non obseruandorum huius generis mandatorum requirere non possent, dignetur domino Locumtenenti suo plenam dare facultatem,vt supremis Regni Capitaneis,authoritate suæ sacræ Maiestatis Cæsareæ & Regiæ possit mandare,qui non obedientes istiusmodi mandatis puniant,& alias etiam legitimas executiones,per eum requisiti, iuxta eorum officium peragant.

Secundi ordinis.

Authoritas Locumtenenti data in supremos Capitaneos.

Mandati

Mandata ad expositionem supplicantium data; Iudices an legitima sint cognoscant, & legitima obseruent. ART. LXXX.

TERTII generis sunt illa, quæ in negocijs querelarum, ad diuersæ conditionis & status fideles suos Maiestas Cæsarea, ad expositionem supplicantium dare consueuit: quibus, quia semper apponi inseriq; solet illa clausula iustificatoria, rebus sic (vt præfertur) stantibus & se habentibus, allegata per eum cui mandatur, falsa exponentis narratione, iuridicè procedat ipse querulans contra eum, quem accusauit, vt vter iustam causam habeat, in iudicio discutiatur, conuictusq; iuxta meritum causæ puniatur.

Tertij ordinis De mandatis & literis Regijs ad plenum vide S. Ladisl. li. 1. cap. 42. E. lib. 3. ca. 26. Ludouic. Secund. Rakos an. 26.

art. 24. Poson. ann. 42. art. 41. & 42. Nouiz. an. 43. art. 31. Tirn. an. 45. art. 33. Poson. an. 46. art. 17. & ibi responsum Regis: & forte, Poson. an. 52. art. 30. tum Poson. ann. 57. art 19. Lege quoque Mathiæ Regis formularium.

Testari nolentis pœna, vt de facto ad valorem Sexaginta quatuor florenorum res amittat, non habens verò, luat in corpore. ART. LXXXI.

PROPOSITVM denique in hoc Conuentu fuit, plerosq; literis, vel sacræ Maiestatis Cæsareæ, vel Iudicum Regni ordinariorum, aut saltem per iuratum Notarium, requisitos, sese à perhibendo veritati testimonio subtrahere, & pœnam Decreti talibus constitutam contemnere. Statutum est per Status & Ordines Regni, vt qui legitimè requisiti testificari recusant, talium res & bona ad valorem vsq; sedecim marcarum, statim & de facto adimantur. Si verò res reperiri non possint, mandetur Vicecomiti illius Comitatus, in quo bona eius adiacent, vt pœnam sedecim marcarum, iuxta contenta Decreti, ab illo irremissibiliter exigat. Quòd si verò nulla bona habeat, ex quibus satisfactio pœnæ, præmisso modo, fieri posset, capiatur, & luat in corpore.

S. Steph. lib. 2. c. 19. Coloman. lib. 1. artic. 26. & 27. Math. Sext. art. ... Trip. 2. tit. 27. & 28.

CONFIRMATIO.

NOS igitur præmissa supplicatione fidelium subditorum nostrorum, dominorum Prælatorum, Baronum, Magnatum, ac Nobilium, aliorumq; Ordinum & Statuum huius Regni nostri Vngariæ, & partium ei subiectarum clementer admissa, prædictos vniuersos & singulos articulos, modo præmisso nobis præsentatos, præsentibus literis nostris, de verbo ad verbum inseri & inscribi fecimus, eosdemq;, & omnia ac singula in eisdem contenta, ratos, gratos, & accepta habentes, eisdem nostrum Regium consensum beneuolum, pariter & assensum præbuimus, illosque, & quæuis in eis contenta, authoritate nostra Regia acceptauimus, approbauimus, ratificauimus, & confirmauimus: offerentes nos clementer, quòd præmissa omnia, in omnibus punctis, clausulis & articulis, tàm nos ipsi inuiolabiliter obseruabimus, quàm per alios fideles subditos nostros, cuiuscunque status & conditionis existant, obseruari faciemus: imò acceptamus, approbamus, ratificamus, & confirmamus, harum nostrarum vigore & testimonio literarum. Datum Posonij decima tertia die Nouembris: anno Domini, Millesimo, Quingentesimo, Sexagesimo tertio.

DIVI FERDINANDI IMPERATORIS EXEMPLVM literarum collatæ Locumtenentiæ.

NOS FERDINANDVS, &c. Recognoscimus per præsentes, quòd nos perspecta iam pridem & cognita fide ac diligentia, & in rebus nostris tractandis, ac ritè concludendis solertia & integritate Reuerendissimi in Christo Patris domini Pauli de Warda, Archiepiscopi Ecclesiæ Strigoniensis, &c. eundem in absentia nostra præfecimus & constituimus in Locumtenentem nostrum, in prædicto Regno nostro Vngariæ, conditionibus infrascriptis. Imprimis, vt omni illa authoritate & facultate fungatur, qua prædecessorum nostrorum, atq; nostro tempore cæteri Locumtenentes pro tempore constituti, vsi sunt: Videlicet, quòd habeat facultatem administrandi iustitiam, citra omnem appellationem: Quòd possit indicere Conuentum particularem, requirente necessitate, omnibus Statibus pro commodo nostro, dictique Regni nostri: Quòd habeat

authoritatem mandandi omnibus confinia tenentibus,& officialibus, cæterisque fidelibus nostris,in omni publica administratione : Quòd habeat ius conferendi omnibus personis dignis bona ad triginta duos colonos se extendentia, quæ ad collationem nostram legitimè spectarent : Quòd habeat ius conferendi Ecclesiastica beneficia, in omnibus Ecclesijs,in quibus Prælati Ius patronatus non habent : exceptis tamen Abbatijs, Præposituris; maioribus : Quòd habeat facultatem & authoritatem plenam,omnibus resipiscentibus,& ad obedientiam nostram,ac ad sinum gratiæ & clementiæ nostræ redire volentibus,nostra in persona gratiam impertiendi. In omnium horum igitur testimonium præmissorum & robur, præsentes literas nostras, manu nostra subscriptas, & sigillo nostro consignatas,eidem domino Paulo Archiepiscopo dandas duximus & concedendas. Datum, &c.

MAXIMILIANI IMPERATORIS ET REGIS DECRETA.

Posteaquam Diuus FERDINANDVS *Imperator & Rex placidè ab hac vita, ad æternam,quam in viuis cum esset,certa fiducia adepturum se sperauerat, eoq; vniuersas actiones suas direxerat,translatus est:* MAXIMILIANVS *eius maximus natu filius, Romanorum & Boëmorum Rex,adhuc superstite patre,adiutor in Regem Vngariæ electus & Coronatus,genitori pientissimo successit. Sed eum mox,vt Regni suscepit Imperium,sæua excipiunt prælia. Attigerat iam vigesimum quartum anni Stephanus Ioannis Regis(cuius antea mentio iniecta est) filius,qui se Ioannem secundum electũ Vngariæ Regem, affectione quadam,vocari peroptabat. Hic cum Transyluaniæ præesset, ab obitu Ferdinandi, maiora animo voluere,exaratis epistolis,voluntates Optimatum pellicere,vt ad ipsum à Rege suo deficerent, cæpit,adempta etiam arce Szathmar,quæ subitò recuperata est. Et paulò post inquieto illi,plura castella erepta ; donec ad meliorem mentem rediturus, pacem ab Imperatore peteret, eamq; impetrasset, nisi eorum quæ nutu Turcarum Imperatoris astruebat, Maximilianus tempestiuè fuisset submonitus. Detecta fraus est anno sequenti,cum Solimanum Imperatorem Turcarum,exemplo parentis sui,ad euertendum Reipublicæ Christianæ statum euocasset, accersisset q; non inuitum quidem;cui Cæsar munus honorarium à Ferdinando constitutũ mittere, certas ob rationes,prudenter recusauerat. Transyluanus verò ad Albam Græcam,insigni cum munere,dextram tutelarem reuerenter exosculaturus occurrit:qui vicissim clauam & equũ ab eo, ne sine apophoreto redeat,tulit. Octauus autẽ Solimano in Vngariam, vltimusq; & fatalis hic ingressus fuit,cuius tunc furorẽ vt reprimeret Maximilianus Imperator sapientissimus,Christiani orbis Principum inuocat opem,& in campis ad Iaurinum copias suas,signaq;,non tàm vt extrema belli tentet,promouet(cum non eam vim in promptu haberet,vt aperto Marte,cum tam potenti Tyranno confligere possit) quàm vt conatus eius,quocunq; modo retardaret. Amissæ verò sunt duæ arces,Szigeth (cui fortissimus ille & magnanimus Nicolaus Comes à Zrinio præfuit,quaq; etiam mortem oppetijt) & Gyula,cui Ladislaus Kerecheny Præfectus erat. Nostri Vesprimium & Tattam à Turcis; à Transyluano,Tokay,Szerench,Munkach, Szad,Szendero,Riuulum dominarum,Huszth,Szabathka,Pelsocz,Gombaszegh,Krasznahurka, & alia quædam castella,ac oppidula recuperant. Georgius Thuri Palotham conseruauit strenuè. Et cum Solimanus apud Szigeth in castris mortuus esset,Selimusq; filius ei successisset, cum hoc Cæsar fœdus pepigit,Anthonio Verantio tunc Episcopo Agriensi,postea verò Archiepiscopo Strigoniensi Oratore misso. Erat Maximilianus planè Imperatoriæ humanitatis & clementiæ, vnumq; semper id contendebat,quòd securæ & optimæ pacis interesset. Quare etiã à Polonis Rex eligitur. Sed dum potiendo Regno moras necttit,Polonorum quidam in rem præsentem attenti, Stephanum Bathori,qui post obitũ Stephani,filij Ioannis Regis Transyluaniæ, Vaywodæ titulo præerat,ingenti cum applausu inducunt,& Regẽ coronant. Interim autẽ Augustæ Imperij Statibus Comitia Imperator indixerat,quibus nec dum finitis, grauiter ægrotare incæpit, & paulò post,* RVDOLPHO *secundo Imperio concesso,tranquillè viuere desijt, magnum sui desiderium relinquens. Ex Maria Caroli Quinti Imperatoris filia,* RVDOLPHVM *Imperatorem &*

Maximilianus in Regem Boemiæ eligitur, Ann.1548. Coronatur Anno 1562. Rex Romanorum inauguratur An. 1562. In Vngaria Coronatur octauo die Septembr. an.1563

Regem,

Regem, dominum nostrum clementissimum, Ernestum, Mathiam, Maximilianum, Albertum, Venceslaum, Annam, Mariam, Elisabetham, Margaretham & Eleonoram (vltra eos, qui ipso viuente præmortui sunt) suscepit. Vixit annos quadraginta nouem, Moritur in festo D. Maximiliani, Idibus Octobris, anno Domini Millesimo quingentesimo, Septuagesimo sexto, Regnorum Romani & Vngarici duodecimo, Boëmici vigesimo septimo. Priuilegia eius seruantur. *Et si quæ edita sunt sub nomine eius priusquam Rex Vngariæ coronaretur, ea quoq; constitutionũ anni Millesimi, Quingentesimi, Sexagesimi tertij, art. Sexagesimo quarto confirmantur. Edidit septem partibus sua Decreta hic subnexa.*

MAXIMILIANI IMPERATORIS ET REGIS DECRETVM, ANNO DOMINI M. D. LXVI. Posonij editum.

NOs MAXIMILIANVS Secundus, diuina fauente clementia, electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Vngariæ, Boëmiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, &c. Memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes quibus expedit vniuersis, quòd domini Prælati, Barones, Nobiles, cæteriq; Ordines ac Status subditi Regni nostri Vngariæ, ac partium ei subiectarum, in generali Conuentu, pro festo Purificationis beatæ Mariæ Virginis, præsentis anni Millesimi, Quingentesimi, Sexagesimi sexti celebrato, Posonij ex edicto nostro cõgregati miserunt ad nos humiliter infrascriptos articulos, in Conuentu ipso, communibus ipsorum votis conclusos, ad propositionem nostram, medio serenissimi Principis Caroli, Archiducis Austriæ, &c fratris nostri charissimi, eis factam respondentes; supplicaueruntq; nobis humiliter, vt vniuersos & singulos articulos ipsos, omniaq; & singula in eis contenta, ratos, gratos, & accepta habentes, nostrumq; Regium consensum eisdem præbentes, authoritate & potestate nostra Regia, acceptare, approbare & confirmare, atque tàm nos ipsi obseruare, quàm per alios omnes, quorum interest, obseruari facere dignaremur. Quorum quidem articulorum tenor talis est.

Carolus Archidux Austriæ Conuentui præest. ART. I.

Ex ijs quæ sacratissima Romanorum Imperatoria, ac Vngariæ, Boëmiæ, &c. Regia Maiestas, dominus noster clementissimus, in hoc generali Conuentu, medio serenissimi Principis & domini, domini Caroli, Archiducis Austriæ, &c. fratris sui charissimi, & domini itidem nostri clementissimi, in scriptis proponere dignata est, ac serenissimus quoque ipse Archidux oretenus referenda curauit: intellexerunt humilimè domini Prælati, Barones, Magnates, cæteriq; Status & Ordines Regni Vngariæ, obedientissimi & humiles sacræ suæ Maiestatis fideles & subditi, graues & arduas illas causas & rationes, quæ ipsius Maiestatem impediuerint, quominus, sicuti ex animo optabat, statim à morte pientissimi domini genitoris sui, serenissimi & potentissimi quondam Principis domini Ferdinandi, electi Romanorum Imperatoris, ac Vngariæ, Boëmiæ, &c. Regis beatissimæ memoriæ, generalem in Regno suo Conuentum, priusquam in præsens hoc tempus, promulgare, neque huic etiam, grauissimis similiter de causis, in sua ipsius persona præesse potuerit.

Status & Ordines absentiam Regis à Regno æquo ferunt animo.

ART. II.

QVIBVS quidem ordine ad longum declaratis, licet Status ipsi & Ordines Regni in summis habuerint votis, Conuentum ipsis prius ab eius Maiestate indici, eandemq; illi, vel saltem huic moderno præesse potuisse, vt ita de maximis & extremis eorum grauaminibus & afflictionibus, ad ipsius Maiestatem coràm referre, atq; ea præsente, in illis à se auertendis, & iam tandem tollendis, certius aliquod remedium, firmiori cum spe expectare quiuissent: consideratis tamen omnibus illis, quæ suam Maiestatem, alijs grauissimis non solùm curis & cogitationibus, verumetiam laboribus & sumptibus excepe-

runt, atque ita à celebratione Dietæ, in hoc vſque tempus neceſſarium auerterunt; perpenſis etiam cauſis, quæ illam in Imperium auocarunt, & ob quas fidelibus ſuis Vngaris, optatiſſimo ſuæ Maieſtatis aſpectu, ne nunc quidem frui datum eſt. Animaduerterunt ſummam eius Maieſtati iniectam fuiſſe neceſſitatem, vt omiſſo Conuentu, omnes curas ſuas & cogitationes, omnes denique vires atq; conatus in id conuerteret, quod ad propulſandum auertendumq; publicum & inſtans periculum pertinuit. In quo quidem, cum ipſius Maieſtas non infelicem experta ſit Martis aleam, hoſtiumque & aduerſariorum ſuorum vim, & infenſiſſimos conatus non ſolùm fortiter ſuſtinuerit, verumetiam repulerit atque repreſſerit. In primis Deo optimo Maximo, quòd afflictiſſimas res noſtras miſerantibus reſpicere dignatus ſit oculis, immortales, Status & Ordines Regni æterna cum gratiarum actione dicendas cenſent & dicunt laudes. Maieſtati verò ſuæ gratulantur de proſpero & felici ſucceſſu, precantes Deum, vt hoc ipſum in Maieſtate ſua proſequi, & in poſterum quoq; benignè concedere, cæptisq; ſuę Maieſtatis omnibus miſericorditer adeſſe, & illa fortunare dignetur. Abſentiam verò ſacræ Maieſtatis ſuæ ab hoc Regno, patienter & æquo ferunt animo, cum certum ſit, illius in Imperium profectionem haud dubiè ſpectare ad magnum huius quoque Regni ſui Vngariæ emolumentum, & loco ſuæ Maieſtatis habeant hîc ſereniſſimum Archiducem, fratrem ſuæ Maieſtatis chariſſimum, dominum verò eorum clementiſſimum præſentem, qui contingentibus quibuſcunque rebus & negotijs, vice ſuæ Maieſtatis, neceſſariam & opportunam adhibiturus ſit operam.

Exponunt Status, pro permanſione ſua & ſuorum plurima ſe egiſſe & perpeſſos eſſe, inpoſterum quoq; nolle ſibi & Regi deeſſe. ART. III.

QVOD autem ſacra Cæſarea & Regia Maieſtas ſua commemorat graues & immenſos ſumptus, quos defuncta piæ memoriæ ſacra Cæſarea & Regia Maieſtas, ab initio regiminis ſui, ad extremum vſque ſpiritum, pro defenſione & conſeruatione Regni ſui Vngariæ fecit: deinde paternæ Maieſtatis ſequendo veſtigia, ſeſe eandem defenſionis & permanſionis fidelium ſuorum Vngarorum curam ſuſcepiſſe, eidemq; ſedulò inuigilaturam benignè offert. Status & Ordines Regni haud ſunt immemores maximorum ſuæ Maieſtatis beneficiorum, continuis curis, laboribus indefeſſis, immenſis denique ſumptibus in ipſos & afflictum hoc Regnum collatorum: quinetiam illorum nunquam obliuiſcentur, ſed gratiſſima & immortali ea ſemper recolent memoria. Similiter Maieſtati quoque ſuæ ſacræ, quæ in habenda omnimoda protectionis & conſeruationis Regni cura, tàm benignè, tàm liberaliter ſeſe non ſolùm offert, verumetiam conſtans in hoc animi ſui propoſitum, iſto breui cæptæ ſuæ gubernationis tempore, re ipſa teſtari dignata eſt: Status & Ordines Regni immenſas & immortales agunt habentq; gratias. Ac quemadmodum gens iſthæc Vngara, iam inde à centum & vltra annis, rebus æquè adhuc integris & florentibus, ex omni natione Chriſtiana, quaſi prima ſolaq; omnium ſolius Chriſtianæ religionis vindicandæ tutandæq; amore, ſeſe infideli huic Turcarum genti oppoſuit, illorumq; vim & ferocitatem non ſolùm fortiter & animosè multo tempore ſuſtinuit, verùm ſæpius etiam ab orbe Chriſtiano repulit, ac ne nunc quidem, rebus licet eorum afflictis, & potentia Turcica nimium attritis & imminutis, ab honeſtiſſimo & in Deum religionemq; Chriſtianam facto, in præſentem vſq; diem deſtiterunt; ſic perſpecta iſthac ſuæ Maieſtatis erga ipſos, & eorum defenſionem, tàm prompta, tàm alacri voluntate, hoc ipſum inpoſterum quoq;, quamdiu vires ſuppetent, facient, ſuoq; iſti propoſito conſtanter inhærentes, pro ipſius Maieſtate, & dulci patria, ſanguinem cum vita profundere, atq; vel ita quoq; ſuam teſtari gratitudinem nullo vnquam tempore omittent.

Contributio duorum florenorum. ART. IIII.

QVANTVM deinde ad propoſitos à ſacra Cæſarea & Regia Maieſtate articulos attinet: imprimis ſtatutum eſt, vt de ſingulis integris colonorum ſeſſionibus, ad præſentem

iſtum

istum annum exigantur & soluantur pro sua Maiestate duo flore. Vnus quidem pro festo sacri Pentecostes, alter verò pro festo sancti Michaëlis. Ita tamen, vt duo isti floreni, integrè in ijs tantum locis exigantur, quæ nullam anno superiori passa sunt hostilem desolationem, cum domuum scilicet combustione & destructione, colonorum nece vel captiuitate, omniumque rerum deprædatione factam. Turcis verò subditi medium soluant, prout superioribus quoque constitutionibus decretum fuit. Illis verò qui anno proximè elapso per Turcas & exercitum suæ Maiestatis, videlicet in Comitatibus, tàm vltra, quàm citra Tybiscum, & in Sclauonia, in Comitatu Crisiensi totaliter deprædati, combusti & vastati sunt, & qui derelictis quoq; sedibus suis, in Transyluaniam, vel ditionem Turcicam, metu periculi aufugerunt, nunc sacra Cæsarea & Regia Maiestas, exemptionem à præsentis anni dica gratiosè dare impertiriq; dignetur: vt loca combusta & desolata restaurentur, & qui aliò migrarunt, hac libertate allecti, ad domos suas redeant, illasq; rursus inhabitent, terraq; illa colonis & inhabitatoribus reparata colatur, & commodum suæ Maiestati in futurum quoq; faciat. Exercitus verò, si illum in eas partes iterum venire contingat, habeat vnde viuat.

Noua connumeratio. ART. V.

QVOD ad connumerationem & exactionem horum duorum florenorum attinet: statutum est, vt illi exigantur & soluantur eo modo, qui in proximè præterito Conuentu tempore felicis Coronationis suæ Maiestatis fuit constitutus. Necesse tamen iudicant Status & Ordines, prout etiam decernunt, vt noua fiat hoc anno connumeratio: excepta Sclauonia, quæ proximè elapso Ianuario, primum nouiter connumerata dicitur. Nam ab illa, quæ proximè facta fuit, multæ villæ, partim sunt combustæ, partim verò depopulatæ & desolatæ: ita vt numerus colonorum, ab illo, qui primis præteritis diebus annis fuit, magno numero sit imminutus.

Camerarij Dicatoribus conformem instructionem constitutionibus dent.
ART. VI.

QVONIAM verò conquesti sunt publicè hoc in Conuentu nonnulli Comitatus, de graui Dicatorum insolentia, qui in exactione dicæ longè aliter procederent, quàm in articulis continetur, seque de publicis constitutionibus nihil curare, sed iuxta eam, quam à Camera habeant instructionem, procedere velle apertè dicunt. Supplicant igitur Status & Ordines Regni, dignetur sacra Maiestas sua Camerarijs mandare, vt hanc Dicatorum insolentiam compescant, neue aliam illis circa exactionem dicæ, quam quæ publicis constitutionibus sit conformis, dent instructionem. Præterea, ne fratres, affines & seruitores suos constituant Dicatores, sed tales qui in Comitatu, vbi Dicatoris officium peragent, bona habeant.

Dicatoribus nõ detur à Camera instructio constitutionibus contraria.

Dicator bona habeat in Comitatu.

Dicatores vtensilia domus, in sex florenis non computent. ART. VII.

ITEM quum in superiori Conuentu decretum fuerit, vt coloni habentes bona valoris sex floren. dicari debeant: Dicatores verò, etiam ligones, secures, & alia domus vtensilia, in eiusmodi bona computare soleant. Supplicant Status & Ordines Regni, Maiestas sua Cæsarea & Regia dignetur clementer mandare, vt à computatione tàm leuium rerum, quibus pauperes quotidianam exercent & alunt vitam, desistant.

Vide supra ar. 4. ann. 1563.

Exemptiones antiquæ aboleantur, vsq; ad feliciora tempora: ART. VIII.

QVOD autem sacra Maiestas Cæsarea postulat decerni, ne deinceps exemptio vlla valeat, quin vniuersi oblata subsidia contribuant. Non ignorant Status & Ordines Regni, iã olim ab ipsis decretũ fuisse, antiquas illas & perpetuas exemptiones, à diuis quondã Vngariæ Regibus concessas, ad feliciora vsq; tempora esse cassatas & sublatas: quum tamen aliæ sint exemptiones, vti pro cõbustis, & in locis desertis nouas domos extruentes, quæ hactenus necessarijs de causis, tũ à piæ memoriæ defuncta, tum verò moderna Maiestate Cæsarea dari & obseruari consuetæ fuerint. Supplicant Status & Ordines Regni, illas

Combustis locis & domibus nouiter erectis exemptio seruetur.

inposterum quoque non solum obseruari, verumetiam, quibus necessario videbitur, à sua Maiestate Cæsarea dari atq; concedi. Spectant enim illæ, ad bonum suæ Maiestatis, non minus quàm ad Regni publicum.

Lucrum Cameræ exigatur, contributione cessante. ART. IX.

De lucro Cameræ, iustum est visum Statibus atq; Ordinibus Regni, prout etiam decernunt, vt in posterum lucrum istud Cameræ, singulis annis, iuxta consuetudinem antiquam, exigatur pariter & persoluatur, si quando contingeret, per annum quempiam, vel per plures annos, nullam dicam publicari.

Argentum & aurum non exportetur. ART. X.

Ivstam etiam & necessariam censent Status & Ordines Regni sacræ Maiestatis Cæsareæ & Regiæ postulationem, de non exportandis in Poloniam, & aliorsum extra Regnum, auro & argento: quum ea non minus in Maiestatis suæ, quàm publicum Regni damnum cedat: & ob id renouant, seruandasq; decernunt publicas Regni constitutiones, hac de re, cum in Sopronienfibus, tum verò alijs Regni Conuentibus factas. Illud tamen æquum est, vt in locis illis, vbi argentum in Scepusio paratur, sacra Maiestas Cæsarea suos habeat homines, qui argentum pro Maiestate sua, si eidem ita videbitur, redimant.

Telonia sicca & iniusta distrahenda esse, sub pœna vltra alias pœnas, amissionis villæ, in qua huiusmodi Telonium esset. ART. XI.

De siccis quoq; & iniustis Telonijs, quæ necdum distracta & deposita, nouiter verò priuata nonnullorum authoritate erecta exigi perhibentur, statutum est, vt sicca quidem Telonia, iuxta superiorum Conuentuum constitutiones, modumq; & ordinem in illis declaratum, absq; vlteriori dilatione deponantur & aboleantur. Quum tamen hactenus omnes sese eo excusarunt, quòd iuxta easdem constitutiones, illa quæ in bonis sacræ Maiestatis suæ habentur, iuxta clementem eiusdem oblationem, nec dum sint deposita, & propterea stantibus illis, sese ad suorum abolitionem non teneri dicant: supplicant Status & Ordines suæ Maiestati Cæsareæ humilimè, dignetur ipsa primum omnium sua distrahi iubere, vt fideles eiusdem subditi, exemplum illius secuti, sua quoque deponant, neq; habeant quo se deinceps cum Maiestate sua sacra excusent. De ijs verò, quæ propria aliquorum authoritate, vel etiam per officiales, in bonis suæ Maiestatis, sine iusta & legitima aliqua causa erecta esse dignoscentur, Comes vel Vicecomes illius Comitatus, dominum Telonij, sub amissione officij admoneat, vt illud statim deponat. Qui si fortè id facere recusaret, vel negligeret, ipse illud authoritate, publico præsentis Conuentus decreto, sibi attributa, deijciat. Qua in re, si dominus loci ei vel resisteret, vel Telonium deiectum denuò erigeret, citetur per Comitem vel Vicecomitem in præsentiam sedis Iudiciariæ Comitatus illius, vbi primo in centum, secundo verò in ducentis florenis, & tertio, si ne ita quidem resipiscet, in amissione villæ, in qua iniustum eiusmodi Telonium fuit erectum, conuincatur. Birsagia autem talia cedant Vicecomiti & Iudicibus nobilium; Iura verò possessionaria occupentur ad fiscum Regium, quæ tamen is, qui ea amittit, communi æstimatione Regni semper possit ad se redimere.

Telonia sicca primum in bonis Regis deponantur.

Telonium propria authoritate erectum deponere nolentis pœna.

In Telonijs non plus exigatur, quam quod iustum est. ART. XII.

Illi verò, qui nimia & iniusta Telonia, cum maximo negociatorum & aliorum itinerantium grauamine exigere perhibentur, à Comite vel Vicecomite illius Comitatus, in quo Telonia eiusmodi sunt, requisiti, teneantur priuilegia sua, quæ de Telonijs talibus habent, producere, illisq; per Comitem vel Vicecomitem reuisis, nõ plus exigere, quam in eis habetur specificatum. Alioquin secus facientes, quemadmodum & illi qui pontes, quorum gratia Telonij exactio ipsis est concessa, nullos aut vilissimos in locis necessarijs tenent, neq; etiam vias & loca transitu difficilia, quæ deberent & obligantur, reparant & instaurant, citentur & ipsi, & conuincantur primò in centum, deinde verò ducen-

Telonium nimium exigentium, et pontes non reparantium pœna.

ducentis florenis,tertiò autem in amissione villæ, salua tamen eius redemptione, præmisso modo fienda.

Ad Telonia sua ex aliorum territorijs ire compellentium pœna. ART. XIII.

ET quoniam pessima quadam & non ferenda consuetudine, apud nonnullos inoleuisse fertur,quòd itinerantes,ab aliorum etiam territorijs ad sua Telonia auertere vi compellant. Statutum est,vt in eos,qui hoc inposterum facere præsumpserint, eadem pœna,qua in nimiorum & iniustorum Teloniorum exactores, præmisso modo, procedatur & animaduertatur.

Munitio locorum, & gratuiti labores. ART. XIIII.

DE munitione locorum finitimorum, & laboribus colonorum in ea præstandis: Status & Ordines Regni suo in vigore relinquunt,ac nouiter decernunt,constitutiones Regni proximè præterito in Conuentu factas: secundùm quas, modumq; & ordinem, ac limitationem in eodem,ac alijs,ad quos ille se refert,comprehensam, colonos quoq; suos ad gratuitas operas & labores sex dierum expedituri sunt. Supplicant tamen, vt sacra Cæsarea & Regia Maiestas gratiosè prouidere dignetur, ne supremi Regni Capitanei,sicut hoc proximè elapso biennio,ita nunc quoq; negligant,iuxta eiusdem Conuentus constitutionum,loca finitima sine dilatione & excusatione aliqua peragrare & perlustrare,quæ ex illis munienda, quæ verò destruenda videantur. *Ferdin. an. 63. art. 16.*

Continui equites intertenęantur. ART. XV.

ITEM statutum est,vt iuxta articulos Conuentus, anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi quinti,inposterum quoque interteneantur de singulis centenis colonis, dominorum pariter & Nobilium,singuli tres equites,obseruetur que hæc constitutio æqualiter per vniuersum Regnum,ne scilicet, vt hactenus, pars aliqua illos intertencat, pars verò nullos.

Equites continui,vbi conuenit,seruentur. ART. XVI.

CÆTERVM quibus in locis equites isti interteneri conseruariq; debeant, Cæsarea ac Regia Maiestas, præhabita matura deliberatione, quàm primum benignè decernet, prout Regni necessitas & vtilitas postulare ac suadere videbitur.

Victualium ad finitima loca conuectio. ART. XVII.

DE victualibus quoq; & commeatu,militibus suppeditandis,non habent Regnicolæ quid noui constituant: quando in superiori Conuentu hac de re abundè satis tractauerint,atq; etiam concluserint. Vident autem nullum fore in his defectum,modo milites illa soluant,neq; miseram plebem deterreant,quin metu rapinæ,illa in forum, ad loca finitima,vel etiam castra alicuius exercitus conuehere audeant, vel omittant: neue villas inter se,prouti hactenus fecerunt,& adhuc faciunt distribuant,ipsosq; ad seruiendum cogant,non solùm comportatione victualium & pabuli, sed solutione quoq; pecuniarum,& præstatione aliarum diuersarum rerum: iustum quoq; visum est Statibus, vt hi,qui proprias habent arces finitimas,atq; in illis gentes conseruant, suis, priusquam alienis,de tali commeatu & victualibus opera colonorum suorum prouideant. *Villas Nobiliũ milites inter se non distribuãt.*

Generalis & particularis insurrectio. ART. XVIII.

DE insurrectione & missione gentium,tempore expeditionis generalis & particularis,similiter nihil noui possunt Regnicolæ decernere: quando iã antea aliquot in Conuentibus,signanter tamen anni Millesimi,Quingentesimi, Quinquagesimi secundi, & Millesimi,Quingentesimi,Quinquagesimi tertij,quibus frequentiori,quam huic numero interfuerunt,satis superq; per ipsos his de rebus tractatum sit, & claræ satis constitutiones quoq; superinde factæ. Cũ itaq; ijs maiora nunc quoq; præstare nequeant,præsertim

tim rebus eorum & Regni ab eo tempore in deterius lapsis, & valde afflictis, easdem Regni constitutiones iam antea factas, denuò ratas habent, & postulante necessitate, ab omnibus seruandas decernunt. Supplicant tamen Status & Ordines Regni sacræ Maiestati suæ, dignetur gratiosè prouidere, vt ipsi contra hasce constitutiones, ad alia grauiora non compellantur: videlicet, ne Nobiles vnius sessionis viritim leuentur, neue Capitanei Comitatuum, ad incertos quoslibet rumores, aut particularis alicuius sub arcem quampiam Turcicam excursionis gratia insurgere cogantur. Coloni quoque, non vltra quam decretum est, præstare compellantur. Senes verò & imbecilles loco suarum, alias personas sufficientes substituere mittereq; possint: in expeditione deniq; ægrotantes inuiti non teneantur.

Nobiles vnius sessionis viritim non leuentur.
Ad incertos rumores insurgere nõ cogãtur. Vladis. Tert. art. 19.
Loco senum alij mittantur.

Bombardarum vectura refertur ad articulos anni Millesimi, Quingentesimi, Sexagesimi tertij. ART. XIX.

SIC etiam de vectura bombardarum, & instrumentorum bellicorum, victualiumque, tempore alicuius expeditionis faciendorum, elapso proximè in Conuentu, ad mandatum sacræ Cæsareæ & Regiæ Maiestatis, Status copiosè tractarunt, & quid aliud de his dicant, vel decernant, ne nunc quidem habent quicquam. Penes ea itaque, quæ in eodem Conuentu, super his acta & conclusa fuère, Status & Ordines Regni ipsis nunc quoque manendum esse censent.

Milites quàm diu cum equis ipsorum in pascuis permaneant. ART. XX.

DE modo, secundùm quem milites in confinijs constituti, equos suos ad pascua mittere possint: statutum est, vt in locis opportunis & securis, nunc quoque equos suos pascant. Cum tamen ferè vbique sint loca à fænetis, quæ falcari solent, separata, & pascua pro equis satis idonea habentia, in his illos dimittant, & ad falcationem reseruatis parcant; suos præterea tantum, & non alienos quosque, amicorum, vel quorumcunque equos in pascua ducant, neue miseram plebem direptione, & violenta rerum ablatione, vti hactenus, opprimant, aut ad sustentandum se gratis cogant. Vltra verò vltimum diem Maij in pascuis non maneant, sed illo veniente, ad stationes quisq; suas reuertatur. Quicunque verò id facere negligerent, compellantur per Comites illius Comitatus; aut eo non sufficiẽte, per supremum Regni, vel reliquos, sub quibus milites equos in pascuis habent, Capitaneos. Qui quidem Capitanei, si id facere ex fauore vel negligentia omitterent, puniantur per sacram Maiestatem Cæsaream, pœna solutionis mille florenorum, & refusione illatorum damnorum, ex debito illis stipendio defalcandorum.

Pascuationis modus.
Pascuationis terminus.
Capitaneorum milites ex pascuis statuto tẽpore ad stationes suas redire non cogentium pœna.

Iudiciorum celebratio. ART. XXI.

CONSTITVTVM præterea est, à Statibus & Ordinibus Regni, vt ad præsentem istum annum, duæ celebrentur Octauæ: prima quidem hic Posonij pro octauo die festi Sancti Georgij proximè venturi, Comitatibus cis & vltra Danubium adiacentibus, à Comitatu Liptouiensi, huc versus incipiendo; altera verò pro octauo similiter die festi sancti Michaëlis in Eperies, pro Comitatibus partium Regni superiorum & inferiorum, à Comitatu Liptouiensi, qui & ipse ad Eperies vadat, Cassouiam versus incipiendo. Et cum iustitia, eiusque administratio communis debeat esse omnibus, citra aliquem delectum atque respectum: decretum est, vt in his duobus terminis Octaualibus, adiudicentur, iuxta elapsi proximè Conuentus constitutiones, per seriem, iuxta scilicet vniuscuiusque antiquitatem, vniuersæ & quælibet Regnicolarum causæ, tàm quæ ante cladem Mohachiensem, quàm verò post illam, qualitercunq; hactenus sunt motæ, vel inposterum mouebuntur, simul cum causis factum minoris potentiæ tangentibus, nullis prorsus exceptis, præter quam causis bonorum quondam Ioannis Regis. Durare autem debebit hæc iudiciorum celebratio, in vno quoq; terminorum prædictorum, quadraginta dies, festis diebus exceptis. Iudicia quoq; Regni Sclauoniæ celebrentur pro festo Epiphaniarum Domini proximè venturo, durentq; ad Dominicam vsq; Carnispriuij.

Causæ tam ante, quàm post cladem Mohachiensem motæ, secundum seriem iudicentur.
Ioannis Regis bonorum causæ suspensæ.

Simili-

Similiter de Iudicijs Locumtenentiæ,statutum est,vt ea iuxta superioris Conuentus constitutiones continuè adiudicentur, præfixo per dominum Locumtenentem termino, qui ei opportunus videbitur,eoq; maturè, & in tempore omnibus publicato. In quibus quidem Locumtenentiæ iudicijs,præter illas,quæ in elapso proximo Conuentu specificatæ sunt,adiudicentur quoque causæ defectus seminis. *Defectus seminis in iudicijs Locumtenentiæ adiudicentur.*

Comitatus superiores Assessores sibi eligere possunt. ART. XXII.

ET licet in superiorum annorum Conuentibus constitutum fuerit, vt huiusmodi iudiciorum celebrationi, semper duo ex Prælatis,& totidem ex Baronibus, vel ad minus singuli interesse debeant. Quia tamen propter ipsorum dominorum Prælatorum, pariter & Baronum necessariam absentiam,quæ sæpius ob eorum infirmitatem, & longinquam distantiam,ac etiam paucitatem euenire solet, non paucæ aliquoties contigerunt difficultates: propter quas aliquando celebrationem ipsam iudiciorum necessariam, à Iudicibus etiam intermitti oportuit,cum maximo causantium damno. Statutum est,vt ipsorum non obstante Prælatorum vel Baronum absentia, iudicia nihilominus per Iudices Regni ordinarios,Magistrosq; Protonotarios & iuratos sedis Assessores celebrentur: Quos quidem Assessores Comitatus superiorum & inferiorum partium,in termino celebrationis iudiciorum,in Eperies fiendorum,ipsi de medio eorum eligant viros idoneos & præcipuos iuriumq; & legum Regni peritos. In reuisione tamen appellationum, sacra Maiestas Cæsarea gratiosè prouidere dignetur,vt dominus Locumtenens,penes se semper habeat consuetum hactenus numerum Prælatorum & Baronum,ex vtroque videlicet duos,vel plures, si haberi poterunt.

De expensis Iudicum. ART. XXIII.

DIGNETVR etiam sacra Maiestas Cæsarea gratiosè committere Camerarijs, vt dominis Prælatis & Baronibus,qui appellationibus interérunt, de eorum salarijs ac expensis,ac Assessoribus quoque sedis iudiciariæ,non solùm tempore ordinariorum iudiciorum,verumetiam dum reuisioni aliorum diuersorum, à Maiestate sua domino Locumtenenti iniunctorum negotiorum, necessarij adhibentur, de expensis eorum diurnis satisfaciant; & Protonotarijs etiam, qui non solùm ijsdem negotijs extra iudicia adhiberi necessariò solent,sed & reuidendis Transmissionibus sub Dieta vacare solent, de expensis prouideatur. Hactenus enim sæpius à domino Locumtenente vocati, venire recusarunt,& sic negotia à sua Maiestate reuideri commissa, in nullum deduci possunt effectum,cum damno multorum publico.

Errores in literis quibuslibet, per quoscunque commissi, semel corrigi possunt. ART. XXIIII.

QVONIAM verò sæpe euenit,quòd Magistri Protonotarij in literis euocatorijs,vel sententionalibus, aliquos committunt errores, propter quod causantes, in condescensione causarum suarum,non leues patiuntur defectus,idque Regnicolis iniustum est visum. Statutum est, vt inposterum, si manifestè constiterit, talem errorem ex inaduertentia Protonotarij esse commissum,siue in literis euocatorijs, siue verò adiudicatorijs, is per Iudices Regni in iudicio contradictorio,debito modo rectificetur: quam ipsam constitutionem Regnicolæ decernunt obseruandam,in Capitulis quoq; & sedibus Comitatuum Iudiciarijs. *Literarum errores corrigendi.*

Mandatis Regijs processus iuris non turbetur. ART. XXV.

ITEM, quia non sine magnò libertatis Regni derogamine, cursusque iustitiæ præclusione factum est. vt Iudicibus aliquam causam reuidentibus, & tandem seruatis omnibus de iure seruandis,in ea pronunciare volentibus, Director causarum suæ Maiestatis,vel Camera,cum mandato illos,à pronunciatione sententiæ inhibere soleant, prout non ita pridem,in causa quadam fratrum Reuay, contra ciues Cremnicienses habita, factum est. Supplicant Status & Ordines Regni sacræ Maiestati Cæsareæ,dignetur gratiosè prouide-

prouidere, ne inposterum ad illegitimam aliquorum instantiam, via iustitiæ mandato suæ Maiestatis præcludatur.

Coloni ne nimium grauentur à dominis terrestribus. ART. XXVI.

HORTATA est quoque sacra Maiestas Cæsarea fideles eosdem suos Regnicolas, de alleuiandis nimijs colonorum suorum oppressionibus, quibus hactenus affecti essent. Pro qua quidem suæ Maiestatis, non minus pia, quàm officio suo digna admonitione, Status & Ordines Regni sacræ suæ Maiestati, ingentes agunt habentq; gratias, atq; secundùm eam quisq; eorum sedulam daturus est operam, ne quo subditorum nimio grauamine & oppressione conscientiam suam meritò sentiat grauatam: è contra verò humilimè supplicant sacræ eius Maiestati, vt quum clementer intellexisse potuerit, quantas miserias, damna, & extremas oppressiones, coloni ipsorum, non minus à Turcis, quàm suæ Maiestatis militibus, indesinenter patiantur, dignetur benignè prouidere, vt ab his quoq; calamitatibus tandem liberentur.

Migratio colonorum, vbique libera sit per Regnum. ART. XXVII.

ET quia fertur esse plerosq; dominorum pariter & Nobilium, qui superiorum annorum constitutiones publicas, de colonorum transmigratione editas, non obseruare, quin potius ipsis, omnibus modis contraire soleant. Supplicant Status & Ordines Regni, sacra Maiestas Cæsarea dignetur gratiosam adhibere curam, vt illæ ab omnibus, citra aliquod impedimentum, seruentur, & in eos qui contra faciunt, debita, inque constitutionibus illis expressa pœna, seriò, & citra cuiusque personæ delectum, animaduertatur.

Ad sequentem Dietam quædam reiecta. ART. XXVIII.

QVOD ad reliquos in hac Dieta tractatos & conclusos articulos attinet, suæq; serenitatis ad illos factam replicationem: quum Status & Ordines Regni videant, pauca, & illa quoq; pleraq; prioribus Regni constitutionibus sancita, per eius serenitatem esse approbata; maiorem verò partem, vel non admissam, vel ad vlteriorem sacræ Cæsareæ & Regiæ Maiestatis deliberationem dilatam. Optassent ex animo, vt serenitas sua, eam ipsis nomine & authoritate suæ Maiestatis de omnibus fecisset resolutionem, qua citra diuturniorem expectationem, certo cum responso domum reuerti potuissent. Postquã tamen eius serenitati aliter visum est, ea quidem quæ admissa non sunt, reijciunt (quum & alioqui non vsq; adeò frequenti numero nunc conuenerint) ad proximè futuram Dietam vlterius ibi tractanda & deliberanda, de qua per suam Maiestatem, vel in fine præsentis, vel statim initio sequentis proximè anni indicenda, & personaliter celebranda, Status & Ordines Regni, sacræ suæ Maiestati Cæsareæ humilimè supplicant, seq; ea de re certificatos esse cupiunt, ob eas causas, quas primo in responso suo declararunt, & propter quas suæ Maiestatis præsentiam, isto quoq; in Conuentu, tanquam summè necessariam, plurimum desiderarunt. De illis verò, quæ ad vlteriorem sacræ Cæsareæ & Regiæ Maiestatis deliberationem reiecta sunt: Status & Ordines Regni serenissimo Archiduci supplicant humilimè, dignetur clementer curare, vt illa quàm primùm sacræ suæ Maiestati perferantur, ac etiam apud eandem benigna sua promotione efficere, vt quæ per Status & Ordines Regni conclusa sunt, à sua Maiestate clementer acceptentur & approbentur. De grauaminibus verò & oppressionibus, libertatumq; hactenus factis violationibus, sacræ Maiestatis suæ fideles, communiter & priuatim, clemens & benignum, sine diuturniori aliqua expectatione, habeant responsum.

CONCLVSIO.

NOs itaque supplicatione præmissa dictorum fidelium nostrorum dominorum Prælatorum, Baronum, ac Nobilium aliorumq; Ordinum & Statuum huius Regni nostri Vngariæ, & partium ei subiectarum clementer admissa, præmissos vniuersos articu-

articulos, modo præmisso nobis præsentatos, præsentibus literis nostris de verbo ad verbum inseri & inscribi fecimus, eosdemq; ac omnia & singula in eis contenta, ratos, gratos, & accepta habentes, eisdem Regium nostrum consensum beneuolum, pariter & assensum præbuimus, & illos, ac quæuis in eis contenta, nostra Regia authoritate, acceptauimus, approbauimus, ratificauimus, & confirmauimus: offerentes nos clementer, quòd præmissa omnia, in omnibus punctis, clausulis & articulis, tàm nos ipsi obseruabimus, quàm per alios fideles subditos nostros, cuiuscunq; status & conditionis existant, obseruari faciemus; imò acceptamus, approbamus, ratificamus, & confirmamus, harum nostrarum vigore & testimonio literarum mediante. Datum in Imperiali nostra ciuitate Augustæ Vindelicorum, die secunda Maij, anno Domini Millesimo, Quingentesimo, Sexagesimo sexto, Regnorum nostrorum Romani quarto, Vngariæ tertio, & Boëmiæ decimo octauo.

MAXIMILIANI IMPERATORIS ET REGIS DECRETVM, ANNO DOMINI M. D. LXVII. Posonij editum.

NOS MAXIMILIANVS Secundus, DEI gratia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Vngariæ, Boëmiæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Comes Tyrolis, &c. Memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes quibus expedit vniuersis: quòd fideles nostri, domini Prælati, Barones, Magnates, Nobiles, cæteriq; Status & Ordines Regni nostri Vngariæ, & partium ei subiectarum, in generali eorum Conuentu, ad primam diem mensis Iunij, proximè præteriti, anno Domini, Millesimi, Quingentesimi, Sexagesimo septimo, per nos indicto & celebrato, in ciuitate nostra Posoniensi, exhibuerunt nobis & præsentauerunt infrascriptos articulos, in eodem Conuentu communibus ipsorum votis, ac pari & vnanimi consensu conclusos: supplicantes nobis humilimè, vt vniuersos & singulos eos articulos, omniaq; & singula in eis contenta, ratos, gratos, & accepta habentes, nostrumq; Regium consensum illis præbentes, authoritate nostra Regia clementer acceptare, approbare, & confirmare, atque tàm nos ipsi clementer obseruare, quàm per alios omnes, quorum interest, firmiter obseruari facere dignaremur. Quorum quidem articulorum tenor talis est.

Turcarum Imperatoris retundendo Regno, diligentem Rex vlteriorem conatum cum fratribus suis nauant operam; placere tamen, vt hoc rerum statu Induciæ cum hoste paciscantur. ART. I. Induciæ cum Turca.

PRÆCLARAM & singularem sacræ Cæsareæ & Regiæ Maiestatis, domini nostri clementissimi curam & studium, quod in defendendis & tutandis afflicti huius Regni sui Vngariæ reliquijs, ad extremum vitæ spiritum se habere testatur: intellexerunt fideles Maiestatis suæ, domini Prælati & Barones, Nobiles, cæteriq; Status & Ordines Regni Vngariæ, ex his quæ Maiestas sua Cæsarea ac Regia, tàm in scripto suo, quod illis proposuit, quàm quæ verbis clementer referre dignata est: neque dubitant Maiestatem suam Cæsaream & Regiam, in eam curam hucusque omni studio atq; conatu semper incubuisse, vt post deplorandas præteritorum annorum clades, fideles sui Regnicolæ, ab hostili metu & periculis, quæ bella secum trahere solent, tuti & securi esse possent: quando quidem recenti adhuc tenent memoria, quomodo Maiestas sua Cæsarea & Regia, hoc laudabile suum studium, anno proximè elapso, quando videlicet Solimanus Turcarum Princeps, in hoc Maiestatis suæ Cæsareæ afflictum Regnum funditus delendum, maximo & validissimo exercitu, cum intimis totius Orientis viribus, irrupisset, re ipsa clementer declarare dignata est; quum cunctis externorum dominiorum & prouinciarum copijs, & deductis ex omni Germania sacri Romani Imperij viribus, personaliter in castra descenderit, & omnem fortunæ bellique euentum, vna cum serenissimis

Principibus, dominis Ferdinando & Carolo, Archiducibus Austriæ, fratribus Maiestatis suæ charissimis, dominis autem nostris clementissimis, alacriter subire velle, re ipsa apertè ostenderit. Qua quidem re factum est, vt quanquam DEO optimo maximo, peccata nostra & populi vindicante, præcipua quædam loca, vtpote Szighet & Gywla cum alijs amissa fuerint: nihilominus tamen, audita Maiestatis suæ Cæsareæ & Regiæ in castris præsentia, vlteriores Turcarum conatus, quibus illi totum huius afflicti Regni residuum igne & ferro delere omnino destinauerant, sint retardati. Agnoscunt etiam fideles Maiestatis suæ Regnicolæ, Maiestatem suam Cæsaream & Regiam, profectionem in Regnum Boëmiæ, annexasq; prouincias, post reditum suum ex castris, non alias ob causas instituisse, sicuti Maiestas sua clementer commemorat, præter quòd in illis etiam Regnis & prouincijs ea tractaret, quæ ad commodum & vtilitatem, ac permansionem fidelium suorum Vngarorum pertinere viderentur: neque diffidunt Maiestatem suam Cæsaream, de Inducijs quoque, cum nouo Turcarum Principe ideò velle tractare, quòd benignè animaduertat & conspiciat, eas iuxta præsentium temporum statum, hisce exiguis Regni Vngariæ reliquijs conducere. Agunt itaque & habent Maiestati suæ Cæsareæ & Regiæ fideles sui, domini Prælati & Barones, Nobilesque, & cæteri Status & Ordines Regni sui Vngariæ, qui in his calamitosis temporibus sunt reliqui, æternas & immortales gratias, quòd Maiestas sua Cæsarea & Regia, tàm benignam & ardentem sui curam habere non dedignatur; sed potius nullis parcendo sumptibus & laboribus, omni studio suo id præstare nititur, vt fideles suos Regnicolas, eorumq; vxores & liberos, dulcemque patriam, ab hostilibus bellis omnimodo tueatur, vt sub vmbra sua tuti & securi meliora tempora sperare possint; precanturque DEVM optimum maximum, vt huius præclari voti sui, Maiestatem Cæsaream & Regiam clementer compotem reddat.

Induciæ cum Turca.

Sumptuum magnitudo, & quòd Transyluanus, Tartari, Turcæ, Regnum acerrimè vastarint, & Capitanei ac milites suæ Maiestatis in plebem extremè grassantur.

ART. II.

QVANQVAM autem Status & Ordines Regni benè sciunt, Maiestatem suam Cæsaream & Regiam, tàm præterito anno in castris, quàm quotidie & in horas, ad confinia & præsidiariorum in eis conseruationem, grauissimos & immensos sumptus facere: adeò vt facilè cogitent Maiestatem suam tot impensas ad alendos exercitus & præsidia plurimarum arcium finitimarum, magna cum difficultate posse sustinere, Maiestatemque suam non abs re subsidia sumptuum postulare. Qua in re ipsi quoq; Status & Ordines huius afflicti Regni, magna cum animorum alacritate Maiestatis suæ, grauissimos sumptus subleuare, quando certum sit, subsidia huiusmodi, in publicam Regni vtilitatem & salutem postulari: sed quemadmodum Maiestati suæ Cæsareæ, crebris suis querelis humilimè significarunt, in his calamitosis temporibus, attrita & in nihilum redacta potiori Regni parte, in eum rerum statum deuenerunt, vt æstimata Maiestatis suæ Cæsareæ & Regni necessitate, pro rei & temporis ratione, minimum auxilium præstare posse videantur. Nam misera plebs, quæ potissimùm subsidia contribuere consueuit, vltra eas calamitates, clades, incendia, depopulationes, & cædes ac supplicia, quæ à Turcis, Tartaris & Transyluanis, hoc præsertim anno grauissimè & crudelissimè perpessa est; per quos infinita hominum multitudo abducta est in captiuitatem: à Capitaneis & militibus Maiestatis suæ Cæsareæ, tàm Vngaris, quàm Germanis, qui potius illos ab alijs quoque tutari deberent, in eam egestatem redacta est, vt ne dum aliquid magni præstare posse videatur, sed ne quotidianum quoque victum habeat, quo per milites direpta, fame mori cogitur, aut desertis sedibus, sub Turcas, pars in Poloniam, aut eo, vbi tutius securiusque se habitare posse sperat, quotidie migrare. Eo autem iam militaris licentia euasit, vt non miseram modo plebem vexent, lacerent & diripiant, sed neque dominis Prælatis, aut Baronibus & Nobilibus parcant: quibus contra iura & veteres eorum libertates intolerabilia damna inferre non dubitant. Nam omne genus oppressionis in-

nis in-

nis in eos exercent, præterquam quòd in seruitutem non abducunt, aut diuendunt, cætera omnia non minus, quam in hostes sibi licere putant; sicuti Maiestas sua Cæsarea & Regia, ex his supplicationibus, quæ per eosdem fideles suos Maiestati suæ humiliter fuerunt exhibitæ, benignè cognoscere potuit. Propterea Status & Ordines Regni Maiestati suæ humiliter supplicant, dignetur illis benignè veniam dare, si minus, quàm necessitas postulat, de se possunt polliceri. Neque enim ignorant, quid esset per eos præstandum, sed redactis ad extrema omnibus ferè Ordinibus, Maiestas sua Cæsarea clementer dijudicare dignabitur, eis non animum, sed vires & facultates deesse.

Contributio floreni duo. ART. III.

NE tamen Maiestati suæ Cæsareæ & Regiæ, eiusdemque ingentibus expensis, quas pro eorum commodo assiduò facit, etiam in hisce extremis suorumque calamitatibus desint, sed potius suam erga Maiestatem Cæsaream seruiendi promptitudinem declarent: statuerunt, vt pro hoc anno Millesimo, Quingentesimo, Sexagesimo septimo, Maiestati Cæsareæ & Regiæ, de singulis integris colonorum sessionibus, exigantur floreni duo, incluso in eis etiam lucro Cameræ. Idque in duobus terminis, quorum prior festum Natiuitatis Beatæ virginis, alter verò festum Beati Andreæ Apostoli esse debeat: ita tamen, ne possessiones illæ, quæ per Turcas, Tartarosque combustæ, aut etiam per milites Maiestatis suæ Cæsareæ & Regiæ deuastatæ sunt, dicentur, sed illis, & etiam inquilinis, Maiestas sua præsentis huius dicæ solutionem clementer remittere dignetur. Cæterùm coloni, qui in duas partes seruiunt, atque & Turcis, & Transyluanis, & fidelibus Maiestatis suæ tributa pendunt, dimidium tantum dicæ partem soluant, prout antea quoque factum fuit.

Combusti & deuastati eximuntur.

Tributarij dimidiū soluunt.

Noua connumeratio. ART. IIII.

QVOD verò Maiestas sua clementer postulat, vt noua hoc anno fiat connumeratio: Status & Ordines Regni decernunt, vt quoniam tàm in Vngariæ, quàm Sclauoniæ reliquijs, plurimæ domus & possessiones, ac loca per hæc disturbiorum tempora sunt igne & ferro vastata, colonorumq; numerus non parum diminutus, iuxta Maiestatis suæ Cæsareæ & Regiæ voluntatem, hoc anno, tàm in Vngaria, quàm Sclauonia; noua connumeratio instituatur.

De quanta parte domino terræ colonus censum soluit, de tanta Regi censeri debet.

ART. V.

DE modo connumerationis, quoniam Maiestas sua Cæsarea & Regia informata est, non leues fraudes in ea hactenus fuisse commissas: ita vt aliquæ sessiones, pro sextarijs & octauarijs censæ & dicatæ sint, quæ res fisco Maiestatis suæ non parum præiudicaret. Statutum est, vt hoc anno bona, coloni & possessiones quorumcunque dominorum & Nobilium ita censeantur & dicentur, sicuti dominis eorum terrestribus censum ordinarium soluere consueuerunt: nimirum, vt si colonus ratione eiusdem domus, in qua habitat, quartam aut sextam, vel octauam partem agrorum, fundi, seu pratorum possidet, atque etiam domino terrestri quartam aut sextam, vel octauam partem eius census soluit, qui de vna integra sessione soluitur, is etiam ratione dicæ Regiæ tantum soluat, neque per Dicatores ad plura soluenda compellatur.

Iudex possessionis de quantitate sessionis iuret. ART. VI.

ITEM statutum est, vt quemadmodum Maiestas sua Cæsarea & Regia clementer consentire dignata est, nunc quoque solius Iudicis iuramentum, tàm pro tertiarijs & quartarijs, quàm pro tota villa deponatur, ne periuria in dispendium plurium animarum multiplicentur: cum sit manifestum Iudicibus villarum, omnes sessiones integras, medias & tertiarias, vbiq; benè notas esse. Domini tamen terrestres omnino caueant, ne Iudices suos ad falsè iurandum instigent: alioquin iure mediante, per Cæsaream Maiestatem suam puniantur.

Colonos nemo ad periurium instiget.

Nobilis Dicatori adiungatur, is quoque regestum habeat. ART. VII.

DEINDE, quod Maiestas sua Cæsarea & Regia clementer requirit, vt vnus Nobilis exactori dicæ sumptu Comitatus adhibeatur: Status & Ordines Regni decernunt, id fieri debere eo modo & ordine, sicuti in constitutionibus anni Millesimi, Quingentesimi, Sexagesimi tertij fuit conclusum. Et quo rectius sinceriusque omnia peragantur: statutum est, vt iuxta Maiestatis suæ clementem postulationem, in replicatione facta, Nobilis quoque ille Dicatori adiungendus debeat habere regestum, quod peracta connumeratione rectè conscriptum, in prima sede Comitatus proferatur, illudque, vel eius exemplum per sedem reuisum, ac sigillo Comitatus obsignatum Cameræ Vngaricæ statim transmittatur. Videtur tamen Regnicolis omnino necessarium, vt etiam Dicator sit Nobilis, & habeat bona in eo, quem dicare solet, Comitatu: propterea quòd accidere sæpe solet Dicatores inita cum eis ratione conuinci, & debitores fisco suæ Maiestatis remanere. Qui si bona non habeant, modus quoq; non aderit, quo fiscus contentetur. Qua de re, etiam in proximè elapsi anni Conuentu, per Regnicolas fuit decretum, cui nunc quoque Status & Ordines Regni adhærent.

Regestum ad Cameram.

Dicator bona habeat.

Quo die connumeratio incipiat. ART. VIII.

CÆTERVM statutum est, Maiestate sua Cæsarea & Regia id benignè admittente, vt adueniente termino festi Natiuitatis Beatæ Mariæ virginis, per Comites & Vicecomites singulorum Comitatuum, Dicatores, adhibito eis (vt præmissum est) Nobile præmisso, ad connumerationem emittantur, & ipsam connumerationem, modo superius declarato, incipiant.

Turbantium connumerationem pœna. ART. IX.

STATVTVM etiam est, vt ij, qui quoquomodo connumerationem ipsam impedire ausi fuerint, pœna in superioris Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi anni Conuentu sancita puniantur. Sed quia plerumq; accidit, quòd Dicatores, & etiam alij, nonnullos fideles Maiestatis suæ, ex odio tantum & maleuolentia, confectis quibusdam causis, indebitè apud Maiestatem suam deferant, eosdemq; Maiestas sua, ad simplices etiam & falsas Dicatorum querelas, statim citandos esse iubeat, indeq; fideles Maiestatis suæ indebitè vexentur: Status & Ordines Regni, accedente Maiestatis Cæsareæ & Regiæ benigna voluntate, id pro nunc expresè decernunt, vt siue à Dicatoribus, siue ab alijs quibusuis indebitæ accusationes contingerent, falsi delatores, in pœnam talionis incurrant: ita videlicet, vt ea pœna puniantur, quæ illis infligi debuisset, quos iniustè detulerunt.

Falsorum delatorum pœna talionis.

Dicatore inuito, nemo suum salarium ex dica accipiat, Vicecomiti floreni duodecim, Iudicibus nobilium floreni quatuor, Notario vnus aut duo floreni soluantur.

ART. X.

ITEM constitutum est, ne Vicecomites, aut alij vlli salarium suum, inscio & inuito Dicatore, ex dica colonorum aut aliorum excipiant. Dignetur tamen Maiestas sua Cameræ mandare, vt per Dicatores ipsos curet, sine diuturniori mora, ijs, quibus opus est, de salario satisfieri: ita nimirum, vt Vicecomitibus singulis floreni duodecim, Iudicibusnobilium floreni quatuor, Notarijs verò in minoribus Comitatibus florenus vnus, in maioribus autem duo dentur, iuxta constitutiones anni prædicti Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi. Supplicant etiam Maiestati suæ Cæsareæ & Regiæ Status & Ordines Regni humiliter, vt cum certi Comitatus, & nonnulli ex dominis & Nobilibus, certam summam pecuniæ Capitaneis, ad vsus Maiestatis suæ bellicos mutuauerint, committere dignetur Cameræ nouæ Cassouiensi, sicuti se facturam solita sua benignitate obtulit, vt summa illa mutuata, cum productis coram eadem Camera Cassouiensi literis obligationis, in ijsque ibidem liquidatis compertum fuerit, ipsis Capitaneis in

Creditum ad vsus belli ex contributione defalcetur.

neis in vsus publicos,& commodum Maiestatis suæ,& exercitus eius, mutuo fuisse datam,absque vlteriori Maiestatis suæ informatione,per dictamCameram Cassouiensem, ex hac præsenti dica creditoribus persoluatur.

Schedarum redemptio pecuniaria prohibetur. ART. XI.

PRÆTEREA, quoniam elapsis temporibus Dicatores,non sine damno & oppressione miserorum colonorum id facere consueuerunt,vt pro singulis schedis, sine quietantijs,quas Iudicibus possessionum,super connumeratione seu dicatione dare solent, singulos binos aut quaternos,vel plures denarios acceperint,insuper etiam auenam, & alia munera ab eis extorserint. Statutum est,ne id inposterum fieri debeat, sed Dicatores contenti sint suo per Cameram constituto salario,neque quicquam aliud, quam dicam à colonis exigant: pro schedis & connumeratione nihil prorsus extorqueant. Et coloni pecuniam dicæ interim in manus Dicatoris non dent,priusquam scheda illis gratuito fuerit exhibita. Solent præterea etiam nonnulli Dicatores censum seu dicam à colonis exigere,nihilominus Cameræ in numero restantiarum exhibere; Vicecomites autem,per Cameram solicitati,vt restantias exigant, quas cum exigere voluerint, Iudices possessionum schedas proferunt,quibus sese dicam exoluisse testantur. Maiestas sua Cæsarea & Regia dignetur clementer mandare,ne coloni eo pacto affligantur, sed potius talesDicatores,qui huiusmodi restantias nondum esse collectas confingunt,suo modo puniantur. *Restantiæ fraudulentæ.*

Molitores, artifices, Valachi, Rutheni, carbonarij,qui dicentur, & qui eorum exempti esse valeant. ART. XII.

DE soluenda per molitores & artifices,ac Valachos & Ruthenos dica,Status & Ordines Regni,nunc quoq; adhærent constitutionibus anni Millesimi,Quingentesimi, Sexagesimi tertij,ac consentiente Maiestate sua,statuunt & decernunt,vt molitores,qui in medio aliorum colonorum sessiones habent, pro illis dicam soluant, qui verò non habent,de solis molendinis non soluant. A Valachis verò pecorarijs acRuthenis, media pars dicæ exigatur: si qui tamen ex Valachis exemptiones de non soluenda dica habent,ij non dicentur: neque carbonarij & alij Montanarum laboratores,qui antea quoque exempti fuisse dicuntur. Dignetur etiam Maiestas sua Cæsarea & Regia,clementer eximere molendina,in Danubio,Szawo,Drawo,Tybisco,Vago & Nittria, cæterisq; fluuijs constructa,quæ hybernis temporibus,violentia glacierum perfringi,&cum magnis sumptibus reparari solent. ITEM molendina, in quibus domini & Nobiles suos proprios molitores tenent,& quæ in magnis æstibus deficiunt, & pluuioso tantum tempore voluuntur.

Exemptiones suspenduntur,& de ijs constitutio anni Millesimi, Quingentesimi, Sexagesimi tertij seruetur. ART. XIII.

SIMILITER de exemptionibus statuunt,seruari debere Decretum in præfato anno Millesimo,Quingentesimo,Sexagesimo tertio conclusum. Exemptionem autem illorum,qui vltra Kuppam in extremis Croatiæ confinijs manent, Maiestas sua Cæsarea &Regia in Conuentum reijciat,qui absoluto isto in Sclauonia celebrabitur.

Prædiales Nobiles non dicentur, eorum homagia & iuramenta æquiparantur aliorum Nobilium Regni. ART. XIIII.

ITEM statutum est id quoque ex clementi annuentia Maiestatis suæ,vt prædiales quarumcunque Ecclesiarum,qui in Vngaria & Sclauonia, ijsdem ferè semper prærogatiuis vsi sunt, quibus alij possessionati Nobiles, & quorum homagia & iuramenta æqualiter semper cum alijs Mobilibus fuerunt æstimata, non dicentur: potissimùm quando cum ijs dominis Prælatis & Baronibus,in quorum bonis resident, personaliter, sineque sumptibus,simili cum alijs Nobilibus onere exercituare tenentur. Similiter etiam libertinis

Libertini qui eximuntur à dica.

tinis dominorum & Nobilium, videlicet, qui à dominis suis terrestribus exempti, ab antiquo cum equis suis seruire & exercituare tenentur, Maiestas sua exemptionem dare dignetur.

Lucrum Cameræ, contributione cessante, exigatur. ART. XV.

PORRO, iuxta Maiestatis suæ modernam postulationem, ac iuxta proximè elapsi anni Millesimi, Quingentesimi, Sexagesimi sexti constitutiones, per Status & Ordines Regni conclusum est, vt lucrum Cameræ deinceps singulis annis, iuxta antiquam consuetudinem exigatur & persoluatur, si quando contigerit, per annum vel plures quoq; annos nullam dicam publicari.

Restantias dicæ ab anno Millesimo, Quingentesimo, Quinquagesimo nono, vsq; in præsentem, non deuastati persoluant. ART. XVI.

CIRCA restantias dicæ conclusum est, vt illæ possessiones de quibus apertè constat, non administratam esse dicam, & quæ nondum per Turcas, aut Tartaros, aliosque hostes, siue etiam per exercitum Maiestatis suæ desolatæ sunt, Restantias ab anno Domini Millesimo, Quingentesimo, Quinquagesimo nono, vsque in hunc annum persoluant, & per Vicecomites ad id compellantur: si qui tamen iam soluerunt, ab ijs bina vice non exigatur.

Gratuitus labor incipit dierum duodecim. ART. XVII.

Gratuitus labor ad munitiones cõfiniorum 12. dierũ.

Ad Kanysa.

Arcem Papa.

DE locorum finitimorum munitione, ad quam Maiestas sua Cæsarea fideles suos Regnicolas benignè hortatur, ijdem fideles Maiestatis suæ, circa ordinem eius munitionis, nunc quoq; referunt se ad constitutiones anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi noni. Addunt tamen constitutionibus illis sex dies: ita vt coloni ipsi, iuxta modernam Maiestatis suæ Cæsareæ & Regiæ postulationem, publicamque necessitatem, duodecim dierum labores gratis præstare teneantur, modo infrascripto. Comitatus Szaladiensis, & bona dominæ Palatinissæ, ac reliquiæ Comitatus Simigiensis laborent ad Kanisa. Cuius quidem arcis munitioni libenter Regnicolæ plures colonos deputarent, visa potissimum illius loci ingenti necessitate, sed in hac confiniorum multitudine, pauci qui residui sunt Comitatus, ad multas diuersasq; operas distrahi posse nequaquam videntur. Nam Comitatus Castriferrei, qui Szaladiensi est propinquior, & cuius opera ad Kanisam deputari deberet, superioribus annis, vna cum Comitatu Sopronienſi, ad Papa fuit designatus: qui locus non est minoris importantiæ, quàm Kanisa, & ideo nunc quoque Regnicolæ, totum Comitatum isthuc laborare debere statuerunt. Sed neque Comitatum Castriferrei, ab arcis Papa laboribus, aliò auertere audent, nisi Maiestas Cæsarea & Regia benignè deliberare dignabitur, cui Comitatum illum potius adiungi & deputari sit opportunius & magis necessarium. Ex Comitatu verò Szaladiensi excipiatur Insula, quæ est inter fluuios Drauam & Muram, cum duabus extra Insulam villis, Patha & Chatar, quæ laborent ad castellum domini Comitis de Zrinio, Zegrad, quod ad insulam defendendam illam opportuno loco situm est. Albensis Comitatus ad Palotha. Vesprimiensis & alij Turcis subiecti viciniores coloni, qui non pauci esse dicuntur, ad arcem Vesprimiensem sunt deputati. Tres Comitatus in Insula, Iauriensis & Mosoniensis, ad arcem Iauriensem seruitia præstare debeant. Camaroniensis ad arcem Camaroniensem. In reliquis cis Danubium locis finitimis, per quos colonos sint muniendi, Status & Ordines nunc quoque adhærent dicti anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi noni decretis, quæ vt iuxta Maiestas suæ benignam voluntatem, nominatim specificeq; exprimantur, & repetatur prior illa constitutio, nunc decretum est hoc modo. Comitatus Saaros ad Cassouiam laboret. Abauyuariensis, & Thornensis ac Scepusiensis ad arcem Szenderõ. Gömeriensis verò laboratores suos expediat ad arces Gedõ & Baloghuara, ne illæ destitutæ, in manus hostium incidant. Heuesiensis & Borsodiensis Comitatus, cum duobus districtibus Comitatus Neugradiensis, labores suos

Zeghrad.
Palotha.
Vesprimien.
Iauriensem.
Comaronien.
Cassouiam.
Szendero.
Ghedo.
Balogh.

Agriam

Agriam præstent. Reliqua verò pars eiusdem Comitatus Neugradiensis; ad munitiones arcium Somoskô, Kekkô & Deuin adhiberi debebit. Comitatus Zempliniensis, ad munitionem arcis Sárospathak deputatus est, quùm ad illam solam tempore necessitatis refugium habeat. Comitatus Vngh, exceptis pertinentijs arcis Szerenye, laboratores suos ad Vnghuar mittat. Nittriensis & Trinchiniensis ad Nittriam, Viuar, Komiathy, & Suran, iuxta Conuentum dicti anni, seruitia sua præstent: præterquam, quòd omnia bona domini Christophori Orszagh, tam in istis duobus, quàm alijs Comitatibus existentia, laborent ad proprias arces illius finitimas. Bona verò omnia Reuerendissimi domini Archiepiscopi Strigoniensis, vbilibet, & in quibuscunque Comitatibus habita, nec non Capituli eiusdem, ac Abbatiæ Sancti Benedicti, quam idem Capitulum nunc habet, simul cum Præpositura Thurocziensi deputata sunt ad munitionem arcis Viuar. Et quia sunt in Comitatu Nittriensi bona Præpositurarum, veteris Budensis, Sagiensis & Felheuiz, quæ omnes sunt filiales Ecclesiæ Strigoniensis, decretum est, vt illæ quoque, ad eiusdem arcis Archiepiscopalis munitionem seruiant: ob id potissimum, quòd alia quædam bona, antea ad eiusdem arcis fortificationem ordinata, aliò sunt deputata. Barsiensis & vterque Hontensis, exceptis bonis dominorum Forgach, in eodem Comitatu Barsiensi adiacentibus, quæ ad Komiathi sunt designata, deinceps seruiant ad arcem Leuæ. Thuroczienis verò Comitatus, cum Zoliensi, Aruensi, & Liptouiensi, ad eiusdem arcis Leua & Korpona munitionem colonos suos expediant: exceptis bonis domini Strigoniensis, ac Capituli sui, & Præpositurarum prædictarum, vbiuis existentium. Ii tamen, qui sunt longinquiores à prædictis arcibus, Leua & Korpona, possunt conducere operarios pro pecunijs, & eò expedire. Quia tamen nulla de Comitatibus vltra Tybiscum, in Conuentu dicti anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi noni facta est mentio: statutum est, vt Comitatus Szabolch, cum duobus processibus Iudicum nobilium laboret ad Thokai, item cum duobus ad Echet: exceptis tamen bonis arci Varda pertinentibus, quæ ad munitionem arcis eiusdem sunt adiecta. Comitatus Vgocha & Beregh, ad Munkach. Szathmar Comitatus, cum processu vnius Iudicis nobilium ad Echet, alijs omnibus ad oppidum Szathmar deputatis. Comitatus Szolnak mediocris, diruto castello, quod erat in riuulo dominarum, deinceps seruiat ad Szathmar. Cæterùm Maiestas sua Cæsarea & Regia dignetur etiam laboribus & munitioni arcis Agriensis, & de sufficienti militum præsidio benignè prouidere; siquidem ea arx nunc præcipuum est Regni propugnaculum. Cæterùm hoc quoque denuo statutum est, vt qui operas ad loca necessaria non expediunt, ij per Vicecomites, vti hactenus, ita etiam deinceps suo modo compellantur; & Vicecomites in hac parte officio suo non desint, sed candidè, fideliterque curent operarum gratuitarum, ad loca suo Comitatui deputata, maturam expeditionem.

Agriam. Somoskô. Kekkô. Deuin. Sarospathak. Vnghuar. Szerenye. Nittria. Viuar. Komiathi. Suran. Viuar. Leua. Korpona. Thokai. Echet. Varda. Munkach. Echet. Szathmar. Vicecomites cogant negligentes operas præstare maturè.

Labores aliò, quàm deputati sunt, non conuertantur, sub pœna florenorum mille.

ART. XVIII.

STATVTVM etiam est, ne Capitanei, Vngari vel externi, aut alij quicunque, labores colonorum, aliò, quam nunc est definitum, conuertere, aut compellere audeant: si qui verò contrarium fecerint, mille florenorum mulcta castigentur. Quorum medietas fisco Regio inferatur, reliqua pars illius domini aut Nobilis sit, cuius coloni contra has constitutiones alio compulsi fuerunt. Qui mille floreni, vel ex stipendio Capitaneorum detrahantur, vel bona etiam defacto, vsque ad satisfactionem illius summæ, occupentur.

Capitanei inutiles operas vitent, & ad suos vsus non conuertant.

ART. XIX.

DIGNETVR tamen Maiestas sua Cæsarea & Regia clementer committere, ne Capitanei operas & labores inutiles incipiant, neque duodecim dies supradictos transgrediantur, colonosque ad proprios vsus laborare non compellant:

Continui equites intertenendi. ART. XX.

PRÆTEREA de gentibus ijs, qui continuè pro communi defensione sunt intertenendi, statutum est, vt pro hoc anno, iuxta modum & ordinem in aliis Conuentibus institutum, interteneantur, in locis tamen non securioribus, sed finitimis, & qui Turcis sunt propinquiores. Videant tamen supremi Capitanei vltra Danubium, habita cum Vicecomitibus mutua intelligentia, quibus in locis finitimis tales gentes erunt magis necessariæ, velut sunt Keſztel, ſzent György, Rayk, & Keethel, aut alia quæ videbuntur magis necessaria. Citra Danubium verò ex hac parte versus Nittriam, interteneantur in arcibus Vyuar, Suran, Leua, Komiathy, Korpona, Deuin, Kekkő, & alijs periculo vicinioribus, prout Maiestas sua postulauerit. Neque in hac re sit personarum exceptio, sed tàm per dominos, quàm Nobiles æqualiter obseruetur. Insulam tamen Challokőz, quæ est inter Danubium, commorantes, ad continuas hasce gentes tenendas non sint astricti: quandoquidem ipsi Hyemis tempore glacies in Danubio rescindere coguntur.

Continuos equites non intertenentium pœna. ART. XXI.

HIS autem, qui gentes continuas non intertenerent, iuxta priores constitutiones, nunc quoque constituunt pœnam dupli.

Victualium militibus conuectio. ART. XXII.

DE commeatu & victualibus, per colonos militibus conuehendis, nunc quoq; Status & Ordines constitutiones proximè præteriti Conuentus renouant. Ignorant tamen, vtrum demessis per milites frugibus & segetibus, conculcatisque fænilibus, reliqua quæ supersunt sufficere possint.

Particularis & generalis expeditio, vectura bombardarum, pascua equorum militum. ART. XXIII.

DE generali & particulari insurrectione, de vectura bombardarum ac modo & ordine per milites in pascuis obseruando, Status & Ordines nunc quoque ratas habent anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi sexti proximè elapsi, constitutiones. Et Maiestati Cæsareæ ac Regiæ humiliter supplicant, vt eos iuxta illas constitutiones in sua libertate conseruet, neque penes personam Capitaneorum, ad vlteriora, quam ibi fuit limitatum, cogat. In casibus tamen subitaneis, aut in expectata alicuius arcis obsidione, Status & Ordines referunt se ad constitutiones Sopronienses, anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi tertij: hoc vno excepto, quòd Nobiles vnius sessionis, de quinque curijs Nobilitaribus integris, vnum equitem mittere debeant, & soli personaliter ire non teneantur, sicuti etiam constitutiones anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi sexti continent.

In casibus subitaneis iuxta art. ann. 1553. insurgendum. Nobiles vnius sessionis de quinq; Curijs, vnum equitem mittant.

Iudicia ordinaria. ART. XXIIII.

QVOD autem Maiestas sua Cæsarea & Regia benignè fideles suos admonet & hortatur, vt de reformando ordine iudiciorum, illisque celebrandis, & iustitiæ administratione inter se consulrent. Quum per Status & Ordines Regni, proximè quoque elapso anno, ea de re tractatum conclusumq; fuerit, nunc etiam decretum illud suū renouant: adijciunt tamen, quòd licet anno, Millesimo, Quingentesimo, sexagesimo tertio, publicè statutum fuerit, vt Comitatibus partium Regni superiorum in Eperies iudicia celebrentur, & Magistri Protonotarij, cæterique domini Iudices ordinarij illùc ire deberent. Quia tamen multi ex eis, partim morbis, partim senio confecti, longum illud iter, iam nunc solenniter protestando recusant. Visum est Statibus & Ordinibus, pro maiori etiam Regni commodo & tranquillitate, vt deinceps iudicia, hîc Posonij in duobus terminis, videlicet vno, in octauo die festiuitatis sancti Georgij Martyris, & altero in octauo die festi Beati Michaëlis Archangeli incipiantur & celebrentur. Terminus verò Octauæ festi Beati Georgij Martyris, anno proximè venturo affuturi, sit illorum Comitatuum, qui

qui sunt in partibus Regni superioribus: videlicet, Scepusiensis, Saaros, Zempliniensis, Vngh, Beregh, Vgocha, Szathmar, Szabolch, Szolnok mediocris, Kraszna, Pesth, Heues, Borsod, Szolnok exterior, Abauyuar, Thorna, & Gömöriensis. In quo termino etiam iudicia authoritatem Locumtenentis concernentia, vna cum omnibus alijs causis adiudicentur: exceptis tamen causis bonorum quondam Iannis Regis. Cæteri Comitatus omnes, tàm vltrà quàm citra Danubium, vna cum Comitatu Lipthouiensi, habeant terminum iudiciorum ad octauum diem festi Beati Michaëlis Archangeli, duretque vterque terminus diebus quadraginta, exceptis festis. In Sclauonia similiter pro festo Epiphaniæ Domini iudicia celebrentur. Transmissiones autem quælibet, tàm ex Sclauonia, quàm ex alijs Regni partibus, in vtroque termino æqualiter reuideantur, iuxta priores constitutiones. Decernunt etiam, quòd iudicijs tàm ordinarijs, quàm extraordinarijs & Locumtenentiæ, intersint hi, qui in proximo Conuentu anni Millesimi, Quingentesimi, Sexagesimi sexti sunt designati. Si in tanta penuria Prælatorum & Baronum, tales ibi esse non poterunt. Nihilominus tamen in reuidendis appellationibus omnino necessarium est, vt duo ad minus Prælati, & totidem Barones; si non titulares, tamen simplices & Magnates, quod nunc statuunt, adhibitis etiam alijs Nobilibus probis & Iurisperitis viris, qui domino Locumtenenti & cæteris Iudicibus idonei fore videbuntur, interesse debeant. Et ideò vt augeatur numerus Prælatorum, Maiestas Cæsarea & Regia, dignetur Episcopatus, & Præposituras, tàm Regulares quàm Seculares nunc vacantes conferre personis congruis. Dignetur etiam Maiestas sua salarium, tam domino Locumtenenti & dominis Consiliarijs & Magnatibus, quàm Personalis præsentiæ Locumtenenti, alijsque Assessoribus, ex Camera persolui iubere, sicut in proximo Conuentu fuit deliberatum. Conqueruntur etiam nonnulli domini Prælati & Barones, à pluribus annis nihil ipsis esse solutum; & si iudices non conuenerint (quod si eis non soluetur facile euenire poterit) nulla erunt iudicia. Licet autem Maiestas sua Cæsarea & Regia informata sit, in reuisione causarum extraordinarium nulla vnquam salaria fuisse data: tamen benignè nosse dignetur, quod tempore iudiciorum ordinariorum, Magistris quidem Protonotarijs nihil soluitur; si quidem illi tunc ex redemptionibus literarum aliquid prouentuum habent: sed in causis extraordinarijs quando vocantur, ipsis quoque non secus quouis tempore, ac Assessoribus, & alijs dominis Prælatis & Baronibus salarium consuetum dari consueuit: quod vt Maiestas sua Cæsarea & Regia, tàm ipsis, quàm dominis Prælatis & Baronibus, vti antea, ita nunc quoque persolui iubeat, Status & Ordines Regni humiliter supplicant.

Simplices Prælati iudicijs adhibentur.

Prælaturæ conferantur.

Salaria Iudicibus exoluatur.

Protonotarijs nihil soluitur in Octauis: Soluitur extra Octauas.

Ecclesiastica Iudicia. ART. XXV.

IN foro etiam Spirituali & Ecclesiastico, prout antea suis modis & temporibus, iudicia eo pertinentia, iuxta Canones suos semper celebrentur.

Iudicijs qui interesse debent. ART. XXVI.

QVOD autem Maiestatis suæ benigna voluntas est, vt domini Prælati & Barones, qui iudicijs intersint, expresiè nominati, articulis huius Conuentus inserantur. Visum est Statibus & Ordinibus Regni, vt cum alij Prælati non haberentur, vel legitimè impediti interesse nequeant, iudicijs ipsis intersint, Stephanus Mathesy Præpositus Iaurienfis: ex Baronibus verò, vnus ex dominis Reuay, aut dominus Emericus Czobor: ex hominibus autem domini Strigoniensis Archiepiscopi, vnus iuratus, quem ipse constituerit. In appellationibus verò penes dominum Locumtenentem, adsint, dominus Iudex curiæ, dominus Episcopus Transyluaniensis, & dominus Franciscus Forgach Præpositus Posoniensis, dominus Michaël de Mere, dominus Stephanus Dobo, & dominus Christophorus Bathiany, & si qui alij ex dominis Consiliarijs & Magnatibus si tunc hic fortè adessent. Quòd si vnus aut alter ex his, aut morbo, aut alia legitima causa impeditus interesse nequiret, dominus Locumtenens, communicato consilio cum dominis Consiliarijs, quos Maiestas sua penes eum reliquerit, habeat potestatem eligendi in locum

Stephanus Mathesy. Reuay. Czobor. Archiepiscopi homo. Consiliarij appellationi interesse possunt. Locumtenens loco absentum alios substituit

Locumtenens vltra colonos 32. non conferat: neq; bona ad aliquam arcē pertinentia.

in locum illorum absentium, aliquos ex potioribus dominis, ne iudicia intermittantur. Præterea Maiestas sua Cæsarea, dignetur etiam dominum Locumtenentem, quando ex hoc Regno in alias partes profecta fuerit, tàm in conferendis bonis, quàm alijs rebus, sicuti Maiestas sua se facturam gratiosè obtulit, cum eadem authoritate & dignitate, de qua literas Maiestatis suæ habet, relinquere, qua priores Locumtenentes, iuxta veterem Regni libertatem, semper vsi sunt: dummodo in collatione bonorum non excedat numerum sibi ex antiqua consuetudine competentem, neque se in collationem bonorum ad arces pertinentium ingerat.

Procuratores iuramentum præstent. ART. XXVII.

QVONIAM verò Procuratores diuersis artibus solent causantes huc illuc distrahere, & nonnunquam cum parte aduersa commercium quoddam occultum habere. Visum est Regnicolis, vt ad cauendas quaslibet fraudes, Procuratores ipsi, tàm in sedibus Comitatuum, quàm coram Iudicibus ordinarijs, inanes friuolasque exceptiones, quæ nihil omnino ad rem faciunt, sed tantum temporis extrahendi causa, praua quadam consuetudine sunt introductæ, omittant, & iuramentum præstare debeant, quod vocatur calumniæ. Ita videlicet, quòd scienter & calumniosè nullas causas, quæ essent iniustæ, suscipient, neque illis contra iura Regni Vngariæ patrocinabuntur, neque vllo pacto cum parte aduersa colludent, sicuti hoc in foro etiam Ecclesiastico, & alijs prouincijs fieri consueuit. Similiter etiam Fiscalis seu Director causarum Maiestatis suæ, iuramentum præstet calumniæ: dummodo non sit duplex, & contrarium illi, quod iam Maiestati suæ præstitit: iuretque scienter non suscepturum vel acturum causam quampiam iniustam, nec quam aget, illicitis atque indebitis protelationibus temerè in longum protrahet. Si verò aliquos muneribus illectos contrarium facere, & cum parte aduersa colludere compertum fuerit, ij iure conuicti, pœnam auctariorum subeant, & per Maiestatem suam seuerè puniantur. Extranei quoq; Procuratores, in foro Spirituali & seculari causas simplicium agentes, multas collusiones, priuati commodi & lucri gratia, instituere perhibentur, pœnam auctariorum iuxta hoc Regnum non formidantes. Ideò si aliqui eorum sunt beneficiati, amissione beneficij per Ordinarium suum defacto puniantur, & siue etiam beneficiati fuerint, siue non, vtrique de facto per eundem perpetuis carceribus, tanquam falsarij & periuri, mancipentur.

Forma iuramenti Procuratorum.

Director iuret de calumnia.

Collusor pœnā subit auctariorum.

Collusor beneficiatus amittit beneficium, & incarceratur.

Comites, supremi Capitanei, Locumtenens, requisiti pro executione sententiæ, executionem faciant; alioquin Capitanei officium amittant.

ART. XXVIII.

CÆTERVM quoniam Maiestas sua Cæsarea apprimè nouit, frustra fieri iudicia, nisi etiam executio & iustitiæ administratio statim subsequatur. Executiones verò iudiciorum hactenus vt plurimum neglectæ sunt. Status & Ordines Regni Maiestati suæ Cæsareæ supplicant humiliter, dignetur clementer efficere, vt iudiciorum & sententiarum executiones, præhabitis prius alijs iudiciorum processibus, per Capituli & Regium homines fiendis; si postea Comes, vel etiam Vicecomes ad id non esset sufficiens, per supremos Capitaneos, qui videlicet cum literis Maiestatis suæ, vel domini Locumtenentis requirentur, statim ad finem deducantur, tàm contra Maiestatis suæ, quàm aliorum colonos, & alios cuiusuis conditionis homines. Quòd si Capitanei id non facerent, officium illicò amittant, prout antea quoque in anno Domini Millesimo, Quingentesimo, Sexagesimo tertio, publicè est statutum. Et Maiestas sua tales Capitaneos, qui id facere recusarent, officio priuatos punire, & alios substituere dignetur.

De calamitatibus à Regno propositis, Maiestas sua per tripartitos Commissarios inquirat. ART. XXIX.

PORRO cum manifestum sit, tàm in hoc, quàm alijs Conuentibus, per fideles Maiestati

statis Cæsareæ Regnicolas, multa grauamina & oppressiones, ac calamitates, in medium esse productas, quas ipsi à Capitaneis militum Maiestatis suæ; tàm Vngarorum; quàm externorum, tàm supremis, quàm ab alijs inferioribus passi sunt, & quotidiè patiuntur, prout Maiestas Cæsarea ex particularibus supplicationibus clementer intelligere dignata est. Ex benigna Maiestatis Cæsareæ & Regiæ annuentia, statutum est, vt tripartiti Commissarij, & Vngari, & Germani decernantur, quorum prima pars ad Vltradanubianos, secunda Citradanubianas Regni partes, decem videlicet Comitatus domino Dersffij subiectos, tertia verò Cassouiam, & adiacentem illic Regni partem expediantur: qui faciant veram & omnimodam medio Vicecomitis & Iudicumnobilium, inquisitionem, de damnis, cædibus, stupris violentijs, alijsque maleficijs, per Capitaneos & milites, tàm Vngaros, quàm Germanos, vbicunque factis & patratis. Eam verò inquisitionem Commissarij candidè & syncerè ac fideliter Maiestati suæ Cæsareæ quam primum proponant, quæ postea habito cum dominis Consiliarijs suis tractatu, de rebus per Commissarios repertis deliberet, & eos qui merebuntur, ablato à Capitaneis malefactoribus officio, seuerè puniat, & de illatis damnis satisfactionem impendi faciat. Ad auertenda tamen huiusmodi militum facinora plurimum momenti adferret, si Maiestas Cæsarea cum primis clementer curabit, sicuti se facturam obtulit, vt tàm Capitaneis, quàm militibus, continuè & expeditè inposterum solutiones fiant. De ijs tamen Capitaneis & militibus, qui nunc hîc præsentes sunt, & contra quos publicè per certos Comitatus querelæ sunt productæ, ac testimonio Capituli & Regij hominis verificatæ, hîc statim Maiestas sua ius & iustitiam administrare facere dignetur.

Rex Capitaneos iuxta eorum demerita puniat.

De præsentibus sub Dieta Capitaneis iustitiam administret.

Rascianos, & alios dubiæ fidei homines, ac aliòquin de societate Turcica suspectos, nemo Capitaneorum, sub pœna infidelitatis, teneat, aut tueatur; & pœna talium.

ART. XXX.

SOLENT etiam nonnulli ex Capitaneis, nimia habendi cupiditate illecti, vagos quosdam, & dubiæ fidei homines, peditesque Rascianos, ac eius farinæ maleficos tenere, per quos licet Capitaneis ipsis, lucrum aliquod adferatur; tamen & miseram plebem crudelissimis supplicijs afficere & occultum, detestabileque commercium cum Turcis, & alijs Rascianis apud Turcas morantibus habere consueuerunt: ita vt Christianos pueros & homines furtim captos, aliasque res à colonis nefariè excruciatis ablatas, Turcis diuendere non formident. De talibus statutum est, vt nemo Capitaneorum, vel in Vngaria, vel in Croatia, & Sclauonia huiusmodi plagiarios, siue Rasciani, siue alij de Turcica societate suspecti homines fuerint, sub nota infidelitatis tenere aut tueri audeat. Si qui contrarium fecerint, Maiestas Cæsarea, adempto ab illis officio, grauiter in eos animaduerti faciat. Pedites verò tales, ab eis per quos capi poterunt, habita de eorum furtis, latrocinijs, Turcicoque consortio sufficienti probatione, palis affigi, & vltimo supplicio affici debeant. Capitanei etiam certorum confiniorum, solent quibusdam exquisitis prætextibus, miseros colonos capere, ac in vincula & carceres conijcere, illisque mortem comminari, non aliam ob causam, nisi quòd aliquid ab eis extorquere possint, neq; eos dimittunt, nisi vina aut pecora, vel pecuniam, aliaq; eis munera offerant: quod Maiestas Cæsarea clementer dignetur interdicere, ac huiusmodi pauperum oppressores acriter punire. Vicissim tamen, si coloni ipsi Turcis quoque & Christianis subiecti, Turcarum excursiones celare, & è contra militum Maiestatis suæ profectiones vbique prodere non formidauerint, in tales colonos ad requisitionem Capitaneorum, domini terrestres iure mediante, prout merebuntur, animaduertant: quod si domini terrestres non fecerint in hac parte suum officium, cum liceat id facere Capitaneis. Cæterùm milites qui in seruitijs Maiestatis Cæsareæ ac certorum dominorum, & Nobilium, maleficia aliqua fecerint, vel aliàs aliquo indebito prætextu illis relictis, clàm aufugerint, vbicunque depræhensi fuerint, capi, & iure mediante puniri possint.

Capitanei miseram plebem non vexent carceribus.

Capitaneus colonos alterius, eo casu puniat, si dominus terrestris punire nollet.

Milites scelerati vbi capiuntur, ibi et puniantur.

Lelesziensis Præpositure bona opposita. ART. XXXI.

SVNT præterea certa beneficia Ecclesiastica, vtpote Præpositurae Regulares & Secula-

Sæculares, ac Conuentus & Abbatiæ, quas his temporibus vacare contigit. Quæ quidem partim in manibus Capitaneorum Maiestatis suæ, partim verò aliorum Secularium hominum habentur. Nam Præpositura Lelesziensis iam adeò destructa est, vt in eo Conuentu, vix etiam literæ Procuratoriæ constitui, ne dū maiores executiones fieri queant. Quæ res ideò fit, quòd dominus Lazarus à Schwendy, generalis Capitaneus, bona eius, ex quibus Conuentus sustentabatur, partim Alexandro Nagy Mihali, partim Francisco Wekey, partim verò Petro Panka, oppignorauit; quod commodo & tranquillitati Regni, non parum obesse videtur. Priuilegia siquidem Statuum & Ordinum, in huiusmodi Conuentuum Sacristijs reposita, non sine Regnicolarum pernicie amitti solent. Tandem variæ in iudicijs fiunt exceptiones, Conuentum non esse integrum, & literas eius ideò nullum habere vigorem. In conuentu quoque S. Saluatoris de Kapornak; Item de Iaszow, similis abusus fit. Alia etiam beneficia Ecclesiastica, vt sunt Præpositura veteris Budensis, Abbatiæ S. Gothardi, de Borsmonostra, de Bozok, sunt omnes in manibus Secularium personarum. Quibus abusibus, ordo Ecclesiasticus sensim abolescit; quo confuso necesse erit etiam alios ordines confundi. Itaque Maiestati Cæsareæ & Regiæ Status & Ordines Regni humiliter supplicant, dignetur de huiusmodi Præposituris & Conuentibus, tàm Regularibus, quàm Secularibus, personis idoneis, nec exteris, qui earum curam gerant, conferendis, clementer prouidere, ne illis per Seculares distractis, amitti Nobilium priuilegia possint, & executiones suo modo fieri nequeant. Bona autem Ecclesiastica per Capitaneos, & Ecclesiasticos etiam quibuspiam impignorata, Maiestas sua dignetur Ecclesijs suis restitui facere: & qui pro eis pecuniam mutuarunt, quærant ab eo cui mutuum dederunt. Res etiam argenteas, & alias mobiles Ecclesiarum, quæ vel apud Prælatos, vel alios quoscunque habentur, Maiestas sua mandet restitui, Et si qui habent ex Prælatis Præposituras, & alia beneficia, per suam Maiestatem ad subeunda eorum onera compellantur, neque etiam quibusuis Prælatis, aut alijs liceat bona Ecclesiastica oppignorare, aut diuendere; & oppignorationes ac venditiones hactenus factæ, sint inuigorosæ: prout sese Cæsarea Regiaq; Maiestas, clementer obtulit, quòd accedente consilio, ac voto fidelium suorum Consiliariorum Vngarorum, ita prouisura sit, ne Ordines ac Status Regni iustam & legitimam conquerendi causam habere queant.

Kapornak. Iaszou. Præposituræ veteris Buden. S. Gothardi, Borsmonostra, Bozok. Confuso ordine Ecclesiastico, confundi cæteros ordines necesse est. Ecclesiastica bona oppignorata reddantur. Et fœneratores suam pecuniam repetant ab ijs quibus dederūt. Ecclesiastica bona non impignorentur.

Bona ad confinia occupata esse, quomodo aliquis edoceat.

ART. XXXII.

EODEM modo supplicant Maiestati suæ Status & Ordines Regni, vt bona, tàm Ecclesiarum, quàm aliorum quorumlibet, per Capitaneos vbicunque violenter ablata, tàm ea, quæ ad arces Maiestatis suæ occupatiuè tenentur, quàm alia quælibet, illis ad quos pertinent, fidelibus Maiestatis suæ iam tandem reddi & restitui iubere dignetur, sicuti aliàs publicè fuit supplicatum. Qua in re Status & Ordines Regni vnanimiter statuerunt, vt certi Commissarij ordinentur, qui vna cum aliis, quos Maiestas Cæsarea eis adiunget, ac vno ex Magistris Protonotarijs, adhibitis penes se Vicecomite & duobus potioribus Nobilibus eius Comitatus, in quo fiet inquisitio, medio Iudicumnobilium & Iuratorum, mandatum habeant de talibus bonis diligenter & fideliter inquirendi, ea ratione, vt ibi in Comitatu, in quo ea, quæ reddi postulabuntur, bona sita sint, Conuentum promulgent, in quo, hi qui bona sua repetituri sunt, vel testibus sufficientibus, per Iudices nobilium sub stricto iuramento conquirendis, vel priuilegijs comprobare debebunt, bona directè ad se pertinere. Ac sic collectis testimonijs Iudicumnobilium, ea testimonia, seu fortè priuilegia, sub sigillo Comitatus, ac sub eorum iuramento, ad Commissarios præfatos referant. A quibus Maiestas sua Cæsarea, accepta & intellecta informatione bona, quæ meritò restituenda erunt, statim & de facto restitui curabit. Et postquam restituta his fuerint, ad quos de iure spectant, ac talia bona fuerint, quæ sine magno detrimento ab arce aliqua Maiestatis suæ abalienari non possent, Maiestas Cæsarea & Regia, restitutis prius bonis, deinde per voluntariam

Facto documēto restituātur.

transactionem & concordiam, si qui id facere sponte voluerint, de his bonis, quæ Maiestati suæ videbuntur permutandis, aut aliter transigendis, clementer tractari facere dignabitur. Specialiter autem Maiestas Cæsarea & Regia ex gratia sua admisit, vt oppidum Liszka cum pertinentijs, Præposito & Capitulo Scepusiensi, ac bona Beregh & Wari, Michaël Bidi, per Commissarios præfatos, quando liquidò compertum fuerit ea ad illos pertinere, statim reddantur, absque eo, quòd res prius ad Cæsaream Regiamque suam Maiestatem per informationem referatur. Bona autem reliqua, siue sint ad Maiestatis suæ arces, siue per Barones & Nobiles occupata, de quibus dubium esset, sintne restituenda, nec ne, in ius ordinarium sunt reiecta. In quo etiam iudicio, vt summariè procedatur, & lata sententia, absque mora executioni demandetur, Maiestas sua Cæsarea benignè statuere velit.

Lyszka, Beregh & Vari dominis suis restituantur.

Bonorum quorundam cognitio ad processũ ordinarium reiecta.

Neutralium status & conditio, eorumque bonorum. ART. XXXIII.

QVOD ad istos attinet, qui neutri parti, præter expressam Maiestatis suæ voluntatem & concessionem adhæserunt, de ijs, iuxta Decretum publicum, anno Millesimo, Quingentesimo, Sexagesimo tertio, tempore scilicet felicis coronationis Maiestatis suæ promulgatum, nunc quoque ex benigna Maiestatis suæ voluntate, statutum est, vt illa constitutio maneat in suo vigore, quo ad occupationes, vsque ad illud tempus factas. Eæ verò occupationes, quæ post illum Conuentum, per Imperatorem à Maiestate sua bonorum huiusmodi neutralium sunt factæ, suo in loco relinquantur, neque talibus, qui post tempus illud neutralitatem sunt secuti, bona reddantur.

Commissarij delegati ad inquirendum de bonis dubiis. ART. XXXIIII.

VIDETVR autem Commissarius cis Danubium in decem Comitatibus, domino Dresffij subiectis, idoneus fore dominus Ladislaus Banffij, aut dominus Emericus Czobor: ad partes verò superiores dominus Franciscus Thurzo, aut vnus ex dominis Reuay: vltra Danubium verò dominus Ioannes Pethő, aut dominus Franciscus Thöuök. Locus vbi conueniat cis Danubium in dictis decem Comitatibus, erit oppidum sancti Benedicti de Iuxtagron: ad partes verò superiores, oppidum Lelesz: vltra Danubium verò Papa. Terminus autem, decima quinta dies Augusti.

Commissarijs sumptus administrandus. ART. XXXV.

DIGNETVR autem Maiestas sua Cæsarea & Regia, sicuti clementer se facturam obtulit, dominis Commissarijs, de dandis sumptibus benignam curam habere. Magistris autem Protonotarijs & Vicecomiti, ac Nobilibus, quos Commissarijs Regnicolæ adiungendos censuerunt, Comitatus illi, in quibus inquisitio fiet, de sumptibus, & alijs prouidebunt.

Tricesimarum Kiswarda & Tokay, malignitas. ART. XXXVI.

CONQVERVNTVR etiam Regnicolæ de Tricesimis quæ per homines Maiestatis suæ, passim in hoc Regno sunt indebitè constitutæ, sicuti in Kisvvarda & Thokay; vbi etiam à Nobilibus, qui varia ad proprios & domesticos vsus, vltra Tybiscum deducunt, vel quando allodiaturas suas, intra vel extra Regnum ad vendendum deduci curent, aut quando pauperes coloni, de vno foro in aliud aliquas res deferunt, Tricesima exigi solet. Similiter etiam in partibus Morauiæ & Austriæ, quando ab Vngaris aliqua victualia, ad vsus proprios, Viennam, aut aliò mittuntur, indebitæ Tricesimæ & Telonia extorquentur. Idemq; fit etiam in Sclauonia. Status & Ordines Regni Maiestati Cæsareæ & Regiæ humiliter supplicant, vt cum à talibus ab antiquo, intra & extra Regnum nulla Tricesima, nullumq; Telonium fuerit exactum, dignetur antiquam eorum libertatem nunc quoque inuiolatam seruare, & mandare, ne talia fiant.

Tricesimatorum seueritas in censura schedarum. ART. XXXVII.

PER Tricesimatores alijs etiam abusus mali in Regnum sunt introducti. Ante enim, etiamsi negociatores centum vel ducentos boues ad Tricesimam conducebant, Tricesimatori pro scheda, non amplius, quàm duo denarij soluebantur: nunc verò per eos, pro singulis bobus octo denarij exiguntur, non quidem in vsus Maiestatis Cæsareæ, sed proprios. Præterea etiam ex salibus, qui ex Polonia deferuntur, supra solutionem Tricesimæ, quæ Maiestati suæ exigitur, Tricesimatores certam partem pro seipsis excipiunt: ita quòd negociatores his grauati, à conductione mercium, non sine fisci detrimento, abalienentur. Dignetur itaque Maiestas sua his etiam abusibus auertendis benignè prouidere.

A vini vasis singulis floreni exactio cesset: & cuilibet in bonis suis vina educillare permittitur. ART. XXXVIII.

ILLVD etiam non sine summo grauamine Regnicolarum, in partibus superioribus fieri consueuit, quòd nemini dominorum aut Nobilium, aut liberarum ciuitatum, vina sua propria vel empta, vel in suis vineis procreata, vel colonis, vel alijs vendere licet, nisi cum licentia Administratoris prouentuum Maiestatis suæ, qui pro singulis, singulos sex florenos prius solet exigere. Similiter etiam prohibitum est, ne quispiam in suis proprijs bonis, vina sua educillare audeat; quæ insuetata consuetudo, anno tantum præterito excogitata est. Supplicant Status & Ordines Regni humiliter, vt sicuti Maiestas sua Cæsarea in replicationibus suis clementer admisit Regnicolis, posthac libera sit facultas vinum in externa Regna exportandi: nec fiat illa, de qua tantopere conqueruntur, pro singulis vasis, singulorum sex florenorum exactio. Item & vina quoque liberè quisque in bonis proprijs educillet.

Violentiarum patratores sub Dietis, notam infidelitatis incurrunt. ART. XXXIX.

Refer hunc ar. ad Vlad. Secū. art. 4.

QVONIAM autem diuersi Regnicolæ fideles Maiestatis suæ Cæsareæ in hac Dieta congregati conqueruntur, ipsis hîc existentibus, quosdam Capitaneos & milites, domos seu curias suas Nobilitates violenter inuasisse, ibique varia malorum genera perpetrasse. Ne hoc inposterum fiat, neue fideles Maiestatis suæ, dum in Dieta fuerint, per potentiores opprimantur: statutum est, vt quicunque tales violentias sub Dieta fecerint, vel domos & bona eorum, qui Dietæ intererunt, inuadere, aut alia illis violentiarum genera temerè inferre ausi fuerint, ij extra omnem seriem, in causam conueniri possint, & iure conuicti, notam infidelitatis incurrant: sicuti in Decreto quoque serenissimi olim Vladislai Regis fuerat constitutum. Curiæ etiam Nobilitares dominorum & Nobilium ac Ecclesiasticorum, iuxta antiquam libertatem Regni, à condescensu militum, tàm internorum, quam externorum sint exemptæ.

Dietis interessentibus violētias inferētes, notam infidelitatis incurrunt.

Curiæ & domus Ecclesiasticarum personarum, dominorum & Nobilium à condescensione militū liberæ sint.

Supplicatio, vt Status in suis libertatibus conseruentur. ART. XL.

DEINDE supplicant Status & Ordines Regni Maiestati Cæsareæ & Regiæ humiliter, dignetur tàm in ijs præmissis, quàm aliis antiquis libertatibus, tàm dominos Prælatos, Barones, & Nobiles, quàm liberas Montanasq; ciuitates benignè conseruare: tum etiam illud clementer mandare, ne sicuti hactenus, ita deinceps quoq;, mandata aliqua ex Cancellaria Germanica in Vngariam expediantur: quæ non tantum literis Vngaricis, sed antiquæ etiam Regni libertati, nonnunquam sunt contraria; atque adeo benignè iubere, vt quemadmodum se facturam clementer obtulit, literæ illæ quæ ex Aula Maiestatis suæ expediendæ erunt in Vngariam, in negotijs iura & libertates Regni purè & simpliciter concernentibus, non aliunde, quam ex Vngarica Cancellaria expediantur, & huiusmodi literæ ab omnibus, cum debita reuerentia recipiantur.

Cācelaria Vngarica & non Germanica literas expediat

Iudices belli caueant iudicare quempiam de iuribus possessionarijs quorumcunque. ART. XLI.

HOC

Hoc quoq; Status & ordines Regni Maiestati Cæsareæ, cum summo animi dolore coguntur proponere, quomodo certi Capitanei confiniorum, & gentium Maiestatis suæ, inauditum & inusitatum iugum, contra libertates Regni, maximè in partibus Regni superioribus introduxerunt. Nam constituti sunt ab illis certi Iudices bellici, qui non tantum casus, qui in castris & exercitu contingunt, dijudicare solent, sed etiam bona & iura Nobilium possessionaria, propria authoritate adiudicare, & lata vtcunque sententia, alijs, præter viam antiquæ consuetudinis & iurium Regni attribuere audent. Propterea supplicant Status & Ordinis Regni Maiestati Cæsareæ & Regiæ humiliter, dignetur clementer prohibere, ne hoc deinceps fiat, & iudicia ac sententiæ per huiusmodi Iudices bellicos de iuribus possessionarijs latæ inualidentur, neq; quicquam vigoris obtineant. Causantes autem requirant suos competentes ordinarios Iudices.

Bona ad Austriam impignorata per aliquos Regnicolas redimi possint.

ART. XLII.

PRÆTEREA fideles Maiestatis Cæsareæ Status & Ordines Regni Vngariæ, silentio præterire non possunt, quin Maiestati suæ, vti in alijs Conuentibus, ita nunc quoque humiliter supplicent, vt quemadmodum sacratissimus, olim Cæsar FERDINANDVS, dominus noster clementissimus, benignè se facturum obtulerat, Maiestas quoque sua Cæsarea clementer efficere dignetur, vt arces Kőszegh, Frakno, Kabold, Kis Marthon, Szarukő, & alias quæ olim ad Austriam fuerunt impignoratæ, fideles Maiestatis suæ Vngari, quibus ad id facultas erit, possint ad se redimere, & rursus ad Vngariam recuperare: postquam Regnicolæ per Turcas, maiori ex parte, sedibus pulsi, vix habent quo confugiant: quum in alijs Regionibus, in cætum Prouincialium, vel ægrè, vel nullo modo admittantur. Interim nihilominus possessores dictorum locorum, præstent ea onera, quæ debent in medium Vngarorum, sicuti id tempore quoque impignorationis fuit reseruatum. Et quum istæ arces sint membra & pars Regni Vngariæ, & decimas quoque Episcopatui Iauriensi quottannis reddant: visum est Regnicolis, vt vina in pertinentijs illarum procreata, in Vngariam deuehi, & istic diuendi queant; saluo tamen interdicto inductionis vinorum, in alijs partibus externis procreatorum. Sicuti de his Maiestas sua Cæsarea cum fidelibus suis Austriacis, per primam occasionem se tracturam gratiosè obtulit.

Vina ex pertinentijs ad Austriam impignoratis, in Vngariam deuehi possunt.

Scepusiensia bona, à Rege Poloniæ, primo quoq; tempore vt redimantur, curandum.

ART. XLIII.

SIMILITER Maiestas sua Cæsarea clementer deliberare dignabitur, num quæ ratio inueniri queat, tredecim illa oppida terræ Scepusiensis, cum bona voluntate serenissimi Regis Poloniæ, ac sine motu & tumultu aliquo, ad sacram hanc Regni Coronam redimendi. Quoniam benè scit Maiestas sua, quòd non sit ex vsu eiusdem Regni, loca illa ab ipsius Regni corpore tam diu separata manere.

Differentiæ inter Nicolaum Iurissith, & vicinos Nobiles, oppido Koszeg cognoscantur. ART. XLIIII.

CONTROVERTVNTVR etiam, inter dominum Nicolaum Iurissitth, Capitaneum in Kőszegh, & certos Nobiles Comitatus Soproniensis & Castri ferrei, differentiæ quædam super certis metis & territorijs, ac ratione cuiusdam terræ Szekfölde appellatæ; super qua etiam literæ adiudicatoriæ, tàm ex Germanica, quàm Vngarica Cancellaria extradatæ apud certos Nobiles extare dicuntur, adhuc tamen inexecutæ: dignetur Maiestas Cæsarea & Regia mandare, vt literæ illæ adiudicatoriæ executioni demandentur, & differentiæ omnes inter dictos Comitatus, & Nicolaum Iurissitth, medio aliquorum Commissariorum, ad certum ter-

minum per Maiestatem suam præfigendum, reuideantur & complanentur. Non dissimiliter etiam dignetur Maiestas sua, ad certum terminum Commissarios constituere, communicato negotio, cum serenissimo Principe domino Carolo Archiduce Austriæ, fratre Maiestatis suæ charissimo, domino eorum gratiosissimo, & limites ac metas inter Sclauoniam & Styriam, vel Carniolam reuideri facere, & imperare, vt quælibet pars suis finibus sit contenta.

Limites Regni Sclauoni & Carinthiæ reuideantur.

Moneta Vngarica redigatur ad ligam & gradum monetæ Germanicæ.

ART. XLV.

PORRO Status & Ordines humilimè supplicant Maiestati Cæsareæ & Regiæ, vti domino eorum clementissimo, quemadmodum in superioribus Conuentibus fuit publico nomine supplicatum, vt Maiestas sua benignè modum inueniat, quò moneta Vngarica, absque damno Regnicolarum, Viennæ, & in alijs locis recipiatur & exponi possit. Hactenus enim in singulis talleris, florenis etiam Vngaricis, singulorum decem denariorum damnum pati coacti sunt; licet ipsis tum pro stipendio, tum pro alijs rebus & debitis, talleri pro vno floreno ex Camera dari & numerari consueuerint. Et quoniam Maiestas sua Cæsarea clementer fidelibus suis proponit, se in ea parte eis consulere aliter non posse, nisi ipsi etiam publico voto atque Decreto consentiant, posthac in Vngaria eiusmodi monetam cudi debere, quæ proportionabiliter eiusdem sit ligæ & valoris, cuius est illa, quæ ad præsens in vniuersa Germania atque Boëmia cudi solet. Status & Ordines Regni Maiestati suæ supplicant humilimè, dignetur, habito cum dominis Consiliarijs suis superinde tractatu, homines idoneos constituere qui monetam eiusdem ligæ, in Vngaria quoque cudi curent, quæ cum Germanica æqua ratione concordet, illæque imagines ab antiquo in Vngaria vsitatæ imprimantur.

In moneta imprimantur veteres imagines

Maiestas sua Cæsarea, vel in Vngaria resideat, vel in prouincijs Vngariæ proximis.

ART. XLVI.

FVIT præterea antiquitus moris & consuetudinis in Vngaria, ac Decretis etiam Regni constitutum, quæ res cum sit præcipua, primo loco commemoranda erat, quòd Maiestas Regia, inter fideles suos Regnicolas continuam faceret residentiam: quæ res, magno eis non tantum solatio & voluptati, sed & commodo & vtilitati fuit. Quippe, quòd in rebus vrgentibus Maiestatem Regiam in propinquo existentem, de facto requirebant, quæ etiam illis opem ferre solebat. Itaque supplicant Maiestati suæ humilimè Status & Ordines, nunc quoque Maiestas sua Cæsarea clementer curare dignetur, vt pro maiori parte, inter eos residere, vel in tali vicinio & opportuno loco, vnde postulante necessitate, paruo temporis spatio, tum ipsa in hoc Regnum suum recurrere, tum fideles Regnicolæ ad Maiestatem suam peruenire possint, nec Maiestatem suam Cæsaream ad remotissimas regiones sequi cogantur.

CONCLVSIO.

NOs itaque præmissa supplicatione fidelium subditorum nostrorum, dominorum Prælatorum, Magnatum, Nobilium, cæterorumq; Statuum & Ordinum huius Regni nostri Vngariæ, & partium ei subiectarum, clementer admissa, prædictos vniuersos & singulos articulos, præsentibus literis de verbo ad verbum inseri & inscribi fecimus, eosdemq; ac omnia & singula in eis contenta, ratos, gratos & accepta habentes, eisdem nostrum Regium consensum beneuolum, pariter & assensum præbuimus, illosq; & quæuis in eis contenta, authoritate Regia acceptauimus, approbauimus, ratificauimus & confirmauimus: offerentes nos clementer, quòd præmissa omnia, in omnibus punctis, clausulis & articulis, tàm nos ipsi inuiolabiliter obseruabimus, quàm per alios omnes fideles, officiales, & subditos

tos nostros, cuiuscunque status & conditionis existant, obseruari faciemus: imò acceptamus, approbamus, ratificamus & confirmamus, harum nostrarum vigore & testimonio literarum mediante. Datum Posonij vigesima septima die Iulij, anno Domini, Millesimo, Quingentesimo, Sexagesimo septimo; Regnorum nostrorum, Romani Quinto, Vngariæ & aliorum quarto, Boëmiæ verò decimo nono.

MAXIMILIANI IMPERATORIS ET REGIS DECRETVM, ANNO DOMINI M. D. LXIX. Posonij editum.

NOs MAXIMILIANVS Secundus, diuina fauente clementia, electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Vngariæ, Boëmiæ, Dalmatiæ, Sclauoniæ, Croatiæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Comes Tyrolis, &c. Memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes quibus expedit vniuersis, quòd fideles nostri, domini Prælati, Barones, Comites, Nobiles, cæterique vniuersi Status & Ordines Regni nostri Vngariæ, & partium ei subiectarum, in generali eorum Conuentu, per nos ad primum diem mensis Augusti, anni præsentis, Millesimi, Quingentesimi, Sexagesimi noni, eis indicto, in ciuitate nostra Posoniensi, ad mandatum nostrum congregati, exhibuerunt & præsentauerunt nobis infrascriptos articulos, in eodem Conuentu communibus & vnanimis ipsorum votis & suffragijs, generaliq; consensu conclusos: supplicantes nobis humiliter, vt vniuersos & singulos eos articulos, omniaque & singula in eis contenta, ratos, gratos, & accepta habentes, ac nostrum illis Regium præbentes consensum, authoritate nostra Regia clementer acceptare, approbare, confirmare, atque tàm per nos ipsos obseruare, quam per alios omnes, quorum interest, obseruari facere dignaremur. Quorum quidem articulorum tenor talis est.

Quæ Regia Maiestas proposuit suis fidelibus, Status ea intellexisse se perhibent.

ART. I.

QVÆ sacratissima Romanorum Cæsarea, ac Vngariæ, Boëmiæ, &c. Regia Maiestas, dominus noster clementissimus, fidelibus Statibus & Ordinibus Regni sui Vngariæ, ad præsentem hunc Conuentum generalem conuocatis, dato eis rerum & negotiorum agendorum libello, clementer significare, & tractanda proponere viuæque vocis suæ oraculo, in diligentem consulationem conclusionemq; commendare dignata est; eiusdem suæ Maiestatis humilimi fideles & subditi, Prælati, Comites, Barones, Nobiles, cæterique vniuersi Status & Ordines reliquiarum dicti Regni sui Vngariæ, obedienter & attentè audierunt: cognoscentes humiliter, quæ sacra eius Maiestas primò benigniter commemoranda, deinde clementer ab eis postulanda duxerit.

Vt ærumnis & afflictionibus populi remedium adinueniatur, Dieta hæc indicta est, pro qua re Status Regi suo immortales agunt gratias. ART. II.

ET primò quidem, quod ad indictam promulgatamque fidelibus suis, initiò statim huius anni generalem Dietam attinet, agnoscunt Status & Ordines Regni solitam, & hucusque semper continuatam suæ Maiestatis, solicitam & verè paternam curam, qua sicuti nullo vnquam tempore, ita indictione quoque illius Dietæ alienandis auertendisque fidelium subditorum suorum ærumnis, afflictionibus & periculis clementer adesse, eisque omnibus modis, rectè feliciterque consultum esse cupit; quæ tamen, quod arduis grauibusque de causis, quas sacra eius Maiestas diffusè commemorat, intermitti & differri debuerit. Non ignorant Status & Ordines Regni, imò extra omne habent dubium, quòd sicuti subitæ rerum pariter & temporum mutationes, homines à proposito, & susceptis negotijs plerumq; auertere,

tere, & ad magis necessarium cogere consueuerunt, ita Maiestati quoque suæ hac vice iniecta fuerit necessitas, & ea quoque non absque afflicti huius Regni bono, cuius vtpote salus, in hisce extremis penè rerum difficultatibus, post Deum à pace & tranquillitate, in communiq; statu sacri Romani Imperij, cæterorumq; Regnorum & Prouinciarum suæ Maiestatis dependet, ipsis alio tempore Augustæ suæ præsentiæ, copiam faciendi, rebusq; eorum coràm audiendis & inspiciendis vacandi: quod tamen quia nunc (quod Deus felix & faustum esse velit) ardentibus votis, summaq; cum lætitia adepti sunt, gratias agunt habentq; suæ Maiestati, domino & Regi eorum clementissimo, immortales, quòd votis suorum fidelium felici sua præsentia, vel nunc saltem clementer respondere, & solita pietate, ipsos & res eorum nimium afflictas propius & benignius aspicere dignata sit.

Stephanus filius Ioannis Regis Transyluanus pacem interturbauit, & quorundam fidelium animos ad rebellionem pertentauit. ART. III.

QVÆ verò sacra eius Maiestas pluribus recensuit, de paruis & turbulentis consilijs & machinationibus filij quondam Regis Ioannis, quibus non solùm initam & firmatam cum Imperatore Turcarum pacem interturbare conatus sit, verumetiam, opera nonnullorum transfugarum & peruersorum suorum Consiliariorum, animos fidelium suæ Maiestatis, ad defectionem rebellionemq; solicitare non dubitârit. Dolent ex animo Status & Ordines Regni, atque extremè deplorant insignē crudelitatem, cæcamq; malitiam illorum suæ gentis hominum, qui cum ipso quondam Regis Ioannis filio, vna patriæ suæ, iam olim armis infidelium nimis oppressæ, ne dum misereri, atque in extremis laboranti, vel saltem fauore aliquo succurrere velint, vt potius minimam etiam quietam, pie & laboriosa Maiestatis suæ opera & solicitudine partam, fidelibus eiusdem inuidentes, nihil in ea malis quibuscunq; artibus perturbanda intentatum relinquant; neque cernant, quanta ipsos pericula, quàm graue maneat excidium, si (quod DEVS ex immensa sua bonitate auertat) has pauculas Regni reliquias, fidem & obedientiam suæ Maiestatis sequentes, illorum præcipuè culpa interire contingat. Qui quidem cum tales sese demonstrent, supplicant Status & Ordines Regni sacræ suæ Maiestati, quàm possunt humilimè, nolit ex prauo & peruerso nonnullorum animo, cæteros suos fideles æstimare, qui tantum abest, vt illorum similes sese arbitrentur, aut haberi velint, vt potius syncéram fidem, firmamq; constantiam Maiestati suæ sacræ, in prosperis pariter & aduersis, nullo non tempore declarare studuerint, nullisque aduersariorum practicis & solicitationibus locum vnquam dederint. Quam quidem fidem & constantiam deinceps etiam tutari, illibatamque conseruare decreuerunt, omniaque extrema, & ipsam denique mortem pro patria, pro Maiestate sua, viso & sperato, in posterum quoque eius tàm ardenti circa ipsos & eorum defensionem studio, perpeti. Quam fidelium suorum humilem supplicationem, eius Maiestatem pro summa sua sapientia, eo magis in animum demissuram, Status & Ordines Regni confidunt, quo notius est labe illa perfidiæ, nullum Regnum, nullam vacare nationem, sicuti multa & varia præ oculis habentur nostri etiam temporis exempla; nec tamen nequitiam particularem, vniuersaliter omnibus imputari, vnoq; & ordine eodem omnes, ex delicto paucorum haberi censerique debere.

Rex ex prauo nonnullorum hominum animo, ne fideles suos æstimet, petitur.

Fides syncera in Regem.

Constantiæ.

Vt Maiestas sua salutem Regnicolarum cordi habere velit supplicatur.
ART. IV.

CÆTERVM quod sacra Maiestas sua, ijs, quæ fidelibus suis ex irrequieto prauoque quorundam consilio & machinatione imminebant, turbis & periculis, clementi sua cura opportunè ita prospexerit, vt pacatior nunc sit, & sperari possit etiam deinceps rerum status: fideles suæ Maiestatis, sibi ipsis hac de re primo plurimum gratulantur: deinde suæ Maiestati, quas possunt maximas habent aguntque

gratias

gratias,pro ista sua diligenti prouidentia,pia solicitudine;& supplicant humilimè, vt quemadmodum in eorum defensionem & salutem omnes suas vires hactenus semper intendere dignata est,sic etiam inposterum eandem suam curam & solicitudinem cordi sibi habere, & dominus clementissimus esse velit.

Tractatio maturanda. ART. V.

ET quoniam hortatur sacra Maiestas Cæsarea fideles suos Status & Ordines, vt visa necessitate,qua profectionem suam in Regnum Boëmiæ,indeq; ad imperium, maturare ipsam oporteat,velint tractationem propositorum eis negotiorum accelerare,habito inter se mutuo tractatu & consilio, ad singulos articulos ordine in hanc deuenerunt conclusionem.

Subsidium trium annorum oblatum. ART. VI.

PRIMVM itaque omnium, quod ad subsidium in tres annos postulatum attinet, quamuis fideles Status & Ordines Regni non ignorent tenuitatem facultatum, cùm suam, tùm verò afflictorum colonorum suorum. Visa tamen ingenti suæ Maiestatis necessitate,quà faciendis pro defensione illorum immensis sumptibus premitur,& etiam ea fiducia,quòd sicuti sacra eius Maiestas, damna, oppressiones,& grauamina fidelium suorum,ex oblatis iam sibi supplicationibus clementer cognouit,ita iuxta clementem suam oblationem,post toties petita horum malorum remedia,adhibitura sit inposterum modum & ordinem, vt fideles suæ Maiestatis pacem nacti & quietem, cum miseris suis colonis, à tantis & tâm grauibus afflictionibus,ærumnis & oppressionibus tandem aliquando respirare, postulandisq; ad defensionem eorum subsidiis,commodius sufficere possint. Offerunt suæ Maiestati pro anno proximè præterito, videlicet Millesimo,Quingentesimo, Sexagesimo octauo,lucrum Cameræ,de singulis integris fundis,siue sessionibus, more antiquo, per viginti denarios exigendum: pro aliis autem duobus sequentibus annis,hoc est,Millesimo,Quingentesimo,Sexagesimo nono, & Millesimo, Quingentesimo,Septuagesimo,pollicentur quatuor florenos, & octuaginta denarios, cum lucro Cameræ in duobus terminis,hac ratione soluendos, videlicet, vt ad festum Purificationis beatissimæ Mariæ virginis,anni proximè sequentis vnus florenus cum viginti quinque denarijs,ad primum autem diem mensis Augusti eiusdem anni,alter florenus cum totidem viginti quinque denarijs, & ad anni Millesimi, Quingentesimi, Septuagesimi primi,similiter duo floreni,& quinquaginta denarij,per dictos duos terminos,ad soluendum æqualiter diuisi dentur & contribuantur.

Lucrum Cameræ denar. 20. à fundo integro.

Portarum noua connumeratio fiat. ART. VII.

STATVTVM est insuper à Statibus & Ordinibus Regni, vt secundùm clementem postulationem suæ Maiestatis,& constitutiones Dietæ proximè præteritæ,noua fiat portarum connumeratio, in Vngaria pariter & Sclauonia, propter non paucas depopulationes,aliasq; desolationes, à proximè celebrata Dieta, diuersis in partibus Regni factas. Et quòd Iudices nobilium,Dicatorem cum iurato Nobile ad omnes possessiones perducant,nulla prorsus dissimulata vel suppressa, sub pœna in Decreto expressa. Quòd si tamen facta connumeratione contingeret, post vnum vel alterum dictorum terminorum, aliquarum villarum depopulationem fieri, aut eas incendio, vel fuga colonorum vastari,Comes vel Vicecomes eius Comitatus, in quo depopulatio vel vastatio talis contingeret,teneantur admoniti sedem indicere ad rectificationem portarum talium villarum, cui postea Dicatores quoque stare teneantur.

Iudices nobilium nullas possessiones supprimant in dicando.

Ferdinan. Poson. an. 46. ar. 9. sub pœna capitis.

Molitores libertini proprias hæreditates, terras arabiles,& prata habentes, dicentur. ART. VIII.

QVANTVM verò ad diuisiones integrarum sessionum, molitores item & libertinos, cæterosq; qui à sua Maiestate recensentur dicandos, salaria præterea Dicatorum rursus in vsum reuocanda attinet. Quum super his omnibus, claræ satis constitutiones factæ sint, tum in alijs, tum verò in postremo anni Millesimi, Quingentesimi, Sexagesimi septimi Conuentu, Status & Ordines ad illas sese in omnibus prædictis referunt, easq; seruandas denuò decernunt. De molitoribus tamen, propria habentibus molendina, & qui terras arabiles cum pratis, aliasq; hæreditates habent, statutum est, vt instar aliorum connumerentur pariter & dicentur.

Ann. 66. ab ar. tert. usque ad ar. 17. Molitores.

Carbonarij & sectores hæreditatibus carentes non dicentur. ART. IX.

CARBONARIOS autem & sectores in Montanis, qui nec pecora, nec alias hæreditates habent, sed sola domus propriæ habitatione contenti, labores fodinarum exercent, non esse dicandos, decretum est.

Exemptiones veteres in suspenso maneant, vsque ad pacatiora tempora: & qui se deinceps Transyluano submitterent ad integræ dicæ solutionem teneantur. ART. X.

EXEMPTIONES quoque veteres, statutum est, iuxta priores Regni constitutiones, ad pacatiora vsque tempora in suspenso manere, neminiq; suffragari debere. Nouas autem, cum rarò, aut nunquam alijs, quam combustis, à sacra eius Maiestate concedantur, Vicecomiti, & Dicatori tempore dicationis esse præsentandas. Item vt à colonis, qui Turcis subiecti & tributarij sunt, præterea qui ad Transyluaniam quoque dicantur, media tantum dica, iuxta priorum Conuentuum, annorum scilicet Millesimi, Quingentesimi, Sexagesimi sexti, & Millesimi, Quingentesimi, Sexagesimi septimi constitutiones exigatur. Hoc tamen declarato, quòd qui post horum annorum constitutiones Transyluano sese subdiderunt, ad integræ dicæ solutionem teneantur.

Exemptiones nouæ.

Exemptiones ann. 66. art. 8. Transyluan. an. 66. ar. 4.

Dicator ex prima sede Comitatus post Dietam emittatur. ART. XI.

STATVTVM etiam est, vt finita ista Dieta, in singulis Comitatibus, per Comites vel Vicecomites publicetur congregatio sedis Nobilium: & statim de prima sede Dicatores per Cameram ordinati, adhibitis eis iuratis Nobilibus, emittantur ad portarum & dicæ connumerationem. Ea verò absoluta immediatè, de prima rursus sede publicetur exactio subsidij, ac literæ mulctæ, siue Birsagionales, per vniuersitatem Nobilium Vicecomiti tradantur eo facto, vt nisi ad prædictos terminos dica de singulorum bonis, manibus Dicatoris integrè fuerit administrata, mulctas de illis irremissibiliter exigere teneatur.

Comes vel Vicecomes indicit & promulgat sedes in suo Comitatu. Birsagiales literas Comitatus quando decernit.

Vicecomites officia sua negligenter administrantes puniantur. ART. XII.

DE Vicecomitibus & Iudicibus nobilium, officia sua, circa exactionem dicæ, negligenter exercentibus, statutum est, vt contra eos procedatur pœna in articulis anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi decreta. In potentiores autem, qui sese connumerationi & exactioni dicæ forte opponerent, iuxta præteritorum Conuentuum constitutiones animaduertatur.

Vicecomes de facto exire & mulctas exigere tenetur. an. 1550. ar. 25. Ferdinand. Ann. 50. ar. 25.

Salaria Vicecomitum & Iudicum nobilium. ART. XIII.

STATVTVM est etiam, vt Vicecomites & Iudices nobilium contenti sint solitis & consuetis suis salarijs, neque ea ipsimet pro se percipiant, sed à Dicatoribus illa leuent. Et quum in Comitatibus Szaladiensi & Castriferrei, antiqui & recepti moris semper fuerit, vt Viceiudicibus quoque Nobilium, propter magnitudinem Comitatuum, vnicuique scilicet per duos florenos solutum fuerit, idem mos & consuetudo etiam deinceps seruetur.

Szaladiensis Comitatus. Viceiudices salarium ex dica accipiunt.

Restantia

Restantiæ subsidij exigantur. ART. XVI.

DE restantijs conclusum est, vt illæ iuxta anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi sexti, & nouissimæ quoque Dietæ constitutionem exigantur. Comites verò & Vicecomites, Iudicesq; nobilium, qui forte illas exacta supprimerent, reddant eas, & insuper ad solutionem dupli, cum amissione officij compellantur. Dicatores verò, qui fortè illos apud se retinerent, per Cameram suæ Maiestatis, tanquam iurati & stipendiarij seruitores fisci, captiuari & puniri possint. *Dicatores capi possint quando.*

Dicatoribus terminus præfigatur ad exigendas restantias. ART. XV.

PLACET etiam, vt in singulis Comitatibus præfigatur Dicatoribus certus terminus, quo restantias omnes rectificent. Quod si facere neglexerint, liceat Cameræ eiusmodi restantias, opera Capitaneorum, ex rebus & bonis talium Dicatorum excipere. *Restantiæ Dicæ à Dicatoribus, opera Capitaneorum, ex bonis eorũ extrahuntur.*

Lucrum Cameræ exigatur. ART. XVI.

STATVTVM præterea est, vt iuxta priores constitutiones, cessante aliquibus annis Dica, lucrum Cameræ, viginti scilicet denarij, de quolibet integro fundo, secundùm veterem consuetudinem, pro sacra sua Maiestate exigatur. *Ferdi. Poson. ann. 63. art. 9.*

Tricesimas exigendi præscriptum. ART. XVII.

DE modo autem exactionis Tricesimæ, eiusdem defraudatoribus, constitutiones anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi noni seruandas decernunt, & vti iuxta constitutiones proximè præteritæ Dietæ, libertas dominorum & Nobilium de pecoribus, quæ in proprijs eorum allodijs nata & nutrita esse comperta fuerint, & alijs rebus, quæ ad vsum domesticum aduehuntur, intra & extra Regnum obseruetur, neque ad soluendam de illis Tricesimam compellantur. *Ferdi. Poson. an. 59. art. 44. ann. 56. ar. 37. Et an. 57. ar. 19*

Depositionum loca vetera restituantur, ad explodendam monetam Polonicam. ART. XVIII.

DE moneta Polonica, & damnis, quæ ex eius in Vngaria vsu proueniunt, visum est eius incommodi remedium vix aliud præsentius inueniri posse, quam si in partibus Regni superioribus restituantur veterum depositionum loca. Quapropter decretum est, vt vetera ipsa depositionum loca, qualia sunt versus Poloniam, Cassouia, Eperies, Leuchouia, Barthffa, Kesmark: fillalia verò, Homonna, Warano, & Sztropko: versus Austriam autem, Posonium & Sopronium, ac versus Morauiam, Trinauia; in Sclauonia denique versus Styriam, Zagrabia & Varasdinum cum alijs locis, quæ in hac parte priuilegiata esse dignoscuntur, inposterum obseruentur, secundùm vniuscuiusq; loci consuetudinem & priuilegium, quæ sacræ Maiestati suæ produci debebunt, quò visis illis, huic rei tanto melius consulere possit. *Monetarum extranearum importatores exurantur. Rakos an. 1525 ar. 23. secus Rakos ann. 1526. art. 35. Depositionum loca annotata: plura de his, Vlad. Pri. ar. 103. Ter. ar. 33. Quar. art. 24.*

Gratuitorum laborum distributio. ART. XIX.

AD munitionem locorum finitimorum decretum est, vt per colonos vniuersorum Statuum & Ordinum Regni præstentur labores duodecim dierum. Qui quidem limitati & distributi sunt, hoc ordine qui sequitur. Ad Szathmar laboret Comitatus Szolnok mediocris, & Vgocha totaliter, & Szathmariensis cum tribus processibus seu Iudicatibus nobilium. Ad Eched quartus processus Comitatus Szathmar, & duo processus Comitatus Szabolch, Nobilium de Kisvvarda bonis exceptis, quorum colonorum labores ad Kisvvarda, reseuati sunt. Ad Munkach, Comitatus Vngh & Beregh. Ad Thokai, reliqui duo districtus Comitatus Szabolch, cum oppido Dobreczen, & totus Comitatus Zempliniensis, bonis Kisvvardensibus similiter exceptis, eorumq; laboribus pro Kisvvarda reseruatis. Ad Agriam, Comitatus Hevves, Borsod, Pest, exterior Szolnok, Soldt, & duo oppida Capituli Agriensis, Polgardi & Szent Margitha. Ad Cassouiam Comitatus Saaros, & gratuitæ, Cassouiæ, & reliquarum quatuor ciuitatum, Eperies, Leuchouiæ, *Labores duodecim diebus per colonos ad loca finitima præstentur. Szathmar. Eched. Munkach. Thokai. Agria. Cassouia. Szendero.*

Zeben

Somoskø. Gedo. Balogh. Nittria. Viuar. Komiathi. Suran. Sanctus Benedictus & Kis Tapolchan. Leua. Bakabania. Bazook. Korpona. Komiathi. Komaron. Iaurinum. Papa. Palotha. Vesprimium. Kanisa.

Zeben & Bartpha, operæ. Ad Szenderõ, Comitatus Abauiuarjensis, Scepusiensis & Thorna. Ad Somoskõ, Kekkõ & Deuin, totus Comitatus, Neugradiensis. Ad Gedõ & Balogh, Comitatus Gõmõr. Ad Nittriam, Viuar, Komiathi & Suran, Comitatus Thrinchiniensis & Nittriensis. Ad sanctum Benedictum & Kis Tabolchan, laborent coloni ad hæc duo loca pertinentes. Pro Leua, Bakabanya, Bozook et Korpona, reseruati labores Comitatuum, Barsiensis, & vterq; Hontensis, Thurocz, Liptho, Arua & Zoliensis, ex voluntate Cæsareæ, & Regiæ Maiestatis, iuxta quod necessum fuerit distribuendi: exceptis tamen, & pro Komiathi reseruatis laboribus à colonis Nobilium Forgach præstandis, qui in præscriptis septem Comitatibus commorantur. Ad Komarom, Comitatus Komaroniensis. Ad Iaurinum, Comitatus Posoniensis, & non diuidatur, sed totus & integer omnibus modis Iaurinum seruiat, nec non Mosoniensis & Iauriensis. Ad oppidum Papa, Comitatus Soproniensis. Ad Palotha, Comitatus Albensis. Ad Vesprimum, Comitatus Vesprimiensis, & illi subditi viciniores, qui in ea Regni parte Turcis subiecti sunt. Ad Kanisam, Comitatus Szala, & reliquiæ Comitatus Simigiensis, nec non omnia & singula bona relictæ Magnifici quondam Thomæ de Nedasd. Comitatus Castriferrei labores, aut totaliter, aut pro media parte ad Kanisam, vel oppidum Papa applicentur, vti Maiestati suæ Cæsareæ & Regiæ visum fuerit: exceptis tamen omnibus & singulis bonis domini de Zrinio, in his iam dictis tribus Comitatibus, in & extra Insulam Murakõz existentibus; quorum subditorum labores ad præparationem castelli Legrad reseruati & deputati sunt.

Legrad.

Monetæ Vngaricæ in Austria vsus permittatur. ART. XX.

Ferdinan. Poson. ann. 50. art. 49. an 54. ar. 22. huius Maxim. ann. 67. art. 45

SVPPLICANT etiam Status & Ordines sacræ Maiestati Cæsareæ & Regiæ, vt modum aliquem clementer statuere dignetur, quò moneta suæ Maiestatis Vngarica per Austriam, & alias prouincias suæ Maiestatis recipiatur, neque cogantur Status, cum tanto, ut hactenus, additamenti damno illam, & ita quoque non nisi cum difficultate permutare: ad quæ Maiestas eius primo quoque tempore, adhibitis personis idoneis, & in huiusmodi rebus versatis, quo pacto huic negotio prouideri, ac bonus ordo institui quæat, rationem inituram, ac maturè deliberaturam benignè se obtulit.

Laborum dimidium Comitatuum, Posoniensis & Komaroniensis, ad aggeres & repleturas incursus Danubij, in Insulam transferatur. ART. XXI.

Challokoz insula laboribus gratuitis contra uim Danubij munienda.

PRÆTEREA, quum notæ sint crebræ & ingentes Danubij inundationes, quæ hoc, & præterito anno fuerunt, & grauissima damna toti Insulæ Challokõz intulerunt, necessariumq; sit, vt pro cauendis inposterum similibus damnis, aggeres & repleturæ veteres, quæ aquarum excursum auertebant & destructæ sunt, reparentur, & nonnullis in locis nouæ fiant. Statutum est, vt coloni Comitatuum, Posoniensis & Komaroniensis in dicta Insula habitantes, ex prædictis duodecim diebus, sex dierum labores, ad dictorum aggerum præparationem exhibeant.

Equites continui intertenentur, & sine licentia Capitanei non reuocentur. ART. XXII.

Ferdinan. an. 63. art. 18. Maxim. ann. 1566. ar. 15. 16. an. 1567. ar. 21

EQVITES continuos intertenendos esse decretum est, iuxta priorum & nouissimi etiam Conuentus constitutiones. Cum tamen pleriq; dominorum, in illorum intertentione hactenus non parum tergiuersati sint, exemplo illorum Nobilitas quoque, in expeditione illorum fiat remissior: dignetur sacra Maiestas sua clementer prouidere, vt in recusantes, pœna in prioribus Conuentibus constituta, de facto procedatur; vtque nemini equites suos tales absque scitu Capitanei reuocare, abducereq; licitum sit. Illis verò qui secus facerent, eadem pœna, quæ Decretis publicæ nouissimæ Dietæ, his qui gentes continuas non intertenerent, decreta est, irremissibiliter infligatur.

Milites

Milites Regij, pro continuis militibus non sistantur tempore lustræ.
ART. XXIII.

CAVENDVM etiam decernunt, ne milites, qui aliâs stipendio Maiestatis suæ, in præsidijs confiniorum degunt, pro continuis sistantur, talesq; depræhensi, per Capitaneos grauiter puniantur.

Expeditiones, insurrectiones generales & particulares, iuxta priores constitutiones fiant. ART. XXIIII.

INSVRRECTIONEM vniuesorum Statuum & Ordinum Regni, tàm generalis, quàm verò particularis expeditionis tempore, iuxta superiorum Conuentuum constitutiones superinde factas, postulante necessitate, obedienter, & sine defectu præstandam esse decretum est.

Victualium conuehendorum modus in prioribus Conuentibus constitutus obseruetur.
ART. XXV.

DE conuehendis ad confinia in vsum militum præsidiariorum victualibus, statutus est iam prioribus Conuentibns modus & ordo, quem nunc quoque Regnicolæ renouant, & seruandum decernunt, neque dubitant, nullum in victualibus quantum in istius anni penuria fuerit possibile, futurum defectum, si, prouti sacra Maiestas sua se curaturam clementer obtulit, pretium illorum soluatur iustum: habenda tamen erit ratio illorum, qui nedum aliquid venale aduehere possint, neque domi habeant, quo se cum liberis suis & vxoribus sustentent. Ferdinan. Poson. an. 63. art. 10.

Ciuitates liberæ vecturam bombardarum subeant. ART. XXVI.

DECRETVM insuper est, vt vecturam bombardarum, aliarumq; rerum bellicarum & victualium, iuxta veteres Regni constitutiones, liberæ Regni ciuitates obeant necessitatis autem tempore, cæteri fideles Regnicolæ, colonos suos cum ipsorum iumentis, hunc in vsum pro competenti mercede, iuxta constitutiones anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi septimi, & aliorum Conuentuum destinent, quam Maiestas sua illis, quorum opera vtetur, præberi curabit. Ferdinan. ann. 63. ar. 14. An. 1557. ar. 7.

Decimæ conduci per Regem ad arces finitimas possint. ART. XXVII.

IVSTVM etiam censent Status & Ordines Regni, vt Maiestas sua sacra decimas, quæ arcibus suis finitimis vicinæ sunt, vt hactenus, à Prælatis arendare valeat: reliquas autem, quæ ab arcibus finitimis remotiores sunt, & quas Prælati in arendam locare voluerint dominis terrestribus, & ijs præcipuè, qui loca habent ipsi quoque finitima, relinquere dignetur. Vide Sopron. ann. 53. art. 8.

Decimæ iuxta constitutiones anni Millesimi, Quingentesimi, Sexagesimi tertij exigantur. ART. XXVIII.

CÆTERVM de modo exactionis decimarum, præsertim quoad Nobiles profugos, confirmant Status & Ordines priorum Conuentuum, & signanter anno Domini Millesimo Quingentesimo, Sexagesimo tertio celebrari constitutiones. De Nobilibus tamen profugis, qui in ciuitatibns habitant Regalibus, decretum est: quòd ad solutionem decimarum, eo respectu non compellantur, quod in medium ciuitatis soluunt, & onera ciuilia sufferunt: sic etiam nec Altaristæ Tirnauienses, & aliorum locorum, de vineis ad Rectoratus altarium pertinentibus; neq; etiam Rutheni & Valachi decimentur. Et quia conqueruntur nonnulli Comitatus partium superiorum, quàm intolerabile iugum sit eis impositum à Decimatoribus Agriensibus, qui decimas non in specie exigunt, sed miseram plebem, tàm ad vinum quàm frumentum, immedico nimis pretio, pecunia redimendas volunt: hac de re, vt sacra Maiestas sua secundùm clementem suam oblationem clementer prouidere, & tàm indebitam coactionem prohibre dignetur, Regnicolæ humiliter supplicant. Poson. ann. 63. art. 68. 69. 70. 71. 72.

Articuli anni Millesimi, Quingentesimi, Quadragesimi octaui, quoad arendationem siue conductionem decimarum, obseruentur. ART. XXIX.

Decimarum. arendatio.

Posson. ann. 48. art. 61.

QVONIAM verò Camerarij suæ Maiestatis, & nunquam etiam Capetanei, decimas sub nomine sacræ Maiestatis suæ, & prætextu vsus & necessitatis locorum finitimorum arendare; illas tamen contra constitutiones anni Millesimi, Quingentesimi, Quadragesimi octaui pro se reseruare, & in proprium vsum conuertere consueuerunt. Supplicant Status & Ordines Regni, dignetur sacra Maiestas sua articulos eiusdem anni obseruandos mandare, & Camerarios cum Capitaneis, ab iniquo isto fuco & prætextu clementer prohibere, prout, etiam facturam se clementer obtulit.

Vladislai Regis de vectura decimarum Decretum seruetur. ART. XXX.

Vlad. Secun. art. 37. & sequen. E. Tert. artic. 49. 50. 51 52. 54.

ARTICVLVM quoq; Decreti Vladislai Regis, qui post festum sancti Stephani fruges de campo importanti potestatem facit, Status & Ordines Regni, seruandum decernunt, ne fruges, vt hactenus, in campo pereant, propter tarditatem Decimatorum.

A Turcis & Transyluano vectigalibus, moderatè decimæ exigantur. ART. XXXI.

Tributarij Turcis & Transyluano decimas persoluant.

SVPPLICANT etiam Status & Ordines Regni pro ijsdem Comitatibus, vt quum præter eas, quas ad Agriam soluunt, Turcis quoq; & Transyluano integras decimas soluere compellantur, atq; ita tripliciter intolerabili modo grauentur, dignetur illis, quantum vsquam est possibile, in exigendis integris decimis parcere, & quemadmodum sese obtulit, per Capitaneos suos defendere, ne à Turcis quoque & Transyluaniensibus ad soluendas decimas compellantur.

Nobiles conducti, seruituri Regi probantur. ART. XXXII.

Nobiles stipendiati.

DE salariatis Nobilibus sponte suæ Maiestati ad militiam seruire volentibus, consilium sacræ Maiestatis suæ Regnicolis humiliter probatur.

Rudolphum & Ernestum Archiduces Austriæ, ex Hispanijs reuocari, & alterum in Vngaria collocari petunt Status. ART. XXXIII.

QVOD præterea sua Maiestas cum serenissimo Archiduce Carolo, fratre suo charissimo, tractatura sit, vt in absentia suæ Maiestatis, vices eiusdem gerere, resque Vngaricas administrare velit, Status & Ordines Regni laudant & humiliter approbant hoc suæ Maiestatis consilium: optarent tamen, atque adeò humilimè supplicant, vt cum maiores natu filij suæ Maiestatis, domini eorum clementissimi, iam pluribus annis absint in Hispanijs, & plurimum intersit, cum illorum, tum verò fidelium subditorum Maiestatis suæ, vt potius ad latus suæ Maiestatis continuè agentes, & in consilijs præsentes, audiant & videant indies modum & formam regiminis. Mores præterea & leges, consuetudinesq; subditorum suorum, quibus aliquando præfuturi sunt, addiscant adhuc iuuenilibus annis, exemplo ipsius Maiestatis suæ, & serenissimorum fratrum suorum, quos Diuus Ferdinandus Imperator, dominus noster clementissimus, beatæ memoriæ, ab ipsa quasi pueritia, rebus & consilijs agendis exercebat, nonnunquam verò in absentia vices suas illis committebat. Dignetur illos, vel nunc tandem reuocare, & casu quo suam Maiestatem à Regno longius abesse contingeret, vnum ex illis loco sui, & si vsquam possibile sit, in Vngaria, vt linguam quoq; gentis addiscant, relinquere: quemadmodũ sacra Maiestas sua se huius rei primo quoq; tempore clementem curam habituram obtulit.

Rex de supremo Capitaneo Regni, partium superiorum Comitatibus prouideat. ART. XXXIIII.

ET quoniam ob eas rationes, quas sacra Maiestas sua in responso suo fusius recensuit,

censuit, hac vice, nec de Palatini, nec generalis Capitanei constitutione, votis fidelium Regnicolarum suorum satisfacere potuit. Supplicant Status & Ordines Regni, vt sacra Maiestas sua, iuxta suam clementem oblationem, vel saltem partibus Vngariæ superioribus, clementer, & absque dilatione prouidere dignetur de Capitaneo supremo Vngariæ, qui non solum militibus præsit Vngaris, verumetiam executiones iuridicas, ad illius officium spectantes peragat, & violentias quoque militum prohibeat. *Capitanei generalis officiũ.*

Iauriensis Episcopatus personæ benemeritæ indigenæ conferatur, alioquin Cardinali administranti Ecclesiam decimæ denegantur.

ART. XXXV.

DE Episcopatu Iauriensi, ad longum declararunt Status causas, propter quas illum personæ Ecclesiasticæ Vngaræ, & benemeritæ conferri postulant. Qua in re, cum sacra Maiestas sua, se supplicationis fidelium suorum clementem rationem habituram, & ita prouisuram gratiosè obtulerint, vt Regnicolæ sibi satisfactum senciant, nec vlterius conquerendi causam habeant. Supplicant Status & Ordines, vt hoc absque longiori mora, & cum effectu facere dignetur, ne causam habeant, prouti protestati sunt, decimas domino Cardinali omnino denegare.

Beneficia Ecclesiastica vacantia, personis idoneis conferantur. ART. XXXVI.

QVOD si alia quoque sunt minora beneficia aliqua Ecclesiastica vacantia, vel inposterum quoque vacatura, aut quæ apud manus Seculares haberentur, illa quoque sacra Maiestas sua, vigore Iurispatronatus sui vniuersalis, gratiosê conferre dignetur, vt clerus in Regno, in tanta Ecclesiasticarum personarum penuria, augeatur. Quòd si verò aliqui Regnicolarum Iuspatronatus, in aliquibus beneficijs se habere prætendunt, teneantur illud legitimè citati, coram sacra Maiestate sua probare, iuxta articulos anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi tercij, eoque probato beneficia vacantia conferre, & non in proprium vsum reseruare, & nisi illa ipsi conferant, à sacra Maiestate Cæsarea conferantur. *Iuspatronatus probetur coram Rege Sopron. an. 53. ar. 9. plura de beneficijs, ann. 1567. ar. 31.*

Baronatuum officia conferantur. ART. XXXVII.

QVOD ad collationem Baronatuum & bonorum ad fiscum deuolutorum, vel in posterum deuoluendorum attinet, obtulit se sacra Maiestas Cæsarea, quod hac in re supplicationi fidelium suorum, pro moderni temporis ratione, clementem habitura sit rationem, illorumq; merita, nullo vnquam tempore neglectura, quin potius sua gratia & munificentia eis semper adesse velit.

Vngarico consilio vtatur Cæsarea Maiestas in rebus Vngaricis, petitur.

ART. XXXVIII.

INSTITERVNT quoque Status & Ordines, vt quia Regnicolis valde onerosum est, negotia & supplicationes eorum ex Vngarico ad bellicum consilium, & inde quandoque ad Cameras remitti. Maiestas Cæsarea & Regia dignaretur in rebus fidelium suorum Vngarorum, Vngarico vti consilio: qua in parte Maiestas sua benignè declarauit, quæ iusticiam, iura, libertatesque Regni concernunt in Vngarico, quæ Cameralia in Camera, quæ verò bellica negotia sunt, in Bellico consilio, more hactenus obseruato, tractari; ac proinde ad minus duos, videlicet vnum Ecclesiasticum, alterum verò Secularem, ex Maiestatis suæ Consiliarijs Vngaris, Aulam continuè sequi debere, quo Maiestas eius illorum opera, in rebus istis Vngaricis, iusticiam & iura, libertatesq; Regni concernentibus, vti possit, cum quibus etiam de Regni bellicis rebus, vbi necessitas postulabit, se collaturam, ac insuper, vt in præfatis Cameræ & Bellico consilijs, partes eo citius breuiusq; expediri, & sumptu illo, quem hactenus in interpretes facere coactas fuisse, Regni Status conquesti sunt, subleuare queant, curaturam clementer obtulit, vt inposterum bini interpretes, tàm apud Cameræ suæ Aulicæ, quàm Bellicum consilium, qui à Maiestate *Veteris Vlad. Prin. art. 6. & art. 7. obliti.* *Bellicum consilium.* *Consiliarij duo aulam sequentur.* *Interpretes*

...ero in consilio bellico interuenienti. iestate sua salarium accipiant, ac partibus operam suam interpretando gratias præstent, intertineri, & dictis consilijs, vel eorundem Præsidibus alterni continuè adesse debeant.

Iudiciorum termini. ART. XXXIX.

Trinauiensia Iudicia. CONCLVSVM est etiam, vt singulis inposterum annis celebrentur, iuxta priores Regni constitutiones, binæ Octauæ, duobus in terminis: prima pro octauo festi diei sancti Georgij Martyris; altera pro octauo die festi sancti Lucæ Euangelistæ, eo modo & ordine, prout in nouissimo Conuentu Posoniensi ordinatum & constitutum fuit: ita tamen, vt partibus Regni superioribus, à Comitatu Lipthouiensi versus Cassouiam incipiendo, Tirnauiæ; cæteris verò hîc Posonij, talia iudicia celebrentur.

Quæ Transmissiones siue appellationes è sedibus Comitatuum ac Vicariorum transmissæ, in quibus terminis reuideantur. ART. XL.

DE reuisione Transmissionum decretum est, vt cum superioribus Regni partibus celebrabuntur iudicia, eodem termino illorum tantum; & è contra altero termino, alterius quoq; tantum partis Transmissiones reuideantur. In Sclauonia verò vtroq; iudiciorum termino illas reuideri decretum est, terminiq; iudiciorum constituti sunt, festum Epiphaniarum, & festum sancti Iacobi.

Procuratores externi, propter introductum quendam in Regnum per eos abusum, in sedibus spiritualibus ad causas agendas & defendendas non admittantur. ART. XLI.

CONSTITVTVM est præterea, vt quoniam externi quidam Procuratores, causas in sede spirituali agentes dicantur, introductis quibusdam nouis abusibus & cauillationibus, causantes grauiter vexare, & lites quæ aliâs breuioribus processibus finiebantur, lucri & cõmodi sui gratia, in immensum protrahere, tales inposterum procurare, & causas in dicta sede spirituali agere non possint. In ciuitatibus quoque, vbi sedes spirituales habentur, ne consilia dent, habitare non permittantur. Iudices verò in causis spiritualibus, non externos, sed indigenas Regni esse debere decretum est.

Confiniorum Regni metarum reuisio & rectificatio, per Commissarios fieri petita. ART. XLII.

Conuentibus in omnibus reuisiones metarũ fieri petuntur. DE reuisione rectificationeq; metarum Vngariæ & Sclauoniæ, cum Austria, Styria & Morauia, ac Polonia, in omnibus ferè Conuentibus, cum defunctæ, tum verò modernæ sacræ Maiestati Cæsareæ supplicatum fuit, illæ tamen in nullum hucusque opus & executionem sunt deductæ: atque propterea fidelibus suæ Maiestatis Vngaris, cum limitaneis prouinciarum suæ Maiestatis, & Polonis quoque variæ intercedunt contentiones, de quibus verendum est, ne tandem ad arma etiam deueniatur. Supplicant propterea sacræ Maiestati Cæsareæ, domino eorum clemẽtissimo, Status & Ordines Regni, dignetur vel nunc tandem clementer prouidere, vt deputatis ex vtraque parte idoneis Commissarijs, electoq; & præfixo apto

Commissarij. ad id tempore, reuisiones & rectificationes talium metarum, absque longiori dilatione incipiantur & perficiantur. Commissarios autem nominant versus Morauiam, dominum Episcopum Tininiensem, Ladislaum Banffi, & Franciscum Thurzo, & Magistrum Georgium Olgyai Protonotarium Iudiciscuriæ cum Directore. Item versus Austriam, dominum Ioannem Pethõ, Andream Pernefzi, Gabrielem Raiki, & Magistrum Andream Szazi Protonotarium cum Directore. Versus autem Poloniam, dominum Episcopum Chanadiensem, vnum ex fratribus Reuai, Demetrium Ormani, & Magistrum Michaëlem Linduensem Protonotarium. Versus Styriam deniq; & Carniolam, honorabilem ac Egregios, Ioannem

Dombrensem

Dombrensem, Cantorem & Canonicum Ecclesiæ Zagrabiensis, Ioannem Frochicz de Buthi nauesz, Vicebanum, ac Magistrum Emericum Pethe de Hethes, Protonotarium Regni Sclauoniæ, & Stepanum Kapitanffi.

Cathedraticum censum Archidiaconis à plebanis persoluendum esse decernitur.

ART. XLIII.

CATHEDRATICVM Archidiaconis soluendum esse statutum est, iuxta Decretum Vladislai Regis. *Vlad. Tert. art. 53. & Quart. art. 38.*

Inquisitiones super damnis per Capitaneos Regnicolis illatis, primo quoq; tempore reuideantur. ART. XLIIII.

DE damnis Capitaneorum & militum sacræ Maiestatis suæ, quæ post proximè præteritam expeditionem generalem illata fuêre, decretum est, vt inquisitiones super illis factæ, quamprimum reuideantur, ac iuxta clemens responsum, & oblationem sacræ Maiestatis suæ, de stipendio Capitaneorum & militum, damnificatis quamprimum satisfactio impendatur. Inposterum verò, si quæ damna ab illis vel injuriæ inferentur, læsi & damnificati primùm Capitaneos, vt de suis, vel militum suorum damnis satisfaciant, requirant; quod si fecerint, bene quidem, alioqui delatis hac de re ad sacram Maiestatem suam querelis, & certitudine querelarum, comperta ipsa Maiestas sua, ex prima talium Capitaneorum & militum solutione, prouti sese gratiosè obtulit, satisfieri curet. *De damnis per milites illatis, ex stipendio eorum satisfactio impendatur, Capitaneo prius requisito. Poson. ann. 54. art. 2. an. 63. art. 37.*

Bona ad arces Regias occupata restituantur. ART. XLV.

DE bonis ad arces Regias occupatis decretum est, vt iuxta clementem suæ Maiestatis concessionem, sine mora restituantur ijs, qui sua esse comprobarunt, per factam Commissariorum inquisitionem, talisq; restitutio de facto fiat, non per solam Cameram Scepusiensem, sed per adiunctum quoque Cameræ Capitaneum suæ Maiestatis. *Bonorum restitutio quomodo fiat.*

De arce Szelyn, quæ Nicolai & Georgij Bathori esse dicitur. ART. XLVI.

DE arce Szelyn, quoniam sacra Maiestas Cæsarea sese clementer obtulit, quòd cum domina vidua quondam Petri Erdôdij bono modo tractari curabit, vt accepta pignoris summa, arcem illam Maiestati suæ resignet, eoq; facto, sua Maiestas dominis, Georgio & Nicolao Bathori, eandem pro parte, quæ ad ipsos pertinere apparuerit, reddi faciat. Si verò vidua hanc transactionem renueret, eiusmodi causam, in primo iudiciorum Octaualium termino, extra omnem feriem, reuideri curabit. Supplicant Status & Ordines, vt iuxta hoc suum clemens responsum, rem quamprimum ad effectum etiam deducere dignetur. *Georgius & Nicolaus Bathori.*

Sententiæ super metis inter Austriam & Vngariam per certos Commissarios latæ, tandem exequutioni demandentur. ART. XLVII.

ET quoniam Comitatus Sopronienſis & Castriferrei, non paucas patiuntur iniurias à Nicolao Iurissitth, & Christophoro Kinispergh, in transgressione metarum, has quoque tempore reuisionis, inter Vngariam & Austriam fiendæ cupiunt præcipuè reuideri, & sententias illas, quæ iam olim tempore defunctæ sacræ Maiestatis Cæsareæ, sub Vngarico & Germanico sigillo sunt emanatæ, & inexequutæ manent, exequutioni demandari. *Ferdinan. Poson, ann 52. ar. 34. an. 55. ar. 13 an. 59. ar. 47.*

Thurocziensis Præpositura Conuentus restauretur, etiam opera vicinorum Comitatuum. ART. XLVIII.

ITEM supplicant Comitatus de Thurocz, cum alijs vicinis Comitatibus, dignetur Maiestas sua sacra mandare, vt Conuentus in Præpositura de Thurocz restauretur, & personæ in eo, quæ exequutiones faciant, intertenenantur: à Comitatibus tamen illis Prępositus iuuetur in reędificatione destructi Monasterij quo sigillum cum Protocolo tutius posit custodiri.

Antonius Szekel.

Querimoniæ contra Antonium Szekel. ART. XLIX.

CONQVESTI sunt præterea certi Comitatus partium superiorum contra Antonium Szekel, quòd ille quandam Ecclesiam sibi cum alijs Nobilibus communem, contradicentibus, illis, in formam castelli, propria authoritate munire cœperit, & inde varias & multiplices fidelibus sacræ Maiestatis suæ violentias & iniurias inferre soleat. Quod cum absque speciali annuentia Regia Maiestatis, & in præiudicium aliorum nemini liceat: supplicant Status & Ordines Regni dignetur sacra Maiestas sua castellum illud disijciendum mandare, præterea inquisitionem illam, contra ipsum Antonium Szekel proximis annis factam, & illas quoque eiusdem, violentias, de quibus postea publica contra eum facta est querela, in primo iudiciorum Octaualium termino, extra seriem reuideri, sententiamq; executioni demandari facere. Bona verò viduæ quondam Pauli Mathuznay, denuò violenter occupata, iuxta articulos per Comitem vel Vicecomitem Comitatus, aut si ille sufficeret, per supremum etiam Regni Capitaneum, restitui mandare.

Annuentia specialis extruendi castrum.

Telonium in villa Kopchin. ART. L.

DE Telonio Wolfgangi à Pukam decretum est, vt si à Nobilibus & alijs priuilegiatis, Telonium Köpchin exigere perrexerit, euocetur, & causa reuideatur extra terminos.

Telonium Kortuelyes distrahatur. ART. LI.

EIVSDEM Telonium in possessione Körtuelyes siccum, quemadmodum & alia per Regnum vniuersa Telonia sicca, iuxta priorum Conuentuum constitutiones, distrahi debere decretum est: ita tamen, vt sua Maiestas illa in bonis suis prius distrahi faciat.

Szolnak, Albensis & Soldt Comitatus, vbi iudicium recipiant. ART. LII.

QVONIAM Comitatus Szolnak exterior, & Albensis sedis Soldt à Turcis occupati, carent Vicecomite & Iudicibus nobilium; variæ verò contingunt causæ in eisdem Comitatibus reuidendæ, decretum est, vt imposterum Comitatui Szolnak exteriori per Heuesiensem, Albensis verò sedis Soldt per Pestiensem iudicia administrentur.

Inhibitio à Iuramento & communi inquisitione, fiat etiam in sedibus Comitatuum, ante octauum diem. ART. LIII.

QVOD inhibitiones iuramentorum & communium inquisitionum, in prioribus publicis constitutionibus specificatæ, in Comitatibus quoque, æquè ac in sede Regia, ante octauum diem, & per Iudicem nobilium fieri deceat atque possit.

Taxa literarum in Capitulis & Conuentibus. ART. LIIII.

QVOD redemptiones literarum Capitularium, præterea solutiones salariorum in exequutionibus, fiant iuxta Decreta Sigismundi, Alberti, Mathiæ & Vladislai Regum, vltraq; limitationem ibi factam quicquam soluatur.

Inquisitiones veteres contra Ioannem Krusith, & Stephanum Dersffi, reuideantur. ART. LV.

VETERES inquisitiones contra Ioannem Krusith, & quondam Stephanum Dersffi, ac milites sub eis existentes peractas, per nouos Commissarios, à sua Maiestate deputandos, reuidendas, & exequutioni demandandas statutum est, cui rei præfixus est terminus festum sancti Nicolai proximè venturum. Ad recentes autem contra Krusith querimonias quod attinet, de illis deputatis nouis Commissarijs, nouam inquisitionem esse faciendam decretum est.

Querela contra Stephanum Gerdak. ART. LVI.

ITEM

ITEM quum publica totius Comitatus Sopronienſis querela ſit facta contra Stephanum Gerdak, & Chriſtophorum Alya, de grauiſſimis violentijs eorum, circa occupationem bonorum orphanorum quondam Bernardi Groſſi & caſtelli eorundem iniquam, cum nece multorum defenſionem facientibus: ſtatutum eſt, hanc cauſam in primis Iudiciorum Octaualium termino, extra ſeriem cognoſci & reuideri debere. *Stephanus Gerdak.*

Ciuitatum liberarum & Montanarum libertates obſeruentur. ART. LVII.

ITEM decretum eſt, vt libertates ciuitatum liberarum & Montanarum, præſertim verò in ſolutione Telonij, per vniuerſum Regnum, ab omnibus firmiter obſeruari, iuxta priorum quoq; Conuentuum conſtitutiones; eo pacto, vt qui in poſſeſſione non ſoluendi Telonij nunc ſunt, ijs nulla poſthac moleſtia inferatur. Illi verò, qui nullam poſſeſſionem quietam, ſed priuilegia allegant, Maieſtati ſuæ eadem exhibere teneantur, quò Maieſtas ſua his viſis, quod iuris erit, ſtatuere poſſit. *Ferdinan. ann. 57. art. 16. Et. ann. 59. art. 8. & 9.*

Bona quondam Stephani Ianoki reſtitui poſſe, quoad apprahenſionem eorum, contradictio iure euertatur. ART. LVIII.

DE bonis quondam Stephani Ianoki per Cameram Scepuſienſem occupatis, decretum eſt, vt illis, à quibus occupata ſunt, per Cameram Scepuſienſem reſtituantur, & Donatarij more conſueto ſe ſtatuant, quibus ſi contradictum fuerit, agant iure.

In expeditionem profecturi Nobiles ſuperiorum Comitatuum, vbi liberos coniugeſue relinquant prouidendum, aut aliquid ab illis, nomine profectionis in bellum accipiatur. ART. LIX.

DECLARARVNT denique Statibus & Ordinibus Regni, Zathmarienſis & cæteri Comitatus vltra Tybiſcum poſiti, quàm graue & impoſſibile eis ſit, ingruente aliqua vi hoſtili & exercitu ſacræ Maieſtatis ſuæ, retro, vt proximis annis factum fuit, Caſſouiam verſus ſe recipiente, ad requiſitionem Capitaneorum ſacræ Maieſtatis ſuæ, cum perſonis ſuis, eidem exercitui tàm procul ſeſe coniungere, relictis domi vxoribus & liberis, omnibus fortunis ſuis quibus potius tunc aliò in tutum aliquem locum, qui illic nullus in propinquo eſt, transferendis vacare deberent. Quod cum iudicio Regnicolarum quoque illis difficile & periculoſum valde ſit: ſupplicant, ipſis per ſacram Maieſtatē ſuam clementer prouideri de modo aliquo idoneo, quòd dum ipſi in exercitu ſunt, vxores & liberos cū familia, ſecuro aliquo in loco relinquant; vel ſi hoc fieri non poſſit, pro exercituatione aliquid contribuant, & ſic tranſlationi familiæ ſuæ, ad loca ſecuriora proſpicere poſſint: ſicut etiam Maieſtas ſua ſeſe clementer obtulit, quòd talem habitura ſit petitionis illorum rationem, vt ſi quæ vis hoſtilis poſthac ingruat, eum exercituationis modum inſtituet, quo illi meritò contenti eſſe poſſint.

Confirmatio prædictorum articulorum petitur. ART. LX.

ATQVE hæc ſunt, quæ ad mandatum Maieſtatis ſuæ ſacræ fideles eiuſdem Status & Ordines Regni Vngariæ, humiliter reſpondenda duxerunt, ſumma ſui cum ſubmiſſione, eandem ſuppliciter orantes, dignetur hoc humile illorum reſponſum & Decretum gratioſè acceptare & approbare.

CONCLVSIO.

NOs itaq; præmiſſa fidelium noſtrorum vniuerſorum Statuum & Ordinum Regni noſtri Vngariæ, partiumque ei ſubiectarum humili ſupplicatione clementer exaudita & admiſſa, præſcriptos vniuerſos & ſingulos articulos, nobis modo prædicto præſentatos, præſentibus literis, ſiue libro noſtro, de verbo ad verbum inſeri & inſcribi fecimus, eoſdemq; ac omnia & ſingula in eiſdem contenta,

ratos,gratos,& accepta habentes,ac nostrum illis Regium præbentes consensum, beneuolum pariter & assensum,omniaq; & singula in eis contenta,authoritate nostra Regia, acceptauimus, approbauimus, ratificauimus & confirmauimus: offerentes nos clementer, quòd omnia præmissa in omnibus suis punctis, clausulis & articulis,tàm nos ipsi inuiolabiliter obseruabimus,quàm per alios fideles subditos nostros, cuiuscunque status& conditionis existant, obseruari faciemus: imò acceptamus, approbamus, ratificamus & confirmamus,harum nostrarum vigore & testimonio literarum. Datum Posonij vigesima sexta die mensis Octobris,anno Domini,Millesimo,Quingentesimo, Sexagesimo nono: Regnorum nostrorum, Romani, Vngariæ,& aliorum septimo, Boëmiæ verò vigesimo primo.

MAXIMILIANI IMPERATORIS DECRETVM, PRIMVM ANNI M. D. LXXII.

NOs MAXIMILIANVS Secundus, DEI gratia, electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Vngariæ, Boëmiæ, Dalmatiæ, Croatiæ,Sclauoniæ,&c.Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ,&c.Marchio Morauiæ,Comes Tyrolis,&c. Memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes quibus expedit vniuersis, quòd fideles nostri, domini Prælati, Barones, Magnates, Nobiles, cæteriq; Status & Ordines Regni nostri Vngariæ, & partium ei subiectarum, in generali eorum Conuentu pro festo Purificationis Beatissimæ Virginis Mariæ, anno Domini, Millesimo, Quingentesimo,Septuagesimo secundo, celebrato,in ciuitate nostra Posoniensi,ex mandato nostro congregati, exhibuerunt & præsentauerunt nobis,medio serenissimorum RVDOLPHI & Ernesti, Archiducum Austriæ, filiorum nostrorum charissimorum, qui scilicet nostra in persona, dicto generali Conuentui præfuerunt, infrascriptos articulos, in eodem Conuentu,communibus omnium ipsorum votis,pariq; & vnanimi consensu conclusos: supplicantes nobis humilimè, vt vniuersos & singulos eos articulos, omniaque & singula in eis contenta, ratos,gratos, & accepta habentes, nostrumq; Regium illis consensum præbêres,authoritate nostra Regia clementer acceptare,approbare,&confirmare,atque tàm nos ipsi obseruare, quàm per alios omnes, quorum interest, obseruari facere dignaremur. Quorum quidem articulorum tenor talis est.

Cæsaris excusationi locum dant Regnicolæ, qui propter aduersam valetudinem Conuentui præesse non potuit,orantes DEVM,vt eum pristinæ sanitati restituat. ART. I.

FIDELES subditi sacræ Cæsareæ & Regiæ Maiestatis, domini Prælati, Barones, Nobiles, cæteriq; Status & Ordines Regni Vngariæ,in Dieta eorum generali pro festo Purificationis Beatissimæ Virginis Mariæ indicta,congregati,primùm omnium benignam Maiestatis suæ sacratissimæ excusationem,quo minus,vti decreuerat & summè optauit, hactenus in medium fidelium suorum Regnicolarum venire,suaque illis præsentia,in omnibus ipsorum rebus adesse subuenireq; potuerit,humiliter & libenter acceptant: nihil dubitantes aduentum suæ sacræ Maiestatis,non nisi ob arduas & summè necessarias, easq; quas sua Maiestas Cæsarea fusius recensuit causas, potissimùm verò ob affectam Maiestatis suæ Cæsareæ valetudinem,hucusque fuisse dilatum. Precantes insuper DEVM optimum maximum, vt confirmata valetudine,suam Maiestatem Cæsaream conseruet ipsis & Reipublicæ Christianæ diutissimè sanam & incolumem.

Gratiarum actio pro Rege Rudolpho,Regno Vngariæ promisso. ART. II.

DEINDE perceptis ijs,quæ Maiestas sua Cæsarea & Regia,ad ipsorum re-

ſponſum benignè replicauit, maximas imprimis & immortales gratias Maieſtati ſuæ Cæſareæ agunt & habent, quòd ex ingenti & planè paterna benignitate ſua, qua cum aliàs ſemper plurimis argumentis, tum potiſſimùm hoc tempore erga ipſos declarare dignata eſt, humilem ipſorum poſtulationem, in qua chariſſimum filium Maieſtatis ſuæ Cæſareæ, natu maximum, ſereniſſimum Principem & dominum, dominum RVDOLPHVM Archiducem Auſtriæ, &c. in legitimum ſucceſſorem Maieſtatis ſuæ, Regem videlicet Vngariæ declarandum petebant, tàm piè & promptè, tamq; clementer admiſerit. In quo vel vnico, Status & Ordines Regni, cum ſumma animorum alacritate, agnoſcunt Maieſtatem ſuam Cæſaream, non modo præſenti, ſed etiam futuræ ipſorum permanſioni & ſaluti quàm optimè conſuluiſſe: offerentes propterea tàm Maieſtati ſuæ Cæſareæ, quàm ipſi sereniſſimo iam declarato ipſorum Regi, in omni rerum & fortunæ euentu, vſque ad extremum ſpiritum, fidelem & obſequioſam promptitudinem, ſimulq; humiliter ſupplicantes, velit Maieſtas ſua Cæſarea eorum omnium meminiſſe, quæ per Regnicolas antea obnixè petita fuerint, nimirum vt ipſe ſereniſſimus Princeps RVDOLPHVS, in Vngaria reſidere, & adhibitis ſibi Vngaris, Regni negotia tractare & cognoſcere iam nunc aſſueſcat.

Rudolphus Archidux Auſtriæ, Rex Vngariæ declaratus.

RVDOLPHI Coronatio maturetur. ART. III.

QVOD vero Maieſtas ſua Cæſarea, pro Regni huius ſui commodo maximopere opportunum eſſe exiſtimat, vt hæc res, quanto citius fieri poteſt, ad optatum effectum deduci, & Coronationis ipſius ſolemnitas peragi queat; id ipſum omnino fideles quoque Maieſtatis ſuæ Cæſareæ, Status & Ordines Regni promptiſſimè ſentiunt. Et propterea, vnanimi voto ſtatuunt, aliam peculiarem Dietam, per Maieſtatem ſuam Cæſaream, primo quoque tempore, quod Maieſtas Cæſarea maximè idoneum & opportunum fore cenſuerit, promulgandam eſſe, in qua Coronationis huius celebritas, debito modo inchoari, & Deo iuuante perfici poſſit.

Contribuunt Regnicolæ in duos annos, florenos quatuor. ART. IIII.

DE ſubſidio, quod Maieſtas ſua Cæſarea, in duos annos, præſentem videlicet & futurum poſtulat, Status & Ordines Regni non ignorant, omnes rationes per Maieſtatem ſuam Cæſaream adductas, maximè validas & neceſſarias eſſe: ob extremam tamen miſeræ plebis inopiam, non poſſunt Maieſtati ſuæ Cæſareæ tantum ſubſidij, quantum vrgentiſſimæ neceſſitates exigunt offerre. Nihilominus in hac afflictiſſima rerum conditione, pollicentur Maieſtati ſuæ Cæſareæ in hos duos annos, quatuor florenos incluſiuè cum lucro Cameræ. Ita nimirum, quòd hoc præſenti anno à ſingulis portis, ſoluantur ſinguli floreni duo: quorum alter, prima die futuri menſis Auguſti, alter verò ad feſtum Beati Nicolai Epiſcopi proximè venturum exigatur. Ad ſequentem verò annum Milleſimum, Quingenteſimum, Septuageſimum tertium, ſimiliter offerunt duos florenos, incluſo etiam lucro Cameræ, in duobus ſimiliter terminis exigendos: quorum alter erit feſtum Sancti Georgii, alter verò feſtum Sancti Michaëlis tunc proximè venturum. Illud declarantes, quòd iuxta priores conſtitutiones, de colonis Turcis ſubiectis, media tantum dicæ pars exigatur. Supplicant autem, dignetur Maieſtas ſua Cæſarea, cauſas ob declaratas, hoc calamitoſo miſeræ plebis ſtatu, hiſce quatuor florenis, benignè contenta eſſe.

Turcis ſubiecti dimidium dicæ ſoluunt.

Noua portarum fiat connumeratio. ART. V.

NOVAM etiam portarum connumerationem, tàm in Vngaria, quàm Sclauonia Status & Ordines Regni admittendam vnanimiter cenſent, iuxta priores articulos anni Milleſimi, Quingenteſimi, Sexageſimi noni.

Poſon. an. 69. art. 7.

Tractatus de appendicibus dicæ in aliud tempus reijciuntur.

ART. VI.

VERUM quod ad Tertiarios, Quartarios, Sextarios, ac inquilinos, carbonarios, molitores, Ruthenos & Valachos: Item electionem Dicatorum, & alias dicationis appendices per Maiestatem suam propositas attinet supplicarunt quidem Maiestati suæ Cæsareæ Status & Ordines Regni, dignaretur benignè in illis omnibus priores constitutiones anno Millesimo, Quingentesimo, Sexagesimo nono editas, nunc quoque ratas habere, sed Maiestas sua Cæsarea ista ad alios tractatus commodiori tempore suscipiendos reiecit.

Constitutiones anni Millesimi, Quingentesimi, Sexagesimi noni renouantur, & quædam tractanda in tempus Coronationis remittuntur. ART. VII.

QUÆ verò alia in hac Dieta, vel per Maiestatem suam Cæsaream proposita, vel per Status & Ordines Regni nouiter producta fuerunt, postquam præsens Conuentus, præter opinionem, in tam longum diuturnumq; tempus extractus fuit, vt Regnicolæ ipsi grauibus quotidie sumptibus erogatis, planè exhausti sint. Si verò de singulis factæ replicationis articulis, adhuc ita, vt res ipsa & necessitas postulat, loquendum, tractandum & concludendum foret, huic rei ad minus, vix integrũ mensem satis futurum videant: tempus insuper futuræ Coronationis, non multo post adfuturum sit. Ideò vnanimiter, & summa cum humilitate supplicant Maiestati suæ Cæsareæ, dignetur ea quæ de his rebus hinc inde propositis, iam antea in Dieta anni Millesimi, Quingentesimi, Sexagesimi noni sancita sint, in eodem, quo hactenus fuerunt statu, clementer relinquere, & tam ista, quàm reliqua in illud lætum & exoptatum Coronationis tempus clementer prorogare & differre.

Supplicant Status dari Ecclesiæ Iauriensi Episcopum. ART. VIII.

PORRO Comitatus Vltradanubiani, qui videlicet decimas suas ad Episcopatum Iauriensem dare soliti sunt, adhuc supplicant Maiestati suæ Cæsareæ, vt ipsis de idoneo Prælato clementer prouidere, & hoc loco benignarum oblationum suarum memor esse quamprimum dignetur.

Emericus Czobor eligitur in Propalatinum. ART. IX.

DEINDE, quoniam Maiestas sua Cæsarea, dominum Emericum Czobor, ad officium Locumtenentis Palatinalis in Iudicijs, benignè promouendum & eligendum statuit, isq; solitum iuramentum coram serenissimis Principibus, & Statibus ac Ordinibus Regni publicè præstiterit: ijdem Status & Ordines vnanimi voto humiles agunt suæ Maiestati gratias, quòd ad eorum petitionem dignata sit ad hoc officium nominare & constituere idoneam personam.

Ioannes Rueber & Ladislaus Poppel fiunt Vngari. ART. X.

POSTREMO cum Maiestas sua Cæsarea Statibus & Ordinibus Regni benignè commendauerit, dominos Ioannem Rueber de Pixendorff, & Ladislaum Poppel de Lobkouicz, vt eosdem in numerum ipsorum recipere, & in veros ac indubitatos Regnicolas creare vellent: domini Prælati, Barones, Nobiles, cæteriq; Status & Ordines Regni, in animum reuocatis fidelibus seruitijs, quæ ipse dominus Ioannes Rueber, plurimis in locis, strenuè & militariter sacræ Regni Vngariæ Coronæ præstitit. Tum verò etiam illis gratuitis meritis, quibus familia dicti domini Poppel, ab antiquo Diuis Vngariæ Regibus sese commendatam reddidit, eosdem accepto prius suo, ac hæredum suorum nomine, solito iuramento, in veros Vngaros solenniter creant & pronunciant.

CONCLVSIO.

NOs itaque promissa supplicatione fidelium subditorum nostrorum, dominorum Prælatorum, Baronum, Magnatum, ac Nobilium, aliorumq; Ordinum & Statuum huius Regni nostri Vngariæ, & partium ei subiectarum clementer admissa,

missa, prædictos vniuersos & singulos articulos, modo præmisso nobis præsentatos, præsentibus literis nostris, de verbo ad verbum inseri fecimus & inscribi, eosdemq; ac omnia & singula in eis contenta, ratos, gratos, & accepta habentes, eisdem nostrum Regium consensum, beneuolum pariter & assensum præbuimus, illosq; & quæuis in eis contenta authoritate nostra Regia acceptauimus, approbauimus, ratificauimus & confirmauimus: offerentes nos clementer, quod præmissa omnia, in omnibus punctis, clausulis & articulis, tàm nos ipsi inuiolabiliter obseruabimus, quàm per alios omnes fideles subditos, cuiuscunque status & conditionis existant, obseruari faciemus: imò acceptamus, approbamus, ratificamus, & confirmamus, harum nostrarum vigore & testimonio literarum. Datum in ciuitate nostra Viennæ Austriæ, vigesima septima die mensis Aprilis, anno Domini, Millesimo, Quingentesimo, Septuagesimo secundo.

MAXIMILIANI IMPERATORIS DECRETVM SECVNDVM, ANNI M. D. LXXII.

NOs MAXIMILIANVS Secundus, DEI gratia, electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Vngariæ, Boemiæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Comes Tyrolis, &c. Memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes quibus expedit vniuersis, quod fideles nostri, domini Prælati, Barones, Nobiles, cæteriq; Status & Ordines Regni nostri Vngariæ, & partium ei subiectarum, in generali eorum Conuentu, pro festo Natiuitatis beatissimæ Virginis Mariæ, proximè elapso, Posonium per nos indicto & celebrato, congregati, exhibuerunt nobis & præsentauerunt infrascriptos articulos, in eodem Conuentu communibus ipsorum votis, ac pari & vnanimi consensu conclusos: supplicantes nobis humilime, vt vniuersos & singulos eos articulos, omniaq; & singula in eis contenta, ratos, gratos, & accepta habentes, nostrumque Regium consensum illis præbentes, authoritate nostra Regia clementer acceptare, approbare, & confirmare, ac tàm nos ipsi obseruare, quàm per alios, vbique per Regnum nostrum Vngariæ firmiter obseruari facere dignaremur. Quorum quidem articulorum tenor talis est.

Rudolphus Archidux Austriæ postulatus ante electusq; vigesima quinta die Septembris Rex Vngariæ Posonij Coronatus est. ART. I.

VERBIS exprimere nequeunt domini Prælati, Barones, Nobiles, cæteriq; Status & Ordines Regni Vngariæ, summam ipsorum læticiam, quam ex felici & prospero sacratissimæ Cæsareæ & Regiæ Maiestatis, domini sui clementissimi, in medium ipsorum aduentu conceperunt, qui ipsis eo gratior & optabilior accidit, quòd serenissimum quoq; Principem RVDOLPHVM, Archiducem Austriæ, &c. filium Maiestatis suæ Cæsareæ natu maiorem, quem ipsi nouissimis Comitijs vnanimi omnium Ordinum consensu, in Regem Vngariæ postulauerant, sanum & incolumem vna aduenisse conspiciunt. Quibus etiam, pro veteri sua erga ipsorum Reges propensione & fide, eo cum equitatu, quo ampliori & instructiori in hoc afflictissimo rerum statu potuerunt, certatim & alaciter occurrerunt. Et cum serenissimus ipse Princeps RVDOLPHVS, secundum vetustas Vngariæ leges & instituta, sacram Regni Coronam, vigesima quinta die, nunc præteriti mensis Septembris (quod felix faustumq; sit) susceperit, omnisq; ea celebritas, iuuante DEO, congruis modis ex animi sententia peracta sit. *Rudolphi Regis Coronationis dies.*

Libertates & immunitates, Status & Ordines seruatas sibi volunt, & preces ad DEVM optimum maximum adjiciunt. ART. II.

STATVS

STATVS & Ordines Regni operæ pretium se facturos existimant, si in hoc suscepti regiminis felici initio, tàm Maiestatis suæ Cæsareæ, quàm nouo ipsorum Regi, pro obseruandis & defendendis antiquis Regni libertatibus & legibus, ac maiorum suorum institutis, ad quæ obseruanda, vtraq; ipsorum Maiestas solenniter sese obstrinxit, humiliter supplicauerint. Quæ quidem vetustissimæ libertates, quibus modis, & per quos præcipuè lædi soleant, & quibus rationibus id aduerti possit, Maiestates suæ, tàm ex scripto prius per ipsos humiliter porrecto, quàm ex sermone ipsorum coram Maiestate sua Cæsarea & Regia facto, benignè intelligere potuerunt. Sed vt Maiestates suæ illas inposterum violari per quospiam non permittant, Status & Ordines, quemadmodum aliâs frequentissimè & instantissimè postularunt, & Maiestas sua Cæsarea ac Regia nunc pientissimè se facturam obtulit, ita nunc quoque toto pectore efflagitant: offerentes Maiestatibus suis vtrisque in omni rerum & fortunæ euentu, ea fidelitatis obsequia, quæ à fidelibus subditis, erga optimum Regem & Principem, domi forisq; promptissimè præstari consueuerunt. Confidunt autem Maiestatem suam Cæsaream & Regiam, eorum quæ de huiusmodi libertatis publicæ conseruatione, in hac Dieta, iteratis vicibus tractata fuerunt, omni tempore, & occasione bene memorem futuram, neque passuram, vt vlterioribus Regnicolarum querelis, locus aut causa præbeatur. Quod etiam vt Maiestas sua Cæsarea, ac serenissimus quoque Rex RVDOLPHVS, & facere clementer velint, & perficere possint, DEVS optimus maximus, Maiestatibus suis vires roburq; subministrare dignetur.

Regni nouo munus honorarium ab Ordinibus offertur. ART. III.

PORRO, quanquam Regnicolæ ipsi, si integro Regno, tranquillaq; & optima pace florerent, nouo ipsorum Regi, nunc recenter Corona sacrosancta insignito, conueniens donarium humiliter offerre & administrare promptissimi essent: tamen quod in hoc rerum suarum miserrimo & turbulentissimo statu fieri potest, Maiestati suæ Regiæ propensis animis offerunt, nimirum pro singulis portis, iuxta proximam dicationem connumerari consuetis, ac iuxta modum ordinemq; exigendi nouissimo in Conuentu decretum, singulum vnum florenum Vngaricum, in duobus terminis exigendum: quorum alter erit festum Purificationis beatæ Mariæ Virginis, alter verò prima dies Augusti anni instantis. Supplicant autem Maiestati suæ Regiæ humiliter, dignetur hoc ipsorum munus honorarium, pro rerum & temporum conditione, clementi animo suscipere, & æqui boniq; consulere, cum plura & maiora offerendi, non ipsorum voluntas, sed facultas ipsis erepta sit.

Iudicibus ordinarijs vitâ functis, alijs substitutis, iudicia Eperiessij pro Comitatibus superioribus celebrentur: & qui Iudices, tàm sedi Regiæ, quàm Appellationibus intersint. ART. IIII.

PRÆTEREA, quoniam sacra Maiestas sua Cæsarea, in locum dominorum Iudicum ordinariorum, superiori anno demortuorum, alios substituere dignata est, & hac quoque in parte fidelibus suis Regnicolis paternè prouidit. Ideò Status & Ordines Regni, æquum & iustum esse censentes, vt iudicia suis temporibus celebrentur, statuunt, & concludunt, quòd Comitatibus partium Regni superiorum, vltra citraq; Tybiscum existentibus, iudicia in ciuitate Eperies celebrentur, quæ principium habeant octauo die festi beati Georgij militis & Martyris, ac durent diebus quadraginta, exceptis festis. Prælati verò, qui illis iudicijs intersint, erunt domini, præpositus Lelesziensis, vel Vicarius, aut Lector Agriensis: Barones verò, Magnificus Franciscus de Reua, aut Caspar Draskovvitth, aut Emericus Forgach. Si autem isti Assessores, qui nunc sunt in sede Iudiciaria, eo ire non possent, eligantur ibidem per dominos Iudices ordinarios, & præstent consuetum iuramentum. Sint autem Assessores vtrobique viri literati, Latinæ linguæ non ignari,

Franciscus Reuai, Caspar Draskouitth, Emericus Forgach.

ignari, & Iurisperiti. Ad reuidendas verò Appellationes partium superiorum, dominus Locumtenens eo proficiscatur, & eas adiudicet. Cui ibidem in Eperies, in reuidendis ijsdem Appellationibus adesse debeant, dominus Episcopus Varadiensis, dominus Nicolaus de Bathor, & dominus Locumtenens Palatinalis, & dominus Ioannes Pethö, ac dominus Caspar Magochi.

Ioannes Pethö. Caspar Magochi.

Iudicia pro Comitatibus cis & vltra Danubium sitis, Posonij fiant, & qui Iudices illis intersint. ART. V.

PARTIBVS istis ex Comitatibus, vltra citraq; Danubium sitis, quoniam hoc anno iudicia celebrari non possunt, ideò anno proximè futuro celebrentur in hac ciuitate Posoniensi, ad octauum diem festi beati Lucæ Euangelistæ, quæ similiter durabunt diebus quadraginta, exceptis festis diebus. Prælati, qui eis interesse debebunt, sunt dominus Electus Episcopus Tininiensis, aut dominus Præpositus Iauriensis: ex Baronibus intersint, Franciscus de Reua, aut Paulus Czobor, aut Emericus de Mere.

Zacharias Mossoczi, electus Tininiensis, Franciscus Reuai, Paulus Czobor.

Iudices appellationum huius termini. ART. VI.

APPELLATIONES autem harum partium, dominus Locumtenens reuideat cum dominis Prælatis, Episcopo Agriensi & Vesprimiensi, ac Baronibus, domino Ladislao Banffij, domino Locumtenente Palatinali, & domino Michaële de Reua, & domino Ioanne Chorom. Qui si legitimè fuerint impediti, dominus Locumtenens communicato consilio cum dominis Consiliarijs Maiestatis Cæsareæ sibi adhærentibus, eliget aliquem idoneum loco absentis, iuxta articulos anni Millesimi, Quingentesimi, Sexagesimi septimi.

Antonius Verantius A. S. hoc anno Locumtenens declaratur, qui anno sequenti sub iudicijs Eperiesij uita decessit. Poson. ann. 67. art. 26.

Iudicia Regni Sclauoniæ. ART. VII.

IN Sclauonia verò Iudicia publica, bis in anno in ciuitate Zagrabiensi montis Græcensis celebrentur, hoc est, primo pro festo Epiphaniæ Domini, & secundo pro festo beati Iacobi Apostoli. Et singuli Iudiciorum termini, durent singulis diebus quadraginta, exceptis festis: quibus intersit dominus Episcopus Quinqueecclesiensis. Transmissiones autem ex Sclauonia deductæ, reuideantur hîc Posonij, more antiquitus obseruato.

Ioannes Monoszloi E. Quinqueecclesien.

Dica, gratuitus labor, & continui militis intertentio, fiat secundùm præscriptum constitutionum anni Millesimi, Quingentesimi, Sexagesimi noni. ART. VIII.

POSTREMO decernunt Status & Ordines Regni, vt in exactione dicæ seu subsidij in proximo Conuentu, ad duos annos ablati, item in laboribus gratuitis ad confinia per colonos præstari solitis, nec non de continui equitatus in ijsdem confinijs intertentione, vsque ad futuram generalem Dietam, is modus & ordo seruetur, qui in Comitijs anni Millesimi, Quingentesimi, Sexagesimi noni fuit vnanimiter conclusus.

CONCLVSIO.

NOs itaque præmissa supplicatione fidelium subditorum nostrorum dominorum Prælatorum, Baronum, Nobilium, cæterorumq; Statuum & Ordinum huius Regni nostri, & partium ei subiectaurm clementer admissa, prædictos vniuersos articulos, modo præmisso nobis præsentatos, præsentibus literis nostris, de verbo ad verbum inseri fecimus & inscribi, eosdemq; ac omnia & singula in eis contenta, ratos, gratos & accepta habentes, ijsdem Regium nostrum consensum, pariter beneuolum & assensum præbuimus, illosq; & quæuis in eis contenta, authoritate nostra Regia acceptauimus, approbauimus, ratificauimus & confirmauimus: offerentes nos clementer, quòd præmissa omnia, in omibus punctis, clausulis & articulis, tàm nos ipsi inuiolabiliter obseruabimus, quàm per alios omnes fideles subditos, cuiuscunque status & conditionis existant, obseruari faciemus: imò

imò acceptamus, approbamus, ratificamus, & confirmamus, harum nostrarum vigore & testimonio literarum. Datum in arce nostra Regia Posoniensi, decima quinta die mensis Octobris, anno Domini, Millesimo, Quingentesimo, Septuagesimo secundo: Regnorum nostrorum Romani decimo, Vngariæ & aliorum nono, Boëmiæ verò anno vigesimo quarto.

MAXIMILIANI IMPERATORIS DECRETVM, ANNO DOMINI M. D. LXXIIII. editum.

NOs MAXIMILIANVS secundus, Diuina fauente clementia, Romanorum electus Imperator, semper Augustus, Vngariæ, Boëmiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, &c. Memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes quibus expedit vniuersis, quòd fideles nostri, domini Prælati, Barones, Magnates, Nobiles, cæteriq; Status & Ordines Regni nostri Vngariæ, & partium ei subiectarum, in generali eorum Conuentu, pro octauo die Purificationis beatissimæ Mariæ virginis, in anno Domini Millesimo, Quingentesimo, Septuagesimo quarto, celebrato, in ciuitate nostra Posoniensi, ex mandato nostro congregati, exhibuerunt & præsentauerunt nobis, medio serenissimorum Principum, domini RVDOLPHI, Regis Vngariæ, & Ernesti, Archiducum Austriæ, filiorum nostrorum charissimorum, qui scilicet nostra in persona dicto generali Conuentui præfuerunt, infrascriptos articulos, in eodem Conuentu communibus ipsorum votis, parique & vnanimi consensu conclusos: supplicantes nobis humiliter, vt vniuersos & singulos eos articulos, omniaq; & singula in eis contenta, ratos, gratos, & accepta habentes, nostrumque Regium consensum illis præbentes, authoritate nostra Regia clementer acceptare, approbare, & confirmare, atque tàm nos ipsi obseruare, quàm per alios omnes, quorum interest, obseruari facere dignaremur. Quorum quidem articulorum tenor sequitur in hæc verba.

Regnicolæ Regi suo quatuor florenos, duobus annis exoluendos humiliter offerunt

ART. I.

SVMMA cura & diligentia, domini Prælati, Barones, Magnates, Nobiles, cæteriq; Status & Ordines Regni Vngariæ, de his omnibus tractarunt, quæ à Maiestate sua Cæsarea ac Regia, domino ipsorum clementissimo, ipsis scripto proposita fuerunt. Et quamuis nihil ipsis fuisset optatius, quam Maiestatis suæ præsentiam, quæ sanè his potissimùm temporibus per quam necessaria esset, intueri, calamitatesque publicas Maiestati suæ coram recensere, ijsq; auertendis remedia postulare: quia tamen Maiestatem suam Cæsaream ac Regiam, aduersa valetudine impeditam fuisse, quominus in medium suorum fidelium venire potuerit, Status & Ordines Regni intelligunt, eo æquiori animo Maiestatis suæ Cæsareæ absentiam tolerant, quòd serenissimos Principes & dominos, RVDOLPHVM Regem Vngariæ, & Ernestum, Archiduces Austriæ, &c. filios suos charissimos, dominos verò ipsorum clementissimos, futuræ consultationi initium facturos antea præcessisse, ac omnes iam tractatus feliciter ad finem deduxisse conspiciunt. Primùm igitur, quod ad postulatum subsidium attinet, quamquam Status & Ordines Regni, si possent, ad subleuandas Maiestatis suæ necessitates longè maiora cōtribuerint: præsentium tamen temporum turbulentissimo statu considerato, Maiestati suæ humiliter offerunt, de singulis portis, singulos duos florenos, in duos annos contribuendos, atque ijsdem modis & formis exigendos, quibus hactenus fieri consueuit. Terminus verò vnus contributionis, hoc anno sit festum Pentecostes proximè futurum & alter festum sancti Michaëlis. Sequenti verò anno, nimirum Millesimo, Quingentesimo, Septua-

Septuagesimo quinto, iisdem terminis, quos Maiestas sua Cæsarea vult, in festo sancti Georgij Martyris, & sancti Michaëlis Archangeli, ipsa contributio exigatur. Statuunt etiam, vt hoc quoque anno, tàm in Vngaria, quàm Sclauonia, noua portarum connumeratio fiat. Iustum etiam censent Regnicolæ, vt in Sclauonia, non secus ac in Regno Vngariæ, Dicator oculata reuisione, & villatim portarum numerum conscribat, easdemque villas vbique, more consueto, cum iurato Nobile perlustret & inspiciat, neque quispiam se vlterius ei opponere ausit.

Vicebanus, Prothonotarius, Vicecomites, & Iudices nobilium in Regno Sclauoniæ, suis salarijs contenti, dicam è bonis suis soluere procurent. ART. II.

QVONIAM autem in Regno Sclauoniæ, Vicebanus, Viceprotonotarius, & Vicecomes, Iudices nobilium, & eorum Vicesgerentes, dicam Regiam, ex quadam consuetudine in bonis ipsorum detinuisse dicuntur. Deliberatum est, vt si Maiestas sua prædictis Vicebano, Viceprotonotario, Vicecomitibus, Iudicibus nobilium, & eorum Vicesgerentibus sua salaria dari iusserit (quæ illi hactenus reddita fuisse negant) eo sint contenti, & dicam Regiam è bonis suis administrent. Si verò salarium eis non reddetur, extunc dica bonorum suorum eis cedat, cum illa vix centum florenos in toto facere dicatur.

Tributarij, molitores, libertini carbonarij, sectores. ART. III.

DE Tributarijs, molitoribus, libertinis, carbonarijs, sectoribus, nec non salarijs Vicecomitum & Dicatorum: ITEM exemptionibus, Lucro Cameræ, obseruentur ea, quæ in Conuentu anni Millesimi, Quingentesimi, Sexagesimi noni sunt constituta. *Poson. ann. 1569. art. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. & 15.*

Rutheni & Valachi in medio colonorum hæreditates habentes, integram; in Alpibus verò extra villas degentes, dimidium dicæ vt soluant decretum est. ART. IIII.

RVTHENI & Valachi, qui in villis in medio colonorum domos & alias hæreditates habent, ad integram dicam persoluendam sint astricti. Ab his verò Ruthenis & Valachis, qui domo carentes, in Alpibus & syluis pecora alunt, media tantum dicæ pars exigatur, iuxta articulos anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi noni, superinde editos. A reddendis tamen decimis videntur exempti esse debere, postquam eas ipsi suæ Religionis Episcopis & sacerdotibus dare soleant. Si qui autem ex eis, vel alijs etiam colonis furtum commiserint, tales capti, & more solito conuicti, per Comites, aut Vicecomites, aut dominos terrestres, quibus talis iurisdictio permissa est puniri possint, iuxta publica statuta Nouizoliensia. *Poson. ann. 1559. art. 12.* *Furtum committentes puniantur.*

Gratuitum laborem duodecim dierum à singulis portis ad munitiones confiniorum continuandum esse. ART. V.

DE laboribus gratuitis ad arces finitimas præstandis, Status & Ordines Regni vnanimi voto decernunt, vt per duodecim dies, singuli laboratores, de singulis portis ad confiniorum munitionem expediantur, ad ea videlicet loca, quæ in articulis, anni Millesimi, Quingentesimi, Sexagesimi septimi, & Millesimi, Quingentesimi, Sexagesimi noni, sunt denotata: idque incipiendo à festo Pentecostes proximè futuro. Illi tamen articuli, cum de castello Kallo, vt potè post eas constitutiones nuper extructo, nihil contineant, ideò nunc de nouo statuitur, vt duo Comitatus, Vngh & Beregh, operarios suos ad Kallo expediant: de bonis tamen, ad arcem Munkach pertinentibus, sit in arbitrio Maiestatis suæ, vtrum ea ad ipsam arcem Munkach deputare, aut eo quoque ad Kallo laborare velit. Ad arcem autem Somoskő, proprij coloni, & ij qui ad arcem Gedő per Turcas destructam pertinebãt, laborare teneantur. *Poso. an. 67. art. 17. ann. 69. art. 19.* *Kallo.* *Comitatuum Vngh & Beregh labores ad Kallo deputantur.* *Somoskeu.* *Agriense oppidum.*

arcendos peditum Martalociorum excursus, & latrocinia, ac syluarum latebras inuestigandas, equitibus commodiores.

Expeditionis siue insurrectionis generalis & particularis modus. ART. XI.

QVOD ad insurrectionem particularem & generalem, eiusque ordinem attinet, referunt se Regnicolæ ad constitutiones Sopronienses, anno Millesimo, Quingentesimo, Quinquagesimo tertio, & Posonienses, anno Millesimo, Quingentesimo, Quinquagesimo sexto, superinde sancitas, quas supplicant nunc quoque ratas haberi.

Coloni quinti cuiuslibet insurrectio. ART. XII.

SIMILITER de quinti cuiuslibet coloni insurrectione, supplicant pristinas Regni constitutiones etiam nunc seruari, quæ Tirnauiæ, anno Millesimo, Quingentesimo, Quadragesimo quinto, & deinde Posonij, anno Millesimo, Quingentesimo, Quinquagesimo quinto, decretæ fuerunt.

Castella minora circa Kanisam, & in Comitatu Szaladiensi præsidio muniantur. ART. XIII.

CASTELLIS minoribus, passim in Regno existentibus, præsertim verò circa Kanisam, & in Comitatu Szaladiensi sitis, aliquo præsidio muniendis, Maiestas sua Cæsarea clementer prospiciat.

Haydones vagi, & liberi equites, id est, nullius seruitio addicti, secundùm articulos anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi septimi, compescantur. ART. XIIII.

DE puniendis vagis & liberis Haydonibus, extat constitutio anno Millesimo, Quingentesimo, Quinquagesimo septimo per Regnicolas publicè decreta, ad quam nunc quoque se Status & Ordines reijciunt. Addunt tamen hoc, vt ea constitutio, quæ antea de peditibus tantum fuerat sancita, inposterum etiam de equitibus liberis, sub cuiuscunque domini Prælati, vel Baronis, vel Nobilis, vel Capitanei nomine diuagantibus, miseramq; plebem vexantibus intelligatur. *Poson. ann. 1557. art. ..*

De non facienda sponte Turcis deditione. ART. XV.

QVONIAM verò solent nonnulli coloni, & nonnunquam quidam etiam Nobiles, se sponte ac vltrò Turcis subijcere, atque huic malo, quo hostis suos terminos haud dubiè latius profert, omnino obuiandum est. Ideò Status & Ordines Regni decernunt, tributarios colonos, & etiam Nobiles vnius sessionis, qui iam se Turcis subdiderunt, iuxta Dietæ anni Millesimi, Quingentesimi, Sexagesimi noni, constitutiones, in eo, quo nunc sunt statu, permanere posse, sicut etiam alios colonos, qui in hunc vsque diem se Turcis tributarios reddiderunt. Deinceps tamen Comites & Vicecomites diligenter præcaueant, ne villæ aliquæ Turcis se subijciant: & si quæ se subijcerent, in earum colonos grauiter animaduertant Nobiles verò, qui ex suis bonis metu hostili aufugerint, si ad arces finitimas se ad habitandum contulerint, liber eis pateat aditus, & in honore habeantur: atque si qui ex eis spontanea voluntate stipendium mereri voluerint, admittantur. *Turcis deditio sponte per colonos non fiat.* *Nobiles profugi, ad habitandum & stipendia merendum, in arces recipiantur.*

Iudicia in Eperies & Posonij ciuitatibus celebrentur. ART. XVI.

IVDICIIS Octaualibus, Status & Ordines Regni eadem loca & tempora constituunt, quæ in superioribus annis fuerunt sancita: nimirum vt partibus superioribus, pro octauo die sancti Georgij Martyris, in ciuitate Eperies: Comitatibus verò vltra citraque Danubium positis, pro octauo die festi beati Lucæ Evangelistæ hîc Posonij iudicia celebrentur. In causis autem vetustioribus, & quæ ante cladem Mohachiensem motæ, sed in sede iudiciaria Maiestatis suæ ab aliquot annis non sunt versatæ, priusquam *Insinuatio præuia, vetustiores prosequendas.*

quam resuscitentur, præcedat aliqua insinuatio, sed tantum de futuris intelligatur. Præterea series & principium causæ, non ab insinuatorijs literarum data, sed à motione litis computetur. Hoc specialiter expresso, quòd inposterum Assessores, tàm in sede iudiciaria, quàm in reuisione Appellationum, in præsentiam domini Locumtenentis deductarum aut deducendarum, esse debebunt viri Iurisperiti, & Latinæ linguæ non ignari. In Sclauonia similiter bis in anno in ciuitate montis Grecensis iudicia celebrentur, semel in festo Epiphaniæ Domini, & secundariò in festo beati Iacobi Apostoli. Et singulorum iudiciorum termini, tàm in Vngaria, quàm Sclauonia durent diebus quadraginta, exceptis festis.

Assessores debent esse Iurisperiti & Latinæ linguæ non ignari.

Qui præsint & intersint Appellationibus, iudicijsq; generalibus sedis Regiæ, & in vtroq; termino iudiciorum. ART. XVII.

In sede autem iudiciaria suæ Maiestatis in Eperies, pro Prælatis intersint domini Episcopus Chanadiensis, vel Franciscus Pakotanus Vicarius Agriensis, alternatim: pro Baronibus verò, Nicolaus aut Michaël de Kisvarda, vel Emericus Forgach. Ad reuidendas verò Appellationes partium superiorum, penes dominum Locumtenentem, adsint domini, Iudex curiæ, Locumtenens Palatinalis, Michaël de Reua, Episcopus Varadiensis, & Episcopus Tininiensis. In iudicijs verò partium vltra & Cisdanubianorum & Comitatuum in illis existentium, in Tabula seu sede iudiciaria Maiestatis suæ, adsint pro Prælatis quidem domini, Nicolaus Telegdinus Præpositus Strigoniensis, vel Stephanus Mathesij Præpositus Iauriensis: pro Baronibus verò adsint domini Paulus Czobor, vel Emericus Meroi, alternatim. In Appellationum verò, ex Posoniensibus iudicijs emursurarum reuisione, intersint domini Episcopi Vesprimiensis, & Tininiensis, Locumtenens Palatinalis, Ladislaus Banffi, Ioannes Balassa, Michael de Reua. Quòd si ex prænominatis dominis, aliqua legitima de causa impediti, iudicijs interesse non possent, dominus Locumtenens, habito consilio cum cæteris dominis Iudicibus ordinarijs, eorum loco alios substituere possit, dum modo illi sint ex ordine Consiliariorum.

Balthasar Melegh E. Chanadiensis

Gregorius Bornemisza E. Varadien.

Zacharias Moßoczi E. Tininiensis.

Stephanus Feierkövi E. Vesprimien.

Locumtenens Assessores vtriusq; status & Ordinis substituit.

Locumtenens ad instar aliorum Iudicum ordinariorum, per suum Protonotarium, omnes causas deinceps adiudicet: præter causas inter Regem & Regnicolas, ac defectus seminis, & Regni Sclauoniæ Transmißiones. ART. XVIII.

Decretum etiam est & statutum: quòd dominus Locumtenens, cum sit Primarius Iudex, & in absentia Maiestatis suæ Cæsareæ & Regiæ, omnium Iudicum Regni Iudicia, per viam Appellationis, in sui præsentiam deducta, approbare & emendare consueuerit, deinceps omnes causas, etiam ratione hæreditatis quorumlibet bonorum & iurium possessionarioum, instar aliorum Iudicum ordinariorum (demptis causis inter Regem & Regnicolas motis, quæ iudicio Palatinali subiectæ sunt: Item causis defectus seminis, & Transmißionibus, ex Regnis Sclauoniæ, & Croatiæ, quas dominus Iudex curiæ, etiam in termino Octauarum Locumtenentiæ, ex Decreto Regni adiudicare debet) tempore generalium iudiciorum quorumlibet terminorum, in sede iudiciaria Maiestatis suæ adiudicari posit.

Stephanus Radetius Episcopus Agriensis in LOCVMTENENTEM REGIVM anno 1573. Viennæ electus, à quo hæc in medium proposita.

Vrburas ex cultura montanarum auri & argenti fodinarum, Regi persoluendas, negligentes iure compellendos esse. ART. XIX.

Statuitur etiam vnanimiter, vt de fodinis minerarum, quæ in bonis dominorum aut Nobilium reperiuntur, consuetæ Vrburæ fisco persoluantur, iuxta Serenißimi olim Regis Vladislai Decretum: Si autem aliqui se exemptos ab huiusmodi Vrburarum pensione prætendunt, ideoq; eas pendere nollent, eos Director citandos curet, & iure solito cum eis agat.

Vrburæ. Vlad. Prim. art. 30. Sigis. Tert. art. 13. Math. Sext. art. 49. Ludouic. Prim. art. 13.

Polonica

Polonica moneta, quæ damno Regni inducitur, sub pœna confiscationis eius, amplius non inducatur. ART. XX.

MONETAM Polonicam, vti prorsus vilem, & non solùm Regnicolis, sed etiam fisco damnosam, publico Maiestatis suæ edicto, à nemine recipiendam, sed prorsus abolendam esse iudicant, sub pœna confiscationis pecuniæ. Quod sic fiet, si in Camera Cremniciensi,& alijs, prohibebitur, ne Aurei & Talleri, aut moneta alba pro grossis Polonicis permutentur. Præfigunt autem Status & Ordines Regni, festum sancti Michaëlis, vt interea quidem recipiatur, & sub hoc spatio temporis, istud interdictum, per Vicecomites vbique publicetur, & deinde eo elapso, vbicunque talis moneta in Regno reperietur, statim in duabus partibus fisco applicetur, & tertia pars accusatori cedat. *Poson. ann. 69. art. 18.* *Aurei, Talleri & alba moneta, pro pecunia Polonica non permutentur.*

Vina à colonis inuitis, ipsis, non auferantur. ART XXI.

ADMONITIONEM Maiestatis suæ Cæsareæ & Regiæ, de vinis à colonis per dominos terrestres non auferendis, nisi eo pretio, quo alijs vendi possent, prout planè paternam & Christiano Principe dignam, Status & Ordines Regni amplectuntur, & vnanimi voto statuunt, in ea re constitutiones publicas, anno Millesimo, Quingentesimo Quinquagesimo sancitas, & nunc per Maiestatem suam citatas, etiam deinceps firmiter obseruandas esse. Quod vt per Maiestatis quoque suæ Cæsareæ officiales,& Cameram obseruetur, Maiestas sua dignetur pasim vbique mandare. *Ferdinand. Poson. ann. 50. art. 36.*

Decimarum arendatio. ART. XXII.

CÆTERVM Status & Ordines Regni, ea quæ de arendatione decimarum, tempore felicis Coronationis serenißimi Regis RVDOLPHI,&c sancita, sed ob temporis breuitatem, in commodiorem decernendi occasionem reiecta fuerunt, nunc repetunt & statuunt, vt si decimas quaspiam Prælati arendare voluerint, eas Maiestas sua Cæsarea, in locis ad sua confinia prorsus & penitus propinquis arendare posit. In locis tamen à confinio remotioribus, nemo Capitaneorum, Camerariorum, aut officialium proprij lucri & commodi causa, decimas contra dominos terrestres arendare ausit. Decimæ autem omnes, quæ hactenus in specie sunt collectæ, etiam inposterum eo modo colligantur: idque fiat iuxta modum & ordinem in articulis anni Millesimi, Quingentesimi, Quadragesimi octaui conscriptum. Et si qui Capitaneorum, Camerariorum, aut aliorum secus facerent, officio priuentur: Maiestas etiam sua articulos anni Millesimi, Quingentesimi, Sexagesimi noni, super decimis edictos, & hactenus per Capitaneos non obseruatos, vbique mandet obseruari. Nobiles verò, qui per Turcas sedibus suis pulsi, in confinijs habitant, decimas propriorum bonorum valeant pro se arendare. Deinde neque Nobiles de terris, ad curias eorum Nobilitares pertinentibus, aut extirpatitijs, neque Ecclesiasticæ personæ,de suis vineis decimas dare teneantur. *Decimæ confinibus prorsus proximas Rex arendare potest.* *Poson. ann. 1548. artic. 60. 61. 62.* *Poson. ann. 1569. art.27. 28. 29. 30.* *Nobiles in cõfinijs habitantes, suorum bonorum decimas liberè arendent.*

Decimas Ecclesiasticæ personæ, ex vineis suis proprijs, & Nobiles ex terris ad Nobilitares curias pertinentibus, non soluant.

Decimarum contra exactores iniquos, quomodo procedendum. ART. XXIII

ET quia in negotio decimarum grauißimæ fiunt & iniquißimæ exactiones, ita vt pro singulo frugum manipulo, singuli duo nummi exigantur, & vinum pennæ, vti appellant, supra decimam extorquetur. Ideò statuunt Regnicolæ, contra iniquos huiusmodi exactores, quòd Capitaneus ipse, qui Decimatores emittere solet, aut officiales alij quicunque, si prædictam huiusmodi exactionem abrogatam innouauerint, & insolenter, ac contra publicas constitutiones in exactione decimæ processerint,euocentur in præsentiam dominorum Iudicum ordinariorũ,& causa ibidem,extra omnem seriem adiudicetur, & ipse Capitaneus seu officiales alij quilibet, pro violentia, in *Poson. ann. 63. art. 68. & sequentibus.*

 ducentis

ducentis florenis, ac pro refusione damni, in pœna dupli conuincantur: & executio fiat per testimonium Capituli, aut Conuentus, ac hominem Regium contradictione, inhibitione, & repulsione non obstante. Indebiti tamen accusatores, in pœna talionis condemnentur, & similis vicissim contra eos executio fiat.

Decimarum vectura obseruetur, & sua merces trituratoribus reddatur.
ART. XXIIII.

DE vectura decimarum, Regnicolæ statuunt, vel vsque ad futuram Dietam ea obseruentur, quæ in prioribus Decretis & constitutionibus superinde continentur. Trituratoribus etiam frugum & blandorum decimalium, ea merces vsque ad futurum Dietæ tempus reddatur, quæ passim aliorum trituratoribus dari consueuit.

Tricesima à rebus, & allodiatura Nobilium & dominorum nulla exigatur.
ART. XXV.

VT Tricesimatorum insolentia vbiq;, tàm in Vngaria, quàm Sclauonia compescatur, Maiestas sua Cæsarea dignetur clementer efficere; qui contra antiquam & peculiarem Nobilitatis libertatem & prærogatiuam, etiam de ijs, quæ ad vsum domesticum emuntur, violenter Tricesimam exigunt. De agricultura etiam, & allodiatura dominorum Nobilium, etiamsi è Regno educatur, Tricesimam non esse exigendam, daclarant plurima Decreta, tàm antiqua Mathiæ & Vladislai Regum, quàm noua, anno Millesimo, Quingentesimo, Quadragesimo secundo Nouizolij edita: Posonienses quoque constitutiones anno Millesimo, Quingentesimo, Quadragesimo octauo, & Millesimo, Quingentesimo, Quinquagesimo, & Millesimo Quingentesimo, Quinquagesimo quarto, & Millesimo, Quingentesimo, Quinquagesimo septimo, & Millesimo, Quingentesimo, Quinquagesimo nono, & Millesimo, Quingentesimo Sexagesimo tertio, superinde sancita extant, quas Maiestas sua iubeat obseruari.

Ann. 42. art. 48. ann. 48. art. 55. an. 50. art. 66. ann. 54. art. 11. ann. 57. art. 16. an. 59. art. 44. ann. 63. art. 57.

Neugradiensis Comitatus decimarum ratione, lis dirimenda, inter Archiepiscopum Strigoniensem & Episcopum Vaciensem. ART. XXVI.

INTER Reuerendissimos dominos, Archiepiscopum Strigoniensem & Episcopum Vaciensem, certa lis & controuersia orta fuit, de decimis quarundam villarum Comitatus Neugradiensis: ita vt illas, vterq; eorum diuersis hominibus elocauerint, qui easdem decimas bifariam à miseris colonis extorserunt, cum illi pauperes, Turcis quoque tributum dare cogantur. Quia ergo Maiestas Regia, inter duos Prælatos, de proprietate decimarum contendentes, ordinarius est Iudex, dignetur Maiestas sua, quanto citius fieri poterit, iudicium & iustitiam personaliter administrare, in quo vtraque pars sua iura seu priuilegia producat.

Decimarum de proprietate si contendant inter se Prælati duo, Rex eorum Iudex est. Huc pertinet Math. 6. art. 45.

Bona ad arces Regias manibus rebellium occupata, quomodo à legitimis eorum dominis recuperanda. ART. XXVII.

QVONIAM autem Maiestas sua ex innata clementia sua benignè annuit, vt si qui fidelium suorum, bona sua per rebelles tempore disturbiorum occupata, iamq; illis eiectis, ad arces Maiestatis suæ possessa, nondum consecuti fuerint, ea iuxta superiorum Dietarum Decreta, si ad se pertinere sufficienter probauerint, eis restituantur. Ideò conclusum est, vt in proximè celebrandis S. Georgij Octauis in Eperies, tales si qui nondum iura sua probassent, coram dominis Iudicibus Regni ordinarijs, aut coram certis Commissarijs, per Maiestatem suam designandis, vel literalibus instrumentis, vel ijs deficientibus, humano testimonio sufficienter docere teneantur, talia bona de iure ad se pertinere: quo facto, illa eis defacto reddantur. Hi verò qui de prætensionibus suis minus legitimè docere possunt, ad ius ordinarium remittantur. Qui verò iam antea comprobarunt, iustum est, vt statim recuperent, sicuti dominus Bathori, piscinam in Rakamaz existentem, ex bono & æquo rehabere debet, postquam eam ad se pertinere

Rakamaz piscina.

nere comprobauit, & Maiestas quoque sua plurimis ex Camera Aulica mandatis commisit, vt ea reddatur.

Tractatus fiant cum Vaiuoda Transyluano de quibusdam incidentijs.
ART. XXVIII.

PORRO, quemadmodum Maiestas sua clementer se facturam offert, ita Status & Ordines Regni supplicant humilime, dignetur cum domino Waiuoda maturè tractare, tàm de reciproca Vngarorum cum Transyluanis litigatione, quàm Tricesimatorum Transyluaniensium insolentia, de occupatione limitum ditionis Maiestatis suæ, ipsis minimè concessorum, nec non violenta detentione bonorum huius partis, & fideles Maiestatis suæ, ea quoque in parte sibi quàm optimè consultum fuisse sentiant. Æquum enim est, vti si Transyluani, cum fidelibus Maiestatis suæ, prout volunt ita litigant, etiam ipsis in Transyluania iuris cursus non intercipiatur. *Stephanus Bathori de Somlyo Vaiuoda.*

Redemptio inscriptorum bonorum ad Austriam & Poloniam, & reuisio metarum confiniorum Regni. ART. XXIX.

DE redimendis castris ad Austriam, & tredecim ciuitatibus ad Poloniam oppignoratis: Item de finibus seu limitibus Regni Vngariæ & Sclauoniæ, versus Morauiam & Austriam, Styriamq; & Carinthiam atque Poloniam existentibus, Maiestas sua dignetur Statuum & Ordinum crebras supplicationes clementer in memoriam reuocare, & deputatis ac nominatis Commissarijs idoneis, reuisionem ipsam incipiendam mandare. Quia autem à dominis quoque Germanis huiusmodi reuisio finium vrgeri dicitur, dignetur Maiestas sua contentionem illam metalem, quæ inter colonos domini Francisci Nadasdi, ad Borsmonostra pertinentes, ac oppidanos de Kirchslagh Austriacos orta est, ac alias omnes differentias, per Commissarios dirimendas mandare. Item est terra quædam in Comitatu Castriferrei Székföldc appellata, quæ ex adiudicatione Commissariorum, tàm Vngarorum, quàm Germanorum, quibusdam Nobilibus eius Comitatus reddi debet, ac super eius obtentione, literæ quoque, ex vtraq; Cancellaria, tàm Vngarica quàm Germanica extant, dignetur Maiestas sua eam terram, & alias, per Commissarios nouiter eo mittendos, Nobilibus qui eam obtinuerunt, restitui mandare: Francisco quoque Zenak, Capitaneo in Kőszegh, vt ab illis, & alijs terris occupandis deinceps abstineat. Commissarij autem, ad hanc differentiam inter Kirchslagh & Borsmonostra, ac inter dominum de Kinispergh, ac Nobiles de eorum meta reuidenda, nec non terræ Székfölde restitutionem, ex parte Vngarorum deputati sunt domini, Episcopus Tininiensis, Locumtenens Palatinalis, nec non Nicolaus Istwanffi, Emericus Pethe Protonotarius, & Director causarum Maiestatis suæ, qui ad festum beati Stephani Regis, cum Commissarijs Germanis à sua Maiestate designandis, eo proficiscantur, & præmissis controuersijs finem imponant. Proinde ad reuisionem metarum seu limitum, inter Vngariam & Morauiam, iam nunc deputantur pro Commissarijs, domini Episcopus Tininiensis, Ladislaus Banffi, Comes Iulius à Salmis, Magister Gregorius Balogh Protonotarius domini Iudicis curiæ & Director. *Commissarij ad reuisionem metarum limitum Regni delecti.*

Coloni in Austriam & Morauiam transfugientes, Vngaris remittantur, & Austriacos ac Marchionatus Morauiæ colonos, in Vngariam non esse intromittendos.
ART. XXX.

STATVVNT etiam & concludunt Regnicolæ, quòd coloni illi, qui propter aliqua delicta, vel aliter, qualitercunque in Austriam & Morauiam inposterum transfugerint, ad repetitionem domini terrestris, eiusmodi fugitiui coloni, per dominos Austriacos & Morauos reddantur. Rursus, si qui ex Austria & Morauia, simili causa ad partes Vngariæ transfugerint, è conuerso reddantur.

Köuesd arcis ratione lata sententia, etiam post annum expletum, executioni demandetur. ART. XXXI.

PORRO Maiestas sua Cæsarea & Regia, ex solida Regnicolarum informatione, abundè intelligere potuit, quomodo vetusta lis fuerit, inter familiam Chapi, Soos & Sitkei, aliosque fratres condiuisionales, vt Actores, ab vna, ac hæredes Casparis Seredi, vt in causam attractos, partibus ab altera, ratione arcis Kouesd. Quam quidem litem pars Actrix, pertransitis omnibus iudiciorum processibus, obtinuerat: postremoq; cum eadem causa, per viam appellationis, in præsentiam Maiestatis suæ deducta fuisset, eam Maiestas sua solenniter approbauerat. Verùm, dum literæ Adiudicatoriæ, per Magistrum Protonotarium domini Iudicis curiæ conscriberentur, eas Maiestas sua, ad partis succumbentis instantiam extradare prohibuerat. Cumq; in proximè celebratis sancti Lucæ generalibus iudicijs, per dominos Iudices Regni ordinarios, ea prohibitio de iure fieri non potuisse comperta sit, Adiudicatoriæ literæ parti triumphanti redditæ fuère. Sed quia earum annuum tempus, quo scilicet tempore legitima statutione firmandæ & stabiliendæ fuissent, illa detentione effluxerit; neque tamen propterea dicti Actores, in iustis iuribus suis detrimentum pati debeant, Status & Ordines Regni vnanimiter deliberant, vt non obstante annua reuolutione iam elapsa, literæ ipsæ Adiudicatoriæ suum vigorem recuperent, & cum eisdem literis, pars triumphans ad executionem procedendi plenariè potestatem habeat.

Conuentus de Chorna restituatur. ART. XXXII.

Conuentus de Chorna.

CVM Conuentus Ecclesiæ beati Michaëlis Archangeli de Chorna, iam â multis retroactis annis, executiones solitas facere cessauerit, peculiarisq; is Conuentus sit, qui in Comitatu Soproniensi antiquitus ad executiones processit: ideò eundem Conuentum restaurandum Regnicolæ censent, & inposterum executiones ab eo in Comitatu Soproniensi fieri debere statuunt: ita tamen, vt illæ executiones, quæ per Capitulum Castriferrei hactenus in Comitatu ipso Soproniensi factæ sunt, in suo vigore maneant, & dominus Præpositus curet, vt personæ Conuentuales pleno numero, & Notarius idoneus, continuè isthic adsint, ne quis error in publicis Regnicolarum executionibus committatur. In partibus tamen Comitatus Soproniensis versus Chepregh, & alijs extra districtum Rabakez, tàm Capitulum Castriferrei, quàm Conuentus Chornensis æqualiter procedere valeant. Hoc quoque Regnicolæ statuunt, vt pretium literarum, quæ ex Capitulis seu Conuentibus emanari solent, moderetur, & earum taxa deinceps, iuxta Decreta Vladislai Regis superinde edita, exigatur.

Castriferrei Capitulum, in qua parte Soproniensis Comitatus procedat.

Casparus Magochi Comitatui Beregh supremus Comes datur; Comitatui verò Gömeriensi Vicecomes iuridica & executiones peragat, dum ei de Comite prouideatur. ART. XXXIII.

COMITATVS de Beregh, postquam nunc supremo Comite careat, & illud officium semper ex arce Munkach fuerit administratum, quam nunc dominus Caspar Magochi possidet, ex voluntate Maiestatis suæ & gratia, Regnicolæ statuerunt, illum in Comitem Comitatus Beregh esse eligendum. Et quia Comitatus Gömöriensis similiter Comite supremo vacat, neque vlla talis persona inueniri potest, quæ in illo Comitatu bona habeat, & cui illud officium ritè committi possit, vnanimi Statuum & Ordinum Regni voto, concessa est authoritas Vicecomiti eiusdem Comitatus, vt executiones consuetas & iuridicas, interea, donec de Comite prouidebitur, peragere possit.

Procuratores à iuramento calumniæ absoluuntur. ART. XXXIIII.

Iuramentum Procuratorũ calumniæ. Poso. an. 67. art. 27.

QVANQVAM autem in superiori Conuentu anni Millesimi, Quingentesimi, Sexagesimi septimi, publicè cautum fuerat, ne Procuratores in sede iudiciaria Maiestatis Cæsareæ & Regiæ, aut etiam in Comitatibus, aliter causas agerent, nisi prius præstito iuramento (quod vocant) calumniæ: quia tamen Regnicolæ, ob Procuratorum varia inuenta, parum commodi ex eo decreto sensisse videntur, tum quòd huiusmodi iurati Procuratores multum optabant mercedis, vel pro sola vnica actione, tum quòd

tacitè

tacitè nonnunquam inter se contra quosdam causantes conspirabant, ne videlicet illi Procuratores conducere possunt. Ideò statuunt nunc vnanimiter, vt deinceps Procuratores, etiam nullo præstito iuramento, tàm in sedibus Comitatuum, quàm in Octauis vbique possint procurare & causas agere, ostensis tamen, vti antiquitus mos est, literis procuratorijs principalium suorum.

Ciuitatum liberarum priuilegia seruari debere. ART. XXXV.

DE liberarum Montanarumq; ciuitatum vetusta libertate & priuilegijs conseruandis, ciuibus earum: ad soluenda Telonia non cogendis, Status & Ordines Regni obseruandas ea in parte censent constitutiones anni Millesimi, Quingentesimi, Sexagesimi noni. *Ann. 1569. art. 57.*

Depositionum loca seruanda esse, ea quæ denotantur expressè in Decreto Vladislai. ART. XXXVI.

DE locis depositionum, nunc quoque idem statuitur, quod in Decreto Vladislai Regis & constitutionibus prædicti anni Millesimi, Quingentesimi, Sexagesimi noni conclusum fuit, neque alia loca depositionum seruentur, nisi ea quæ in Decretis illis nominatim conscripta sunt. *Ann. 1569. art. 18.*

Nobilibus quæstum exercere in Vngaria liceat, solutis quæ fisco cedunt Tricesimis, si quid inducere, aut educere è Regno intendant. ART. XXXVII.

VBI petunt liberarum Montanarumq; ciuitatum ciues, ne dominis & Nobilibus liceat corijs, equis, bobus, & similibus rebus quæstum exercere; id quidem minimè admittendum esse videtur, cum negotiatio huiusmodi semper omnibus cuiuscunq; conditionis hominibus libera fuerit. Itaque censent Regnicolæ, vt tàm Magnates, quàm Nobiles, quibuslibet mercibus, liberam negotiandi potestatem habeant: ita tamen, vt de ijs rebus, quas emere & pro quæstu diuendere rursus voluerint, quæstumuè exercendo, extra Regnum eduxerint, vel in Regnum induxerint, iustam Tricesimam fisco persoluant. *Quæstus Nobilibus liber: & an de eo Tricesimam debeant Vlad. Tert. art. 35. uide*

Ciues pro alienis debitis non arestentur. ART. XXXVIII.

IN eo quoque, quod ciues earundem ciuitatum pro alienis debitis, aut delictis non capiantur, aut arestentur, iustum petunt. Ideò Status & Ordines decernunt obseruanda esse ea, quæ in Decreto maiori Vladislai Regis prolixè de talibus conclusa habentur. *Vladisl. Prim. artic. 89. & ibi plura. Poson. ann. 48. art. 65.*

CONCLVSIO.

NOs itaque præmissa supplicatione dictorum fidelium nostrorum subditorum, dominorum Prælatorum, Baronum, Magnatum, ac Nobilium, cæterorumq; Statuum & Ordinum Regni nostri Vngariæ, & partium ei subiectarum clementer admissa, prædictos vniuersos & singulos articulos, modo præmisso nobis præsentatos, præsentibus literis nostris de verbo ad verbum inseri & inscribi fecimus, eosdemque ac omnia & singula in eis contenta, ratos, gratos, & accepta habentes, eisdem nostrum Regium consensum, beneuolum pariter & assensum præbuimus, illosq; , & quæuis in eis contenta, authoritate nostra acceptauimus, approbauimus & confirmauimus: offerentes nos clementer, quòd præmissos omnes articulos, in omnibus suis punctis, clausulis, & articulis, tàm nos ipsi obseruabimus, quàm per alios omnes fideles subditos nostros, cuiuscunq; status & conditionis existant, obseruari faciemus: imò acceptamus, approbamus, ratificamus & confirmamus, harum nostrarum vigore & testimonio literarum mediante. Datum in ciuitate nostra Viennæ Austriæ, quarta die Aprilis, anno Domini Millesimo, Quingentesimo, Septuagesimo quarto: Regnorum nostrorum Romani duodecimo, Vngarici & aliorum vndecimo, Boëmici verò vigesimo sexto.

MAXI-

MAXIMILIANI IMPERATORIS DECRETVM ANNO DOMINI M. D. LXXV, Posonij editum.

NOs MAXIMILIANVS secundus, Dei gratia, electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Vngariæ, Boëmiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Marchio, Morauiæ, Comes Tyrolis, &c. Memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes quibus expedit vniuersis, quòd fideles nostri, domini Prælati, Barones, Magnates, Nobiles, cæteriq; Status & Ordines dicti Regni nostri Vngariæ, & partium ei subiectarum, in generali eorum Conuentu, pro festo beatæ Luciæ virginis & Martyris, in anno Domini, Millesimo, Quingentesimo, Septuagesimo quinto proximè transacto, celebrato, in ciuitate nostra Posoniensi, & mandato nostro congregati, exhibuerunt & præsentauerunt nobis, medio serenissimorum Principum, RVDOLPHI Romanorum, Vngariæ & Boëmiæ, &c. Regis, & Ernesti, Archiducum Austriæ, filiorum nostrorum charissimorum, qui scilicet nostro nomine, dicto generali Conuentui, præfuerunt, infrascriptos articulos, in eodem Conuentu, communibus ipsorum votis, parique & vnanimi consensu conclusos: supplicantes nobis humiliter, vt vniuersos & singulos eos articulos, omniaque & singula in eis contenta, ratos, gratos, & accepta habentes, nostrumque Regium consensum illis præbentes, authoritate nostra Regia clementer acceptare, approbare, & confirmare, atque tàm nos ipsi obseruare, quàm per alios omnes, quorum interest, obseruari facere dignaremur. Quorum quidem articulorum tenor talis est.

Præfatio, in qua etiam pro subsidio Status florenos quatuor in duos annos offerunt. ART. I.

CAVSAS & rationes à Maiestate Cæsarea, domino nostro clementissimo, tàm in ipsa propositione, quàm literis suis peculiaribus, ad Status & Ordines Regni Vngariæ datis, disertè enumeratas, quibus scilicet Maiestas sua Cæsarea superiori anno, ab hoc Regno suo longius fuerat auocata, & quæ nunc eidem, quominus ad generalem hunc Conuentum personaliter venire potuerit, impedimento fuerunt, fideles Maiestatis suæ Cæsareæ, domini Prælati, Barones, Nobiles, cæterique Status & Ordines Regni Vngariæ abundè intellexerunt. Quæ cum maximæ & grauissimæ sint, & ad salutem & conseruationem ipsorum pertineant, non solùm humliter admittunt, verùmetiam immortales Maiestati suæ Cæsareæ gratias agunt & habent, quòd tot labores, tantum curarum & solicitudinis ipsorum causa susceperit, vt quamuis tàm inclyti Boëmiæ Regni, quàm sacri Romani Imperij, primogenitum filium suum serenissimum Principem & dominum, D. RVDOLPHVM Vngariæ Regem, &c. duplici diademate insigniendo, ac alia grauissima totius Christianæ Reipublicæ munia obeundo maximè occuparetur: tamen fidelium quoque suorum Vngarorum minimè oblita, vel absens, eas rationes singulari diligentia mirè non neglexerit, quibus Turcæ, qui insigni perfidia, ruptis Inducijs, ditionem Maiestatis suæ inopinatò inuaserant, ab vlteriori progressu fuerint retardati. Quod etiam inposterum vt pientissimè facere velit, ijdem Status & Ordines Regni, Maiestatem suam Cæsaream omnibus votis humiliter obsecrant. Ipsis enim qui iam in exiguum numerum, ac ad extrema redacti sunt, post Deum optimum maximum, in sola sua Maiestate Cæsarea omnis spes & fiducia sita est. Quæ sicuti fideles suos Regnicolas, in sui defensionem nimis paucos & minus sufficientes planè conspicit: ita eisdem de externis quoq; auxilijs ferendis clementissimè prouideat. Nam tametsi ipsi pro sua defensione, quicquid possunt impigrè & alacriter præstant (quanquàm sunt nonnulli qui ipsorum hac in parte diligentiam

Rudolphus Rex Rom. & Boem.

immeritò eleuare student) hostes tamen ipsorum paucitate contempta, frequentes in eos grassandi occasiones accipiunt. Qui quidem quàm perfidè & dolosè Inducias colant, potuit sua Maiestas Cæsarea, vel ex hac vna inexpectata irruptione, quæ æstate præterita, cum ingenti huius Regni detrimento contigit, facilè animaduertere. Sperant autem fideles Maiestatis suæ Regnicolæ, Maiestatem suam Cæsaream, vel hoc recenti funestoque exemplo edoctam, eas rationes adhibituram, quibus confinia maiori copiarum numero muniantur, & huiusmodi subitæ hostium irruptiones propulsentur. Quod autem attinet ad subsidij contributionem, tametsi Status & Ordines Regni in extremis laborent, sicuti hoc Maiestati suæ Cæsareæ constat: ne tamen vel in hoc misero statu sibi ipsis desint, offerunt suæ Maiestati Cæsareæ, de singulis portis dicari solitis, singulos binos florenos, in duos annos, præsentem scilicet, & Septuagesimum septimum, ab eo tempore, quo nouissimum subsidium cessauerit, inchoandos, & in duobus terminis, nempe ad festum sancti Georgij & sancti Michaelis exigendos: supplicantes humilimè, dignetur sua Maiestas Cæsarea, hac ipsorum oblatione benignè contenta esse, neque vlterius nunc quicquam postulare.

Deuen & Kekkö ea æstate amissa.

Portarum fiat noua connumeratio. ART. II.

STATVVNT etiam Regnicolæ, nouam hoc anno fieri debere connumerationem, propterea quòd in omnibus ferè Regni partibus, crudeles populationes per hostem Turcam factæ, numerum colonorum longè diminuerint. De alijs dicæ appendicibus, denunciatione, modo, ordine, & restantijs, ac rectificatione, nec non Dicatorum electione, & iuramento Nobilis Dicatori adiungendo: Item exemptionibus nouis & veteribus, productione item schedarum recognitionalium per colonos: præterea congregationibus Nobilium, in sedibus Comitatuum faciendis, solutione Vicecomitum: insuper de tertiarijs quartarijs & medijs sessionibus, Ruthenis Valachis & carbonarijs, ac alijs similibus, priores constitutiones publicas, per omnia obseruandas decernunt.

Iudicia Octaualia superiorum Comitatuum in Eperies celebrentur. ART. III.

DE iudicijs Octaualibus statutum est, quòd illa Comitatibus superiorum partium, ad festum sancti Georgij, in Eperies celebrentur, iuxta priores constitutiones: Barones verò qui iudicijs illis intersint per vices, nominantur domini, Franciscus, aut Nicolaus Homonnai, vel Michaël Bidi, & Ioannes Perini. Loco autem Prælatorum iisdem iudicijs partium superiorum alternatim intersint, Franciscus Pankotanus Vicarius, vel Paulus Zegedei Lector, vel Michaël Scifcianus, Cathedralis Agriensis. Appellationum reuisioni ijdem interesse debeant, qui in proxima Dieta fuerant nominati. Si qui autem necessaria de causa interesse non possent, eorum loco dominus Locumtenens alios idoneos substituere posit, & reuisione ipsarum Appellationum plures quàm hactenus, Prælatos & Barones ex dominis Consiliarijs sibi adiungat. In Sclauonia autem, si iudicijs ipsis Prælatus aut Baro interesse poterit, benè, si minus, statuitur, vt etiam illis absentibus, per dominos Banos, præsentibus Vicebano, Magistro Protonotario Regni, Iudicibus nobilium, & alijs iuratis Assessoribus, more antiquitus obseruato, iudicia celebrari posint.

Sclauoniæ iudicia.

Andreæ Kauasi facinus, extra seriem causarum, in Octauis reuidendum. ART. IIII.

PORRO est in Comitatu Szaladiensi quidam Nobilis Andreas de Kauas, qui temporibus non ita diu præteritis, duos Nobiles Comitatus Castriferrei, Bartholomæum scilicet Balogh de Chempeszhaza, & Dauidem Kemen, de nocte, domi suæ quiescentes, armatis manibus, & assumptis secum quibusdam complicibus, diris & lethalibus vulneribus affecit. Quorum alter magna cum difficultate conualuit, alter verò

David

Dauid Kemen, nunc quoque debilis & claudus eſt. Vt igitur illius audacia compeſcatur, decretum eſt, vt in primis iudiciorum terminis, poſt præſentem Conuentum hic Poſonij celebrandis, dominus Locumtenens cum cæteris Iudicibus Regni ordinarijs, cauſam inuaſionis & vulnerationis præfatæ, extra omnem aliarum cauſarum ſeriem, iuridicè reuideat: & quicquid iure compertum fuerit, in exemplum aliorum, debitæ quoque executioni demandetur.

Metæ Regni, per Commiſſarios deputatos reuideantur. ART. V.

DIGNETVR etiam Maieſtas ſua Cæſarea, publicas conſtitutiones, de arcibus & Comitatibus ad Auſtriam & Poloniam impignoratis: Item de reuiſione metarum, inter Vngariam & Auſtriam, nec non Morauiam & Poloniam: Item inter Sclauoniam & Styriam, ac Carniolam, per Commiſſarios in nouiſſima Dieta anni Milleſimi, Quingenteſimi, Septuageſimi quarti nominatos, reuideri facere: ac etiam terram Szekfolde, prædium Sebefôlde, & metas villarum Pôſſe, Chô, Heren, Chemete, & Nobilium de Kôr, illis à quibus per Auſtriacos violenter ſunt occupata, reſtituenda mandare: ne quid mali pro huiuſmodi metis inter Regnicolas & vicinos contingat. Commiſſarij autem ex parte Vngarorum, in Dieta præfata nominati, omnes ex DEI gratia viuunt, atque illi rem peragere poterunt: dummodo Maieſtas ſua Cæſarea, ex Germanis viros idoneos nominet, & diem locumque conueniendi ſine dilatione conſtituat.

Triceſima, à Nobilibus & rebus ipſorum non exigendæ. ART. VI.

Triceſimæ. NEGOTIVM Triceſimæ, à dominis & Nobilibus nequaquam exigendæ maneat in ſtatu prioribus conſtitutionibus, quæ plurimæ ſuperinde extant ſancitæ, & per Maieſtatem ſuam Cæſaream confirmatæ, declarato.

Vicecomes in Comitatu Vgocha, procedat in iuridicis, & alijs officio ſuo incumbentibus, vſq; dum Comes eligatur. ART. VII.

Vgocha Comitatus. PORRO, quoniam Comitatus Vgocha nunc ſupremo Comite caret, & Maieſtas ſua Cæſarea, certis de cauſis nunc ad illud officium nominari aliquem non poteſt: ſtatutum eſt, vt tàm diu, donec ſua Maieſtas Cæſarea de Comite prouiderit, Vicecomes eiuſdem Comitatus, in rebus iuridicis, & alijs ſibi incumbentibus, ad executionem ſuis modis procedendi plenariam habeat poteſtatis facultatem.

Decimarum emptio & vectura. ART VIII.

DE emptione decimarum, & vectura earum ad confinia præſtanda, imprimis
1569. art. 27. 28. 29. 30. 1574. artic. 22. 23. 24. autem ad arcem Agrienſem, Status & Ordines Regni referunt ſe ad conſtitutiones annorum, Milleſimi, Quingenteſimi, Sexageſimi noni, & Milleſimi, Quingenteſimi, Septuageſimi quarti, à Maieſtate ſua Cæſarea benignè approbatas.

Gratuiti labores continuentur, & ad proprios vſus non conuertantur. ART. IX.

IN negotio gratuiti laboris ſeu operarum ad confinia præſtandarum, ſimiliter Regnicolæ decernunt, obſeruandas eſſe conſtitutiones annorum Milleſimi, Quingenteſimi, Sexageſimi ſeptimi, & Milleſimi, Quingenteſimi, Septuageſimi quarti
1567. artic. 17. 18. 19. 1574. art. 5. 6. 7. 8. Operarum verò terminus incipiat à feſto beatæ Luciæ Virginis proximè elapſo, vſque ad biennium. Neque Capitanei, aut operariorum Præfecti, labores huiuſmodi ad proprios vſus conuertant.

Equites continui, ab omnibus Ordinibus conſeruentur: quorum diſtributio ad Capitaneum ſupremum & Vicecomites pertinet. ART. X.

EQVITES continuos per omnes cuiuſuis ordinis, tàm dominos quàm Nobiles ſeruari debere Regnicolæ vnanimiter ſtatuunt. Pœna in eos qui non obſeruauerint, ea

nunc

nunc quoq; statuitur, quæ antea in annis Millesimo, Quingentesimo, Sexagesimo, septimo, & Millesimo, Quingentesimo Sexagesimo nono, & Millesimo, Quingentesimo, Septuagesimo quarto, constituta fuit. Distributio verò eorundem equitum, relinquitur in eo statu, qui in constitutionibus anni Millesimi, Quingentesimi, Sexagesimi septimi conclusus fuit: vt nimirum supremus Capitaneus, cum Vicecomite videant, in quæ loca erunt opportunius colocandi. *Poson. an. 67. art. 20. 21. ann. 69. art. 22. 23. ann. 74. art. 10.*

Expeditio generalis & particularis reijcitur ad articulos anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi tertij. ART. XI.

INSVRRECTIONEM generalem & particularem, ac etiam Nobilium vnius sessionis, sicuti sua Maiestas Cæsarea postulat, vt scilicet illi in certis regestis penes Vicecomitem haberi, & tempore necessitatis leuari possint, Status & Ordines ad articulos Sopronienses, anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi tertij, reijciunt, & eos obseruandos decernunt. *Sopron. ann. 53. ar. 2. 3. 4.*

Deditiones spontaneæ prohibentur. ART. XII.

DEDITIONES autem colonorum, & aliorum, qui se Turcis tributarios reddere consueuerunt, tanquàm Regno exitiosas, censent Regnicolæ omnino prohibendas, iuxta formam constitutionum anni Millesimi, Quingentesimi, Sexagesimi noni, & Millesimi, Quingentesimi, septuagesimi quarti. *Poson. ann. 69. art. 10. ann. 74. art. 15.*

Excursiones Haydonum & equitum prohibentur. ART. XIII.

HAYDONVM & equitum excursiones & deprædationes, & per se iniquas, & magis etiam affligendorum miserorum populorum, & rumpendarum induciarum, ac multorum malorum causa prohibendas, iuxta constitutiones anni Millesimi, Quingentesimi, Sexagesimi tertij statuunt: siue illi in arcibus Maiestatis Cæsareæ, siue alibi domicilia & receptacula sint habituri. *1563. art. 23. ann. 57. art. 23. Et de Rascianis. au. 67. art. 30.*

De stationibus militum siue perseueratione in vno loco. ART. XIIII.

DE certiori militum Vngarorum in suis stationibus permansione, ita videlicet, ne absque Capitanei sui literis loca sua deserere possint, Status & Ordines Regni nequeunt alium modum nunc quoque instituere, quàm qui est in Decretis anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi secundi anteà constitutis, in quibus satis copiosè de talibus est tractatum. *1552. art. 10. 11. 12. 13. 13. 14.*

Kaproncza arcis munitio. ART. XV.

DE munitione arcis Kaproncza, nuntij Regni Sclauoniæ referunt se ad generalem Statuum illius Regni congregationem: in qua cum Commissarij Maiestatis quoq; Cæsareæ affuturi sint, cum eis tractabunt, & quod pro rei & virium suarum qualitate fieri poterit, obedienter præstabunt.

Ciuitatibus liberis libertates, & loca depositionum seruentur. ART. XVI.

CIVITATIBVS liberis & Montanis, libertates suas & immunitates à Telonio, ac loca depositionum, obseruandas esse iuxta priores constitutiones decernunt. *Poson. ann. 74. art. 36.*

Castriferrei Capitulum procedat pro Conuentibus Kapornak & Szalauar, si hoc amittatur, Capitulum Posoniense. ART. XVII.

QVI verò Conuentus de Szalauar & Kapornak, quorum testimonijs antea ad diuersas iuridicas executiones, in Comitatibus, Simigiensi, Szaladiensi, & Vesprimiensi procedebatur, penitus desolati sunt, postquam causantibus, nec tutus ingressus, nec exitus eò patet, neque presbyteri isthic amplius teneri possint. Vt in hac parte causantibus consulatur, statutum est, vt interea, donec duo illi Conuentus reformabuntur, Capitulum Castriferrei, vel eo quoque forte (quod DEVS auertat) deficiente,

Posonienſe, ad executiones peragendas, in præſcriptis Comitatibus procedere poſſint. Et Protocolla ac ſigilla vtriuſq; Conuentus, in Capitulo Caſtriferrei conſeruentur, vt ex illis literæ requirendæ, cauſantibus extradari queant, illis tamen executionibus, quæ vſque ad hoc tempus per teſtimonia duorum illorum Conuentuum factæ ſunt, ſaluis in ſuo vigore permanentibus.

Albertus Laſzki in Vngarum recipitur. ART. XVIII.

POSTREMO, Maieſtas ſua Cæſarea, cùm aliâs frequenter, tùm verò nunc, fideles ſuos, dominos Prælatos, Barones, Nobiles cæteroſque Status & Ordines Regni ſui Vngariæ benignè requiſiuit, vt dominum Albertum Laſzki, Palatinum terræ Siradienſis, Polonum, in numerum & cœtum Vngarorum annumerarent. Qui cum aliâs ſæpè Maieſtati ſuæ Cæſareæ, & Regno quoque Vngariæ haud contemnenda ſeruitia exhibuiſſet, tùm verò modo princeps eius legationis, quæ ſumma prouidentia DEI opt: max: ſic diſponente, Coronam Regni Poloniæ, ſuæ Maieſtati Cæſareæ, cum maximo totius Reipublicæ Chriſtianæ applauſu, & lætitiæ his diebus detuliſſet. Tametſi verò lex vetuſta huius Regni, in Decreto Mathiæ Regis expreſſa, quominus id fieret, obſtabat: tum verò etiam multi, ex alijs nationibus in Vngaros creati, parum ſyncérè libertatibus Regnicolarum fauentes (ad quos tamen tutandos iureiurando ſunt obſtricti) ne quid eiuſmodi temerè committeretur, exemplo erant; tamen domini Prælati, Barones, Nobiles, cæterique Status & Ordines Regni, perſuaſum habentes, eundem dominum Albertum Laſzki, bonum & vtilem ciuem Regni Vngariæ futurum, eiuſque leges libertateſque pro virili defenſurum, eundem ac ipſius hæredes, in gratiam Maieſtatis ſuæ Cæſareæ, ac ſereniſsimorum Principum, RVDOLPHI, Romanorum & Vngariæ Regis, nec non Erneſti Archiducis Auſtriæ, &c. dominorum ſuorum clementiſsimorum, in numerum & conſortium ſuum pro hac ſola vice (nam deinceps nullo vnquam tempore legi vetuſtæ Mathiæ Regis præiudicatum eſſe volunt) receperunt & annumerarunt. Ipſeque coram ijſdem Statibus & Ordinibus Regni ſolitum iuramentum, ſuo hæredumque ſuorum nomine, publicè & ſolenniter præſtitit.

Polonus nullo unquam tempore in Vngarum recipiendus.

CONCLVSIO.

NOs itaque præmiſſa ſupplicatione dictorum fidelium noſtrorum ſubditorum, dominorum Prælatorum, Baronum, Magnatum, ac Nobilium, aliorumque Ordinum & Statuum dicti Regni noſtri Vngariæ, & partium ei ſubiectarum clementer admiſſa, prædictos vniuerſos & ſingulos articulos, nobis, vt præmiſſum eſt, præſentatos, præſentibus de verbo ad verbum inſeri fecimus, ac omnia & ſingula in eis contenta, ratos, gratos, & accepta habentes, eiſdem noſtrum Regium conſenſum, beneuolum pariter & aſſenſum præbuimus, illosq́; , & quæuis in eis contenta, authoritate noſtra acceptauimus, approbauimus & confirmauimus: offerentes nos clementer, quòd præmiſſa omnia, in omnibus punctis, clauſulis & articulis, tàm nos ipſi inuiolabiliter obſeruabimus, quàm per alios omnes fideles ſubditos noſtros, cuiuſcunque ſtatus & conditionis exiſtant, obſeruari faciemus: imò acceptamus, approbamus, ratificamus & confirmamus, harum noſtrarum vigore & teſtimonio literarum. Datum in ciuitate noſtra Viennæ Auſtriæ, vigeſima ſecunda die Februarij, anno Domini Milleſimo, Quingenteſimo, Septuageſimo ſexto: Regnorum noſtrorum Romani decimo quarto, Vngariæ ac aliorum decimo tertio, Boëmiæ verò vigeſimo octauo.

RVDOLPHI IMPERATORIS ET REGIS DECRETA.

RVDOLPHVS Archidux Austriæ, Imperator & Rex modernus, dominus noster clementissimus, ex Hispanijs, Statibus & Ordinibus Regni id vehementer rectis studijs contendentibus, per indulgentissimum eius patrem, Maximilianum Imperatorem, reuocatus; imprimis post eius inde reditum, anno Millesimo, Quingentesimo, Septuagesimo secundo, celebratis Comitijs, quibus ipse à pio genitore suffectus, præfuit; cum primum ab Optimatibus conspiceretur, pio gratoq; animo, propter mirificam virtutis suæ indolem veneratus, in Regem Vngariæ omnium voluntate eligitur: ac sequenti Conuentu, qui ad quintum inde mensem in eam rem Proceribus & Nobilibus Regni indicebatur, sacro Regio diademate, solenni cæremonia, Posonij, in æde D. Martino dicata, die vigesima quinta Septembris, cum annum ætatis vigesimum primum ageret, feliciter coronatus est. Verùm, vtinam tempore quoque feliciori, & non, cum Vngaria sæuo, susceptarum iam antea, ab infensissimo hoste Turca Regni maxima parte sibi vectigali reddita, calamitatum, incendio laboraret. Sed Maximilianus, qua felicitate Imperium adeptus fuerat, eadem huic Imperatori & Regi nostro tradidit. Anno enim quo è viuis decessit, Romanorum & Boëmiæ, multarumque prouinciarum, eum curauit Regem esse, & dominum. Optamus autem, & speramus quoque, DEVM opt: max: cum hoc Imperatore & Rege nostro pio, Catholico, felici, benigno, iusto, & sapiente, nobis fore propitium, suamq; in nos meritò conceptam indignationem auersurum, Regnum multis calamitatibus oppressum consolaturum: hac fiducia precamur, vt Imperium Cæsareæ suæ Maiestatis immensa sua clementia, diuturnum, faustum, fortunatumq; esse velit. Priuilegia eius, à tempore coronationis, quemadmodum aliorum Regum, seruantur. *Decreta verò ad præsentem annum edita, hic subijciuntur.*

RVDOLPHVS in Regem Vngar. ann. 1572. eligitur. Eodem anno die 25. Sept. coronatur.

In Romanorum & Boemiæ Regem ann. 1575.

RVDOLPHI IMPERATORIS DECRETVM PRIMVM, ANNO M. D. LXXVIII. editum.

NOs RVDOLPHVS secundus, DEI gratia, electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Vngariæ, Boëmiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Marchio Morauiæ, Comes Tyrolis, &c. Memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes quibus expedit vniuersis, quòd fideles nostri, domini Prælati, Barones, Magnates, cæterique vniuersi Status & Ordines Regni nostri Vngariæ, & partium ei subiectarum, in generali ipsorum Conuentu, per nos ad primum diem mensis Februarij, anni præsentis Millesimi, Quingentesimi, Septuagesimi octaui eis indicto, in ciuitate nostra Posoniensi, ad mandatum nostrum congregati, exhibuerunt nobis & præsentauerunt infrascriptos articulos, communibus ipsorum votis & suffragijs generaliq; consensu conclusos: supplicantes nobis humiliter, vt vniuersos eos articulos, omniaque & singula in eisdem contenta, ratos, gratos, & accepta habentes, nostrumque Regium consensum illis præbentes, authoritate nostra Regia clementer acceptare, approbare, & confirmare, atque tàm nos ipsi obseruare, quàm per alios omnes, quorum interest, obseruari facere dignaremur. Quorum quidem articulorum tenor talis est.

Aduentui Regis in Regnum gratulantur Regnicolæ, & ad duos annos binos florenos offerunt. ART. I.

paucißimi ſunt, quo citius emigrent, adſoluendam dicam, & alia onera ſubeunda in duplo cogantur. Dicatores autem in ijs Comitatibus, quos dicare ſolent, bona habeant, ſed ſi reperiri non poßent, per Comitatum, in quo eſt dicaturus, nominetur. *duplum taxentur. Dicator bona in Comitatu habeat.*

Connumeratio portarum noua fiat. ART. III.

NOVA autem connumeratio erit inſtituenda, propterea quod numerus colonorum, partim varijs morbis, & peſtilentia his retroactis annis ſæuiente, partim hoſtili depopulatione maximè imminutus eſt: neque obſtet abuſus à dominis terreſtribus introductus, quin in locis, quæ fortè ampliori colonorum numero adaucta ſunt, portarum etiam numerus adaugeri poßit.

Comite ſupremo non exiſtente, Comitatui in rebus iuridicis & dicæ procedendi facultas eſto. ART. IIII.

IN Comitatibus etiam illis, in quibus ſupremi Comites non habentur, liceat Vicecomitibus in promulgandis ſedibus, pro adminiſtratione dicæ neceſſarijs, & etiam alijs iuridicis adminiſtrationibus & executionibus procedere, interea, donec eis de ſupremo Comite prouidebitur: quòd tamen Maieſtas ſua Cæſarea dignetur maturè deliberare. *Vicecomitum authoritas, ſupremo Comite non exiſtente.*

Milites, ne villas Nobilium inter ſe diſtribuant. ART. V.

CÆTERUM, quoniam Capitanei confiniorum, & ſignanter Capitaneus Kaniſienſis, ac Capitanei partium Regni ſuperiorum, villas dominorum & Nobilium, militibus diſtribuunt, & illi plus iuris & imperij in miſeram plebem ſibi vſurpant, quàm domini terreſtres, qui bonis ſuis per maiores & genitores ſuos virtute partis, vti, frui, non poſſunt: ſtatutum eſt, vt eiuſmodi villarum militibus diſtribuendarum abuſus, vbique per Regnum tollatur, & militaris licentia, qua miſeram plebem expilant & diripiunt, interdicatur, iuxta articulos anni Milleſimi, Quingenteſimi, Sexageſimi tertij, & Maieſtas ſua Cæſarea, tales Capitaneos & milites puniat, qui ſecus facere auſi fuerint.

Ad arcem Kaniſam victualium inuectio. ART. VI.

QUOD verò attinet ad victualium in confinia, & præſertim Kaniſam inuectionem, Status & Ordines operam ſuam pollicentur: iuxta ſtatuta annorum Milleſimi, Quingenteſimi, Quadrageſimi quinti, & Milleſimi, Quingenteſimi, Sexageſimi tertij: Comitatus etiam Kaniſæ vicini, diligentiam adhibebunt in ijſdem conuehendis, dummodo precium eorum præſenti pecunia perſoluatur: & qui commeatus inuehunt, præſidium militare ſecurioris itineris gratia habeant, ne, vti nuper, ab hoſtibus intercipiantur. *Ferdinan. an. 45. art 28. 29. 30. an. 63. ar. 10. 11. 12. 13.*

Continuis equitibus, ſingulo trimeſtri fiat ſolutio. ART. VII.

DE continuis equitibus ſtatutum eſt, vt illis ſingulo trimeſtri ſtipendium per dominos ſuos & Comitatus ad ſuas ſtationes mittatur, ne ſtipendij cauſa exeuntes diutius abſint: caueant tamen ij equites, ne cum ipſi ſtipendia ſua abſque defectu habeant, inſtar aliorum militum prædas exerceant. Comitatus autem Vltradanubiani, pro equitibus pedites, vti hactenus, teneant: quia illis magis ſunt vtiles, ſi Maieſtati ſuæ Cæſareæ, cum futuro ſupremo Capitaneo re deliberata, ita viſum fuerit. *Continui milites prædas non exerceant.*

Continuos equites intertenere nolentes, ablatione bonorum puniuntur. ART. VIII.

DOMINI Prælati verò & Barones, ratione continui equitatus, eadem cum cæteris Regnicolis onera ſubire teneantur; idque ſub pæna in articulis Dietæ Milleſimi, Quingenteſimi, Quinquageſimi quinti, & Milleſimi, Quingenteſimi, Sexageſimi ſeptimi annorum expreſſa: vt nimirum bona illorum, qui continuum tenere nollent, *1555. art. 4. 1567. art. 10. 21.*

 per

per Vicecomites occupentur, occupataque tàm diu teneantur, donec duplum eius, quod neglexerint, ab eis præstetur.

Continuorum militum distributio, ad Regem, supremos Capitaneos, & Vicecomites pertinet. ART. IX.

VT autem continui tales equites commodius teneantur, regestum portarum supremo Capitaneo, ex Camera Vngarica erit extrahendum. Sic enim Regnicolæ, consultius futurum arbitrantur, quàm à Vicecomitibus; eo quòd tàm Dicatores, quàm Vicecomites illud Cameræ sub sigillo tradere consueuerunt. Eiusdem autem continui distributio, iuxta articulos priores, supremo Capitaneo, & Vicecomitibus, cum scitu Maiestatis suæ, vel serenißimi Archiducis Ernesti, erit committenda.

Expeditio generalis. ART. X.

Ann. 1553. art. 2. 3. 4. Ann. 1556. art. 20. 21. 22. ann. 57. art. 2. an. 67. art. 23.

GENERALIS & particularis expeditionis modum & ordinem, Regnicolæ ad priores constitutiones, annorum Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi septimi, & Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi sexti, Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi tertij, Millesimi, Quingentesimi, Sexagesimi, septimi, & præcipuè ad articulos Sopronienses referunt: quos ordine descriptos Maiestati suæ Cæsareæ iam antea exhibuerunt.

Ecclesiasticarum personarum militia. ART. XI.

Poson. ann. 1552. art. 3. secus an. 55. art. 4. & 5.

DE insurrectione generali & particulari personarum Ecclesiasticarum & Capitularium, ratione decimarum, constitutio anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi secundi, & aliæ constitutiones eodem modo, quo illæ successu temporis mutatæ & limitatæ fuerunt, obseruentur.

Expeditio à curijs Nobilitaribus Nobilium vnius sessionis. ART. XII.

Nobiles unius sessionis à quinque curijs unum equitē. an 56. art. 21. habet à tribus.

STATVVNT etiam Regnicolæ, vt ratione singularum quinque curiarum Nobilitarium, iuxta articulos anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi sexti, vnus eques in castra expediatur.

Lustratio gentium Comitatus, fiat præsente Capitaneo vel suo homine. ART. XIII.

Ann. 53. art. 4.

LVSTRATIONEM autem gentium tàm continuarum, quàm aliarum particularis expeditionis, in singulis Comitatibus semel in anno circa festum sancti Georgij, iuxta articulos anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi tertij admittunt, vt scilicet illa, præsente supremo Capitaneo, aut speciali eius homine fiat.

Pascuatio equorum militum Vngarorum, quàm diu duret, & de equis extraneorum, quos milites ad pascua ducunt. ART. XIIII.

Pascuationes equorum militum. Ann. 66. art. 20. Confiscentur. Pœna.

EQVITIBVS Vngaris equos suos ad gramina deducentibus, certus modus & æstimatio statui nequit. Sed priusquam ad pascua proficiscantur, stipendia eis soluantur, & deinde non gratuito & præda viuant, sed soluant rerum precium: & in pascuis maneant, vsque ad tempus in articulis anni Millesimi, Quingentesimi, Sexagesimi sexti præfinitum. Dignum autem est, vt æqualiter omnium Statuum & Ordinum bona ac villæ & coloni, huius pascuationis onera sufferant. Et si qui suorum necessariorum, aut cognatorum, aliorumque extraneorum equos secum ad gramina deduxerint, equi tales in commissum cadant, & per supremum Capitaneorum auferantur: ac dimidia pars denunciatori, altera dimidia prati illius seu fundi possessori cedat.

Carolus & Ernestus Archiduces, in rebus bellicis pro vicegerentibus Maiestatis suæ acceptantur & recognoscuntur. ART. XV.

QVOD

QVOD verò Maiestas sua Cæsarea & Regia Statibus & Ordinibus Regni significat, Maiestatem suam Cæsaream, serenissimis Principibus, Carolo & Ernesto, Archiducibus Austriæ, huic quidem Vngariæ, illi verò Croatiæ & Sclauoniæ, confiniorum curam & administrationem concredidisse: Ideòque eosdem hortari, vt in his quæ ad rem bellicam, & confiniorum defensionem pertinent, ad ipsos dominos Archiduces respiciant, & eis obedientiam præstent; in cæteris verò, quæ ad iustitiam spectant, ad Maiestatem suam Cæsaream recurrant; Status & Ordines eosdem serenissimos Principes, illum in Sclauonia, hunc in Vngaria, tàm præsente, quàm absente Maiestate sua Cæsarea, in rebus bellicis pro generalibus Maiestatis suæ Cæsareæ Vicesgerentibus acceptant. Supplicantes, vt in rebus Vngaricis, etiamsi illæ bellicæ sint, adhibeant, pro qualitate negotiorum, in consilium Vngaros quoque. Serenissimus verò Archidux Carolus, eam cum domino Bano Croatiæ & Sclauoniæ intelligentiam habeat; ne quid sequatur inconueniens & libertati Regni contrarium. *Ernestus & Carolus Archiduces præsunt rebus bellicis.*

Iudicia Octaualia. ART. XVI.

IN iudicijs Octaualibus ij obseruentur modi & termini, tàm in Vngaria, quàm in Sclauonia, qui in Dieta proximè præterita constituti fuerunt, & partibus superioribus in Eperies celebrentur.

Procuratoria fori spiritualis, durent ad vnum annum. ART. XVII.

STATVTVM est etiam, vt literæ procuratoriæ deinceps, sicuti in Seculari, ita in Ecclesiastico quoque foro, non vlterius quàm per vnius anni spacium durent; elapso verò anno vim amittant: exceptis priuilegiatis, qui scilicet in legationibus aut studijs extra Regnum occupantur.

Metarum Regni reuisio, per Commissarios instituatur. ART. XVIII.

DE metis controuersis inter Vngariam & Austriam, Styriamque & Morauiam, Maiestas sua Cæsarea dignetur per Commissarios vtriusque nationis reuisionem instituere, prout se clementer offert. Præcipuè autem inter Zdenkonem Kawka Morauum, ac Stephanum Thelekessi, & Nobiles, Raphaelem & Nicolaum Prechinszki. ITEM controuersiam inter dominum Nadasdi & Christophorum Puechan: ac Præpositum Chornensem, & Capitaneum de KisMarton, ratione villæ March subortam: ac alios Nobiles Comitatus Castriferrei, à quibus Austriaci suas terras occupauerunt; vt sunt, Székfölde adiunctæ villarum Heron, Peső, Chemete, & Nobilium de Eőr ITEM inter Holicz & Hodolin, ac Berench & Sztrasnicza, & Szakolcza: dignetur etiam Maiestas sua Cæsarea nominare diem reuisionis. Commissarij verò ijdem sint, qui antea fuerunt nominati, & loco illorum, qui vel mortui sunt, vel morbo, aut aliis legitimis causis impediti, Maiestas sua alios designet.

Polonicæ monetæ cursus, vsusque in Vngaria interdicitur. ART. XIX.

MONETÆ Polonicæ vsum, statuunt omnino interdici & tolli. Eiusque prohibendæ duo sunt modi, vt scilicet in Montanis ciuitatibus, & passim vbique interdicatur, vel ad suum valorem & ligam per generalia Maiestatis suæ mandata ita redigatur, sicut Viennæ fieri solet: vbi expressa typis moneta cuiuslibet figuræ, additur etiam limitatio, secundùm quam illa recipiatur. Qua sic in ordinem redacta, si quis aliter cum ea quæstum exercuerit, pecuniam amittat, iuxta priores articulos anni Millesimi, Quingentesimi, Quadragesimi septimi, & alios. *Ann. 1574. art. 20. an. 69. art. 18.*

Castriferrei Capitulum transferatur Sabariam. ART. XX.

DECRETVM etiam est, vt Capitulum Castriferrei, vna cum sigillo & Protocolo, Sabariam, veluti tutiorem locum transferatur, cum eiusdem Capituli bona citra Rabum fluuium maiori ex parte habeantur, ne cum Capitulares Turcis se tributarios reddiderint, priuilegia Regnicolarum ibi conseruata per hostes auferantur.

Thuroczensis Conuentus Protocolon, vna cum sigillo transferatur ad Capitulum Ecclesiæ Strigoniensis. ART. XXI.

SIMILITER statutum est, vt Protocolon Conuentus Ecclesiæ beatæ Mariæ virginis de Thurocz, quod nunc apud manus dominorum Reuay habetur, vna cum sigillo eiusdem Conuentus, ad Capitulum Strigoniense Tirnauiam transferatur.

Stephano Illieshazi domina vidua Petri Erdödi bona adempta restituat, & de violentia iuri extraordinario pareat. ART. XXII.

QVERITVR etiam Stephanus Illieshazi, contra dominam viduam olim Petri Erdődi, & filios eius, Thomam & Petrum Erdődi, quòd ipsum portione sua in castro Kőrmőnd habita, quæ eum optimo iure concernebat, sine vllo iure violenter priuauerit. Ideò statutum est, vt Maiestas sua, bona sua sibi ablata in integrum per supremum Comitem & Capitaneos suos sibi restitui statim mandet. Violentia verò & damna inde secuta, iure extraordinario, in primis iudicijs posthac celebrandis, extra omnem seriem aliarum causarum reuideatur, lataque exinde sententia executioni demandetur, contradictione, inhibitione, & repulsione non obstante.

Vidua Petri Erdödi, viduæ Andreæ Tharnoczi bona ablata restituat. ART. XXIII.

VIDVA quoque Andreæ Tharnoczi, contra eandem relictam domini olim Petri Erdődi, & dictos filios suos conqueritur, quòd domum eius in oppido Kőrmőnd habitam, nocte intempesta, armatis manibus inuadi iusserint, & isthinc omnes res eius, pecuniam, vestes, res aureas & argenteas violenter ademerint. Itaque statutum est, vt ipsa vidua & filij eius, per Comitem & Capitaneos cogantur, vt ablata ei restituant. Ac de violentia, in futuris primitus iudicijs extraserialibus, reuisio per dominos Iudices ordinaria fiat, lataque exinde sententia debitæ executioni demandetur, contradictione, inhibitione, & repulsione viduæ Erdődianæ, liberorumque eius non obstante.

Andreæ Szaszi Personalis præsentiæ Locumtenenti, Laszkar & Kebenka restituantur. ART. XXIIII.

STATVTVM etiam est, vt dominus Alexius Thurzo, villam Laszkar, & portionem in villa felsö Lelocz, ac prædium Kebenka, quæ violenter occupauit, domino Andreæ Szaszi Personalis præsentiæ suæ Maiestatis in iudicijs Locumtenenti, restituat statim & defacto: alioquin compellatur ad restituendum per dominum supremum Capitaneum partium Cisdanubianarum Simonem Forgach.

Cis Kolapini dica quomodo exigatur. ART. XXV.

QVOD ad accolas citerioris ripæ fluuij Kolapis, quos pro Turcarum depopulatione, nuncij Regni Sclauoniæ à dica eximendos petunt, attinet: statutum est, vt Vicebanus cum Dicatore, & Nobile illo qui Dicatori adiungetur, ad loca illa proficisci debeat, & iuxta ipsius conscientiam, villas, quæ connumerandæ & dicandæ visæ fuerint, connumeret: quæ verò hostili periculo proximiores, & ideò exemptionem eiusmodi meritò habere visæ fuerint, intacta relinquat. Sed tamen vtrumque Maiestati suæ Cæsareæ significare debeat, quæ postmodum eorum, qui digni videbuntur, benignam rationem habitura est.

Antonij Tegzes per Transyluanos interempti causa. ART. XXVI.

Antonius Tegzes. DE nece Antonij Tegzes, quam Transyluani, ex quorundam ciuium Debrecenensium instinctu, fecisse dicuntur: domina vidua olim Comitis Eckij à Salmis, cum illius filio & filiabus ita concordauit, vt de ciuibus Debrecenensibus, ad festum

Natiuitatis

Natiuitatis ſancti Ioannis Baptiſtæ proximè futurum, & alijs duobus diebus immediatè ſequentibus, in oppido Dioſgyeor, præſentibus ibi Iudice nobilium, & iurato Nobile Comitatus Borſodienſis, ius & iudicium adminiſtret, tanquam domina terreſtris. Quo iudicio ſi actores contenti eſſe noluerint, deducant ad ſedem Iudiciariam Comitatus Borſodienſis. Vbi Vicecomes eiuſdem Comitatus, iuxta articulos anni Milleſimi, Quingenteſimi, Sexageſimi tertij, deliberatis homicidijs editos, iudicium adminiſtret, ſalua appellatione iuxta eoſdem articulos in Curiam Regiam fiendã. Quod ſi domina Comitiſſa iudicium adminiſtrare nollet, aut ciues illi per actores vno integro menſe ante terminum reuiſionis coram domina, vel officialibus, eos nominati, non comparuerint, extunc tales qui ſe ex ciuibus abſentauerint proſcribantur.

1563. art. 38.

Gratuitorum laborum diſtributio ad loca finitima. ART. XXVII.

DE diſtributione laborum gratuitorum, poſt longos tractatus, inter Maieſtatem Cæſaream & Status ac Ordines Regni, adhibitis in conſilium etiam Conſiliarijs Maieſtatis ſuæ bellicis, inuentum eſt ac ſtatutum: vt labores duodecim dierum, tàm manuales, quàm curruales, ad confinia ita præſtentur, quemadmodum ſequitur. Ad Szathmar, Comitatus Vgocha totaliter, & Szathmarienſis Comitatus, cum tribus proceſsibus ſeu Iudicatibus nobilium labores deputati ſunt. Ad Eched, quartus proceſſus Comitatus Szathmar, & duo proceſſus Comitatus Szabolch, exceptis bonis domini Michaëlis de Kiſuarda: quorum labores ad arcem Kiſuarda reſeruati ſunt. Ad Kallo, Comitatus Beregh, & Vngh. Ad Tokay, duo proceſſus Comitatus Szabolch, cum oppido Debreceen, & totus Comitatus Zemplinienſis. Ad Agriam, Comitatus Heues, Borſod, Peſth, Szolnok exterior, Solth, & duo oppida Capituli Agrienſis, Polgardi & Szent Margitha. Quoniam autem oppidum Agrienſe, ſua communitione indiget, per hunc annum ſolum, Comitatus Heues operas ſuas ad oppidi munitionem, inpoſterum verò ad arcis fortificationem, vti aliâs, præſtare debebit. Inhabitatores autem oppidi Agrienſis, ſua quoque auxilia pro virili conferre etiam oportebit. Ad Szenderő, deputati ſunt Comitatus Abauyuarienſis, Thornenſis, Scepuſienſis & Saaros: ſic etiam gratuitæ operæ, quatuor ciuitatum, Eperies, Leuchouiæ, Szeben, & Bartpha. Ad Putnok, & Balogh, Comitatus Gömerienſis. Ad Syrok, relinquantur coloni ab antiquo ad eandem arcem pertinentes: qui autem ad arces Naua, & Oroſzlankő antea pertinuerunt, & nunc ad Syrok occupati ſunt, maneant, in ordinatione aliâs definita. Caſſouia ſuos labores ſibimet applicet, in meliorationem ciuitatis, donec Cæſarea Maieſtas ſua, per peculiares Commiſſarios, eius fortificandæ ordinem ſtatuerit. Ad ſancti Benedicti caſtrum, & Kis Thapolchan, relinquantur labores colonorum, ad vtraque loca iſta pertinentium. Ad veteris Zolij arcem, laborent coloni ad eam arcem aliâs pertinentes. Comitatus verò Zolienſis totus, ad oppidi Veteriſzolij, ſic etiam caſtellorum, Szazy, Olchoua, Zlatina, Kozolnyk, reparationem, labores ſuos conferat. Bozok, ex pecunia gratuitorum laborum, ſi quæ ſunt minutæ reparationes faciendæ, iuuetur, donec de eius plenaria fortificatione integrè decernatur. Ad Kapornam, laborent Comitatus Honth vterque, & Neugrad: exceptis bonis Archiepiſcopatus, & Capituli Strigonienſis, quæ vbicunque ſint, ad Vyuar labores ſuos conferre debent. Ad Wigles, Comitatus Liptouienſis laboret. Oppida Libetha, & Breznobanya, ſuas ſibimet vſurpent operas. Nouizolium, ſuis quoq; & Cameræ Cæſareæ Maieſtatis, colonorum operis, in ſui reparationem vtatur. Ad Nittriam, Komiathi, Suran, relinquuntur Comitatus Trinchinienſis & Nittrienſis operæ, pro ratione temporis diſtribuendæ: exceptis bonis Epiſcopatus Nittrienſis, quorum coloni, ad arcis Nittrienſis reparationem adhibeantur. Ad Bakabanya, Comitatus Thurocz & Arua, cuius oppidi communitio ſi finita fuerit, dicti Comitatus, ad Vyuar iterum applicentur. Ad Komaronium, Comitatus Komaronienſis laboret.

Szathmar. *Eched.* *Kiſuarda.* *Kallo.* *Tokay.* *Agria.* *Ciuitas Agrienſis.* *Szenderő.* *Putnok.* *Balogh.* *Syrock. Naua.* *Oroſzlankő.* *Caſſouia.* *S Benedictus.* *kis Tapolchã.* *Vetus Zolium.* *Szazy.* *Olchoua.* *Zlatina.* *Kozolnyk.* *Bozok.* *Karpona* *Vigles.* *Libetha.* *Breznobanya.* *Nouizolium* *Nittria.* *Komiathy.* *Suran.* *Arx Nittrien.* *Bakabanya.*

Ad

Vyuar. Comaronium. Iaurinum. Viuar. Papa. Palotha. Vesprimium. Kanisa. Ad Iaurinum, Comitatus Posoniensis, Iauriensis, & Mossoniensis integrè: si tamen maior aliqua fortificatio in Vyuar inchoabitur, tunc Comitatus Posoniensis, quantum eius cis Danubium situm est, ad Vyuar laboret. Ad Papa, integer Comitatus Sproniensis, nullius exceptis bonis, laboret. Ad Palotha, Comitatus Albensis. Ad Vesprimium, Comitatus Vesprimiensis, & subditi viciniores Turcis tributarij. Ad Kanisam, relinquantur integri Comitatus Castriferrei & Szaladiensis, & quicquid ex Comitatu Simigiensi adhuc haberi potest, nullius bonis, seu Ecclesiasticis vel secularibus exceptis: præterquam domini Comitis de Zrinio; cuius subditorum labores, ad munitionem castelli Legrad, & aliorum, quæ is in ripa Muræ tenet, applicentur. *Legrad.*

Kanisæ fortificatio, & obstructio passuum eius. ART. XXVIII.

Kanisa. IN negotio autem fortificationis Kanisiensis, & obstructionis passuum, Comitatus illuc deputati, facient quod pro ipsorum viribus facere poterunt. Neque enim vltra labores præmissos, multum de se polliceri queunt. Nihilominus Regnicolæ statuerunt, vt Maiestas sua Cæsarea, dominos Comitem de Zrinio, Balthasarem Bathiany, Iulium à Salmis, Nadasdi, Ladislaum Poppel, ac Andream Kielman Capitaneum Kanisiensem, eo curet proficisci, & consultent, vbi, & quibus in locis ea obstructio fieri debeat, ne labor fiat inutilis, tàm per Comitatus, quàm quos serenißimus Archidux Carolus obtulit mille homines.

Pœna non collocatarum propriarum operarum ad arces finitimas, vt precium eius deponatur. ART. XXIX.

QVOD si compertum fuerit, aliquem ex Regnicolis, cui subditorum suorum operæ ad arces & ædificationes proprias relinquuntur, ad eas non applicare, is earum operarum precium persoluere teneatur, ad alias ædificationes confiniorum impendendum.

Gratuitorum laborum pecuniam Vicecomes colligat: supremus Capitaneus ad confiniorum munitionem distribuat, ac rationem distributi teneat.

ART. XXX.

Gratuitorum laborum pecuniæ Perceptor, vbi rationem accepti, & erogati det. IN quolibet Comitatu, Vicecomes pecuniam, quæ pro laboribus deponitur, recipiat, & Perceptori ad id ordinato tradat. Perceptor deinde ad vsus munitionum, rectè & ex præscripto supremi quarumcunqne partium Capitanei, distribuat, & singulis annis de perceptis pecunijs, in præsentia Vicecomitum, à quibus pecuniam accepit, & vnius Cameræ Vngaricæ Consiliarij, vel quem Maiestas sua Cæsarea ad id accipiendum ordinauerit, computum reddat.

Gratuitorum laborum Pecuniæ perceptores tres constituantur.

ART. XXXI.

HABEATVR vnus Perceptor in superiori Vngaria, per Comitatus & supremum ibidem Capitaneum deligendus. Pari modo, vnus in Comitatibus ad confinia ante montana deputatis. Tertius item vltra Danubium, per eosdem Comitatus, & supremum Capitaneum partium Vltradanubianarum eligendus.

Gratuitorum laborum pecunia Perceptoris officium. ART. XXXII.

HVIVSMODI Perceptores, qualiter operæ præstentur, vbique animaduertent, iuxta etiam continui auxilij intertentionem, an ea integrè teneatur, obseruabunt.

Mesßis & vindemiæ tempore, coloni ad labores gratuitos præstandos non compellantur. ART. XXXIII.

COLONI, tempore mesßis & vindemiæ, ad faciendos aliquos labores in munitionibus non compellantur.

Gratuitas

Gratuitas operas in proprios vsus non conuertant Capitanei, nec pro arbitrio suo, contra constitutiones Regni, ad diuersa loca deputent. ART. XXXIIII.

CAPITANEI Vngari vel externi, aut alij quicunque labores colonorum, in proprios, vel alios, quàm definitum est, vsus conuertere & compellere non audeant, neque duodecim dies supradictos transgrediantur. Statutum quoque est, ne hæc limitatio laborum per quospiam aliò conuertatur, sed maneat & obseruetur vbique per Capitaneos, tàm Vngaros quàm Germanos; neque quispiam contra præmissam limitationem, colonos ad diuersa loca compellat, & Maiestas sua Cæsarea in transgressores animaduertat.

Gratuitos labores Comitatus remotiores in pecunia, si volunt, præstent. ART. XXXV.

SIT etiam Comitatibus remotioribus liberum, an operas istas duodecim dierum, in specie ad confinia repræsentare, an verò pro illis pecuniam dare voluerint, iuxta articulos priores: neque cogantur illi Comitatus ad pecuniam dandam, qui labores in specie præstare velint.

Christophorus, Eustachius, Wolffgangus, & Wilhelmus Altham, in Vngaros acceptantur. ART. XXXVI.

PORRO, domini Prælati & Barones, ac Nobiles, cæterique Status & Ordines Regni, ad diligentem Maiestatis suæ Cæsareæ commendationem, dominos Christophorum ab Altham, Cameræ Aulicæ Præsidentem, ac Eustachium, Wolffgangum & Wilhelmum fratres eius carnales, ipsorumque hæredes & posteros, in numerum & consortium suum acceptarunt. Sperantes ipsos dominos fratres ab Altham, Regno Vngariæ non inutiles ciues futuros, atque erga Regnicolas in omnibus ita se gesturos, ne vllo vnquam tempore de eis conqueri possint: ac recepto ab eisdem suo, hæredumque suorum nomine, super tutandis & conseruandis Regni Vngariæ libertatibus, firmissimo iuramento, vigore huius Decreti publici, eosdem & hæredes eorum in Vngaros creant & pronunciant.

De bonis occupatitijs Zegegyhaz Mithke & Rakamaz. ART. XXXVII.

QVOD ad bona occupatitia attinet, videlicet, portiones possessionarias in Zegegyhaz, Mithke & Rakamaz in Comitatu Szabolch existentes, quorum ratione fideles inclyti Vngariæ Regni Status & Ordines intercedunt pro Nicolao Kerchy: item relicta quondam Schephani Eöldessy, ac Georgio & Nicolao Szokoly, cum Cæsarea & Regia Maiestas intelligat bona hæc exigua, paruique emolumenti, ac de ijsdem causam contra fiscum motam, esse in processu, magnaque ex parte probatam: Maiestas sua ad fidelium Statuum intercessionem, eorundem bonorum causam in incepto cursu progressuq; iuridico reliquit: ita vt in terminis Octaualibus iudiciorum, partibus superioribus celebrandorum, reuideatur. Alia bona similia, iuxta constitutiones priorum Dietarum, ad ius ordinarium reijcientur.

CONCLVSIO.

NOs itaque præmissa supplicatione fidelium subditorum nostrorum, dominorum Prælatorum, Baronum, Magnatum ac Nobilium, aliorumque Statuum & Ordinum dicti Regni nostri Vngariæ, & partium ei subiectarum clementer admissa, prædictos vniuersos & singulos articulos, nobis, vt præmissum est, præsentatos, quos præsentibus de verbo ad verbum inseri fecimus, ac omnia & singula in eis contenta, ratos, gratos, & accepta habentes, eisdem nostrum Regium consensum beneuolum, pariter & assensum præbuimus, illosque & quæuis in eis contenta, authoritate nostra Regia ac-

ceptauimus

ceptauimus, approbauimus, ratificauimus & confirmauimus: offerentes nos clementer, quod præmissa omnia in omnibus punctis, clausulis & articulis, tàm nos ipsi inuiolabiter obseruabimus, quàm per alios omnes fideles subditos nostros, cuiuscunque status vel conditionis existant, obseruari faciemus: imò acceptamus, approbamus, ratificamus & confirmamus, harum nostrarum vigore & testimonio literarum. Datum in arce nostra Regia Posoniensi, decima tertia die mensis Aprilis, anno Domini Millesimo, Quingentesimo, Septuagesimo octauo: Regnorum nostrorum, Romani tertio Vngariæ & aliorum sexto, Boëmiæ verò anno similiter tertio.

RVDOLPHI IMPERATORIS

DECRETVM ANNO DOMINI M. D. LXXII, Posonij editum.

NOS RVDOLPHVS secundus, DEI gratia, electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Vngariæ, Boëmiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Comes Tyrolis & Goritiæ, &c. Memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes quibus expedit vniuersis, quòd fideles nostri, domini Prælati, Barones, Magnates, Nobiles, cæterique Status & Ordines Regni nostri Vngariæ, & partium ei subiectarum, in generali ipsorum Conuentu, per nos eis ad festum sancti Martini Episcopi & Confessoris, anni Millesimi, Quingentesimi, Octuagesimi primi proximè transacti, indicto, in ciuitate nostra Posoniensi, ad mandatum nostrum congregati, exhibuerunt nobis & præsentauerunt infrascriptos articulos, in eorum Conuentu, communibus & vnanimis ipsorum votis & suffragijs, generaliq; consensu conclusos: supplicantes nobis humiliter, vt omnes & singulos eos articulos, omniaque & singula in eisdem contenta, ratos, gratos, & accepta habentes, nostrumque Regium consensum illis præbentes, authoritate nostra Regia clementer acceptare, approbare & confirmare, atque tàm nos ipsi obseruare, quàm per alios omnes, quorum interest, obseruari facere dignaremur. Quorum quidem articulorum tenor talis est.

In libertatibus conseruari Status petunt, & pro subsidio florenos duos offerunt.

ART. I.

QVEMADMODVM Maiestas sua Cæsarea, post diuturnam suam à Regno suo Vngariæ absentiam, Comitia generalia promulgare dignata fuit, in eum finem, vt de ijs rebus communi voto tractaretur, quæ ad restituendam libertatem & tranquillitatem, salutem & conseruationem Regni pertinent; ita Status & Ordines Regni, Maiestati suæ Cæsareæ, pro eiusmodi erga ipsos cura & studio, summas gratias, quas possunt, agunt, atque amore erga patriam, ac erga suam Maiestatem obseruantia ducti, repetitis vicibus, Maiestati suæ Cæsareæ summa cum humilitate supplicarunt, vt eos abusus & grauamina, quæ iam pridem contra publicam libertatem Regni irrepserunt, clementer tollere, atque exterorum officialium licentiæ submouendæ, restituendæque Consilij sui Vngarici pristinæ dignitati, cæterisque similibus, iuxta antiqua iura Regni, idonea remedia adhibere vellet. Quæ quidem omnia, quas ob causas à Statibus Regni tractationi dicæ præposita, & priori loco in medium consulta fuêre, Maiestas sua Cæsarea ex eorum scripto abundè semel atque iterum intellexit. Quibus quidem subleuandis & amouendis, quum Maiestas sua Cæsarea, tàm scriptis quàm verbis Status & Ordines Regni optimè sperare iusserit, & ipsi nefas esse ducant, de eiusmodi clementia Maiestatis suæ Cæsareæ quicquam diffidere, quin potius magnam habeant fiduciam, ea primo quoque tempore Maiestatem suam Cæsaream debito modo exequuturam (quod vt facere non omittat, iterum atque iterum orant) ea Maiestatis suæ benignitate & oblatione ducti, nec non necessitate Regni cōsiderata, ad præsentem,

Mille-

Millesimum, Quingentesimum, Octuagesimum secundum annum, offerunt gratuiti subsidij nomine, duos florenos, lucro Cameræ incluso, duobus terminis, S. scilicet Georgij, & sancti Michaëlis Archangeli, iuxta constitutiones anni Millesimi, Quingentesimi, Septuagesimi octaui, de singulis portis nouiter connumerandis, exigendos.

Gratuitus labor, & continui militis intertentio. ART. II.

STATVTVM etiam est, vt quoad labores gratuitos, item continuos milites, ac alia publica Regni negotia, articuli statutorum eiusdem Millesimi, Quingentesimi, Septuagesimi octaui anni obseruentur.

Iudicia Octaualia, & Locumtenentis, suis terminis celebrentur, pleno Iudicum ordinariorum numero. ART. III.

ITEM quantum attinet ad iudiciorum Octaualium, & Locumtenentiæ celebrationem, statutum est, vt celebratio eorundem iudiciorum Octaualium & Locumtenentiæ, ijsdem, qui antea statuti sunt, terminis continuetur: & tàm in generalibus Octauis, quàm Locumtenentiæ, plenus semper Iudicum ordinariorum numerus adsit, iuxta Decreta Mathiæ & Vladislai Regum: Et vniuersæ causæ Regnicolarum, tàm in superiorum partium Octauis, quàm Posonij celebrari consuetis, nullis omnino exceptis, in suis terminis reuideantur, & discutiantur. *Math. Sext. artic. 3. Vlad. Prim. art. 10.*

Iudicia Eperiessij celebrata, Tirnauiæ celebrentur, & qui iudicijs ac Appellationibus intersint. ART. IIII.

IVDICIA verò Octaualia, antea in Eperies celebrari solita, celebrentur Tirnauiæ, eo modo quo antea celebrari sunt solita. In his autem iudicijs Tirnauiensibus, vniuersæ causæ partium superiorum, tàm quæ generalia iudicia, quàm Locumtenentiæ concernunt, adiudicentur. Et etiam causæ quæ fisci nomine de bonis in partibus superioribus existentibus motæ sunt, vel deinceps mouebuntur, in ijsdem Octauis, & non alibi, nullis itidem exceptis, discutiantur. Transmissiones quoq; Regni Sclauoniæ discutiantur & adiudicentur, in omnibus præscriptis terminis. In iudicijs autem Tirnauiensibus, pro Prælatis nominantur domini, Stephanus Mathesi Præpositus Ecclesiæ Iauriensis, vel Ioannes Cherődi Archidiaconus Nittriensis. Loco autem Baronum nominati, Magnifici domini, Emericus Forgach de Gimes, vel Michaël Bakith. In Appellationibus penes Reuerendissimum dominum Locumtenentem suæ Maiestatis, & officij Palatinalis Locumtenentem, nominantur Prælati, Reuerendissimi domini Episcopi, Gregorius Bornemisza, Varadiensis, Nicolaus Telegdinus Quinqueecclesiensis, & Zacharias Mossoczi Vaciensis: Barones verò Magnifici domini Balthasar de Batthyan, Franciscus de Reua, & Simon Forgach.

Iudicijs Posoniensibus, & eorum Appellationibus qui intersint. ART. V.

IN iudicijs Posoniensibus, pro Prælatis nominantur domini, Petrus Heresinczi Præpositus Zagrabiensis, vel Stephanus Mathisi Præpositus Iauriensis: Pro Baronibus, Magnifici domini Nicolaus Dersffi, Paulus Czobor, vel Emericus Merei. In appellationibus penes Reuerendissimum dominum Locumtenentem suæ Maiestatis, & officij Palatinalis Locumtenentem, Reuerendissimi domini Episcopi, Nicolaus Telegdinus Quinqueecclesiensis, Stephanus Feyerkőy Vesprimiensis, & Zacharias Mossoczi Vaciensis: Item Magnifici domini, Balthasar de Batthyan, Michael de Reua, & Simon Forgach de Ghymes. Habeat autem authoritatem Reuerendissimus dominus Locumtenens, loco absentum alios constituere, iuxta priores constitutiones. *Nicolaus Isthuanffi in Locumtenentiæ officij Palatinalis hoc anno electus.*

Commissarij ad limites Regni reuidendos deputantur. ART. VI.

ITEM quoniam inter Vngariam & Austriam, ac Poloniam & Morauiam, propter nonnullas eorundem Regnorum & prouinciarum metas, inter fideles suæ Maiestatis variæ hactenus controuersiæ hinc inde agitatæ sunt. Vt igitur eiusmodi differentiæ tandem bono modo sopiantur, Status & Ordines certos ab vtraque parte Commissarios

deligendos decreuerunt, qui easdem differentias oculata fide reuideant atque determinent. Et proinde pro cognitione earum, quæ est inter Vltradanubianos & Austriacos ac Styrienses, nominantur pro idoneis Commissarijs, Reuerendissimus dominus Zacharias Mossoczi Episcopus Vaciensis, Magnifici domini Michael Reuai, & Nicolaus Isthuanffi, nec non Magister Emericus Pethe Protonotarius: & his Vicecomites quoq; cuiuslibet Comitatus, ac nomine fisci Director causarum Regiarum adiungantur. Pro cognitione verò earum, quæ est inter Morauos, ac fideles Regnicolas Vngaros suæ Maiestatis, nominantur, Reuerendissimus dominus Nicolaus Telegdinus Episcopus Quinqueecclesiensis: Magnifici domini Balthasar de Batthyan, & dictus Nicolaus Isthuanffi, ac Magister Gregorius Balogh Protonotarius: quibus similiter Vicecomes cuiuslibet Comitatus, & fisci nomine Director adsit. Ad rectificationem autem earum metarum, quæ sunt inter Polonos, & Comitatus, Scepusiensem, Arua, & Saaros, & alios circa confinia Polonica constitutos Regnicolas, tum maximè ad cognitionem limitationis illius, quæ est in Comitatu Scepusiensi, inter subditos suæ Maiestatis, & tredecim oppida Regi Poloniæ inscripta, superioribus annis facta, nominantur Reuerendissimus dominus Stephanus Feierkőy Episcopus Vesprimiensis: Magnifici domini Michael Wardai, & Franciscus Reuay: Item Egregij, Franciscus Ibrani Viceiudex Curiæ, & Magister Valentinus Baranyai Protonotarius. Quibus quoque adiungantur Vicecomes cuiuslibet Comitatus, & fisci nomine Director causarum suæ Maiestatis. Qui cum Commissarijs aliarum nationum, diuersis temporibus & locis, ad constituendum & præfigendum à sua Maiestate diem, ad loca litigiosa proficiscantur, cognitisque partium differentijs, & earundem propositionibus & allegationibus auditis, admissis etiam earundem partium quibusuis probabilibus documentis, ea statuant, exequantur & diffiniant de dictis litigiosis metis, quæ de iure Regni visa fuerint: & ea quoq; restituant, quæ antea adiudicata fuerunt. Quod si autem aliqui ex iam nominatis Commissarijs, ob graues causas proficisci non possent, habeant potestatem cæteri Commissarij, loco absentum alios idoneos eligendi, & secum accipiendi.

Substitutio commissariorum fieri posit in limitibus reuidendis absentium.

Limites Regni Sclauoniæ reuideantur, & Status ac Ordines eius Regni sibi Commissarios nominare possint. ART. VII.

QVONIAM autem Regnum quoque Sclauoniæ conqueritur de suis limitibus: statutum est, vt illi quoque Regnicolæ, in primo ipsorum Conuentu, de idoneis Commissarijs, qui differentias eorum metales cognoscant, sibi prospicere & nominare possint.

Supplicatio vniuersorum Statuum & Ordinum Regni Vngariæ, & sibi incorporatorum. ART. VIII.

POSTVLANT autem à sua Maiestate Status & Ordines, vt ad futurum annum, absolutis Imperialibus suis negotijs, ad quorum tractationem se festinare sua Maiestas dicit, ad hoc suum Regnum iterum redire: interea verò, vt petitum est, communes eius Regni libertates, quibus semper commoda & dignitas suæ Maiestatis coniuncta sunt, certis quibusdam damnosis introductionibus & abusibus, suæ Maiestati antea specificatis obfuscatas, iterum reddere, formamq; veterem Regni reducere dignetur.

CONCLVSIO.

NOs itaque præmissa supplicatione fidelium subditorum nostrorum, dominorum Prælatorum, Baronum, Magnatum & Nobilium, aliorumque Statuum & Ordinum dicti Regni nostri Vngariæ, & partium ei subiectarum clementer admissa, prædictos vniuersos & singulos articulos, nobis, vt præmissum est, præsentatos, præsentibus de verbo ad verbum insertos & inscriptos, ac omnia & singula in eis contenta, ratos, gratos, & accepta habentes, eisdem nostrum Regium consensum beneuolum, pariter & assensum præbuimus, illosque, & quæuis in eis contenta, authoritate nostra Regia acceptauimus, approbauimus, ratificauimusque & confirmauimus: offerentes nos clemen-

clementer, quòd præmissa omnia, in omnibus punctis, clausulis & articulis, tàm nos ipsi inuiolabiliter obseruabimus, quàm per alios omnes fideles subditos nostros, cuiuscunq; status & conditionis existant, obseruari faciemus: imò acceptamus, approbamus, ratificamus & confirmamus, harum nostrarum vigore & testimonio literarum. Datum in arce nostra Regia Posoniensi, decima nona die mensis Februarij, anno Domini, Millesimo, Quingentesimo, Octogesimo secundo: Regnorum nostrorum, Romani septimo, Vngariæ & aliorum decimo, Boëmiæ verò anno similiter septimo.

RVDOLPHI IMPERATORIS DECRETVM, ANNO M. D. LXXXIII. Posonij editum.

NOs RVDOLPHVS Secundus, DEI gratia, electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Vngariæ, Boemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Marchio Morauiæ, Comes Tyrolis & Goritiæ, &c. Memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes quibus expedit vniuersis, quòd fideles nostri, domini Prælati, Barones, Magnates, Nobiles, cæterique Status & Ordines Regni nostri Vngariæ, & partium ei subiectarum, in generali ipsorum Conuentu, per nos eis ad primum diem mensis Martij, anni Millesimi, Quingentesimi, Octuagesimi tertij, proximè transacti, indicto, in ciuitate nostra Posoniensi, ad mandatum nostrū congregati, exhibuerunt nobis & præsentauerunt infrascriptos articulos, in eodem Conuentu, communibus & vnanimis ipsorum votis & suffragijs, generaliq; consensu conclusos: supplicantes nobis humiliter, vt omnes & singulos eos articulos, omniaq; & singula in eisdem contenta, ratos, gratos, & accepta habentes, nostrumq; Regium consensum illis præbentes, authoritate nostra Regia clementer acceptare, approbare & confirmare, atque tàm nos ipsi obseruare, quàm per alios omnes, quorum interest, obseruari facere dignaremur. Quorum quidem articulorum tenor talis est.

Gratulantur Status & Ordines Regni Regi, de felici ad ipsos ex Imperio reditu, ac subsidium florenorum duorum per biennium offerunt. ART. I.

GRATISSIMVM accidit Statibus & Ordinibus huius inclyti Regni Vngariæ, & partium ei subiectarum, quòd Maiestas sua Cæsarea, dominus ipsorum clementissimus, eorum quæ in proxima Dieta ipsis de maturo suo ex sacri Romani Imperij Comitijs reditu, benignè pollicita erat, minimè oblita, indicto ipsis generali Conuentu, in medium ipsorum incolumis peruenerit. Atq; de huiusmodi pia & clementi suæ Maiestatis cura & studio, maximas & perennes, quas possunt, gratias agunt: vtq; hanc de ipsis solicitudinem, nullo vnquam tempore intermittat, humiliter supplicant. Etsi autem modi à sua Maiestate Statibus propositi, iuxta quos publica grauamina, libertates Regni opprimentia è medio tolli posse sua Maiestas repetitis vicibus existimauit, Statibus & Ordinibus Regni nondum satisfecisse videantur, propterea quòd exiguum quid remedij, ærumnarum auferendarum, & restituendæ libertatis contineant: quia tamen domini Consiliarij, nomine suæ Maiestatis, spem vberiorem polliciti sunt, fore, vt Maiestas sua Cæsarea, ad istud initium restituendarum immunitatum, nunc ad ipsorum Statuum multiplices & varias preces, factum, maiores indies progressus beneuolè factura sit, quoad fideles suos in vniuersum de se contentos reddat: & sanè ea quæ per plures annos contra communes prærogatiuas irrepserunt, tàm repentè vix corrigi, sed spatium temporis requirere videntur: tum etiam quia Status & Ordines ipsi, Maiestatem suam Cæsaream omni potius obsequendi studio & humilitate, erga se allicere & deuincire cupiunt. Propterea offerunt eidem Maiestati suæ Cæsareæ per biennium, in singulos annos, binos florenos, Cameræ lucro huc intellecto & incluso, de singulis portis, iuxta prius factam connumerationem (rectificatione tamen intercedente) duobus terminis solitis exigendos. Ea addita conditione, vt hoc biennio durante, Maiestas sua Cæsarea, omnia ea, quæ de *Subsidiū duorū florenorum.*

quæ de

quæ de abrogandis grauaminibus, & restituenda pristina libertate, formaq; Regni, petita sunt, iuxta clementem suæ Maiestatis oblationem & declarationem, per dominos Consiliarios, tum nunc, tum verò anno superiori factam, & publica constitutione anni superioris confirmatam, atque secundum veterem consuetudinem, & Regni leges, ad quas Maiestas sua Cæsarea solenniter obstricta est (ne toties dicta & facta repetantur) re ipsa, & effectiuè complere dignetur. Nam recordari potest, etiam anno præterito in eum finem subsidium oblatum fuisse, vt libertates per abusus superioribus annis sublatæ, Regno per suam Maiestatem restituantur; quod & modo in eundem planè finem offerunt. Clarè hoc suæ Maiestati indicantes, quòd si sua Maiestas veterem ipsorum libertatem integrè non restituerit, se contributionem in futurum offerre nequaquam posse.

Gratuiti labores, pascuatio, continui militis intertentio, Commissariorum ad limites Regni electio, & iudiciorum celebratio, iuxta priores constitutiones fiat.

ART. II.

De gratuitis laboribus, de pascuatione, de continui militis intertentione, de iudicijs, deque commissione rectificationis metarum Vngariæ cum cæteris Regnis & prouincijs, ac reliquis publicis Regni negotijs, se ad superiorum annorum constitutiones referunt.

Adamus Diethrestain, & filius eius Maximilianus in Vngaros recipiuntur.

ART. III.

Cæterum Maiestas sua Cæsarea, missis ad ipsos Status & Ordines Regni internuncijs, benignè eos requisiuit, vt fideles suos, Magnificos Adamum à Diethrestain, Aulæ suæ Cæsareæ Præfectum, qui Maiestati suæ Cæsareæ à teneris annis, & ferè ab incunabilis diligenter educatæ in hunc vsque diem fideliter continueque seruiuisset: Item Maximilianum à Diethrestain filium ipsius, suæ Maiestatis Cubicularium, in Vngaros præficere vellent. Status igitur & Ordines Regni, eundem dominum Adamum à Diethrestain, ac filium eius Maximilianum, ipsiusque Maximiliani hæredes vniuersos, recepto ab ipsis solito seruandarum legum & libertatum Regni Vngariæ iuramento; in numerum ipsorum recipiunt: tum vt primam hanc suæ Maiestatis benignam petitionem haud grauatim admisisse videantur, tum quòd sperent illos libertates & immunitates publicas Regni Vngariæ, pro virili conseruaturos & defensuros esse, bonosque & vtiles eiusdem Regni ciues futuros.

CONCLVSIO.

Nos itaque præmissa supplicatione fidelium subditorum nostrorum, dominorum Prælatorum, Baronum, Magnatum ac Nobilium, aliorumque Statuum & Ordinum dicti Regni nostri Vngariæ, & partium ei subiectarum clementer admissa, licet amplius quid ab ijsdem Statibus & Ordinibus expectassemus & credidissemus, supradicta ipsorum declaratione opus non fuisse: tamen oblatam dicam acceptantes, clementerque spem eis dantes, nihil nos omissuros esse, quod ad Regni huius conseruationem, ac tam Regnicolarum grauamina subleuanda, quàm alias ad eorundem salutem & commoda, opportunum esse queat; prædictos vniuersos & singulos articulos nobis, vt præmissum est, præsentatos, præsentibus de verbo ad verbum insertos & inscriptos, ac omnia & singula in eis contenta, ratos, gratos, & accepta habentes, eisdem nostrum Regium consensum beneuolum, pariter & assensum præbuimus, illosque, & quæuis in eis contenta, authoritate nostra Regia acceptauimus, approbauimus, ratificauimusque & confirmauimus: offerentes nos clementer, quòd præmissa omnia, in omnibus punctis, clausulis & articulis, tàm nos ipsi inuiolabiliter obseruabimus, quàm per alios omnes fideles subditos nostros, cuiuscunque status & conditionis existant, obseruari faciemus: imò acceptamus, approbamus, ratificamus & confirmamus, harum nostrarum vigore & testimonio literarum. Datum in arce nostra Regia Posoniensi, vigesima

ſima octaua die menſis Aprilis: anno Domini, Milleſimo, Quingenteſimo, Octogeſimo tertio: Regnorum noſtrorum, Romani octauo, Vngariæ & aliorum vndecimo, Boëmiæ verò anno ſimiliter octauo.

Finis Decretorum inclyti Regni Vngariæ Regum.

OBSERVATIONES PROCESSVS CAVSARVM MILITARIS CVRIÆ REGIÆ, IN FACTO HONORIS, vſu receptæ.

CAVSAS more militaris Curiæ Regiæ motas, ex antiqua, & longo vſu confirmata conſuetudine, iudicat & diſcutit, dum in ipſa Curia præſens eſt, Comes Iudex eiuſdem Curiæ Regiæ. Eo verò ab Aula abſente, Locumtenens Regius, vel cui Rex iudicandas commiſerit.

DATVR hoc iudicium in eos, qui pactis & promiſſis, fide, honore & humanitate interpoſitis, verbo vel ſcripto factis, non ſteriſſent, vel qui ſub aſſecuratione fidei, honoris & humanitatis ſuæ, aut contra ſuum ſaluum conductum aliquem defraudaſſent. Notanter autem dicitur, contra ſuum ſaluum conductum: nam ſi quis non ſuum ſaluum conductum, ſeu literas aſſecuratorias, ſed Regis violauerit, ille non huic iudicio, ſed notæ perpetuæ infidelitatis ſubiacet. *Vlad. Secund. art. 4.*

DATVR etiam contra eos, qui alterius honorem conuitijs, vituperijs, verbis aut ſcriptis inhoneſtis & infamatorijs, in derogamen ſtatus, honoris, dignitatis, & exiſtimationis tendentibus, læſiſſent, maculaſſent, & contaminaſſent: infidelem, improbum, filium meretricis, periurum, fidefragum & mentitum eſſe eum affirmando: aut alijs nominibus contumelioſis & dehoneſtatiuis, diminutionem famæ & nominis, probrum, & notam turpitudinis inferentibus appellando. Vnde & nomen huiuſmodi lites acceperunt, vt cauſæ in facto honoris vocentur. Quoniam non ratione alicuius rei conſequendæ mouentur, ſed totæ in mouentis honore aſſerendo, tuendo & conſeruando: aduerſæ verò partis minuendo, abolendo & tollendo verſantur: vt ſcilicet pars ſuccumbens, propter violatam fidem ſuam, vel alterius honorem indebitè læſum, infamis, ſine fide, honore & humanitate, interq; probos & bonæ exiſtimationis homines minimè computandus eſſe pronuncietur.

VNGARI enim, tanta conſtantia in mutuis contractibus, promiſſis & obligationibus, atq; adeò omnibus negotijs, fidem ſeruandam, & nec re ipſa violandam, nec vlla perfidiæ ſuſpicione aſpergendam: tanta item animi fortitudine, ſui honoris exiſtimationem & integritatem colendam, & in precio habendam eſſe conſueuerunt, vt contra tales, qui aliquid ſe præſtaturos, ad fidem, & humanitatem ſuam polliciti eſſent, neque huiuſmodi pollicitationi ſatisfeciſſent: quiq; aliorum honorem, verbo vel facto delibaſſent, aut offendiſſent, ſpeciale & ſeuerum hoc iudicij genus in vſu ſemper habuerint, & tenaciſſimè obſeruauerint.

DEMVM, ſi quis ſolus à ſolo in itinere, nullo ſpectante ſpoliaretur: vel alter alteri, ſine alicuius teſtimonio, quippiam commodaret, aut aliquid ad ſecretas aures diceret; & neq; ſpolium, neq; creditum, neq; verba prolata probari poſſent, de his quoque iudicium ad militarem Curiam Regiam pertineret. *Math. Sext. art. 18. Vlad. Prim. art. 37.*

LIBERVM tamen eſt cuiuis, ab initio, prædictis modis ſe læſum aſſerenti, cauſam ſuam, tàm hoc proceſſu, quàm alio in ſede Iudiciaria Regia, veluti ratione iniuriarum,

coram Iudicibus Regni ordinarijs: imò etiam in sede Comitatus, ad pœnam quæ ibi affligi potest, mouere & prosequi.

Hvivs autem iudicij, iuxta veterem Regni obseruationem & vsum, hæc sunt propria.

Obseruationũ causæ honoris prima. *Citatio quomodo fieri debeat.*

Primo, quòd in literis euocatorijs, quarum vigore aliquis in causam factum honoris concernentem, more militaris curiæ Regiæ, etiam extra omnes iudiciorum terminos euocatur, tenor actionis in iudicio examinandæ, cum suis circumstantijs, quemadmodum fit in alijs negotijs, describi & inseri non consueuit: sed hoc saltem necessariò in literis ipsis euocatorijs est exprimendum, quòd ille qui euocari debet, in causam factum honoris concernentem, more militaris curiæ Regiæ, euocetur.

Secunda. *Personalis astantia.* *Partis à iuditio absentia.* *Actor non comparens.* *In causam attractus se absentans.*

Secvndo, in hac causa, partes litigantes, non per Procuratores solummodo, sed personaliter interesse, & in iudicio penes Procuratores suos astare debent: alioqui contra contumacem, in termino legitimo non comparentem, sententia amissionis fidei, honoris & humanitatis suæ, siue ille fuerit actor, siue reus, ferri solet & pronunciari. Si enim actor non comparet, tunc in causam attracto, cum literis relatorijs executæ citationis legitimè comparenti, dantur literæ absolutionales, & contra actorem fertur sententia amissionis honoris: & è conuerso in ipsum reum seu in causam attractum contumacem, vbi actor legitimè comparuerit, nulla penitus in ipso comparitionis termino, admissa eiusdem non comparentis excusatione, vel exceptione, similiter fertur sententia. Vnde propter formidinem districti huius & terribilis iudicij, retinendumque post fata honorem, accidisse aliquando memoratur, quòd partes ipsæ, in causa honoris litigantes, nedum in lecto grauissimæ ægritudinis constitutæ, verumetiam exanima corpora interim defunctorum, ad terminum & locum iudicij apportata sint, & aducta. Si tamen sententiatus ipse contumax, per gratiam noui iudicij Regiam, aut Locumtenentis Regij, ad agendum denuò admissus, legitimo & sufficienti testimonio, coram eodem Iudice, vel qui eidem fortè successerit, comprobare postea poterit, quòd sine manifesto vitæ periculo, ad terminum, ad quem euocatus citatusque fuerat comparere non potuisset: velùti quia extremè decubuisset, ægrotassetque, ac superinde aduocato loci alicuius credibilis testimonio, pro sui securitate, solennem fecisset protestationem: vel si tempore euocationis, in aliqua arce ab hostibus obsessa fuisset constitutus, quam saluo honore dimittere, & securè per hostes venire non potuisset: vel si in itinere, in manus latronum incidendo retardatus fuisset, aut fortè insuperabili fuisset aquarum inundatione prohibitus: tum, si tempore euocationis, ipso absente, de domo habitationis & solitæ eiusdem residentiæ factæ, in tam longinquo loco fuisset constitutus, vt quamuis adhibita diligentia, euocatio contra se facta, illi ad noticiam ita tempestiuè non deuenisset, vt commodè ad terminum præfixum comparere coram suo Iudice potuisset. His enim casibus, si (vt præfertur) coram Iudice, in termino legitimo sufficiens postea testimonium produci poterit, per eundem ipsum Iudicem, per quem contumaciæ siue absentiæ sententia lata fuerat, aut qui fortasse ei interim successerit, absolui, pristino suo honori restitui, ac ad prosequutionem causæ suæ principalis, cum suo aduersario, integrè admitti debebit.

Nouum iuditium.

Absentiæ causæ rationabiles Tripart. p. 2. tit. 59.

Tertia. *Concordia ante litis cõtestationem fieri potest.*

Tertio, quamuis de veteri & approbata Regni huius lege & consuetudine, litigantes ipsi, in omnibus alijs causis, quocunque tempore voluerint, tam pendente lite, quàm etiam postea, liberam habeant concordandi facultatem: in causa tamen facti honoris, more militaris curiæ Regiæ mota & suscitata, concordia ipsa, non aliter, nisi ante litis contestationem, hoc est, antequam actio, coram Iudice proposita, & responsio directè subsecuta sit, locum habere potest: non quòd concordia partium hac in re fieri prohibeatur, sed quia natura & proprietas causæ huius talis est, quòd partes ipsæ litigantes, per ipsam litis contestationem, & per directè contrarias oppositiones seu responsiones, honorem suum mutuo offendisse & delibasse, iam manifestè comperiuntur. Neque videtur possibile, vt concordia postea ipsa taliter fieri possit, vt honori cuiuspiam partium aliquid

aliquid non decrescat. Cum magna igitur animi maturitate & deliberatione ad contestationem litis procedere debebunt: & si concordiam ipsam, monente etiam Iudice causæ, partes amplecti voluerint, ante ingressum & contestationem litis, eandem amplectantur, operæ precium est. *Maturè ad litis contestationem procedendum.*

QVARTO, partibus coram Iudice constitutis & litigantibus, si actor inter loquendum, reum seu in causam attractum appellaret hominem probum, vel dominum, ipso facto, contrà eum amplius in causa facti honoris agere non posset: imò & suum proprium honorem, per sententiam Iudicis, parte id postulante, amittere, & in causa succũbere deberet. Quoniam in causam attracti honorem, quem per euocationem contaminare volebat, suis iam proprijs verbis restituisset, eius personam honorando. *Quarta.*

QVINTO, in hoc genere iudicij, actor succumbens, semper & indifferenter subiacet pœnæ talionis. Si enim intentauerit causam aliquam, tanquam factum honoris concernentem, & hoc nomine aliquem euocauerit: atq; sic actionem suam coram Iudice proposuerit, compertumq; deinde in iudicio fuerit, causam illam non esse talem, quæ scilicet factum honoris concernat: Vel si causa quidem intentata talis fuerit, quæ hoc iudicium concernat, illud tamen, quod in actionem est deductum, probari per eundem actorem non poterit, hoc vtroq; modo, actor, qui alterius honorem pessundare & violare volebat, proprium amittere, per sententiam Iudicis causæ solet & debet. *Quinta.*

SEXTO, actor ipse, dum semel actionem suam, conceptis quibus voluerit vel bis, siue per se ipsum, siue per Procuratorem sibi astantem in iudicio proposuerit, nihil postea de omnibus eisdem verbis, aut deinceps in processu causæ deducendis & allegandis, mutare vel variare, aut cum quouis onere reuocare, deponere & condescendi facere poterit, sed omnino super ipsa totali sua actione, eiusq; veritate, cum aduersario suo iudicium subire cogetur: concessa parti aduersæ totius actionis, ac omnium literarum, scripturarum, testimoniorum, per quamuis partem in iudicio productorum, copia. Quæ si legitimè petenti, in alijs etiam omnibus causis non denegatur, multo magis in arduo hoc genere iudicij denegari non debet, neq; potest. Cautæ igitur admodum sint partes in proponendis actionibus, & responsis. Quod enim semel proposuerint, aut dixerint, ab eo discedere amplius ipsis non licere pro explorato habeant. *Sexta.*

SEPTIMO, si actor in iudicio tres vel quatuor, aut plures articulos suæ actionis, vel saltem vnum articulum, pluribus tamen rebus narratis comprehensum proposuerit, tunc reus seu in causam attractus, ad quemcunque illorum articulorum, vel quamcunq; actionis partem voluerit respondendi, & super falsitate eius opponendi & arguendi habet liberam electionem: nullo ordine eorundem articulorum seu narratorum obseruato: Et si saltem in vno quocunque illorum articulorum, vel narrationis puncto, actorem ipsum mendacij & falsitatis, quòd videlicet falsè narrasset, deprehendere & conuincere poterit, mox & in continenti, non expectato vlteriori causæ processu, neq; aliorum articulorum, seu reliquæ narrationis discussione curata, actor ipse propter tale mendacium, in amissione causæ honorisq; sui, per Iudicem condemnari, & vlterius, tanquam mendax, non audiri; reusq; ipse, seu in causam attractus, saluo honore absolui debebit. Et è contra, si in responsione per in causam attractum facta, saltem vnius articuli, vel vnius partis, responsionis falsitatem actor deprehendere, & accedente deliberatione Iudicis, conuincere poterit, iudicium simile pro illo ferri debebit. Quæ tamen falsitatis mutua per vtramq; partem obiectio, cum magna admodũ cautela fieri debet. Nisi enim, quæ quis obiecerit, sufficienter comprobare poterit, statim in talionis pœna, hoc est, causæ & honoris amissione, instante & petente altera parte, per Iudicem condemnari solet, debetq;: Quod obseruatur semper, in mutuis earundem partium, coram Iudice, in discussione causæ vltro citroq; prolatis & obiectis verbis. Si enim partium aliqua, in vnico aliquo puncto, ex obiectis alteram partẽ falsum obiecisse deprehenderit: & superinde coram Iudice agendo, iure conuicerit, simile, prout supra, sortietur iudicium. Et è conuerso, si deprehẽdere volens, falsitatis alicuius iniustè insimulauerit, eandemq; partẽ *Septima.* *Falsitatis conuincere in vnò ex pluribus sufficit.* *Pœna talionis.* *Retrocessio.*

minus rectè loquutam,& in verbis suis retrocessisse dixerit,nisi id ita per Iudicem fuerit compertum,mox ad alterius partis requisitionem,talionis pœnæ subiacebit: etiamsi illud saltem opinatiuè,verbo Vngarico teczik fuerit prolatum per aliquam partem.

Octaua. OCTAVO, illud probationis genus, per duellum seu dimicationem & pugnam duellarem,olim in omnibus ferè causis fieri consueuerat,per publicas tamen Regni cōstitutiones penitus est sublatum & abolitum. Verùm in hoc solo iudicij genere, cessantibus verisimiliter alijs probationibus,cum bona cautela admitti consueuit, tunc, quando res ipsa principalis,super quo lis mota est,merè causam honoris concernens, coram testibus aliquibus geri & tractari non potuisset, & exindè, omnis legitima probatio necessariò deficeret, sed solummodò aliqua verisimilia facti indicia extarent. Nam in talibus duntaxat probatio per duellum decerni potest: ac propterea more militaris Curiæ Regiæ,causa ipsa intentari dicitur, quia in ea certamen militare admitti consueuit. Qua in re hoc animaduersum est,iustitia diuina vires suas manifestante,exercente,& ostendente, vt semper,qui reus criminis & nocens est, iniustamq; causam fouet, succumbere sit solitus. In alijs verò mutuis tractatibus & obligaminibus, pactis & contractibus, bonorum dispositionibus, emptionibus,venditionibus, solutionibus,satisfactionibus,& alijs,quæ de sui natura,communiq; vsu & obseruatione, palàm & coram Iudicibus Regni ordinarijs, ac locis credibilibus, siue etiam coram idoneis testibus tractari consueuerunt,dimicatio ipsa duellaris locum non habet,& admitti non consueuit.

Math. Sext. artic.18. Vlad. Prim. art.37.

Singulare certamen in vim probationis.

Nona. NONO, duellaris dimicatio, non vtriuslibet partis electione, sed sola authoritate Iudicis decernitur: vsque adeò, vt si quæ partium,non expectato Iudicis decreto, parti alteri signum committendi duelli, Cheuek nóstra lingua vocatum, in iudicio offerret,ostenderet & protenderet,hoc facto se ipsum condemnaret subitò,& succumberet: eo quòd per se sibi duellum adiudicasse decerneretur.

Decima. DECIMO, in hoc iudicio,si ille,qui alium quempiam verbis inhonestis,conuitijsq; affecisse diceretur, vel etiam probabiliter affecisset, coram Iudice postea constitutus, verba illa negaret,nec à se dicta assereret,nullus vlterior causæ processus,etiamsi actor, actionem suam negatam probaturum se assereret & offerret,sequi potest: sed actor ille hoc responso contentus esse,& Iudex causam inter partes ipsas, saluo semper ambarum partium honore,condescendi facere debebit. Si tamen in certamen duelli res deuenisset,& partium aliqua,vi alterius adacta,verba sua,quæ prius constanter,vsq; ad progressum siue terminum dimicationis duellaris asseruisset,negaret, seque potestati victricis partis daret,redderet,traderetq;, non posset postea per partem ipsam victricem, ad vlteriora cogi & in corpore amplius puniri. Sed in hoc casu,partis quasi duello victæ,vita quidem seruari,honor tamen amitti consueuit.

Negatorum effectus.

Seruatur vita cum honoris discrimine.

Vndecima. VNDECIMO, quando contra aliquem sententia per non venientiam seu in eius contumaciam,propter non comparitionem in termino ei assignato, fertur, tunc talis sententia simpliciter,quòd videlicet pars talis in termino debito, coram suo Iudice cōparere,& honorem suum defendere neglexisset,per hocq; semet ipsam,in amissione sui honoris conuinci & aggrauari permisisset,pronunciatur. Quæ tamen sententia vsq; ad obtentionem gratiæ noui iudicij,& executionem superinde factam, suum locum habebit: cuius vigore ille,contra quem lata fuerit, interim ab agendo seu testificando, repelli,& infamiæ obnoxius esse debebit. Si verò sententia ipsa ex comparitione partium, auditis propositionibus & responsis earundem,ex testimonijsq; receptis,vel aliter comperta rei veritate,modo diffinitiuò extradata fuerit,tunc ipsa sententia,non ita simpliciter,vti ante dictum est,sed distinctè,facta narratione & declaratione, omnium in iudicio actorum & productorum,ac cum manifesta explicatione circumstantiarum, denotationeq; indumentorum, quòd videlicet homo ille, in amissione fidei, honoris & humanitatis conuictus, & perpetua infamia notatus, tanquam ab humanitate relegatus & segregatus,deinceps discoloribus vestibus indutus, zona canabea cinctus, discalceatis pedibus,& nudo capite semper incedere debeat,scribenda & extradanda erit.

Gratiæ noui iudicij effectus

Trip. part. Secund.tit.30.

DVODE-

DVODECIMO, quando sententia fertur ex responsis partium, neq; gratia Regia, neque reuocatio Procuratorum habet locum, vt ille amplius honori restituatur, qui ipsum hoc processu amisit: est enim insanabile & irremedicabile vulnus.

Duodecima. Conuicto hoc processu gratia Regia, honor, nō restituitur.

DECIMOTERTIO, non est prætermittendum, quòd iudicium istud facti honoris, omnino personale est, neque ad hæredes alterutrius partis transmittitur, sed cum ipsa persona, cui & contra quam competebat, extinguitur. Salua tamen hæredi actione pro damnis, vel quocunque suo interesse, ex tali facto competente.

Decimatertia. Iudicium facti honoris personale.

IVRISIVRANDI FORMVLÆ VARIÆ.

Iusiurandum recens & nouiter coronati Regis Vngariæ, extat in principio Decretorum D. Ferdinandi Imp. fol. 581.

Iuramentum Iudicum ordinariorum, & assessorum sedis Regiæ, reperitur supra in Decret. Sigismu. Sext. art. 1. Math. Sext. art. 73. & Vlad. Prim. art. 33.

Iuramentum Consiliariorum.

EGO N. &c. iuro per DEVM viuum, & gloriosam DEI genitricem Virginem Mariam, ac omnes sanctos & electos DEI: quòd cum sacra Cæsarea & Regia Maiestas, dominus meus clementissimus, me in consilium suum adhibere dignata sit, à modo inposterum suæ Cæsareæ & Regiæ Maiestati, ac successoribus eius, legitimis scilicet Vngariæ Regibus, in omnibus fidelis & obediens ero, & in quacunq; re interrogatus fuero, fidele, bonum, & vtile consilium dabo, odio, amore, timore, fauore, alijsq; complacentijs & affectibus semotis, amicos suæ Maiestatis Cæsareæ & Regiæ pro amicis, inimicos pro inimicis habebo, consilia & secreta Maiestatis suæ Cæsareæ & Regiæ mihi in consilio, vel per literas, aut alias qualitercunque commissa, nemini pandam, nec euulgabo. Ita me DEVS adiuuet, beata Virgo Maria, & omnes sancti DEI.

Iuramentum Secretariorum Regiorum.

EGO N. iuro per DEVM viuum, beatissimam DEI genitricem Virginem Mariam, omnes sanctos & electos DEI, quòd à modo inposterum, sacræ Cæsareæ Regiæq; Maiestati perpetuam fidem & fidelitatem seruabo, consilia & secreta eius ac vota Consiliariorum, atq; adeò omnia secreta, quæ secreta esse cognouero, verbis, scriptis, vel nutu, aut alio quocunq; modo, nemini reuelabo, nec manifestabo, sed fideliter apud me conseruabo: ac in omnibus rebus fidei meæ commissis, fidelem me exhibebo. Ita me DEVS adiuuet, beatissima Virgo Maria, & omnes sancti ac electi DEI.

Iuramentum Notariorum sedis Regiæ.

EGO T. iuro per DEVM viuum & eius sanctam genitricem Virginem Mariam, & per omnes sanctos & electos DEI: quòd ego secreta sedis iudiciariæ sacræ Cæsareæ & Regiæ Maiestatis, & ea quæ per dominos Iudices Regni huius Vngariæ ordinarios, Magistrosq; Protonotarios, & eiusdem sedis iudiciariæ iuratos assessores, in ipsa sede tractabuntur, verbis, scriptis, nutu, vel alio quocunq; modo, nemini vnquam reuelabo, sed fideliter conseruabo, scripturas diligenter conficiam, & in omnibus rebus fidei meæ commissis, fidelem executionem faciam. Sic me DEVS adiuuet, &c.

Iuramentum Procuratorum, quod tamen iam non est in vsu.

EGO T. Procurator, iuro per DEVM viuum, & eius sanctam genitricem Virginem Mariam, & per omnes sanctos & electos DEI, quòd ego nullas causas scienter & calumniosè, & quæ essent iniustæ suscipiam, neq; illis contra iura huius Regni Vngariæ patrocinabor, easq; inanibus & friuolis exceptionibus & protelationibus scienter, & temerè, in longum protrahere nunquam intendam, sed neq; vllo pacto, cum aduersa parte in damnum Principalis mei colludam. Sic me DEVS adiuuet, & omnes sancti.

Forma iuramenti externorum, qui in Vngaros cooptantur.

Ego T. quoniam sacratissima Cæsarea atque Regia Maiestas, dominus meus clementissimus,& ex eius Maiestatis clementi admonitione, vniuersi domini Prælati, Barones,Proceres ac alij Status & Ordines huius inclyti Regni Vngariæ,in præsenti eorum Dieta generali,pro festo beati Stephani Regis,præsentis anni, hîc Posonij celebrata, me ad meam humilimam supplicationem, in numerum & cætum verorum huius Regni Vngariæ Nobilium creare,recipere,& acceptare dignati sunt. Ob hoc iuro per Devm verum,& gloriosam Dei genitricem Virginem Mariam, & per omnes sanctos & electos Dei, quòd ego præfatæ Cæsareæ Maiestati, tanquam Regi Vngariæ, & eiusdem Maiestatis Cæsareæ successoribus, similiter Vngariæ Regibus legitimè coronatis, ac sacræ eiusdem Regni Vngariæ Coronæ,& toti Regno, perpetuam fidem & fidelitatem obseruabo,ac iura,libertates,priuilegia,Decreta, consuetudines, & alias omnes immunitates,in hoc Regno Vngariæ obseruatas, nullis vijs directis vel indirectis, palàm vel occultè,consilio,factis,vel alio quocunque modo violabo aut turbabo, sed toto posse meo,etiam,si res ita postulauerit, cum vitæ meæ extrema necessitate tuebor & conseruabo,iuribus,Decretis & consuetudinibus eiusdem Regni, in omnibus semper parebo, & obedientem me exhibebo,dominia,metas,ac terminos eiusdem Regni Vngariæ, & partium sibi subiectarum, ab eodem Regno nulla ratione alienabo,& alienata, instar aliorum Regnicolarum recuperare enitar. Ad quæ omnia præmissa fideliter obseruanda me & meos hæredes obligo,& astringo. Sic me Devs adiuuet beata Virgo Maria, & omnes sancti.

Iuramentum testium.

Quæ requirantur in teste, vide Trip. part. Secund. tit. 27. & 28.

Ego N. iuro per Devm viuum,gloriosam Dei genitricem Virginem Mariam, & omnes sanctos: quòd ad articulos,& interrogata mihi proponenda, adeoq; in tota causa inter N. N. dicam veritatem pro vtraque parte,& ad neutrius beneplacitum veritatem,quam de ea re & causa sciuero, & interrogatus fuero, tacebo, aut intermittam propter aliquod munus,donum,commodum,fauorem, odium, amicitiam, timorem, aut aliud quicquam,quod humana mens excogitare possit. Sic me Devs adiuuet, & omnes sancti.

Iuramentum in metali reambulatione præstandum.

In metarum reambulationibus,& rectificationibus, ille qui ex iudiciaria deliberatione iuramentum præstabit,in foueam vel scrobem in facie terræ litigiosæ effossam, ad vmbilicum vsque descendere & defodi, ac detecto capite,ac nudipes, terram in manum dextram accipiendo,& super verticem capitis sui tenendo,iurare consueuit, iuxta modum & ordinem eidem per iudicem præscriptum,in hac forma.

Ego N. iuro per Devm viuum, per Devm verum, per Devm Sanctum, & per sanctam Dei genitricem Virginem Mariam,& per omnes sanctos, & electos Dei, quòd terræ hæc litigiosæ,pro quibus ego,iuxta earum demonstrationem & reambulationem,iuramentum præstare debeo, per omnia, & integrè ad possessionem meam T. optimo & iusto iure pertinent,meq; & meos hæredes propriè concernunt. Et si iuramentum hoc per me falsum & dolosè esset depositum, hæc terra me absorbeat, nec mihi,aut hæredibus,ac successoribus meis,& incolis huius possessionis meæ T. vtilis & fructuosa fieri possit,sed pro fructibus & vtilitatibus,spinas & tribulos germinet. Ita me Devs adiuuet,& omnes sancti.

Hoc igitur iuramentum per Principalem personam, hoc quo dictum est modo & ordine,& non aliter deposito,coniuratores illius Principalis personæ,absque descensione in scrobem,foueamuè in ipsa terra litigiosa effossam, non discalceati, sed solitis eorum indumentis saluis, more solito, prout aliàs incedere soliti sunt, vestiti, terram litigiosam manu dextra tangentes,iuramenta penes personam principalem,quòd videlicet eadem iustum deposuisset iuramentum,præstare debebunt. Quæ quidem seria & terribilis

bilis iuramenti formâ, ad euitanda potissimùm periuria, quæ pro ampliandis finibus ac terminis facilius committi solent, & ad deterrendos omnes ab iniusta alienorum limitum inuasione, iam ab olim in Regno Vngariæ adinuenta est & obseruata.

Iuramentum Comitis Palatini Regni Vngariæ.

Ego N. iuro per Devm viuum, beatam Dei genitricem virginem Mariam, omnes sanctos & electos Dei, quòd ex quo serenissimus & gratiosissimus dominus meus, dominus N. Rex Vngariæ, &c. ex sua speciali gratia, me seruitorem suum, multis alijs mei Ordinis dominis Baronibus & Proceribus præferens, ad honorem & dignitatem Palatinatus Regni Vngariæ, cum magna nominis mei, & totius familiæ meæ exaltatione, admittere & promouere dignatus est. Ob hoc ego quoque volens affectionem, obseruantiam, obedientiam, fidemq; meam, erga Maiestatem suam declarare, & eidem pro tanto per ipsam collato mihi beneficio, ex obligato seruitore, obligatiorem me reddere promitto per fidem meam Christianam, honorem & humanitatem: quòd Maiestati suæ, omni factione populari postposita, semper in omnibus obediens, obsequens, & fidelis ero, studeboq; semper, honorem, authoritatem, gloriam, dignitatem, exaltationem, & omne bonum Maiestatis suæ, probè, diligenter & fideliter promouere, & omnem aduersitatem, omneq; malum eiusdem, pro omni posse meo deuitare & propulsare. Amicitiam & confæderationem cum nemine vnquam inibo, talem, quæ posset esse Maiestati suæ, rebusque suis, vel nociua, vel damnosa, vel aliquid impedimenti aut detrimenti afferre rebus, dignitati, regimini & authoritati suæ Maiestatis posset: quin potius in omni rerum euentu & casu, tàm felici quàm aduersô, sinceriter semper & constanter, cum Maiestate sua, & pro Maiestate sua stare, & omnia facere studebo, quæcunque ad decus, honorem, vtilitatem, & incrementum authoritatis Maiestatis suæ fore cognouero. Præterea, studebo & enitar totis viribus, prouentus & reditus, ac alia quæuis bona Maiestatis suæ defendere & augmentare, & nihil volo de illis, vel mihi ipsi, vel meis fratribus ac amicis, præter voluntatem & beneplacitum Maiestatis suæ, aut accipere, aut vsurpare, aut manus meas, & meorum ad illa qualitercunq; extendere, vel intromittere. Cæterùm, post Regiam Maiestatem volo, prout bonum & probum, ac fidum Palatinum decet, omnes Ordines, omnesq; Status huius Regni Vngariæ, tàm Spirituales, quàm Seculares, in eorum libertatibus & iuribus, quatenus ad officium meum pertinet, tutari, protegere & conseruare, citra omnem iniuriam & illegitimam offensionem. Item Octauas, & alia iudicia quæ celebrari in hoc Regno, pro totius eiusdem Regni quiete & tranquillitate consueuerunt, nolo turbare, neque impedire, neque volo quærere causas aut occasiones, per quas vel differantur, vel suspendantur: quin potius omnem curam sinceriter & studiosè exhibebo, vt omnes Octauæ, aliaq; iudicia omnia suis temporibus semper celebrentur. Item de castris finitimis, & eorundem conseruatione & instauratione, ac defensione studiosissimè semper curam geram, & tàm hæc præmissa, quàm etiam alia omnia, quæ ad hoc Palatinatus officium pertinent, vel pertinebunt, iustè, probè, fideliter semper exequar & administrabo, fauore, amore, odio, gratia, prece, præmio, alijsq; omnibus affectibus, qui in me, & hunc Magistratum cadere possent, posthabitis: imò promitto & ad obseruationem, exequutionemq; omnium præmissorum me astringo & obligo fide mea Christiana. Ita me Devs adiuuet, beata Dei genitrix virgo Maria, & omnes sancti.

Forma Iuramenti Vaywodæ Transyluani.

Ego N. Vaywoda Transyluanus, & Siculorum Comes, iuro per Devm viuum, & eius genitricem virginem Mariam, & omnes sanctos ac electos Dei, quòd ego omnibus coram me causantibus, & in omni negotio, quod ad officiũ meum pertinebit, odio, amore, fauore, timore, prece, & præmio, postpositis, absq; cuiusuis personæ, diuitis scilicet & pauperis respectu, rectum iudicium, iustitiam & exequutionem pro posse meo faciã: officiumq; Vaywodatus, & Comitis Siculorum, per serenissimum Principem N. Regem Vngariæ,

Vngariæ,&c. dominum mihi clementissimum,durante eius beneplacito, concessum, eius Maiestati fideliter conseruabo, & in omnibus ad prædictum officium pertinentibus,fideliter procedam. Et quandocunque sua Maiestas officium à me repetierit,omni occasione, difficultate, dilatione semotis, suæ Maiestati resignabo. Sic me DEVS adiuuet.

Idem iuramentum est officij Banatus.

Iuramentum hominis Regij,in executione cum testimonio Capituli vel Conuentus procedentis. Vlad. prim. art. 43.

EGO N. iuro,&c. quòd in præsenti executione, facto & opere, fideliter & rectè, iuxta Iudicis præscriptum procedam,& veram de omnibus relationem hic in Capitulo faciam. Ita me DEVS adiuuet,&c.

Iuramentum militiæ.

EGO N. iuro, &c. quòd arma non dehonestabo,nec adstantem, quisquis is fuerit, socium relinquam: pugnabo pro foris & aris solus, & cum multis: patriam nec turbabo,nec prodam: fidelitatem Regi seruabo perpetuam, receptis consuetudinibus parebo, & quascunque alias Rex cum Statibus Regni statuerit, tuebor solus, & cum reliquis. Ita me DEVS adiuuet, &c.

Iuramentum Iudæorum extat in Tripart. part. Tert. tit. vltimo.

Iudices veteres adiurabuntur hac formula.

QVOD iuxta commune ius, legitimas & honestas constitutiones patriæ, quæ coram ipsis proposita fuerint, potenti & humili, pauperi & diuiti, in quantum optimè nossent, sentirent, intelligerentq́; æqualiter iudicaturi, nec vlla de causa in contrarium acturi essent. Neque à partibus, aut quoquam alio, ob quamcunque causam iudicio coram se vertentem, aut pendentem, munera, dona, aut aliqua commoda, per se, vel alios quoscunque, modo id ab hominibus excogitari possit, vel ipsi acciperent, vel accipi sinerent. Nec priuatam seu specialem partialitatem,vel adhæsionem aliquam in sententijs ferendis præsument & quærent. Neque verò alteri parti consilium dent, vel cautelam præmonstrent. Quicquid verò in consultationibus tractatum esset, id nec partibus,nec cuiquam alij manifestabunt, ante,vel post sententiam latam. Nec lites maliciosè different, aut prorogabunt.

Leonis & Alexandri Impp: *in prauos iudices anathema.*

NON arbitramur quenquam eorum, qui iudicandi functionem sunt sortiti, eo leuitatis aut vanitatis abripi,vt neglectis propositis legibus, vel arbitrari, vel sententias proferre ausint: sed si quis eo socordiæ fuerit prolapsus, is legibus statutam pœnam luet. Si verò nos lateat, non latebit insomnem oculum, sed & malis imprecationibus id stabilire ac sancire admodum,è re fore arbitrati sumus. Experiatur ergo sibi hostem DEVM, & omnes cœlestes, ac incorporeæ potestates ei aduersentur: excidat hac vita ante iustam ætatem, & iacturam quoque futuræ vitæ faciat. Ignis deuoret fundamentum domus eius,semen eius sit perpetuò infame,& mendicet panem, atque id ob hanc solùm causam,quòd legum libertatem per falsa ac deprauata iudicia seruituti subiecerit, & perperam iudicauerit.

ARCHIEPISCOPATVS REGNI VNGARIÆ DVO.

STRIGONIENSIS habet Suffraganeos Episcopos,

Agriensem,
Quinqueecclesiensem,
aliâs Peuchiensem,
Vesprimiensem,
Iauriensem,
Vaciensem &
Nitriensem.

COLOCENSIS & BACHIENSIS habet Suffraganeos.

Zagrabiensem,
Transyluaniensem,
Varadiensem,
Chanadiensem,
Suidniciensem,
Bosznensem,aliâs Diacoiensem,
& Sirmiensem.

IN CROATIA ET TALMATIA.

Archiepiſcopus IADRENSIS *habet ſuffraganeos.*

Anſarenſem, Veglienſem, & Arbenſem.

Archiepiſcopus SPALATENSIS *habet Suffraganeos Epiſcopos.*

TRagurienſem,	Segnienſem,
Scardinenſem,	Almiſienſem,
Tininienſem,	Modruſienſem,
Nouenſem,	Macarienſem &
Sibinicenſem,	Pharenſem.
Temnenſem,	

Archiepiſcopus RAGVSINVS *habet ſuffraganeos Epiſcopos.*

STagnenſem,	Catharienſem,
Roſonenſem,	Bacenſem &
Tribunicenſem,	Biduanenſem.

Comitatus Regni VNGARIÆ.

SIrmienſis,	Honthenſis,	Bekes,
Valko,	Neugradienſis,	Zarand,
Poſga,	Zolienſis,	Chanad,
Verocze,	Lipthouienſis,	Torontal,
Baronya,	Arua,	Themeſienſis,
Bachienſis,	Thurocz,	Strigonienſis,
Bodrog,	Scepuſienſis,	Zeurenienſis,
Tholna,	Thornenſis,	Zemplenienſis,
Alba Regalis,	Vyuar,	Thrinchinienſis,
Veſprimienſis,	Borſodienſis,	Solth,
Somogy,	Gőmerienſis,	Kis heues,
Szala,	Vng,	Nagy heues,
Caſtriferrei,	Bereg,	Sáros,
Sopronienſis,	Vgocha,	Chongrad,
Moſonienſis,	Maramaros,	Haronenſis,
Iaurienſis,	Szathmar,	Maczo,
Komaronienſis,	Szabolcz,	Orbacz,
Piliſienſis,	Szolnoc mediocris,	Kraſſo,
Peſthienſis,	Szolnoc exterior,	Orodienſis,
Poſonienſis,	Bihor,	Kouinienſis,
Nittrienſis,	Kraſzna,	Ztebernik.
Barſienſis,	Berenſis,	

Comitatus Regni SCLAVONIÆ.

Criſienſis, Zagrabienſis, Varaſdienſis.

Comitatus TRANSTLVANIÆ.

KOlos,	Kikellő,
Doboka,	Albenſis,
Szolnoc interior,	Hunyad.
Thorda,	

Siculi verò TRANSTLVANIÆ *habent ſedes ſeptem.*

Marosſzek,	Orbai ſzek,
Chikſzek,	Aranyasſzek,
Sepſiſzek,	Vduarheliſzek, quæ inter alias eſt præcipua. Ibi enim cauſæ appellatæ diſcutiuntur & inde in præſentiam Comitis Siculorum deferuntur.
Kiſdiſzek,	

CATALOGVS ARCHIEPISCOPORVM, QVI ECCLESIAM STRIGONIENSEM à fundatione, vſque ad annum Domini M. D. LXXIII. gubernarunt.

		Ann. Domi.
1	ANaſtaſius,	1009.
2	Sebaſtianus,	
3	Neæma,	1075.
4	Deſiderius,	1080.
5	Seraphin,	1100.
6	Laurentius,	1112.
7	Marcellus,	1120.
8	Martinus primus,	1158.
9	Lucas Panffi,	1171.
10	Nicolaus primus,	1183.
11	Iob,	1188.
12	Guilhelmus,	1202.
13	Ioannes primus, qui ante fuit Colocenſis,	1217.
14	Robertus,	1225.
15	Matthias,	1242.
16	Stephanus,	1246.
17	Benedictus,	1266.
18	Philippus,	1272.
19	Lodomerius,	1287.
20	N.	
21	Thomas primus,	1320.
22	Boleslaus,	1322.
23	Martinus ſecundus Szalai,	1329.
24	Chanadinus de Telegd,	1337.
25	Nicolaus ſecundus,	1364.
26	Thomas ſecundus,	1380.
27	Demetrius Cardinalis,	1384.
28	Ioannes ſecundus Bank,	1398.
29	Ioannes tertius Kaniſai,	1416.
30	Georgius primus Paloczi,	1430.
31	Dioniſius Szecchi, Cardinalis,	1445.
32	Ioannes quartus Viteſius,	1464.
33	Ioannes quintus Alemanus, poſtea Salczburgenſis,	1. 74.
34	Ioannes ſextus, Cardinalis,	1486.
35	Hyppolitus Eſtenſis, Cardin.	1498.
36	Thomas tertius, Bakocz de Erdőd, Cardinalis, & Patriarcha Conſtantinopolitanus,	1489.
37	Georgius ſecundus Szathmari,	1521.
38	Ladislaus Zalcanus,	1524.
39	Paulus de Varda, Locumtenens Regius,	1529.
40	Nicolaus tertius Olahus, Locumtenens Regius,	1553.
41	Antonius Verantius Sibinicenſis, Locumtenens Regius,	1569.
	Mortuus anno,	1573.

CATALOGVS EPISCOPORVM ECCLESIÆ AGRIENSIS.

1 CAtapanus.
2 Petrus.
3 Laurentius.
4 Cletus.
5 Andreas.
6 Martinus.
7 Chanadinus de Telegd, poſtea Strigonienſis.
8 Nicolaus primus, poſtea Strigonienſis.
9 Michael.
10 Emericus Zudar.
11 Ioannes primus, poſtea Strigonienſis.
12 Stephanus primus.
13 Thomas primus Vasfeiū.
14 Stiborius.
15 Petrus de Rozgon.
16 Dioniſius de Szecch, poſtea Strigonienſis.
17 Simon primus, de Rozgon.
18 Ladislaus de Hederuara.
19 Ioannes ſecundus Viteſius, poſtea Strigonienſis.
20 Gabriel Italus, Cardinalis.
21 Vrbanus de Nagy Luche.
22 Thomas ſecundus Bakocz de Erdőd, poſtea Strigonienſis.
23 Hyppolitus Eſtenſis Cardinalis.
24 Ladislaus Zalkanus, poſtea Strigonienſis.
25 Paulus de Varda, poſtea Strigon.
26 Simon ſecundus de Erdőd, qui cedens Agrienſi Epiſcopatui, potitus eſt Zagrabienſi.

Thomas

27 Thomas tertius Szalahazy, qui pulsus Agria à factione Ioannis Regis, Episcopatum Vesprimiensem obtinuit.

28 Antonius primus Grittus.

29 Franciscus de Frangepanibus, qui fuit etiam electus Archiepiscopus Colocensis.

30 Nicolaus secundus Olahus, postea Archiepiscopatus Strigoniensis.

31 Franciscus ab Vylak, Locumtenens Regius.

32 Antonius secundus Verantius Sibinicensis, postea Strigoniensis.

33 Stephanus secundus Radecius, qui nunc viuit, estque Locumtenens Regius, & Cameræ Vngaricæ Præfectus.

CATALOGVS EPISCOPORVM ECCLESIÆ VARADIENSIS.

1	Colomanus filius Geisæ secundi Regis,	1009.
2	N.	
3	Mercurius,	1156.
4	N.	
5	Nicolaus,	1174.
6	Ioannes primus,	1180.
7	Vatha,	1186.
8	Eluimus,	1189.
9	Simon,	1211.
10	Alepander,	1219.
11	Benedictus primus.	1232
12	Vincentius,	1250.
13	Zozimas,	1259.
14	Lodomerius, postea Strigo.	1217.
15	Thomas,	1281.
16	Bartholomæus,	1284.
17	Benedictus secundus,	1291.
18	Emericus primus,	1300
19	Iuanka,	1318.
20	Andreas primus de Bathor,	1329.
21	Demetrius,	1346.
22	Dominicus primus,	1373.
23	Emericus secundus Zudar,	1376.
24	Ladislaus,	1378.
25	Ioannes secundus,	1383.
26	Lucas,	1387.
27	Eberhardus,	1406.
28	Andreas secundus,	1415.
29	Ioannes tertius,	1426.
30	Dionisius Iakchi,	1427.
31	Ioannes quartus,	14,6.
32	Ioannes quintus,	1440.
33	Ioannes sextus,	1447.
34	Ioannes 7. Alemanus, postea Strigoniensis, & demum Salczburgensis Archiepiscopus,	1466.
35	Ioannes octauus,	1475.
36	Valentinus Farkas,	1491.
37	Dominicus secundus,	1495.
38	Georgius primus, postea Quinqueecclesiensis, tandem verò Strigoniensis,	1501.
39	Sigismundus Thurzo,	1506.
40	Franciscus Pereni,	1519.
41	Emericus tertius Czibak,	1526.
42	Frater Georgius secundus, Cardinalis,	1535.
43	Mathias Zaberdinus,	1552.
44	Franciscus Forgach,	1557.
45	Stephanus Radecius, qui nunc est Agriensis,	1568.
46	Gregorius Bornemisza, Viuit.	1570.

CATALOGVS EPISCOPORVM ECCLESIÆ QVINQVEECCLESIENSIS.

1	Bonipertus sacellanus D. Stephani Regis,	1009.
2	N.	
3	Maurus,	1157.
4	Antinius,	1070.
5	Fabianus,	1093.
6	Stephanus primus,	1094.
7	Simon,	1120.
8	N.	
9	Macharias,	1162.
10	Iob primus, postea Archiepiscopus Strigoniensis,	1175.
11	Calanus primus Paleatus,	1190.
12	Calanus secundus,	1217.
13	N.	
14	Bartholomæus primus,	1241.

15 Petrus, 1256.
16 Iob ſecundus, 1272.
17 Paulus primus, 1294.
18 Bartholomæus ſecundus, 1308.
19 Ladislaus, 1322.
20 N.
21 Nicolaus primus, 1358.
22 Wilhelmus, 1364.
23 Valentinus, 1390.
24 Ioannes primus, 1416.
25 Henricus, 1425.
26 N.
27 Ioannes ſecundus Viteſius, inſignis poëta, 1476.
28 N.
29 Sigiſmundus Erneſtus, 1493.
30 Georgius primus, poſtea Archiepiſcopus Strigonienſis, 1521.
31 Philippus More, 1525.
32 Georgius ſecundus Sulyoc, 1527.
33 Stephanus ſecundus Brodarich, 1530.
34 Ioannes tertius Ezeki, 1534.
35 Stanislaus, 1542.
36 Paulus ſecundus de Gregoriancz, 1550.
37 Georgius tertius Tompa, 1551.
38 Antonius Verantius, 1553.
39 Georgius quartus Draſcouitius, nunc Archiepiſ. Coloc. Epiſ. Iaurien. ac Cancellarius, 1552.
40 Ioannes quartus Monoſzloi, nunc Zagrabienſis, 1568.
41 Nicolaus ſecundus Telegdinus, Adminiſtrator in Spiritualibus Archiepiſc. Strigon. 1579.
Viuit.

CATALOGVS EPISCOPORVM ECCLESIÆ NITTRIENSIS VSQVÆ AD ANNVM 1582.

Ann. Domi.
1 EDuardus Epiſcopus, 1158.
2 Ioannes primus, 1205.
3 Vincentius primus, 1220.
4 Iacobus, 1226.
5 Adam à Tartaris occiſus, 1245.
6 Nicolaus primus, 1254.
7 Vincentius ſecundus, 1271.
8 Petrus Primus, 1280.
9 Paſcaſius, huic ciuitas Nittrienſis D. D. 1286.
10 Ioannes ſecundus, 1307.
11 Benedictus, 1316.
12 Meſco, poſtea Epiſcopus Veſprimienſis, 1330.
13 Frater Vitus, Secretarius & Cancellarius Ludouici Regis, 1337.
14 Stephanus primus, 1351.
15 Ladislaus, qui poſt Epiſcopus Veſprimienſis, 1368.
16 Frater Dominicus primus, fuit Pœnitentiarius Papæ, 1379.
17 Vitus ſecundus, 1390.
18 Gregorius primus, 1392.
19 Michaël, 1395.
20 Petrus ſecundus, 1405.
21 Hinco, 1419.
22 Georgius de Berzencze, 1433.
23 Dioniſius de Szeech poſtea Agrienſis, tandem Strigonienſis, 1439.
24 Nicolaus, 1456.
25 Thomas de Debrethe, 1468.
26 Frater Georgius, 1487.
27 Gregorius ſecundus, 1489.
28 Antonius Præpoſitus Poſonienſis, 1492.
29 Nicolaus ſecundus de Bachka, 1501.
30 Stephanus ſecundus de Szathmar, Perſonalis præſentiæ in Iudicijs Locumtenens, 1503.
31 Sigiſmundus Thurzo, 1504.
32 Stephanus tertius Podmaniczki 1507. obijt anno Domini, 1530.
Sedes vacat annis quatuordecim.
33 Franciſcus Thurzo, 1540.
34 Paulus Bornemiſza, 1557. moritur anno 1579. fuit Epiſcopus Tranſyluanienſis, & diui Imperatoris Maximiliani ſecundi Locumtenens.
35 Zacharias Moſſoczi anno 1572. Tininienſis. 1578. Vacienſis, 1582. Nittrienſis Eccleſiarum Epiſcopus.
Viuit.

INDEX

INDEX EORVM QVÆ PRÆCEDENTIBVS REGVM DECRETIS CONTINENTVR. NVMERVS VBIQVE FOLIA designat, nisi expreßè Decreta & articuli annotentur.

B.

BALTHA-

exigen-

Bonorum

 Comi-

Constantia

D.

Deci-

E.

Interpre-

K.

L.

M.

Metæ

Officia-

ramentalis

T.

Turoczien-

Vina